Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Martini Cromeri De origine et rebus gestis Polonorum libri XXX. : adiecta est in fine, euisdem autoris funebris Oratio, Sigismundi Regis uitam compendiose complexa.

https://hdl.handle.net/1874/425046

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

S. fol.

93.
f.

S. fol.
351

S. fol. 351

MARTINI CROMERI
DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBRI XXX.

Adiecta est in fine, eiusdem autoris funebris Oratio, SIGISMVNDI Regis uitam compendiosè complexa.

Ex Donatione nub. à Bückel.

Cum Cæs. Maiest. gratia & priuilegio ad annos decem. 1555

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

ACADEMIA

SIGISMVNDVS AVGVSTVS, DEI GRATIA REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, POMERANIAE, SAMAGITIAE AC MAZOVIAE, ETC. DOMINVS ET HAERES,

ANNO DOMINI M. D. LIIII. AETATIS XXXV.

AD SIGISMVNDVM AVGVSTVM, *INCLITVM REGEM POLONORVM, MAgnum Ducem Lituanorum, Russorum, Prussorum, Masouiorum, & Samagitarum dominum & hæredem, totius Operis Proœmium.*

CVM PETRVS GAMRATVS, archiepiscopus Gnesnensis, idemq; Cracouiensis episcopus, uir consilio promptus, gratia populari, & autoritate, quã partim liberalitate & beneficentia singulari, partim egregio in parentes tuos, SIGISMVNDE AVGVSTE, Rex inclyte, & in Rempub. Polonã studio collegerat, florentissimus, honestum ac luculentum præsidium ad uitam degendam, & ocium literariũ mihi parauisset, post mortem eius retuli me totum protinus ad ea studia, quibus ab ineunte ætate delectatus eram, quæq; ne in ipso quidem aulicæ uitæ cursu penitus deserueram. Tunc autem longè liberior & expeditior, non habui satis, mihi ipsi (quod aiunt) & Musis canere: sed cœpi circumspicere, quonam modo fructum studiorum meorum ad publicam plurimorum utilitatem referrem. Perpendebam cum animo meo, non solum quid à nostris quidem hominibus potissimum expeteretur, ab externis uerò cupidè, & cum nonnulla Polonici nominis fama acceptum iri uideretur: sed etiam quid à me, hac ingenij, doctrinæ, iudicijq; tenuitate & angustia præstari utcunq; posset. Occurrit mihi in primis historia nostræ gentis, quæ tractata quidem est ante nos cùm à Vincentio Cadlubco, episcopo Cracouiensi, & Gallo quodam monacho ante trecentos annos: tum ab Ioanne Dlugosso, & Mathia Miechouiensi, & alijs quibusdam anonymis longè posterius: tum uerò nostra ferè ætate ab Iosto Ludouico Decio, & Bernardo Vapouio, Cantore Cracouiensi: uerùm ita tractata, ut homines partim accuratius, partim emunctius & elegantius aliquid requirerent. Quæ de re memineram, Rex optime, quem sermonẽ Vilnæ mecum familiariter habuisses, prius quàm ad regni gubernacula accessisses: cum eò non modò ab illo ipso Petro Gamrato, patrono meo, uerùm etiam à parẽtibus tuis præclarissimis ablegatus, ad te ueniissem. Tenebam etiam, quam ego spem honestissimi desiderij tui ex-

Petrus Gamratus, archiepiscopus Gnesnensis, & episcopus Cracouiensis.

Occasiones scribẽdæ historiæ.

Poloniarũ rerum scriptores.

Sigism. Aug. regis sermo de historia.

plendi tibi oſtendiſſem: cum indicaſſem, datum quidem eſſe à patre tuo, rege ſanctiſsimo & ſapientiſsimo, negocium uiro in primis docto ac pio, & eloquentia iudicioq; ſingulari, Staniſlao Hoſio, præceptori meo, qui nunc opera tua Varmienſis epiſcopus eſt, ut hiſtoriã Bernardi Vapouij, quã is aliquãto antè mortuus, imperfectam & rudiuſculã reliquerat, recognoſceret atq; expoliret: ſed eum negare, id à ſe, alijs grauioribus negocijs occupato, commodè præſtari poſſe: & maioris autem negocij uideri, alienis ſcriptis limã admouere, quàm proprio Marte opus detexere. Hoc igitur magis de conſcribenda Hiſtoria cogitare cœpi, quæ & originem ueram, & res geſtas gentis noſtræ complecteretur. Et intelligebã equidem, quid res tanta requireret. ſed cum neq; Hoſius, neq; quiſquam alius laborem illum ſuſciperet, ſuſcepi ego: non tam uirium mearum, & ingenij eloquentiæq; fiducia, quàm ne præclaro tuo, multorumq; præterea noſtratium hominum deſiderio, & publicæ utilitati deeſſem. Verùm in proſequendo opere, plus quàm credideram initiò, difficultatis reperi. Neq; hoc dico, quòd uiri clariſsimi, & cùm alijs præclaris uirtutibus, tum integritate & honeſtate uitæ, humanitate, elegantia, lenitate & manſuetudine ornatiſsimi, Samuelis Maceouij, epiſcopi Cracouienſis, & cancellarij Poloniæ, uoluntate primùm: deinde tua quoq; SIGISMVNDE AVGVSTE, Rex benigniſsime, auctoritate, ad ſcriptionem, aliaq; aulica negocia, & ad longa ac frequentia itinera tecum, legationesq; pro te obeundas, ab inſtituto opere identidem reuocatus ſum: non has, inquam, remoras mihi obiectas eſſe queror, quanquam hæ quoq; diutius me ab abſoluendo opere inchoato diſtrahebant: ſed illud magis, quòd in tot ſeculorũ hiſtoria, quem certum ducem ſequerer, non habebam. Animaduertebam Vapouium, Decium, & Miechouienſem, Dlugoſſum potiſsimùm ſecutos eſſe: illum uerò non magnopere uerſatum in externis hiſtorijs, quæ Polonicæ ſcribenti magno adminiculo eſſe poterant: nõnunquam perplexum eſſe, nec perpetuò ſibi conſtare, nec rationem temporum tenere: & πλείω πάρεργα τῶν ἔργων, ut Græcis eſt in prouerbio, perſecutum eſſe: & operi imperfecto immortuum, ad recognoſcendum id nihil temporis habuiſſe. Neque tamen magis reprehenſione dignum iudicabam ob id, quòd non omnia præſtitiſſet, quàm laude, quòd primus maximo la-

Staniſlaus Hoſius, epiſcopus Varmienſis.

Autoris conſilium.

Impedimenta.

Samuel Maceouius, epiſcopus Cracouiẽſis, & cancellarius Poloniæ.

mo labore,& indefeſſo ſtudio glaciem, quod dicitur,perfregiſſet. Quamuis enim ſcripſiſſet ante eum Vincentius,& quidam alij, quemadmodũ ſuperiùs attigi,ſed conciſè admodum, nonnulla etiam fabulis, ut mihi uidetur, quàm hiſtoriæ propiora. Itaq; coactus ſum externas ueterum iuxtà ac recentiorum hiſtorias,uicinarumque gentium annales conquirere,& peruigili cura euoluere. Nec tamen in eo poſita erant omnia. Multa à ſcriptoribus partim ignoratione rerum externarum peruerti, aut omitti, partim maleuolentia & inuidentia, uel aſſentandi ſuaque extollendi ſtudio deprauari ſolere, non ignoramus. Sic autem æſtuãti, tu mihi, SIGISMVNDE AVGVSTE, licet aliud agens, ſuccurriſti: idq; ſiue ultro: ſiue uiris omni ingenij, prudentiæ, dexteritatis,fidei, uirtutisq; laude cumulatiſſimis, & erga me propenſiſsimis, Ioanne Oceſsio affini meo, Cancellario, & Ioanne Prærembio Procancellario,conſultoribus: dum mihi archiuium tuum Cracouienſe recognoſcendi, & in certum ordinem redigendi prouinciam mandaſti. Ibi enim reperi non pauca publica literarum monumenta, quæ magnam lucem Hiſtoriæ noſtræ attulerunt, quemadmodum ſuis locis planum fiet. Iure igitur optimo hoc opus noſtrum tu tibi quaſi proprium uendicabis, quòd & inſcitator atque autor quodammodo ad id ſuſcipiendum initiò mihi fuiſti: & in eo perficiendo,non ſolum fauore tuo, uerùm etiam archiuio aperiendo, magnopere me adiuuiſti. Non ornabit fortaſsis, augebit quidem certè hic liber bibliothecam tuam, quam omni genere librorum inſtructiſsimam,exornandæ arci Vilnenſi,ſplendidè & magnificè à patre quidem tuo inchoatæ,abs te uerò exædificatæ, quaſi colophonem addidiſti. Cognoſces tamen hic incunabula, incrementa & conuerſiones Reipublicæ noſtræ, & regni tui. Cognoſces non ſolùm Polonorum & Lituanorum tuorum,ſed etiam aliorum quorundam finitimorum populorum origines,& ſucceſſus uarios. Cognoſces quaſi in ſpeculo imaginem rerum præſentium, & quem quæque conſilia noſtrorum hominum atque regum exitum habuerint: ita ut quamuis abſque eo abundes conſilio & ingenio, rectius tamen è præteritis præſentium moderandorum rationem inire poſſe uidearis. Et ſcitus eſt ille poetæ cuiuſdam uerſiculus:

Ioãnes Oceſsius Cancellarius.

Ioãnes Prærembius Procancellarius.

Archiuiũ regium ab autore in ordinem redactum.

Vilnenſis arx, & bibliotheca regia.

Fructus legendæ huius hiſtoriæ.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

Cognoſces denique res geſtas bello & pace clariſsimas proaui, aui, cæterorumq; maiorum tuorum, in gloriam tuam redundantes. Quibus non inferiora ſunt, quæ pater tuus diuus SIGISMVNDVS Rex geſsit, quæq; abs te etiam expectantur. Sed ea nos ſegregauimus, ſiue ipſi alio rurſus opere proſecuturi, ſiue (quod malumus) alijs uegetiori ingenio, uberiore doctrina & eloquentia præditis relicturi. nam ad alia nos iam uocat inſtitutum uitæ noſtræ. Nihil autem hîc auribus hominum noſtrorum dedimus, nihil domeſticorum malorum diſſimulauimus, neque alienas res geſtas data opera eleuauimus: ſed ueritatem, quæ prima eſt hiſtoriæ uirtus, ubiq; potiſsimùm ſumus conſectati. Ita uerò ſtylum temperauimus, ut Latinè quidem, quoad à nobis præſtari potuit, ſcriberemus, & ſuccinctè: intelligi tamẽ cùm ab alijs, tum à noſtris hominibus, etiam qui leuiter literis tincti eſſent, non difficulter poſſemus. Quo factum eſt, ut nobis nonnunquam uerbis minus puris uti neceſſe fuerit, dum lectorum captui ſeruimus. Cæterùm locorum & hominum barbara nomina, exemplo ueterum Græcorum, & Latinorum ſcriptorum, infleximus ita, ut Romanum quidem ſonum, & quaſi ciuitatem acciperent: indolem tamen ſuam genuinam, quoad fieri poſſet, retinerẽt, quo agnoſci à peritis linguæ Polonicæ & Slauicæ abſque negocio poſſent. Totum autem opus triginta libris diſtinximus. Ac primis quidem decem originem, & prima quaſi incunabula gentis, ſub barbaris & idololatris ducibus: deinde florem iuuentæ ſub Chriſtianis regibus: morbum denique & νοσηλείαν quaſi ægrotantis Reipublicæ ſub pluribus ac diſsidẽtibus inter ſe principibus poſt ſublatum regnum, perſecuti ſumus. Medios à reſtituto regno orſi, ad exitum Vuladiſlai Iagellonis, proaui tui, Rex, detexuimus. Extremos uerò cæteris quatuor regibus, uſq; ad SIGISMVNDVM patrem tuum, dedimus. Operæprecium autem facturi uidebamur, ſi gentis noſtræ originem, non admodum celebrem, neque multis cognitam, initiò diligentius perſequeremur, uerumque in profundo latens erueremus: in quo multum ſanè elaborauimus. Cæterùm aſſecuti ne id ſimus, an minus aſſecuti, æqui & candidi lectoris erit iudicium: alijs quidem duntaxat acriori ingenio, maioriq; ſiue uſu & cognitione rerum, ſiue felicitate præditis, ad perueſtigãdum & inue-

Veritas huius hiſtoriæ.

Styli attemperatio.

Barbarorũ nominũ inflexio.

Operis diſtinctio.

Origo gẽtis Polonæ exquiſita.

& inueniendum uerum, uiam aperuimus. Quòd ſi cui moroſulo, reprehendendis claris receptisq; ſcriptoribus pluſculum indulſiſſe uidebimur, cogitabit is, modicè & uerecundè, ac non niſi neceſſariò id à nobis factum eſſe: cum uerum inueniri, & animis aliquo fortaſſe præiudicio præoccupatis infigi non facilè poſſe uideretur, niſi falſa aut incerta refellerentur.

Aliorum ſcriptorum reprehẽſio modeſta.

Sed iam ad rem ipſam tuis, Rex inclite, auſpicijs aggrediamur. 1555

LECTORI.

Commonendus eſt nobis Lector, in Polonicis & alijs barbaris nominibus, quo peculiarem ſonum uocum exprimat, ut legat:

Vu medio ſono inter b & f, quomodo Græci β pronunciant.

z pro c nonnunquam exili, quemadmodum à Latinis in cibo uel cera legitur: nonnunquam aſperiore ſono, quemadmodum Germani ſz proferunt.

ſſ aſperius, ſicut Germani ſch. nonnunquam, ſicut ijdem cz legunt.

Alicubi inter plures conſonantes uocalem interſeruimus, quo mollior eſſet uox: ut pro Mſciſlao Meſciſlaus, Meſciugus pro Mſczugo.

In ſumma, ſtridores omnes & ſibilos uocum barbararum, qui uix, aut ne uix quidem Latinis literis exprimi poſſunt, quoad potuimus, emolliuimus.

AVTORES IN HOC OPE-re citati.

Albertus Crantius.
Antonius Bonfinius.
Aeneas Syluius.
Appianus Alexandrinus.
A. Sabellicus.
Annales Russorum.
Annales Lituanorum.
Anonymos Polonus.
Berosus Chaldæus.
Bernardus Vapouius.
Blondus Foroliuiensis.
Cornelius Tacitus.
Eutropius.
Erasmus Stella.
Ezechiel propheta.
Eusebius Cæsariensis.
Eginhartus.
Franciscus Irenicus.
Gallus monachus.
Gregorius magnus.
D. Hieronymus.
H. Mutius.
Hermannus Contractus.
Iornandes Alanus.
Iosephus Hebræus.
Ioannes Dlugossius.
Iostus Ludouicus Decius.
Ioannes episcopus Olomucensis.
Lambertus Schaffnaburgensis.
Luitprandus.
Mathias Miechouiensis.
Moyses.
Martinus Gallus.
Nauclerus Tubingensis.
Otto Frisingensis.
Olaus Magnus Gothus.
Procopius Cæsariensis.
Philippus Callimachus.
Ptolemæus Alexandrinus.
Paulus Diaconus.
Plinius.
Pomponius Mela.
Paulus Constantinus Phrygio.
Paulus Iouius.
Radeuicus.
Strabo.
Saxo Grammaticus.
Sigismundus Herbersteinus.
Terentius.
Vitichindus Saxo.
Venceslaus Hagecus.
Vincentius Cadlubcus.

MOSCOVIA, QVATENVS MOENIBVS
INCLVDITVR, ARX VOCATVR: EXTRA MOENIA INGENS
lignearum ædium numerus, ciuitas dicitur.

HOC FLVVIO EIVSDEM NOMINIS NAVIGATVR IN
OCCAM, RHA, ET CASPIVM MARE.

MOSCOVIA, QVATENVS MOENIBVS
INCLVDITVR, ARX VOCATVR: EXTRA MOENIA INGENS
lignearum ædium numerus, ciuitas dicitur.

HOC FLVVIO EIVSDEM NOMINIS NAVIGATVR IN
OCCAM, RHA, ET CASPIVM MARE.

MOSCOVIA SIGISMVNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTAIN

Designatæ syluæ non carent suis incolis.

MOSCOVIA SIGISMVNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTAIN

Designatæ syluæ non carent suis incolis.



MOSCOVIA SIGISMVNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTEIN, NEIPERG, ET GVTENHAG ANNO M.D XLIX

SEPTENTRIO

MARE GLACIALE

SOLOWKA INSVLA

OCCIDENS

FINLANDIÆ PARS

SINVS LIVONICVS ET RVTHENORVM SEV MOSCOVITARVM FINES

RVTHENICVS

WIBVRG

ROSENBVRG

FL NEVA

COPORIA

PLVSA FL

IWANOWGORD

NERWA

CVDIN LACVS

PLESCOWIA

PLESCO LACVS

LIVONIA

OXILIA

RIGA

DVNENBVRG

POLOCZKO

DWINA FL

FL POLNA

CORELA FL

ORESCHACK

LADOGA LACVS

FL NEVA

WOLCHOW

NOWOGARDIA MAG.

ILMEN LACVS

MSTA FL

TERSACK

FL SNA

RVSSA

WELIKVLUCH KI

FL LOVA

FRONOW

TOROPEZ

BIELA

DWINA

WIESMA

FL WELICARECKA

OPOCZKA

WITEPSKO

LITWANIÆ PARS

FL THVR

FL PREPECZ

KIOW

CIRCASI

CZERNIGO

AMENECZ

OCZAROW

MOLDAVIÆ PARS

Moncastro BIELOGORD

TIRAS

ALIAS NESTER

BIELOYESERO

ALBVS LACVS

FL SCHOKSNA

ROINSCOOSERO

FL SVCHANA

WOLCHDA FL

MOLOGA

IAROSLAW

FL MOLOGA

CHLOPIGOROD

ROSTOW

VGLICZ

FL CLESMA

KASTROMA

IVRIOWIEC

DEMETRIOW

WOLODIMERIA

FL LAVSA

TWERCSA

WOLGA LA

OTWER

MOSCOWIA

MOSCVA

CORORA

TRVB

CTIPACH

MOSAISKO

COLVGA

FL TVLA

TVIA

DOIOW

FL VPA

FL VGRA

WOROTOW

DROGOBVSH

FL SCHAT

MSCENECK

IOANIS LACVS

SMOLENCZKO

DOWROWNA

ORSA

OCCA FL

FL SEM

STARADVB

CAPVT S. IOHAN

DESNA FL

MINOR TANAIS VEL DONECZ

CAPHA

MANCVP

MEOTIS PALVS

EVXINI PARS PONTI

MERIDIES

DWINA PROVINCIA

FL MESEN. PECZORA

YSSA

PINEGA

KVLVYO

CIRCO

FL CILNO

MESEN

COLMOGOR

VSTIVG

FL KASTROMA

FL. PINEGA PECZORA FL

PERMIA PROVINCIA

PERMIA

FL IVG

FL WISCHORLA

MONTES DICTI

YSSA FL

AVREA ANVS

SLATA BABA

OBEACAS

OBY FL

IVHRA INDE VNGARORY ORIGO

FL ARTAWISCHA

FL SIBVT

FL SOSSA

CINGVLVS

TERRAE

TEROM

TVMEN

CVMBALICK REGIA IN KYTAY

KITHAY LACVS

KLINOW

FL WIATKHA

CZEREMISSA POVLI

ORLOW

CHOTELNICZ

FL RECZICZA

slowoda

MVROM

OCCA

BASILOWGORD

CASAN

NOWOGARDIA INFERIOR

CASIMOW GOROD

REZAN PRINCIPATVS

MORDVA POPVLI

FL SVRA

FL WIAGLA

KAM

FL WIECZNA

FL DON RVTHENICE TANAIS

TANAIS FONTES

FL SCHOKSNA

WELIKIPREWOS SEV TRAIECTVS MAGNVS

ASCW

TARTARIA

CIRCASI PETIGORSKI

CIRCASI POPVLI

ASTRACHAN

SCHAMACHI

SORAICZIK

NAGAIVSKI TARTARE

SIBIER PROVINCIA

IAICK FL

RHA GRECÆ

FL WOLGA RVTHENICE

EDEL TARTARICE

MARE CASPIVM

ORIENS

9 18 27 36 45 54 63 72 81 90

DISTANTIA PER MILIARIA

MOSCOVIA SIGISMVNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTEIN, NEIPERG, ET GVTENHAG ANNO M.D XLIX

SEPTENTRIO

MARE GLACIALE

SOLOWKA INSVLA

OCCIDENS

FINLANDIÆ PARS

SINVS LIVONICVS ET RVTHENORVM SEV MOSCOVITARVM FINES

RVTHENICVS

WIBVRG

ROSENBVRG

FL NEVA

COPORIA

PLVSA FL

IWANOWGORD

NERWA

CVDIN LACVS

PLESCOWIA

PLESCO LACVS

LIVONIA

OXILIA

RIGA

DVNENBVRG

POLOCZKO

DWINA FL

FL POLNA

CORELA FL

ORESCHACK

LADOGA LACVS

FL NEVA

WOLCHOW

NOWOGARDIA MAG.

ILMEN LACVS

MSTA FL

TERSACK

FL SNA

RVSSA

WELIKVLUCH KI

FL LOVA

FRONOW

TOROPEZ

BIELA

DWINA

WIESMA

FL WELICARECKA

OPOCZKA

WITEPSKO

LITWANIÆ PARS

FL THVR

FL PREPECZ

KIOW

CIRCASI

CZERNIGO

AMENECZ

OCZAROW

MOLDAVIÆ PARS

Moncastro BIELOGORD

TIRAS

ALIAS NESTER

BIELOYESERO

ALBVS LACVS

FL SCHOKSNA

ROINSCOOSERO

FL SVCHANA

WOLCHDA FL

MOLOGA

IAROSLAW

FL MOLOGA

CHLOPIGOROD

ROSTOW

VGLICZ

FL CLESMA

KASTROMA

IVRIOWIEC

DEMETRIOW

WOLODIMERIA

FL LAVSA

TWERCSA

WOLGA LA

OTWER

MOSCOWIA

MOSCVA

CORORA

TRVB

CTIPACH

MOSAISKO

COLVGA

FL TVLA

TVIA

DOIOW

FL VPA

FL VGRA

WOROTOW

DROGOBVSH

FL SCHAT

MSCENECK

IOANIS LACVS

SMOLENCZKO

DOWROWNA

ORSA

OCCA FL

FL SEM

STARADVB

CAPVT S. IOHAN

DESNA FL

MINOR TANAIS VEL DONECZ

CAPHA

MANCVP

MEOTIS PALVS

EVXINI PARS PONTI

MERIDIES

DWINA PROVINCIA

FL MESEN. PECZORA

YSSA

PINEGA

KVLVYO

CIRCO

FL CILNO

MESEN

COLMOGOR

VSTIVG

FL KASTROMA

FL. PINEGA PECZORA FL

PERMIA PROVINCIA

PERMIA

FL IVG

FL WISCHORLA

MONTES DICTI

YSSA FL

AVREA ANVS

SLATA BABA

OBEACAS

OBY FL

IVHRA INDE VNGARORY ORIGO

FL ARTAWISCHA

FL SIBVT

FL SOSSA

CINGVLVS

TERRAE

TEROM

TVMEN

CVMBALICK REGIA IN KYTAY

KITHAY LACVS

KLINOW

FL WIATKHA

CZEREMISSA POVLI

ORLOW

CHOTELNICZ

FL RECZICZA

slowoda

MVROM

OCCA

BASILOWGORD

CASAN

NOWOGARDIA INFERIOR

CASIMOW GOROD

REZAN PRINCIPATVS

MORDVA POPVLI

FL SVRA

FL WIAGLA

KAM

FL WIECZNA

FL DON RVTHENICE TANAIS

TANAIS FONTES

FL SCHOKSNA

WELIKIPREWOS SEV TRAIECTVS MAGNVS

ASCW

TARTARIA

CIRCASI PETIGORSKI

CIRCASI POPVLI

ASTRACHAN

SCHAMACHI

SORAICZIK

NAGAIVSKI TARTARE

SIBIER PROVINCIA

IAICK FL

RHA GRECÆ

FL WOLGA RVTHENICE

EDEL TARTARICE

MARE CASPIVM

ORIENS

9 18 27 36 45 54 63 72 81 90

DISTANTIA PER MILIARIA



MARTINI CROMERI, De origine & rebus gestis Polonorum; Liber primus.

DE SLAVORVM NOMINE ET POPVLIS. CAPVT I.

PRIMVM omnium constat, Polonos Slauicam gentem esse: Slauorum autem siue Slauinorum nomen ante Iustiniani Imperatoris tempora incognitum fuit Græcis & Latinis scriptoribus. Primus, quod equidem sciam, Procopius Cęsariensis de bello Gotico huius imperatoris scribēs, eorum meminit. Tametsi Fl. Blondus Foroliuiensis, qui ante centum annos historiam ab inclinatione Romani imperij conscripsit, Arcadij & Honorij tēpora prosequens, Slauorum mentionem facit. Postea uerò sic ij nomen & fines suos armis propagarunt, ut Mœsiam, siue Mysiam, Daciam, Pannonias, Dardaniam, Liburniam, Dalmatiam, Illyricum, Istriam, & nonnullas alias in Septentrionem uergentes prouincias Romanis Imperatoribus eriperent: Macedoniam, Thraciam, Epirum, Græciam, & Italiam uexarent: Romanumq; imperium, diuo Gregorio & Iornande Alano testibus, prorsus uastarent atq; debilitarent: ne Germaniæ quidem parcerent. Ad eam denicq; amplitudinem peruenere, ut propè dimidiam Europę, nonnullam etiã Asiæ partem occuparint. In ea natione maximæ & fortissimę gentes etiam nunc censentur: nempe Russi, quos Ruthenos plericq; uocant, Volynij, Moschi, Bulgari, Rasciani, Serbi, Bosnenses, Carni, Croatæ, & ij qui Dalmatiam, Illyricum, Istriam, Vngariæq; montana tenent, Slauorumq; seu Slauinorum nomen peculiariter retinent: itemq; accolæ sinus Venedici, & Oceani Germanici, Sala & Albi tenus: quorum reliquiæ hodieq; à Germanis Vindæ seu Vendi uocantur, olim uarijs distincti nominibus ac populis, ut est uidere apud Vitichindum Saxonem: denicq; Boëmi, Lusacij, Morauí, Cassubij, Pomerani, Masouij, Silesij, & ipsi, de quibus hęc nobis instituta est historia, Poloni. Cunctæ enim hæ gentes, quamuis dialectis aliquantum uariantibus, eadem tamē lingua Slauica, nec ualde diuersis moribus utuntur. licet autem tam uarijs appellationibus distinctæ sint, cunctæ tamen commune Slauorum nomen agnoscunt. Quo fit, ut & originem cunctis communē & eandem esse necesse sit. Operæpreciū ergo facturi esse uidemur, si primùm uniuersè Slauorū

Procop. de bello Gott.

Fl. Blond. ab incl. Imp.

Slauorum res gestæ.

Greg. in epist. Iornā. de regn. & temp. succession.

Slauorum populi.

Vitich. de reb. gest. Sax.

originem perquiramus. Ita namq; facilius deinde, quinam homines Poloni sint, ubi habitent, unde & quando exorti sint, inuestigabimus.

DE ORIGINE SLAVORVM TRES OPINIONES. Cap. II.

Origines gentium obscuræ, & antiquitatem affectantes.

NON inusitatum est, ut maximæ & nobilissimæ quæq; gentes, cum obscuros ortus habeant, & ex paruis initijs creuerint, uetustate tamen originis, & generis nobilitate seu uera, seu ficta duntaxat, sese uenditẽt, authores q; & conditores suos uel cœlo à fabulosorum deorum stirpe deuocent, uel ab ipso usq; orbis terrarum diluuio, & ex arca Noe memoriter repetant. Ita Romanos, è pastorum & fugitiuorum colluuie ad summam potẽtiam & claritatem euectos, Romuli sui pœnituit, nisi genus eius atq; suum ad Martem & Venerem deos referrent. Ita Persæ Persea Iouis filium, Thraces Martem, generis sui authorem iactarunt. Athenienses αὐτόχθονας, hoc est, indigenas se esse uoluerunt: itemq; Ægyptij, argumento animalium, quæ secundum Nili inundationes in limo imperfectis etiam membris reperiuntur. iam & prisci Itali Aborigines ex eo sese dixere, quasi iam inde ab initio & origine mundi ibi extitissent. Hebræi porrò, apud quos ut antiquissima, ita certissima est historia, ab Abrahamo, clarissimo & constantissimo ueri Dei cultore, ortos se esse memorant: eiusq; stirpẽ non modo à diluuio, sed ab ipso usq; orbe terrarum condito repetunt. Ad eundem Arabes quoq;, & Saraceni, originem suam referunt: Galli ad Comerum siue Gomerum, Iberes siue Hispani ad Iobelum seu Tubal, Iapeti filios, Noe nepotes: Iosepho Hebræo, & Berosо Chaldæo, scriptoribus peruetustis authoribus. Germani siue Teuthones, à Tuiscone prisci Iani, quem eundem Noam esse uolunt, & Araxę filio orti, Mannum, Ingeuonẽ, Hermionem, Marsum, Gambriuium, Suæuum, Vandalum, Teuthonem, Alemannum, & alios deinceps reges & progenitores suos, Corn. Tacito & eodem Berosо authoribus, longo ordine recẽsent. Sic Hunni & Vngari, magnitudine rerum gestarum Attilæ sui non contenti, ab Hunore usq; & Magore Nemroti, siue Nini primi Assyriorum regis filijs, perpetua successione (uerá ne an falsa, non disputo) originem suam deducunt. Sic deniq;, ut ad rem ueniamus, Slauorum genus ab ipso usq; Iapeto Noe filio repetunt ij, qui Polonorum & Boemorum annales conscripserunt. Ex Iapeto quidem Iauanum ortum esse: ex hoc Philaram: ex eo porrò Alanum: inde Anchisen: inde Æneam: inde Ascanium: ex eo Pamphilum: hinc Reasilinam: hinc Alanum secundum, qui primus ex Asia in Europam commigrarit. Eum uerò quatuor habuisse filios: ex his natu maximum Vandalum, Vistulæ flumini, & Polonis nomen dedisse, ut Vandali dicrentur. Hunc deniq; multos liberos suscepisse, qui quartam partem Europæ occupauerint: & Polonorum, Russorum, Cassubiorum, Sueciorum, Boemorum, Morauorum, Slauorum, Dalmatarum, Pannonum, Bosnensium, Croatarum, Bulgarorumq; regna condiderint:

Romanorum origo.

Persarum. Thracum. Athenienſium. Aegyptiorum.

Itali Aborigines.

Hebræorum.

Arabum. Saracenorum. Gallorum. Hiſpanorum.

Ioſ. antiq. Iud. lib. 1. cap. 11.

Beroſ. antiq. lib. 4. & 5.

Germanorum origo.

Cor. Tacit. de ſitu & mor. Germa.

Beroſ. antiq. lib. 4. & 5.

Hunorum & Vngarorum.

Slauorum origo.

diderint: atq; hic subsistũt, quasi aut Phedriæ ac Thrasones è comœdijs, aut Capeti Tyberiniq; ex historijs eis defuerint, aut comminiscí plura ipsi arbitratu suo non potuerint. Alij uerò ridiculam fabulositatem, nulla neq; authoritate neq; probabilitate nixam, auersati, longã quidem stirpis enumerationem prætermittunt: ab ijsdem tamen Iapeto & Iauano, sed per Helisam filium, harum gentium genus deriuant: illam rationem secuti, quòd Slauos, Dalmatas & Illyrios esse opinantur, qui retineant etiamnum ferè ea loca, in quibus hę gentes ab initio, cum à turri Babylonica in uniuersum orbem terrarum coloniæ deducerentur, cum Ionibus, Æolibus, Hellenibus siue Gręcis, ac cętera Helisæ & Iauani siue Ionis posteritate consedisse, à suprà memoratis autoribus Iosepho & Beroso memorantur. Addunq;: Iauani quoq; siue Ionis nomen ei rei argumẽto esse, quo Slaui etiam nunc multum utantur, Ianum & Iuanum appellantes. In hac autem sententia fuere Ioannes Dlugossus, & Matthias Miechouiensis, & alij quidam nostrates: tametsi Miechouiensis uariat in eo libro, quem de Sarmatijs scriptum reliquit: è Boemis Venceslaus Hagecus, & qui ab eo recensentur Brybislaus & Cosmas Boemi, Ioannes Merignola archiepiscopus Florentinus, & Philippus Callimachus Itali. Alij porrò, cum animaduerterent nationem Slauorum Vindos, seu Vendos à Germanis appellari: eamq; gentem antiquitùs hæc loca, quæ nunc Poloni, Silesij, Marchiani Brandeburgenses, Cassubij, & Pomerani, sinus Codani siue Balthici, marisq; Sarmatici accolæ tenent, antiquitùs ad Chersonesum usq; Cymbricam tenuisse ex ueteribus historicis & geographis recognoscerent, eosdem esse existimarunt Slauos ac Vandalos, quos ipsi Vindas seu Vendos, Latini uerò historici & geographi Vinidas, Venedos, & Venetos: & ab eis Venedicum sinum Balthicum appellant. Nec scio an Vindelicos etiam, qui Boemis uicini sunt, non magna Bauariæ portione interiecta: cuius gentis caput, Augusta Vindelicorum etiam nunc dicitur. Tametsi sunt, qui diuersos à Vandalis Vindelicos esse uelint. Cuiq; Germani homines (nam hi ferè sunt in hac sententia) iure suo, ut mihi quidem uidetur, Vandalos sibi uendicarent, crediderunt ad amplitudinem & gloriã nationis suæ pertinere, si cùm ea Gallias per Francos & Gotos, Britanniam per Saxonas, Hispanias & Africam per Gotos atq; Vandalos, Italiam primùm per Cymbros, deinde per eosdem Gotos, Vandalos, & per Langobardos, Pannonias item, & alias oriẽtis regiones & gentes nobilissimas per eosdem partim uexasset, partim domuisset, subiugasset, ac tenuisset, ne Vandaliæ ac Boemiæ antiquissima possessione à barbara & obscura gente Slauorum, quę ne ipsa quidem certam originem suam edere posset, depulsa esse uideretur. Iam huic ita præiudicatæ opinioni non solum necesse, uerùm etiam facile erat cętera attexere, quæ de Vandalorum origine ex Beroso colliguntur: nempe Vandalum gentis conditorem à Tuiscone, prisci illius Noe filio, post diluuium orbis terrarum nato, quemadmodũ nos etiam superius attigimus, duxisse originem: eumq;

Alia opinio.

Io. Dlugossus.
Matth. Miech.

Venceslaus Hag.

Tertia opinio.

Vindæ, seu Vendi.

Vindelicia

Germanorum res gestæ illustres.

ipsum Tuiſconem à Tanai ad Rhenum uſq; regnaſſe. denicq; & illud: è Boemia & Polonia ac Vandalia, Slauos, in Dalmatiam & Illyricum progreſſos eſſe. Hanc opinionem adſtruxit in primis Albertus Crantius, qui patrum noſtrorum memoria Vandaliam conſcripſit, & in eo opere cunctas res geſtas Polonorum, Boemorum, ac cæterorum Slauorum Vandalis, atq; ita Germanis ſuis honorificè attribuit. Idem ſentire ſere Ioannes Dlugoſſus, & Mathias Miechouienſis alicubi, & complures alij recentiores. Antonius quoq; Bonfinius in eo opere, quod in gratiam regis Mathię ſcripſit de origine & rebus geſtis Vngarorũ, licet non figat ferè ueſtigium: non uidetur tamen ab illis in hac parte diſſentire. Nec defuit eis è uetuſtioribus author, quem ſequerentur, Iornandes Alanus: qui in eo libro, quem ſcripſit de rebus Geticis, Slauos, ſiue Slauinos Vandalorum gentem eſſe, aſſerere ipſis uidetur.

Crant. in Vãd.

Dlugoſſ. Math. Miech. Bonf. de orig. & reb. geſt. Vngar.

Iornandes.

SVPERIORES OPINIONES FALSAS eſſe. Cap. III.

SED horum nihil nos probamus: nec id temerè, aut leuibus argumẽtis adducti, quemadmodum ſtatim demonſtrabimus. Et illam quidem fabuloſam genealogiam, quam primo loco poſuimus, pluribus, quàm ſuprà fecimus, refellere operæprecium non eſt. Contra reliquas duas opiniones, quæ quamuis diuerſæ, eodẽ tamen ferè argumento locorũ, quę Slaui incolunt, nituntur, illud communiter dici poteſt: Non eſſe neceſſe, Slauos eoſdẽ eſſe ſiue cum Dalmatis & Illyriis, ſiue cũ Vandalis: propterea, quòd eorum loca incoluerunt, atq; etiãnum incolunt: ſicut neq; Vandalis communis fuit origo cum Pœnis, Mauritanis, & Afris: neq; Gallis, Gotis, & Langobardis cum Italis: neq; Francis cum Gallis: neq; Hebræis ſiue Iſraelitis cum Chananęis. quamuis Vandali Africam: Galli, Goti, Langobardi, Italiam, alij poſt alios: Franci Gallias: Hebræi Chananitidem, pulſis uel deletis uetuſtioribus habitatoribus, tenuerint. Pannoniam quoq; olim Galli, deinde Goti, Sarmatæ, Vandali, Langobardi, Hunni, Slaui, & Vngari, inuicem ſibi ſuccedentes, inuaſerunt. Nec tamen omnes hi populi ijdem ſunt, aut eandem habẽt originem, niſi fortè illam omniũ gentium communem à Noa, uel Adamo etiam, ſi quis altius uelit repetere. Non ſemper ſanè eædem gentes eaſdem ſedes tenent, neq; tenuere: uerùm aliæ ſubinde ab alijs pelluntur ſuis ſedibus, aut etiam delentur. Nonnunquam ultrò in alias regiones commigrant, aliqua uel commoditate inuitatæ, uel neceſsitate adactæ: quemadmodum tùm de his, quas modò enumerauimus, tum de Tyrijs, Phocenſibus, Lacedæmonijs, Arcadibus, Troianis, & alijs compluribus uetuſti & graues hiſtorici literis prodidere: ita ut quod uniuerſè à Comico ſeruo dictum eſt, Omnium rerum uiciſsitudinem eſſe, de hac etiam commigratione populorum, regnorumq; mutatiõe uerum ſit. Sed in alijs quidem gentibus facilius id probari ac demonſtrari poteſt, ſiue quòd eæ ipſæ à literis & humanitate non abhorruerunt, ſiue quòd ipſæ qui-

Gentium mutationes & migrationes.

Pannoniæ habitatores.

Terent. in Eunucho.

Cur obſcura Slauorum origo.

dem

dem barbaræ, uicinos tamen habuerunt excultos literis, quibus neq; ocium ac ſtudium ad perquirendum, neq; facultas ac diligentia ad conſcribendum non modò uicinarum, ſed etiam remotarum gentium res geſtas & origines defuit. Poloni & Slaui omnes literas & literatos contempſerunt, ac ne ocio quidem ad ſtudia doctrinæ & humanitatis abundarunt, cum barbari inter barbaros conſediſſent: & continentia cum finitimis bella gererent. Cumq; prius obſcuri & ignobiles in uaſta barbararum gentium colluuie latuiſſent, iſs temporibus extiterunt, quibus Romani atque Græci, apud quos literarum atque doctrinæ ſtudia ſemper in primis floruere, barbaricis Parthorum, Gotorum, Vandalorum, Alanorum, Langobardorum, Saracenorum, Hunnorum, & ad extremum ipſorum Slauorum armis implicati, diuexati, & penè deleti, doctrina quoq; & eloquentia propemodum exciderunt: & domeſticis perpetuis malis atq; calamitatibus impediti, ne ocium quidem ad perquirendum, & literis mandandum origines & res præclarè geſtas externorum, eorum præſertim quos meritò oderant, habuerunt. Itaq; cùm omnis illorum temporum hiſtoria perplexa & incerta eſt, tum Slauorum in primis: qui ad faciendum res memoratu dignas, quàm ad memorandum promptiores, & magis appoſiti, ne gloriæ quidem ualde cupidi fuere. Quo factum eſt, ut non modò nihil de rebus geſtis & origine ſua comminiſcerentur: quemadmodum Goti fortaſsis, & ſolent multi alij: ſed ne tenerent quidem memoria, aut poſteris ſuis uiciſsim quaſi per manus traderẽt, ſi quid ueri certiq; à maioribus ſuis accepiſſent. Vixdum ſexcenti aut ſeptingenti duntaxat anni ſunt, ex quo Slauica gens literas una cum religiõe Chriſtiana amplexa eſt: nec magnopere ſanè uncq; earum ſtudiũ poſtea coluit, ſatisq; habuit unuſquiſq; ſenſa animi ſui alteri abſenti literis utcũque aperire, præteritorum iuxtà ac futurorum neu quã curioſus. Sed nos ita adhuc egimus, ut oſtenderemus duntaxat, non eſſe neceſſe, eandem eſſe nationem et gẽtem Slauorũ cum Dalmatis, Illyriis, atq; Vandalis. deinceps ergo, prorſus non eandem eſſe, demonſtremus, ſi poſſumus, & quidẽ diſtinctè, prius de Dalmatis & Illyriis, mox de Vãdalis.

Poloni & Slaui alieni à literis.

Quibus temporibus efflo-ruerint.

Romani & Græci à barbaris euerſi.

Slauorum ingenium.

Slaui quando literas acceperunt.

SLAVOS NON ESSE DALMATAS, NEQVE Illyrios. Cap. IIII.

NVLTA de Dalmatis & Illyriis peruetuſti Græci & Latini ſcriptores memoriæ prodidere. Nam & Macedones & Romani olim cum eis bella geſſerunt. Appianus quidem Alexandrinus etiam peculiarem de his librum conſcripſit, cui nomen dedit Illyrico. In quo originem harum gentium, quamuis diuerſam à Beroſo, perſequitur. Sed hoc nihil ad rem noſtram. Commemorat autem is, item q; Ptolemæus in Geographia, & alij ſcriptores ante & poſt eum, urbes earum gentium, ut Segeſtam, Delminium, Salonem, Promonã, Terponum, Metulium, Scardonam, Iaderam: fluuios, ut Naronem, & Saum, ſiue Sauum: populos, ut Scordiſcos, Triballos, Liburnos,

Dalmatæ & Illyrij.

Appiani Illyricus.

Ptol. Geog. li. 2. cap. 17.

Dalmaticarũ urbium, populorum, & fluminum uetuſta nomina.

Dardanos, Atintanos: quorum nominum etymologia nihil commune habet cum lingua Slauorum, ſicut habet eorum quæ poſterius ab ipſis Slauis indita, hodieq; in uſu ſunt: nempe Iaiza, Zagrabia, Cluz, Camennygrad, Belogradum, Nouogradum, Cremen, Otocum, Iablanez, Gurca, Lipa, urbes & arces: Reca & Dobra fluuij: Craina regio, ſiue territorium. Vnde apparet, nouam gentem poſt tempora Ptolemæi & Appiani in illis oris conſediſſe, ueteribus habitatoribus uel pulſis, uel ſubactis, & pedetentim extirpatis, quæ noua nomina locis dederit, longè diuerſa à ueteribus. Iam uerò quæ ratio excogitari poteſt, cur populi ipſi, qui prius Dalmatæ & Illyrij dicti ſunt, poſterius Slaui, & regio Slauonia dici cœperit, ſi ab initio Slaui eam tenuere? Sed hæ quamuis graues, coniecturæ tamen ſunt. Quid ſi demonſtramus, quo tempore primùm Slaui Dalmatiam & Illyricum, uelut alienas ſedes, armis inuaſerint & occuparint? Nullus opinor dubitationi locus relinquetur. Ad hoc autem demonſtrandum non utemur Alberti Crantij, qui quidem et ipſe pro nobis facit in hac parte, uel cuiuſquam recentioris ſcriptoris teſtimonio: ſed Procopij Cæſarienſis, qui Iuſtiniano imperatori à commentarijs, & Beliſario nonnullarum expeditionum comes fuit: qui eorum quæ ipſius tempore, & ſub oculis penè ipſius acciderunt, certiſsimus teſtis eſſe poteſt: nec eſt cauſa, cur in gratiam aut odium cuiuſquam finxiſſe uideatur. Is igitur de bello Gotorum libro primo ſic ſcribit: Martinus interea, Valentinianusq; ad Beliſarium peruenere, milites mille ac ſexcētos ductantes, quorum pars maxima Huni erant, Slauini, Antæq;, qui trans Iſtrum fluuium, nec procul ab eius ripis incolunt loca. Libro aūt tertio ſic: Magnæ nuper Slauinorum hominum manus Iſtrum fluuium traijcientes, & eius regionis loca depopulati, Romanorum uim maximam cæperant. Et mox: Sed Childibius poſthac adeò terrori barbaris fuit, ut per triēnij ſpacium, & quamdiu eo præfecturæ munere hic fungebatur, barbarorum nemini unquam id flumen licuerit Romanos inuadendi de cauſa pertranſire: quin potius in alteram continentis partem Romani Childibio duce, ac ſæpe tranſuecti, barbarorum uim maximam trucidarant, & in ſeruitutem abduxerant. Nec multo pòſt de ijſdem Slauinis, & conſanguineis eorum Antis memorans: Affatimq;, inquit, terras habent, ut qui in ulteriore Iſtri fluminis ripa incolunt partē. Trans Iſtrum, qui idem Danubius eſt, Slauinos tunc incoluiſſe ſcribit. Conſtat autem Dalmatiam & Illyricum cis Iſtrum eſſe Romanis & Conſtantinopolitanis. Aliquanto uerò pòſt, eodem libro idē Procopius ita ſcribit: Per id tempus Slauinorum exercitus flumine Iſtro traiecto, Illyrios omnes aduſq; Epidamnum malis ingentibus affecere, partim hos trucidando, & partim ſine ullo ætatis diſcrimine in ſeruitutem, quos licuit, abigendo: & eorum bonis direptis deſæuiebant. Ad hæc & præſidia illis in locis non pauca, & quidem præualida occuparunt. Hic manifeſtè apparet, diuerſos tunc fuiſſe à Slauis Illyrios. Certè ipſi ſeſe tam immaniter non infeſtarunt, nec ea præſidia occuparunt, quæ prius

Noua nomina diuerſa à ueteribus.

Mutatarum gētium in Dalmātia & Illyrico argumentum.

Slaui & Slauonia.

Slaui quando Dalmatiam & & Illyricum occuparint.

Albert. Crant. Procopius Cæſarienſis.

Proc. de bello Got. lib. 1.

Ibid. lib. 3.

Iſter, Danubius.

prius ditione tenebant. Prosequitur ibidem idem author multa bella, & nonnulla prælia à copijs ac ducibus Iustiniani cum Slauis, cùm alibi, tum in Dalmatia minus prosperè gesta: memoratq; eos non incursantium, & prædas agentium in morem ea loca infestasse, uerùm perinde ac domi hyberna habere iam tum cœpisse, nihil hostile reformidantes. Atq; hæc fermè Procopius de Slauis. Nam quæ idem scribit de moribus eius gentis, inferius loco suo referemus. Gregorius uerò cognomento Magnus, eius nominis primus pontifex maximus, qui aliquanto post Iustiniani tempora Mauritio imperante, post sexcentesimum annum à Christo nato, ecclesiæ præfuit, ita scribit ad Episcopos Istriæ: Equidem de Slauorum gente, quæ uobis imminet, & afflígor uehementer, & turbor. Affligor in his, quæ in uobis iam patior: conturbor, quia per Istriæ aditum iam in Italiam intrare cœperunt. Addamus iam his & Blondum, recentiorem quidem, sed diligentem antiquitatis indagatorem. Is ergo uerbis diui Gregorij, quæ nos modò retulimus, descriptis, hæc addit: Quanquam uerò Gregorius plura de hac Slauorum in Istriam irruptione non scribat, tamen nos compertum habemus, eam gentem, quam ultra Danubium sedes habere, & socerum filiúmque Mauritij illis oppositos fuisse diximus, tunc primùm oram Adriatici sinus dextri litoris occupasse, & ita habitationem in ea continuasse, ut quicquid prius Istria & Dalmatia dicebatur, ad tempora usq; nostra dicatur Slauonia. Sequenti autem libro, Phocæ, qui Mauricio succesit in imperio, tempora persequens, ita scribit: Per id etiam tempus imperio Constantinopolitano tumultibus illis in Africa & Asia agitato, Slaui, quos ostendimus in Dalmatiæ & Istriæ ora consedisse, quæcunq; propinquis in regionibus imperio parentia inuaserunt, & militibus, quos Phocas præsidio imposuerat, subita irruptione occisis, omnem Dalmatiæ & Illyrici Adriatico adiacentis, prouinciam subegerunt. Hinc igitur satis iam cõstat, ni fallor, serò Slauos in Dalmatia & Illyrico consedisse: nec esse eos Dalmatas, aut Illyrios: atq; ita ne accommodari quidem eis posse ea, quæ de illarum gentium origine literis & memoriæ prodita sunt. Iam igitur ad Vandalos quoq;, quos Procopius Vandilos uocat, transeamus.

Greg. ad Episcopos Istriæ.

Blon. ab incli. Imp. lib. 8. primæ Decadis.

QVOD SLAVI, VANDALI NON SINT.

Cap. V.

AC tenuisse quidem Slauos, atq; adeò nunc etiam tenere eas sedes, in quibus olim Vandali habitasse commemorantur, dubium non est, ueterũ & recentiorum scripta euoluenti. Nec de ijs modò loci hoc dictum uolumus, quę ad utramq; ripam Vistulę Odra tenus, & secundum Oceanum Germanicum usq; ad Cymbricam Chersonesum, nunc à Polonis, Silesijs, Cassubijs, Pomeranis, Masouijs, Prussis, & Vindis tenentur, olim Vandalis, & Venetis seu Vinidis habitata esse constat: uerumetiam de alijs quibusdam, quæ Vandalis

Vandalorum sedes, eædemq; Slauorum.

Slauorũ sedes.

Procop. de bel lo Vandil. Vandalis attributa sunt. Nam & Procopius, cuius dudum mẽtionem fecimus, à Mæotide palude Vandalos, quos ipse Vãdilos uocat, prodijsse, indeq; fame pulsos in Francos Germanos impetum fecisse, scriptum reliquit in eo libro, quem peculiarem de bello Vandilico con-
Iorn. de rebus Geticis. scripsit: & Iornandes, eiusdem ferè temporis scriptor, in libro de rebus Geticis memoriæ prodidit, eos quodam tempore ea loca tenuisse, quæ ab oriente quidem Gotos, quos tunc in Dacia habitasse scribit, ab occidente Marcommanos, à Septentrione Hermundulos, à meridie uerò Istrum siue Danubium finitimum habuerint. At Slauini quoque & Rusi, quemadmodum inferius ostendemus, circa Mæo-
Moschici imperij terminus ad Mæotin fermè. tim incoluere. Tametsi modò quoq; ad eam usq; paludem ferè Moschorum imperium protenditur. Ad Septentrionalem etiam Istri partem à Dacis, qui nunc Valachi sunt, & Moldaui, & Transylua-
Strabo geographi.lib.7. ni, ad Boemiam usque, quam Strabo Buiemum uocat, Marobudi Marcomannorum regis regiam, etiam nunc Rasciani, Serbi, Bosnen-
Slauorum populi à Turcis subacti. ses, ac cæteri Slaui habitant, olim liberi ac domini, deinde ab Vngaris ferè regnati: ad extremùm partim patrum nostrorum, partim nostra etiam memoria, à Turcis subacti. Fatemur hæc ita esse. Nec tamen hinc necessariò colligitur, hos populos eosdem esse cum Vandalis: sicut ne cum Dalmatis quidem & Illyrijs, quemadmodum superius ratiocinati sumus, nihilq; prohibet, diuersis temporibus diuersas
Diuersi populi etiam in una regione habitantes. gentes ijsdẽ in locis habitasse: ac uno etiam tempore amplam aliquam regionem, qualis est Italia, Sarmatia, uel Asia minor, non ab uno uniús ue nationis populo teneri. Constat autem & Mæotidis oram longè & latè patêre: & quòd ea nauibus adita, notior esset Græcis & Romanis: interiora uerò Sarmatarum incognita, propter barbariem; eos loca remotiora etiam à Mæotide, de quibus auditu aliquid acceperant, ad Mæotin sita esse existimauisse, & cùm Vandalis, tum Roxanis atque Slauis attribuisse. Et inter Dacas autem, Marcomannos, Hermundulos, siue Hermunduros, & Istrum, permagna locorum intercapedo est. Denicq; tractum eum, qui secundùm Vistulam, & mare Germanicum, Vandalis & Vinidis, seu Venetis attribuitur, multarum gentium capacem esse, dubium non est. Facile autem est, cùm è suprà memoratis Iornande & Procopio, tum ex alijs etiam scriptoribus deprehendere, quid de diuersis hisce Vandalorum sedibus (nam de Vinidis posterius dicetur) sentire debeamus: nempe
Vandali unde, & quò progressi. eos à Mæotide profectos uersus occidentem solem, ad Vistulam in extrema ora Germaniæ consedisse, & cùm alios Germanos, ut quique proximi erant, tum Francos bello uexasse. Deinde uerò ad meliores sedes in Pannoniam, indéque in Galliam, Hispaniam, & Africam denicq; commigrasse. Perinfirmæ igitur coniecturæ sunt, quibus isti adstruere nituntur, Slauos eandem esse nationem cum Vandalis & Germanis omnino. Nam quod quidam ridiculè, cum Vandalos à
Vandalus fluuius. Vandalo fluuio, qui nunc Vistula est, dictos esse uelint, hunc à Vanda Polonorum regina nomen accepisse existimant. nonnulli porrò opinan-

opinantur, quòd Vandali Slauica lingua dicantur, quasi Ven dali, quæ uox est cohortantium sese, ut ulterius porrò ire pergant, eiusmodi ineptias ne refellere quidem libet. Nos quidem certioribus longè argumentis Polonos & Slauos Vandalos non esse probabimus. Primùm enim mores his gentibus diuersi sunt. Ac Vandalos quidē sub regibus semper fuisse, & mollissimos atq; delicatissimos esse testis est Procopius. Idem uerò Slauinos Antasq; uitam duriorem, & incultam, neglectamq; ducere, & sordibus sese ingurgitare, & incondita quædā tuguria longo ab inuicē interuallo habitare, & singulos domicilij locū sæpe mutare, indeq; Sporos à Græcis cognominatos esse: nec ab uno aliquo eos regi, sed plebea cōmuniq; libertate uiuere, memorat. Deinde lingua penitus diuersa utunt Slaui omnes, ab ea qua Vandali usi sunt. Constat sanè inter omnes, Vandalos Gotorū & Germanorū gentem fuisse, eadēq; lingua cū eos usos fuisse. Testes sunt eius rei Eutropius, Paulus Diaconus, Procopius, & his omnibus antiquior Cor. Tacitus: neq; negat Crātius. Quin citat is eti āex Metodio martyre epistolā Vandalorū ad Constantinum imperatorē, Germanos se esse profitentium. Quod Irenicus quoq; facit. His adstipulantur ducum ac regum eius gentis nomina, quę Germanicam originem atq; etymologiam redolent: qualia sunt Gensericus, Hunericus, Gildericus, Sigericus, quasi ex anserum, gallorum gallinaceorum, auri, & uictoriæ opulentia deriuata: itemq; Trasamundus, Gutamundus, Sigismundus, & alia eiusdem modi: quorum similia etiā alia Goti habuerunt, & partim Burgundiones, qui & ipsi inter Vandalos numerantur: partim ij, qui nunc peculiariter Germani siue Teuthones appellantur, adhuc retinent. Slauicum uero uocabulum ne unum quidem mihi quisquam ex omni Vandalorum historia protulerit: nisi fortè illa apud Crantium, Lubecæ, Rostochij, Vismariæ, Stargardi, seu Starogradi, urbium nomina: quæ nos à Slauis post migrationem Vandalorum indita esse, suo loco indicabimus. Satis ne igitur argumenti est, Slauos, qui nihil penitus commune habent cum lingua Germanica, nisi fortè ex uicinitate & commertijs mutuatū, Vandalos non esse? Qui enim, aut unde mutarent linguam ij præsertim, qui uetustissimas Germaniæ, quam Vistula secundum Plinium, Ptolemæum, Pomponium Melam, Iornandem, & alios authores terminat, sedes non reliquerunt? Hic hæret omnino Crantius, & qui eum sequuntur. Franciscus uerò Irenicus ui ueritatis uictus, manus dat: quamuis ut uidetur, repugnate Iornande. Verum de Iornande statim, si prius refutauerimus illud Crantij argumentum, quo is adstruit, Slauos Vandalos esse, quòd à Germanis etiam nunc Vendi seu Vindę uocantur eius linguæ & generis homines. Non est certum inusitatum, populos, qui aliunde aliò commigrarint, cùm à locis & regionibus nomina assumere, tum eorum populorum, quibus successerint, nominibus appellari. Nec longè huius rei exempla petemus. Constat certè, Prussiam ab alijs, quàm nunc populis olim habitatam esse, qui siue Prussi, siue Borussi, siue Borusci secundum Stellam dicti sunt: quorum extant adhuc reliquiæ quędam in uicis atque pagis

Ven dali falsa etymologia Vandalorum.
A diuersitate morum.
Proc. de bello Vandal. Idē de bello Got. li. 3.
Linguæ diuersitas.
Vandali Germani sunt.
Eutro. hist. li. 10. & 14.
Paul. li. 1. ca. 1. de gestis Lāg.
Proc. de bello Vand.
Tacitus de situ et mor. Germ.
Alb. Crant. li. 1. Vandaliæ.
Iren. Germ. ex egesi li. 1. c. 33.
Vandalica dura nomina.
Burgundiones Vandali sunt.
Venedicarum urbium nomina.
Germaniæ finis olim Vistula.
Plin. nat. hist.
Ptol. Geogr.
Mela Geogr.
Iorn. de rebus Get.
Iren Germ. ex egesi li. 1. c. 13.
Crantius.
Vindæ seu Vēdi Slaui.
Populorū appellationes.
Prußi prisci.
Erasm.
Stella de Boruscis.

tractus Varmiensis, & Sambiensis, lingua utentes Lituanicæ non absimili. Quodã autem tempore partim à Polonis, partim à Teuthonibus Marianę militiæ adscriptis subactam & occupatam, in hoc usq; tempus à Germanis & Polonis habitari, deletis ferè ueteribus illis Prussis: nihilo tamen minus hi quoq; Poloni & Germani Prussorum nomen retinent. Quis autem nescit, Gallias, Gallis siue migratione, siue bello exoneratos, quodam tempore Francis Germanis cessisse? & tamen hos etiam à Latinis Gallos appellari? Sic Troiani cum Ænea profecti, in Latinorum & Italorum: Goti & Alani, qui corruptè Catalani nunc uocantur, in Hispanorum: Zechi Slaui in Boemorum Germanorum, quemadmodum postea demonstrabitur, nomen transierunt. Eadem igitur ratione credibile est, Slauos, eos qui priscorum Venedorum secundum Ptolemæum, seu Venetorum & Vinidarum secundum Iornandem, sedes occuparint, Vendos seu Vindas à finitimis Germanis appellari non desisse. Indeq; propter linguæ & originis cognationem, cæteris quoque Slauis accommodatam, hactenus manere. Nisi fortè diuersos esse uelimus à Vandalis Venetos, seu Venedas, seu Venedos, siue Vinidas: qua de re nunc disputabimus.

Prußiam qui hominum habitent.

Franci Galli appellantur.

Catalani. Zechi Boemi. Slaui cur Vindæ appellẽtur.

AN VENEDI, SEV VENETI, ET VINIDAE, *ijdem sint cum Vandalis.* Cap. VI.

Cornelius quidem Tacitus dubitat, Germanis ne an Sarmatis Venedos ascribat: & quamuis ad extremum eò magis inclinet, ut inter Germanos eos referat, infirmis tamen argumentis, id confirmat. Ptolemæus Venedas uult esse gentem Sarmaticam. Vandalos autem Germanos esse, iam satis, opinor, demonstratum est. Iornandes uerò apertius etiã, alios omnino esse à Vandalis Venetos & Vinidas innuit. Cum enim Vandalos, à Gebericho rege Gothorum profligatos, & ad paucitatem redactos, migrasse ex suis sedibus, & à Constantino magno Imperatore in Pannonia nouas sedes impetrasse, narrasset, unde postea in Gallias, Hispanias, & Africam commigrarunt, mox Ermanarici, qui aliquanto post Gebericum apud Gothos regnauit, mentionem faciẽs, in Venetos eum arma mouisse, & quamuis abundante multitudine, uictos tamen, & subactos eos esse memorat: statimq; adiecit: Eos ab una stirpe exortos, tria tunc nomina reddidisse: id est, Venetorum, Antarum, Slauorum. qui quamuis, inquit, nunc ita faciẽtibus peccatis nostris, ubiq; desæuiant, tamen tunc omnes Ermanarici imperijs seruiere. Hæc ibi Iornandes. Aliquanto autẽ antè his uerbis scribit: Introrsus illi (Gepidarum genti scilicet) Dacia est, arduis alpibus emunita: iuxta quorum sinistrum latus, quod in Aquilonem uergit, et ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spacia uenit, Vinidarum natio populosa consedit: quorum nomina licet nunc per uarias familias & loca mutentur, principaliter tamen Slauini & Antes nominantur. Hic mecum diligenter perpendant ij, qui Venetos & Vinidas eosdem cum Vandalis esse autumant, uerba scriptoris huius de rebus sui

Tacit. de situ & mor. Ger.

Venedæ an Germani sint.

Ptol. Geogr. lib. 3 cap. 5.

Iornand. de rebus Getor.

Vandalorum migratio in Pannoniam.

Venedi à Gotis uicti.

Dacia.

Slauini & Antes.

sui temporis & sibi notis scribentis. Profectò si is eosdem esse uellet Venetos cum Vandalis, non temerè mutasset nomina: ut illicò post factam Vandalorum mentionem, Venetos, ac non Vandalos, ab Ermanarico bello petitos esse, memoraret. Nec mihi quisquam obijciat, in Venetis quoq; idem eum fecisse, ut Venetos appellaret, cum prius Vinidas dixisset: quos eosdem esse dubium non est, ipsomet etiam authore attestante. Maior est enim cognatio nominum in Venetis & Vinidis, quàm in his utrisq;, & Vandalis. Vel nunc etiam Germani, partim Vendos, partim Vindos, siue Vindas dicunt. Deinde tam Vinidis, quàm Venetis, Slauinos adiunxit. Vandalis non adiunxit, quorum paulo ante Venetos mentionem fecerat: cum rationi magis consentaneum fuerit, in prima mentione gentis, genus eius explicare. Præterea in Aquilonem secundum Alpes, hoc est, Carpathum montem, à fontibus Vistulę, Venetis, siue Vinidis sedes attribuit, hoc est, in Sarmatia: Vandalos autem ad eam partem Vistulæ, quæ Germanis citerior est, habitasse, isti ipsi affirmant. Iam illud longè etiã efficacius argumentum est, non esse eosdem Vinidas & Venetos cum Vandalis, quòd post deuictos & ad paucitatem redactos, pulsosq; suis sedibus Vandalos, Venetos multitudine abundantes, ab ijsdẽ Gotis infestatos & subiugatos esse scribit. Illud uerò longè efficacissimum, quòd Venetos atq; Slauinos, Antasq;, quos in Boream ad Vistulam, Danastrum & Danubium flumina, Musianum lacum, qui fortè Mysianus est, & mare Ponticum commorari, paulo antè dixerat, ubiq; desæuire suo tempore queritur: cum Vandali longè antè Pannonia nõ pulsi, sed à Stilicone euocati, in Gallias & Hispanias populariter migrassent, atq; adeò illis etiam regionibus relictis, in Africa Iustiniani armis attriti, afflicti, ac deleti essent: quod quidem tum Paulo Diacono, tum hoc ipso Iornande & Procopio, oculatis ferè testibus, confirmare possumus. Congruunt cum his ea quæ superius de prouincijs Romani imperij ab hac gente afflictis, ex diuo Gregorio & Flauio Blondo descripsimus. Ex his igitur satis, ut arbitror, liquet, Venetos & Vinidas, quos Germani Vendos, seu Vindas uocant, diuersos esse à Vandalis. Atq; hinc apparet error Alberti Crantij, Francisci Irenici, & aliorum, qui in eo quòd Slauos cum Vandalis eandem esse gentem affirmant, Iornandis authoritatem sequi sibi uidentur: cum tamen is, quemadmodum nos modò ostendimus, non cũ Vandalis, sed cum Vinidis, seu Venetis, Slauorum gentem coniungat.

Vindarum sedes.

Vandalorum è Pannonia migratio.

Vandali deleti.

Paul. Diac. de gest. Lãg. lib. 1. c. 17.

Iorn. de reb. Geth. & de reg. ac temp. succes.

Procop. de bello Vandil.

QVOD SLAVI GERMANI NON *sint.* Cap. VII.

QVOD si quis cum Tacito Venedos quoq; inter Germanos referre contendat, non magnopere pugnabimus: dummodo is meminerit, fieri potuisse, quod sæpe alijs gentibus usu uenerit, ut Slaui, quos lingua moresq; arguant Germanos non esse, Venedorum Germanorum nomine iam tum Iornandis tempore etiam appellarentur, cum eorum sedes occupassent: sicut etiam nunc à Germanis appellantur.

Slaui cur Venedi uocati.

Germanicæ linguæ usus apud Boemos & Polonos.

lantur. Nam quod Crantius ex usu Germanicæ linguæ non infrequenti apud Boemos, addam ego, & apud Polonos, & è Germanicis concionibus colligit, eos Germanicã gentẽ esse, eadem ratione colligat licebit, Italos uel Latinos eos esse. Nam hæ quoq; linguæ in usu esse cœpere apud Polonos præsertim. Hispanis quoq; & Italis nostra tempestate, ijs præsertim qui uel militarunt uel negociati sunt in Germania, non insolens est usus linguæ Germanicæ. Ne Latinæ quidem olim fuit Græcis, cum Romanis parêrent. Ergóne ijdem erunt aut Græci cum Romanis, aut Itali, & Hispani, cum Germanis? Non rectè hic ratiocinatur Crantius. Quòd si Slaui Germani sunt, uel ex Germanis orti, eademq; olim lingua

Slauica lingua diuersa ab omnibus alijs.

usi. Vnde igitur Slauicæ linguæ usus apud eos inoleuit? quæ ut à Germanica, sic ab omni finitimorum, atq; adeò quorumuis aliorum populorum, de quibus auditu aut literis aliquid accepimus, lingua penitus diuersa est. Quid quòd apud Bulgaros, Russos, atq; Moschos, qui & ipsi Slaui sunt, uel nullus omnino, uel certè rarissimus est Germanicę linguę usus? Fateatur ergo necesse est Crantius alterutrum, uel non extirpatos

Germani in Polonia et Boemia quando.

penitus olim esse à Slauis Germanos & Vandalos, uel certè posterius ab ijs colonias è Germania deductas esse, agrestium præsertim & opificũ omnis generis, cũ ipsi ferè militię uacarẽt. Quod nos à Polonis quodam tempore factum esse suo loco ostendemus. Iam, ne ex illo quidem Berosi

Beros. lib. 4. & 5.

testimonio, quo is Tuisconem Germanorum omnium conditorem à

Slauos nõ esse ortos à Tuisconc.

à Tanai ad Rhenum, usq; regnasse, & ab eo Sarmatas maximos populos conditos esse asserit, satis rectè comprobatur Slauos Germanos esse. Nam ut illibata sit fides & authoritas Berosi, ut etiam demus Slauos uel Sarmatas esse, uel omnino cum Tuiscone in Europam profectos, in his oris, quas nunc incolunt, inter Tanaim & Rhenum consedisse, certè non statim consequetur, eos Tuisconis posteritatem esse. Neq; enim necesse est, populos alicui regi subiectos, uel ab eo conditos, ab eodẽ etiam procreatos, aut eadem duntaxat cum illo stirpe ortos esse. Quin cernere est non modò in priscis annalibus, uerùm etiã nostro tempore multas gentes, externi generis regibus parêre. Legimus etiã nonnullorum populorũ colonias ab externis ducibus deductas esse. Quid? quòd Sarmatiã Be-

Sarmatiæ fines secundum Berosum.

rosus ab ortu solis Tanai fluuio, ab occasu Rheno terminat, Sarmatæ uerò Græcorum & Latinorum scriptorum testimonio multum terrarũ ultra Tanaim tenent, nec scio an plus quàm citra Tanaim, & quidem antiquitùs, ita ut hinc progressi esse uideãtur pòtius, quàm hinc illuc: cum & solum hic sit uberius, & cœlum mitius, & propinquior sit Asiatica, quàm Europea Sarmatia Babiloniæ, unde in totum orbem terrarum coloniæ deductę sunt. An nõ licebit credere uel interpretem perperam nobis reddidisse scriptoris Chaldæi sententiam, cum in diuersis linguis, diuersis nonnunquam nominibus & flumina, et loca, & gentes appellentur, uel ipsum etiam authorem de rebus tam procul à se remotis hallucinari potuisse, & aut ignorasse fines harum gentium, aut Sarmatarum nomine Germanos pariter & Sarmatas complexum esse? sicuti Sarmatis quoq; nonnulli uicissim Germanorum nomen accommodant: Scytha-

De Berosi testimonio iudicium.

rum

rum uerò nomen uſq; quaq; tranſire in Sarmatas atq; Germanos, teſtis eſt C. Plinius. Sarmatę quidē certè Germani non ſunt, quod ex hoc ipſo Plinio, Corn. Tacito, Strabone, & Ptolemæo rectè colligimus, neq; ex Tuiſcone progeniti, quamuis ſecundū Beroſum à Tuiſconē cōditi, quippe qui à Sarmate, quem Moſes et Ioſephus Aſarmotem uocant, Iſtri ſiue Iectani filio, & ipſo ex Noa, ſed per Semū filiū deſcendente, nomē & genus duxerint. Non igitur Vandali, neq; Germani omnino ſunt Poloni, Boemi, ac cęteri Slaui. Vnde autem Slaui ducant originem, aut undè, & quando in has oras, quas nunc tenent, aduenerint, utinam tam facile eſſet uerum inuenire, quàm falſa refellere. Conemur tamen etiam illud, quantum poſſumus, ut ſi minus inueniamus, uiam certè ad inueniēdum poſt nos quæſturis uel muniamus, uel indicemus.

Scytharum appellatio. Plin. nat. hiſt. lib. 4. cap. 12.

Sarmatarum origo. Geneſ. 10. Ioſeph. ant. li. 1. cap. 14.

VNDE SLAVI ET SLAVINI APPELlentur. Cap. VIII.

Slauorum nomen quando clarere cœperit.

AC nomen quidem Slauorum, & Slauinorum ante Procopij, & Iornandis hiſtoriam, & Iuſtiniani Imperatoris tempora, nuſquam neq; apud Latinos, neq; apud Græcos ſcriptores adhuc inuenimus, quemadmodum initio ſcripſimus. Nā Alberto Crantio, & Saxoni Grāmatico, niſi uetuſtiores authores proferant, fidem in hac parte non habemus. Neq; uerò loci ullius in terris neq; hominis cuiuſq; priſci nomen apud ueteres, uel geographos, uel hiſtoricos adhuc reperimus, hæc unde gens, ſiue natio ueriſimiliter denominata eſſe uideat. Slauoniā enim à Slauis, nō hos ab illa appellationē accepiſſe, ſatis opinor conſtat ex his, quę ſuprà memorata ſunt. Slauorum autē etymologiam, uel à Slouo, quod uerbum, & ſermonem, uel à Slaua, quod famam, ſiue gloriam genti ſignificat, omnes deriuant, nemo, quod ſciam, aliunde: ita ut cum ipſi ſe Slouacos et Slouanos, quaſi uerboſos, ut uult Crantius, ſiue Slauacos, & Slauanos, quaſi celebres dicerent, à Latinis Slaui, & Slauini dicti ſint. Propius autem uero eſt, eos à celebritate & gloria potius, quàm à uerboſitate, quę in uituperio eſt, nomen ſibi ſumpſiſſe, cum res magnas, & prę claras, contra Romanum imperium, et finitimos quoſq; gererent. Et conuenit ſanè, cum hac etymologia, quod non Slaui, aut Slouini, uerùm Slaui, & Slauini à Latinis appellantur. Corrigendus uerò, hic eſt error eorum, qui eos Sclauos, ſiue Sclauinos uocant: qui quidem etiam in pleraq; Procopij, & Iornandis, & Blondi exemplaria irrepſit, ab Italis, niſi fallor, quòd ij dum mollius loqui ſtudent, ſæpe i, pro l, proferunt, ut pro flatu, fiato, pro placet, piace: ſic pro Slauo, Siauo. Nihil autem ferè intereſt apud eos in enunciando, ſiue quis dicat Siauum, ſiue Sciauum, c litera interſerta. Inde fortaſsis imperiti cum Latinè lōqui uellent, uel ſcribere, non Slauum reddidere, ſed Sclauum: quo nomine nunc quemlibet ſeruum appellant Itali, cùm alij, tum Adriatici maris accolæ, ex nomine gentis, cum qua multa bella geſſere: quemadmodum Romani olim Getas & Syros. Sed ad inſtitutum reuertamur.

Slaui à Slouo uel Slaua dicti.

Sclauos perperam dici.

Sclaui apud Italos qui uocentur.

VNDE SLAVORVM GENTES PRODIERINT, *ratiocinatio.* Cap. IX.

VM igitur Slauorum nomen tam sit recens, nec à loco, uel conditore gentis deriuatum esse appareat, uideamus num inter eos populos, qui Slauorum nomine censentur, eademq; lingua utuntur, quisquam sit, qui uetustius nomen habeat: ut inde cęterorum omnium examina prodisse, & cùm singulos noua nomina, tum uniuersos communem Slauorum appellationem accepisse demonstremus. Ac Polonorum quidem, Zechorum, Silesiorum, Pomeranorũ, Bosnensiũ, Croatarum, siue Caruatorum, Rascianorum, Dulebianorum, Dreslanorum, Traslanorum, Volyniorum, Podoliorum, Palucorum, Pouazanorum, Masouiorum, Vilzorum, Velataborum, Lusicorum, qui nunc Lusacij uocantur, Lunchinorum, Licauicorum, & si qua sunt præterea nomina, etiam recentiora sunt. Recens est & Morauorum, siue à Marotho rege, qui longè post Attilæ tempora fuit: siue à Moraua flumine, Olomucium urbem primariam prętерlabente id inditum est. Marcomanni enim, qui loca illa & uicinam Boemiam, deletis Boijs, Gallica gente, quæ regioni nomen dedit, prius tenuere, Germani fuere: Ptolemæo, Cornelio Tacito, & L. Floro testibus. Vnde & illud apparet, quòd priscorum Boemorum gens, licet uetustior sit, quippe cuius & Ptolemęus, & Tacitus, atq; etiam Strabo meminerint, Gallica tamen fuerit initiò: deinde, quæ eam deleuit, cum esset Germanica, & ipsa Boemorum appellationem retinuerit: quam postremò Zechi quoq; Slaui in hanc usq; diem retinent, cum longe pòst in ea regione domicilijũ fixissent. Quanquam ipsi se Zechos appellant, & à cæteris Slauis ita uocantur. Nam quod scribit Crantius, è Boemia & Pannonia Slauos profectos, in Illyrico ac Dalmatia cõsedisse: non probat nobis, cum neminem è uetustioribus huius sententiæ authorem habeat. Sicut ne illud quidẽ, quod authore Saxone Grammatico prodidit, Cassubios, & ipsos gentem Slauicam, ante Christum natum extitisse: & quæ nunc teneant loca, tenuisse. Nam & Saxo ille non multo uetustior est ipso Crantio: & cum de re procul à memoria sua remota nullo authore scribat, non maiorem & ipse meretur fidem. Itaq; ne illud quidem recipimus, quòd Saxo idem, uetustiora Christo nato tempora persequens, etiam Poloniæ facit mentionem. Modocas equidem populos in Sarmatia Asiatica apud Ptolemæum, Moschicos, siue Moschios montes in Cappadocia, siue Armenia, apud eundem Ptolemæum, & C. Plinijũ reperio. Moschenos etiam populos, & Moschorum tractũ, idem Plinius commemorat. Strabo quoq; Moschos populos Colchis finitimos esse scribit. Iosephus uerò Hebræus Moschinos populos, Cappadocas postea dictos, à Mosochim, siue Mosoch Iapeti filio, ut est in Genesi apud Moysen, oriundos esse, scriptum reliquit. Et Modocarũ quidem nomen mínus, Moschenorum uerò, seu Moschinorum, siue Mochenorum, admodũ conuenit ijs populis, qui nunc in Europea pariter & Asiatica Sarmatia longè latéq; imperantes, Slauica lingua utuntur, &

Slauorum populi.

Morauí unde nomẽ habeãt.

Marcomanni. Ptol. li. 2. ca. 11.

Tacit. de situ et mor. Germ. et annal. lib. 2. L. Fl. Epi. li. 4. Boemi qui, & unde appellati.

Strabo Geog. lib. 7. Zechi. Albert. Crant. lib. 1. & 2. Vand. Saxo in Dania. Cassubij.

Moschi. Ptol. li. 5. cap. 9. & 13.

lib. eod. cap. 6. Plin. nat. hist. li. 6. ca. 27. Ibid. lib. 6. cap. 9. & 10. Strabo lib. 11. Geogra. Ioseph. ant. lib. 1. cap. 11. Genes. 10.

Moschi

Moſchi Latinè, Moſchouitæ, Germanicè, Slauicè uerò Moſqua appellantur. Et à multis quidem ſeculis ij ſedes illas tenent, quod eorum ipſorum annales teſtificantur: ſed hoc nomen Moſchorum non ita pridem uſurpare cœperunt, nec uniuerſè primùm. Sed unus de multis populis, à flumine & arce Moſqua, ita dici cœptus eſt; ex eo ferè tempore, quo poſt diuiſum in multos principatus Ruſsorum eius regionis imperium, Ioannes quidam dux Danielis filius, (quemadmodum uir grauis ac diligens, Sigiſmundus Herberſteinus, regis Ferdinandi conſiliarius, in Moſchouia ſua, ex eius gentis annalibus compertum, nuper memoriæ prodidit) ei territorio præfuit, & inſtaurata arce, quæ modica & obſcura antè fuerat, ſedem ibi ſuam cõſtituit. Cuius poſteri cum ſubactis proximis quibuſcp eiuſdem nationis atcp linguæ principibus, principatum ſuum longè latécp dilataſſent, tum demum cæteri quocp Ruſſorum populi longè maiores, antiquiores, & nobiliores, quàm Moſchi ad eam diem fuerant, nempe Vuladimirienſes, Nouogrodenſes, Iaroslauienſes, Tiuerenſes, Moſaiſcenſes, Suſdali, Piskouenſes, Rezanenſes, Seuerienſes, & alij, ut quicp deuicti ſunt, in Moſchorum nomen abiere: ſic tamen, ut cuncti pariter Ruſſorum nomen libenter etiamnum agnoſcant. Itacp olim Kiouienſis metropolites, & nunc Moſchicus etiam, Ruſsiæ metropolites cùm ab alijs, tum à patriarcha Conſtantinopolitano uocatur: & ipſe hunc titulum, uelut ampliorem, & auguſtiorem, quàm Moſchouiæ, uſurpat: & uerò ipſi quocp Moſchorũ principes non tam Moſchorum, quàm Ruſsiæ totius dominatum in inſcriptionibus, quanquã falſo, ſibi arrogant. Vnde liquet, nec antiquum eſſe Moſchorum nomen: & Ruſſorum partem, ac unum quendam populũ eos eſſe, ab arce & oppido, quod maximis terrarũ ſpacijs à priſcorum illorum Moſchorum ſiue Moſchinorum tractu abeſt, non ita pridem appellationem mutuatos. Ab his igitur, Slauorum origo deduci nõ poteſt. Bulgaros cum Slauinis coniungit Iornandes, cum ab his pariter, & Antis, atque Slauinis Romanum imperium uexari ſcribit. Attribuit autem eis alibi ſedes in Europa ſupra mare Ponticum. Huic adſtipulatur Blondus, qui Danubij accolas eos eſſe prodidit. Pomponius autem Lætus memorat, Anaſtaſium Imperatorem duxiſſe longum murum à mari ad Selibriam, ne incurſiones Myſorum, Bulgarorum, & Scytharum Conſtantinopolitanis obeſſe poſſent. Verùm aliunde eos in illa loca ueniſſe, Blondus idem teſtis eſt, nimirum è Scythia. Scythiæ uerò nomine Sarmatiam complexus eſt. Conſtat enim, in Sarmatia Aſiatica Bulgarorum antiquas ſedes eſſe: ad Rha, ſeu Volgam fluuium. Ac Ptolemæus quidem horum non meminit: Sergorum uerò meminit, Sarmatiam Aſiaticam deſcribens. Conſtat autem, hos quocp à recentioribus in Europa, inter Slauorum populos numerari: nec eos modò qui Bulgaris & Raſcijs proximi conſedere, uerùm etiam eos qui Saxoniam & proxima Albi loca tenuere, & à quibuſdam Sorabi dicti ſunt: quo fit, ut non incredibile ſit, eos ex Aſia in Europam ueniſſe. Sed ij ſiue Serbi, ſiue Bulgari, quota pars ſunt Slauorum? Profectò non eſt credibile, unum aliquem tam exiguum

Moſchi unde, & quando appellari cœpti.

Ruſſorum ſeptentrionalium populi, qui Moſchorum principi parent.

Metropolitæ in Ruſsia duo.

Moſchorum principes Ruſsiæ totius dominatum ſibi arrogant.

Bulgari.

Iorn. de ſucceſſ. regn.

Idem de reb. Get.

Blond. Dec. 1. lib. 9.

Pomp. lib. 2. hiſt.

Blond. ibidẽ.

Bulgarorum ſedes.

Ptol. lib. 5. c. 9.

Serbi Slaui, & ſedes eorum.

exiguum populum ex anguſto terræ, angulo profectum, tam paruo tempore tantas uires & incrementa ſumpſiſſe, ut dimidiam ferè totius Europæ partem occuparit impleretq;. Deinde ſi è Bulgaris prognati ſunt Slaui, Serbi Slaui non erunt: ſi ex his illi nõ erunt: ſin ex utriſq;, profectò ambobus communis origo & commune aliquod eſſe debet. Nec id Slauorum eſt, quippe quod ſit recentius.

VERA SLAVORVM ORIGO.

Cap. X.

Rußiæ fines. RVSSORVM nomen latiſsimè patet in Sarmatia, quemadmodum dudum indicauimus. Complectitur enim ferè quicquid terrarum eſt inter ſinum Venedicum, Liuoniã, Suetiam, Oceanum glacialem, Rha, ſiue Volgam, Mæotim, mare Ponticũ, Sarmaticos montes, Poloniam, Lituaniam, & Samagitiam. Sed non perinde celebre aut antiquum uidetur eſſe id nomen: ne illis quidem ipſis ſcriptoribus, qui primi Slauorum et Bulgarorum mentionem fecere, fortaſſe notum. Extant etiam eius gentis annales, uerum non ſupra ſeptingentos annos à noſtra hac ætate. Nã Ruthenorum uetuſta gens in Gallia Aquitanica, non eſt eadem cum Ruſsis. Quo fit, ut nos cum Ruſſorum meminimus, nunquam eos Ruthenorum nomine appellemus, quemadmodum fecerunt cùm alij pleriq; ante nos, tum Saxo Grammaticus, qui Ruthenos Ruſsiæ ſiue Ruſciæ populos uocat, cũ eisq; Danos et Sueonas ſeu Suetios finitimos multa bella etiam longe antè Chriſtum natum geſsiſſe memorat. Minimè uerò mirum eſt, primùm, nullos extare annales apud gentem barbaram, quæ poſt ſuſceptam demum religionem Chriſtianam uix literis, à Bulgaris ſuis paulo antè ad imitationem Græcarum inuentis, uti cœpit, & modicè utitur. Deinde incognitam fuiſſe Græcis & Latinis eam gentem, ſicut alias quoq; ſeptẽtrionales, quas communi uocabulo, uel Sarmatas, uel Scythas appellauere, cum propter longa terrarum interualla, incultas regiones, ferosq; & barbaros earum mores, nihil cum eis haberent commertij. Tametſi Roxanorum, ſiue Roxolanorum nomen, quod Ruſſorum uel Ruſsianorum nomini, non ualde diſsimile eſt, non eſt incognitum ueteribus. Nam & Ptolemeus, & C. Plinius Roxolanos populos in Sarmatia ad latus Mæotidis collocat, & Corn. Tacitus Ottonis Syluij, qui octauus poſt C. Cæſarem apud Romanos imperauit, tempora perſequens, ita de eis ſcribit: Conuerſis ad ciuile bellum animis, externa ſine cura habebantur. Eò audentius Roxolani Sarmatica gens prior hyeme ceſis duabus cohortibus, magna ſpe ad Mœſiam irruperant. Strabo autem ita: Roxani uerò magis ad Aquilonem ſpectantes, inter Tanaim, & Boriſthenem campeſtria paſcuntur. Et Paulo pòſt: Num qui uerò ſupra Roxanos habitent, ignotum eſt nobis. Roxani quidẽ aduerſus Mythridatis Eupatoris ductores belligerarunt. Hic mihi conſideret uelim diligẽs lector, eas ſedes ab his tã uetuſtis grauibusq; ſcriptoribus attribui Roxolanis, ſiue Roxonis, quas Ruſsi in hanc diẽ retinent: eosq; iam tum Ottone imperante Mœſiam finitimam iuſeſtare cœpiſſe: ita ut ueriſimile ſit ab ijſdẽ poſterius, debilitatis partim Gotorum, Hunnorum,

Ruſſorũ nomẽ

Ruſſorum annales.

Ruthenі non ijdem cum Ruſsis.

Rußicæ literæ

Roxani, ſeu Roxolani.

Roxanorum ſedes.

Ptol. lib. 3. cap. 5. Plin. lib. 4. ca. 12. Tacit. annal. lib. 17.

Strabo lib. 7. Geogr.

Slauos è Ruſsia prodijſſe.

norum, Vandalorum, Alanorum, & Langobardorũ: partim Parthorum, Persarum, & Saracenorum incursionibus atq; bellis Romani imperij uiribus, non solum eam ipsam Mœsiam, uerùm etiã Daciam, Pannoniam, Dardaniam, Liburniam, Illyricum, Dalmatiam, & Istriam subactas & habitatas: Thraciam, Macedoniam, & Græciam diuexatas, & ad extremum Græcam linguam penitus corruptam esse: rebusq; tam feliciter gestis, eos Slauorum, siue Slauinorum nomẽ à gloria sibi sumpsisse. Eadem autem facilitate alia ipsorum quasi examina ad occidentem solem progredi, & omnem eam Germaniæ partem, quæ à Vistula ad Salam & Albim, seu Visurgim usq; inter Carpathum montẽ, Danubium, & Oceanum Germanicum protenditur, occupare, & in ditionem suam redigere potuisse, cũ ea populis exhausta & uacua esset, Gotorum, Vandalorũ, Alanorum, Burgundionum, & Langobardorũ continentibus bellis, & in alias sedes migrationibus: easq; gentes mox imperijs distinctas, diuersis etiam nominibus appellatas esse, ita ut partim à ducibus, partim à situ locorum, partim à prioribus incolis, denique à studijs, habitu, uel euentu aliquo noua nomina sumerent. Solos autem eos, qui in natali suo solo manserunt, antiquum Roxanorum nomen retinuisse: cuius facilis est flexus in Rusianos, & Russos. Nam & inter x literam, & geminum ss, in enunciando permagna est cognatio cùm apud ueteres, tum apud recentiores, Italos præsertim: & Rosiam pro Rusia etiamnunc proferunt & scribunt Græci: quod nos in diplomate quodam antiquo patriarchæ Constantinopolitani Vilnæ ante aliquot annos uidimus.

Slaui unde dicti.

Poloni & Boemi unde uenerint.

Roxani ijdem qui Russi.

AVTHORES SVPRA MEMORATAE *sententiæ.* Cap. XI.

IN hac autem sententia fuit ante nos Bernardus Vapouius, qui nostra memoria Polonorum res gestas ab initio ad sua usq; tempora stylo persecutus, imperfectum opus reliquit. Nec diuersum sensisse uidetur Antonius Bonfinius in Vngarica historia, quamuis non satis sibi constet. Vterq; autem Blondum Foroliuiensem secutus esse uidetur: qui libro primo primæ Decadis historiarũ, de Vandalis & Burgundionibus mẽtionem faciens, ita memoriæ prodidit: Facta autem est postmodum alia in dictis gentibus mutatio. Siquidem Vandali à fluuio regionis sic dicti, paulo post, quàm illi, quos Stilico concitauit, patria erant profecti, se Slauos dixere, à nomine gentis, quæ à Bosphoro Cimmerio in Tanaim fluuium habitare solita, se contulit in sedes Vandalorum, Burgundionumq; patria profectorum. Nec tamen diu tenuere hi populi eam Slauorum nominationem: sed cum eorum pars Mauritij Imperatoris temporibus in Dalmatiam, Illyricumq; emigrasset, qui manserunt domi, paulo post mutarunt nomina, & partim se Polonos, partim Boemos nominauere. Et libro octauo de illa Slauorum in Dalmatiam & Istriam inuasione scribens, ita prodidit: Nec tamen omnis illa gens reliquit primas ad Danubium sedes: quin ijdem mutato nomine magnam obtinent partem illius regionis. Siquidem locutionis similitudo ac penè proprietas ostendit, eos qui nunc Poloni & Boemi dicuntur, ex Slauoru mreli-

Bern. Vapouius.

Bonfinius.

Fl. Blondus.

Vandali unde dicti.

Slaui.

Poloni & Boemi.

quíjs fuiſſe. Incoluerant autem prius, ut ſuprà docuimus, ea loca Vandali: quos credendum eſt, quando ad inuadendas Romanorũ prouincias ſunt profecti, partem gentis in patria reliquiſſe. Quare Slaui paulo pòſt ſuperuenientes, ita locutiones commiſcuere, ut ex utracꝫ tertiam effecerint, quę pro regionis & ducum diuerſitate partim Boemica, partim Polonica poſtmodum ſit dicta. Sunt etiam certiores proximis in regionibus Slauorum reliquiæ apud Saxones, quorum coloni maiori ex parte puram habent, qua Dalmatę utuntur, Slauonicam locutionẽ. Hactenus Blondus. Perplexè quidem & uariè, ut qui de rebus à ſua memoria aſpectúcꝫ & cognitione remotis & alienis ſcribebat: illud tamẽ non obſcurè oſtendit, Slauos Vandalos non eſſe, Vandalorũ tamen nomine fuiſſe appellatos: & quo tempore, undé ue ij primùm in Vandaliam, Saxoniã & Germaniã, Dalmatiam'cꝫ & Illyricum aduenerint, nempe à Cimmerio Boſphoro ac Tanai, quæ loca geographi omnes Roxanis, ſiue Roxolanis & Sarmatis attribuunt. Nec omnino diſſentit ab his Iornandes. Is enim cum Slauinos & Antas, & uniuerſam Vinidarum nationem ad ſiniſtrum latus Sarmaticorum montium ab exortu Viſtulæ in Aquilonem per immenſa ſpacia conſediſſe memoraſſet, quod nos quoꝫ ſuperius retulimus, addit: Slauinos quidem ab exortu Viſtulæ uſcꝫ ad Danaſtrum commorari, & paludes ſyluasꝫ pro ciuitatibus habere: Antas uerò, fortiſsimos eorum, qui ad Ponticum mare curuantur, à Danubio uſcꝫ ad Danaſtrum extendi. Siue autem Danaſter is eſt, quem etiam nũc accolæ Ruſsi & Valachi Neſtrum, ſiue Dneſtrum uocãt, & multi Tyrã antiquis dictum eſſe uolunt: ſiue Boriſthenes, ut ipſe Iornandes uelle uidetur: dubium nõ eſt, eam oram ferè Ruſsia, Sarmatia quidem certè, continueri. Et tamen de Slauinis & Antis tantum hic ille ſcribit. Nihil autem prohibet, alios eiuſdem linguę & nationis populos ulterius ad Aquilonem habitaſſe, aut etiam illos ipſos inde ad meridiem & mitiores fertilioresꝫ oras non modò in Mœſiam, & ad Danubium, ſed longè ultra etiam, ſicut nos iam oſtendimus, progreſſos eſſe. Ruſsis igitur Slauorum omnium originem nos quoque cum his ſcriptoribus libenter acceptam referimus.

Slauos Vandalos dictos eſſe.

Iorn. de rebus Get.

Danaſter fluuius.

RVSSORVM DENOMINATIO ET Origo. Cap. XII.

VOD ſi quis porrò quærat, quo tempore primùm Ruſſi Sarmatiã habitare cœperint, unde eò uenerint, & unde nomen acceperint: ingenuè fateor, me, quamuis diligenter inueſtigantem, neſcire tamen. Reperio quidem apud Ezechielem prophetam fieri mẽtionem principis Ros, Moſoch, atque Tubal: ſic enim legunt Euſebius Cæſarienſis, Theodocion, Symmachus, & Septuaginta interpretes. Nam diuus Hieronymus ambigit, proprium'ne gentis alicuius nomen ſit Ros, an caput eo loci ſignificet: ſicut etiam habet uulgaris editio Latina. Ac de Tubale quidem, & Moſocho, iam nobis dictum eſt. Ros, ſi gentis nomen eſt & ipſum, Ruſsis affine eſſe uidetur. Verùm Euſebius

Ezech. cap. 38. & 39.

Euſ. Demonſt. euang. lib. 9. Hiero. in Eze.

Ros.

bius idem, eam gentem Romanos uult esse. Hieronymus, quæ sit, non inuenit. Non incognitum autem iam tunc fuit nomen Roxanorum Græcis & Latinis, sicuti suprà diximus. Quo fit, ut non ausim Russorum, seu Roxanorum originem ab illo Rosso, siue Ros deducere: præsertim cum neque apud Berosum, neq; apud Iosephum, neque apud Moysen in priscis genealogijs de eo quicquam reperiam. Rusi seu Rusiæ oppidi antiqui in ditione Nouogrodensi mentionem facit uir grauis ac diligens, Sigismundus Herbersteinus, in descriptione Moschouiæ: nec inusitatum est, ab ignobilibus etiam oppidis populos denominari, qui cum obscuri fuissent initio, postea uirtute & armis nomen suum unà cum imperio propagarunt: sicut nos de Moschis dudum ostendimus. Et adstipulari uidetur huic opinioni, id quod in annalibus Russorum legitur, dominatum Russorum apud Nouogrodum magnam, Bialoiezorum siue Album lacũ, et Isborscum initium sumpsisse à Rurico, Sineo ac Trubore Varanjs fratribus. Quod si quis hoc nõ probat, uel altiorem etiam gentis originem requirit, nihil opinor prohibet credere, Polonos ac cęteros omnes Slauos Sarmatas esse: præsertim cum constet iam, Bulgaros, Serbos & Roxanos Sarmatiæ gentes esse, indeq; egressos populos quodam tempore, nouas sedes occupasse in Germania & Romano imperio, & Slauos, siue Slauinos sese dixisse: demonstrari autẽ non possit, unde aut quo tẽpore populi illi in Sarmatiã aduenerint, et priscos illos Sarmatas (si qui modò alij fuerunt) inde pepulerint, uel deleuerint: sicut de Gotis atq; Tartaris potest, quorum illi quidem tenuerunt aliquando, hi uerò etiam nunc tenent, partem aliquantam Sarmatiæ. Nam de Prussis, Liuonibus & Lituanis, & ipsis Sarmatiæ populis, postea suo loco dicemus. Quod si cui non satis adhuc probamus, Polonos ac Slauos omnes Sarmatas esse, non magnopere pugnabimus: modò illud certum teneat, eos populos, qui Slauica lingua & natione censentur, partim in Sarmatia sedes habere antiquitùs, partim inde profectos, per magnam Europæ partem sese diffudisse. Atq; hæc nos de origine Slauorum in uniuersum attulisse sufficiat. Si quis exquisitius ac certius quicquam attulerit, non modò non molestè feremus, uerùm sequemur etiam. Nunc certè prolixiores esse nolumus in disceptandis & explicandis ijs, quæ ueteres scriptores uariè de Sarmatarum gente memorię prodiderunt. Quin Slauos etiam missos faciemus, & ad institutam Polonorum historiam propius accedemus.

Russia oppidũ uetustum.

Sigism. Herberst. in Moschouia.

Russorũ principatus initiũ.

Poloni & Slaui omnes Sarmatæ sunt.

Goti & Scythæ in Sarmatia.

DE SITV POLONIAE, ET NOMINE gentis. Cap. XIII.

Poloni qui.

IACET Slauorum ij populi, qui ad Sarmaticos montes, siue Carpathum, & in extrema ora Sarmatię, quà Germaniæ Vistula flumine interlabẽte coniungitur, & inde porrò uersus occidentem solem ad Odram fluuium (siue is Viadus, siue Guttalus est ueteribus) atq; adeò ad Boemiam usque, & Albim, quà is relicta Boemia in mare decurrit, ut uolunt nostrates ferè, & ad extremam Sarmatici maris oram consederunt,

Poloni unde dicti.

Polaci, siue Polane, à uicinis eiusdem linguæ populis, atq; inde Poloni à Latinè loquentibus dicti sunt: regio uerò Polonia. Duplex autem nominis huius ratio assignatur. Vel enim à Pole, quod & planiciem, & uenationem Slauis significat, Polanos & Polacos appellari uolunt: propterea quòd & planam ferè, apertam'q; regionem ij tenent, & apprimè tenentur uenandi studio: uel à conditore ac primo duce gentis Lecho siue Lacho, Polacos, quasi Polachos, hoc est, posteritatem Lachi, dici autumant. Cui rationi ac denominationi adstipulatur illud, quòd Russi & Moschi, nec scio an alij quoq; Slaui, præter Boemos, non Polanos, neq; Polacos, uerùm Lachos eos in hanc usq; diem uocant. Nec multũ ab hac diuersa esse uidetur ratio nominis Vngarici, qui Polonos Lengel, quasi Lechel, ut mihi quidem uidetur, hoc est, à Lecho conditos, appellant. Conuenit certè inter omnes, Zechum & Lechum, siue Lachum, germanos fratres, hunc quidem apud Polonos, illum uerò apud Boemos primùm regnasse. Quamuis enim Vincentius Cadlubicus, nullam horum mentionem fecerit: Lechitas tamen Polonos uocat, à Lecho proculdubio. Aliundé ne autem ij cum suis populis in has oras commigrauerint, an ipsi alibi nati, ad cognatas gentes, antiquitùs ea loca tenentes, accesserint: an uerò & ipsi siue in Polonia, siue in Boemia nati, quodam tempore gentium harum regna, priuati cum essent, inuaserint, aut oblata susceperint: deinde si aliunde uenerunt, undé nam, & quo tempore, non perinde cõuenit. Qua de re nos, expositis breuiter aliorum sentẽtijs, quid sentiamus, subijciemus: de Polonis præsertim, de quibus hoc nobis opus instituitur.

Polachi.

Lachi.

Lengel.

Zechus & Lechus fratres principes.

VNDE, ET QVO TEMPORE POLONI *in has oras uenerint.* Cap. XIIII.

QVI Slauos, Vandalos & Germanos esse uolunt, non habent necesse affirmare, Polonos cum suo duce aliunde in has oras, quas nunc incolunt, post uetustam illam Tuisconis migrationem uenisse, si modò constare sibi uolũt. Itaque Albertus Crantius asseuerat, Slauos regionem suam ab omni memoria ad Sarmaticos campos tenuisse: & cum angustæ eis essent sedes in Polonia, Morauia, Boemia, & Russia, nouas in Pannonia à Cõstantino magno Imperatore eos impetrasse: indé'q;, imperãte Mauritio, in Dalmatiam & Illyricum profectos esse. Verùm huius opinionis fundamẽtum iam conuulsum est: constitit'q;, Polonos atq; Slauos Vandalis successisse in his locis, ubi nũc est Polonia. Quocirca refellere nunc eam operepreciũm non est. Alij uerò aliunde omnino Polonos & Boemos uenisse, pro comperto habẽt: et quidem complures è Croatia profectos esse contẽtiũnt. Lechum enim & Zechum fratres, principes uiros, apud Crapinam & Psaros degentes, cum pertæsi essent dissidiorum & bellorum ciuilium, coadunata suorum hominum & aliorum uoluntariorum manu, ad quærendas nouas sedes è patria uersus occidentem solem per syluas montes'q; iter habuisse: donec ad Albim flumen, & Boemiam uenerint. Ibi Zechum soli bonitate delectatum, cũ parte multitudinis

Crant. Vand. lib. 2. Idem lib. 1.

Lechi & Zechi peregrinatio.

Vnde.

Quare.

Quò.

dinis in incultis locis consedisse: Lechū uerò cum cæteris ad Aquilonem ire perrexisse, eumq; tractū qui Silesiam & maiorem Poloniam complectitur, & ipsum habitatoribus uacuum tenuisse. In hac sententia fuerunt Æneas Syluius Senensis, & ferè Boemi Poloniq; chronographi. Quanquam Ioannes Dlugossus, et Mathias Miechouiēsis, nostri, non satis cōstanter & conueniēter id asseuerare possunt, ut qui ipsi & Polonos Vandalos Germanosq; esse uolunt. Adijcit præter cæteros Æneas Syluius, Zechum cædis perpetratæ iudicium fugisse, eiq; fratrem Lechum fugæ comitem adhæsisse. Vnus est, quod sciam, inter nostrates, atq; is Anonymos, cuius mihi copiā fecere nuper Cracouiæ sodales Dominicani: qui suprà memoratos fratres, ac tertium cū his Russum non è Croatia, sed è Pannonia profectos, Boemiā, Poloniam & Rusiam occupāsse scribit. Nā alij Russum hunc, non fratrem, sed nepotem Lachi fuisse uolunt: sed falso, ut nos iam ostendimus. Porrò quo tempore id factum sit, non satis cōuenit inter omnes. nostrates ferè nō multo post Oecumenicū diluuiū cōpinantur: quippe qui fratres illos partim filios, partim nepotes, partim pronepotes, aut nō remotā certè posteritatē lauani & Noe fuisse memorent. Vincentius, licet migrationis huius nullam faciat mentionem, antiquissimā tamen Lechitarū gentem (sic enim Polonos nonnunq; uocat) esse ostendit, cum eos cum Gallis (quo tēpore ij sese per Europam & Asiā diffuderunt) & cum Alexandro Magno rege Macedonū bella gessisse, Craco & Lesco, qui post Cracū longè regnauit, ducibus, prodierit. Æneas Syluius nullum tempus huic migrationi adscribit. Venceslaus Hagecus, imperante Constātino tertio, post IESVM CHRISTVM Deum & hominem natū anno sexcentesimo quadragesimo quarto, à creatione uerò mundi quinquies millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, fundamenta regni Boemici à Zecho iacta esse scriptum reliquit. Hæc ferè de Polonorum & Boemorum origine & aduentu à recentioribus memorantur. nam apud ueteres nihil de ijs reperio.

Matth. Miech. de dupl. Sarm. et Chron. lib. 1.

Æn. Syl. in hist. Boem.

Anonymos.

Russus Lechi frater, uel nepos.

Quando.

Vincentius.

Æneas Syluius.

Venceslaus Hagecus.

REFVTATIO SVPERIORVM OPInionum. Cap. XV.

SED nobis horum nihil satisfacit. Primùm enim fabulæ illæ, nempe Zechum & Lechum filios aut nepotes lauani, aut certe è propinqua posteritate eius, & Noe progenitos, non multò post diluuium è Croatia, siue Pannonia in Boemiam & Poloniam commigrasse, ipsæ se refellunt: et facile ex ijs quę nos de Slauis superius attulimus, refelluntur. Neq; enim de prosapia eorum à ueteribus Græcis & Latinis, ac ne ab ipsis quidem Slauis quicquam memoriæ proditum est: ac neq; de rebus gestis Polonorum, aut Boemorū, aut Slauorū, aut Vandalorum omnino (quos quidā ex his eosdē cum Slauis esse uolunt) siue contra Alexandrum Magnum, siue contra priscos Gallos: quamuis pleraque omnia de Gallis iuxtà ac de Alexandro ueteres historici cùm Latini tum Græci diligenter persecuti sint. Neque ante Iustiniani tempora

Zechum & Lechum longè post diluuium fuisse.

Slaui quo tempore occupauerint eas, quas nunc tenent, sedes.

Slauica gens Croatiam, aut Dalmatiam, aut Slauoniam tenuit, sicut nos iam demonstrauimus: ac ne Pannoniam quidem, quam anonymus ille de Pani, quo uerbo Slauica lingua dominus uocatur, regis nomine dictam esse fabulatur. Multo minus autem hanc Germaniæ partem, qua nunc Polonia ferè, Silesia, Morauia, Boemia, Lusacia, & Pomerania continetur.

Pan.

Pannonum etymologia falsa.

Quòd si contendant pertinacius, habitasse quidem longè antè, & iam inde à diluuio, has gentes in his locis post Lechum & Zechum conditores, uerùm alijs nominibus appellatas fuisse: cur quæso tã serò priscorũ conditorum nomina accepere? Sin autem affirmant, tenuisse quidem eas antiquitùs hasce sedes, uerùm longè pòst, Lechum & Zechum, eiusdem linguæ homines peregrè aduenientes apud eas regnasse, & tum primùm noua nomina eis indidisse: de Zechis quidem non penitus absurdè dici id posset: de Polacis etiam fortasis, si à principe, ac non à planicie seu uenatione id nomen habent. Sed Polanorum & Polonorum denominatio à campis certè, quàm à Lecho, rectius deducitur. Est ne autem credibile, externos duces, exules præsertim, ab his gentibus quodam tempore non dico expetitos, sed ea dignatione habitos esse, ut abiectis prioribus nominibus suis, ab ijs ipsæ dominari se paterentur? Subactas quidem, nec ipsi huius opinionis authores dictitant. Nos uerò satis euidenter ostendimus, ad Constantini certè primi tempora Poloniam à Germanis habitatam fuisse: nec esse Germanos eos populos, qui nunc Boemiam & Poloniam tenent.

Germani fuere olim, ubi nunc Poloni sunt.

Iam qui post sexcentesimum demum à Christo nato annum Polonos & Boemos cum suis authoribus è Croatia profectos, in his locis consedisse uolunt: aliquid illi quidem afferant, in quo non iniuria quisquam acquiescere posse uideatur. Iam enim tunc illustre erat nomen Slauorum, & iam aliquanto prius ij sedes in Illyrico, Dalmatia, & Croatia fixerant, & numero ac uiribus abundabant, ita ut in alias quoq; terras deducere colonias potuerint. uerùm tria sunt, quę nos ab hac sententia reuocant. Primum, ratio migrationis. Nam si Zechus patrati homicidij iudicium fugitans, ut uult Syluius, sedes mutabat, quid causæ erat, cur Lechus frater insons eum sequeretur? cui manenti in patria, fratris fuga bono futura fuerat, propter accessionem fortunarum ab illo relictarum? Aut si is tantopere dilexit fratrem, ut omnem fortunam cum eo subeundam sibi esse duceret, uel conscius admissi sceleris pœnam & ipse metuebat: quid multitudo illa tanta, quanta ad occupanda duo perampla regna suffecit, non potuit ea tam charos principes suos iudicio supplicioq; eripere? Quomodo autem ea cum uxoribus, paruulis liberis, & omni supellectili fugam, ad quam celeritate opus est, expediebat? Deinde siue patratum facinus, siue intestina dissidia migrandi è patria causam eis præbebant, siue commodiores atque patentiores sedes ij quærebant, quæ ratio fuit tam longinquæ & incertæ peregrinationis per auios montes atque syluas suscipiendæ? Cur non potius petiere Macedoniam, aut Epirum & Acarnaniam, aut Italiam, finitimas & non incognitas sibi, tum cœli clemen-

Polonos & Boemos non è Croatia uenisse.

clementia pariter et ubertate soli, & omni cultu agrorum urbiumq; præstantes regiones? Et sanè usitatius est, gentes à Septentrione ad meridiẽ, uelut è rigidis ad temperatiora, ex incultis ad cultiora loca migrare. Exemplo sunt Galli, Cymbri, Goti, Vandali, Langobardi, Scythæ, Hunni, Normanni, Circassi, Turcæ denicq;. Aut si æstuantibus fortè Boreæ flatus adlubescebat, cur non in Pannonia, uel Bauaria, & ipsis cultis ac fertilibus terris, per quarum alterutram iter facere necesse habuerunt, substitere? Quòd si lacessere bello horum locorum populos nolebant, qui scire poterant, si porrò uersus occidentem solem, uel septentrionem ire pergerent, inculta & habitatoribus uacua loca se reperturos esse? aut si id alicunde cognouerant, cogitare certè secum poterant, ea non futura fuisse inculta & uacua, si excoli cura & industria humana posse putarentur. Postremò ut hasce coniecturas, tametsi graues, mittamus, certis profectò authoribus demonstrare possumus, ante illud tempus quod suprà memorauimus, & ante Constantinum tertiũ Imperatorem, atq; adeò ante Mauritium etiam, Slauorũ gentem hęc loca tenuisse, quæ nunc Poloni tenent. Non utemur autem ad id probandum neq; Alberti Crantij, neq; Fl. Blondi testimonio, qui Slauos, quemadmodum etiam retulimus, ex his oris in Dalmatiam, Illyricũ, et Croatiam, Mauritij temporibus, qui Constantinum tertium propè quinquaginta annis præcessit, profectos esse asserũt. Certior nobis testis erit Iornandes, qui cũ ante Mauritij tempora historiam sui temporis scripserit, Slauorũ & Slauinorum mentionem faciens, ad sinistrum latus Sarmaticorum montium, & ad Vistulam fluuiũ, qui nunc Poloniã interluit, habitare eos memorat. Per quæ tempora Dalmatiam, Illyricum, & Istriã infestatas quidem, sed nondum habitatas fuisse à Slauis, ex hoc ipso Iornande, diuo Gregorio, & Procopio cõprobatur. Procopius quoq; memorat, Iustiniano regnãte Erulos à Longobardis deuictos, partim in Illyrico consedisse: partim cum Istrum flumen haudquaquam traijcere statuissent, Slauinorum gentem prætereundo, cũ in loca deserta euasissent, ad Harmos primùm, deinde ad Dacas, hinc ad Oceanum peruenisse, eoq; traiecto in Thule insula constitisse. Vnde apparet, Illyricum quidẽ tunc adhuc Slauinos non tenuisse: tenuisse autem ea loca, quæ Eruli ab Istro, qua is Illyrico proximus est, per Daciam (quæ eadem Dania est) ad Oceanum ac Thulen uersus Septentrionem proficiscentes, præterire necesse habuerunt. Non igitur probabile est, è Croatia tunc Lechum & Zechum cum Slauis in Boemiam & Poloniam ueniisse. Ac ne ex Pannonia quidem: quippe quam ante Valentis imperium à Vandalis, mox à Gotis, deinde usq; ad Martianiñ imperatorem ab Hunnis habitatam: post Attilæ uerò mortem à Gotis, siue Ostrogotis recuperatam esse, ex his ipsis Procopio & Iornande constat. deinde uerò circa Iustiniani tempora à Langobardis subactam, & post quadraginta duos annos ab his ipsis, in Italiam populariter commigrantibus, sub pacto Hunnis relictam esse, ex Paulo Diacono notum est: quod quidem paulo ante Mauritij tempora factũ esse, dubiũ non est: quo tempore Slauos iam ad Vistulã habitasse, paulo antè

Populi à Septẽtrione uersus meridiem ferè migrant.

Poloni antè Mauritiũ Imp.

Crant. lib. 1. Vand. Blon. Dec. 1. lib. 2. et 8. Iorn. de reb. Get.

Procop. de bello Got. lib. 2.

Poloni non è Pannonia.

Iornan. ibidẽ. Paul. de gest. Langobard. lib. 1. & 2.

antè oſtẽdimus. Manifeſtum eſt igitur, neq; è Croatia, neq; è Pannonia tunc, aut etiã prius eos populariter ueniſse in hanc oram: multo minus poſterius. Quanquã enim regnauere poſtea Slaui in Pannonia, ſubiugatis, ut reor, Hunnis, qui pauci poſt Attilam ibi remanſerant, uſque ad Suaten, ſiue Suatibolugum, ſiue Suatoplugum Marothi filium, qui poſt ſeptingenteſimum quadrageſimum annum à Chriſto nato, uel ut alij uolunt, longè poſterius, ab Hunnis, uel Vngaris ex Aſia tunc uenientibus deuictus, fugiens Danubij uorticibus hauſtus perijt: ſed iam tunc longe antè habitata fuit à Slauis Polonia. Quin iſtum ipſum ſiue Suaten, ſiue Suatoplugum nonnulli ſcriptores Polonum, nonnulli Morauum fuiſſe memorant: Slauum quidem uel ipſa etymologia prodit. Cæterum ne Blondo quidem & Crantio aſſentimur in eo, quòd è Polonia & Boemia Slauos in Dalmatiam & Illyricum ueniſſe uolunt. Poteſt enim probari è Procopio & Sabellico, Thraciam & Macedoniam, uelut uiciniores, ab ijs prius, quàm Illyricum & Iſtriam, uexatas eſſe. E' Polonia uerò & Boemia proficiſcentibus hæ regiones prius ſeſe offerunt, quàm illæ: nonnullaq; præterea ſuperius à nobis commemorata ſunt, & ſtatim commemorabuntur, quę ad refellendam illam opinionem ualde accommodata ſunt, ſi ſit operę precium. Atq; hęc aduerſus ſuprà memoratas opiniones dicta ſunto.

Slaui regnauerunt in Pannonia.

Bonf. Vngar. Dec. 1. lib. 9.

Suatoplugus.

Slaui unde in Dalmatiam uenerint.

Proc. li. 3. de bello Got. Sabell. Ennead. 8. lib. 4.

DE LECHO ET POLONIS, VNDE ET QVANDO extiterint, probabilior ſententia. Cap. XVI.

QVID igitur certius, aut probabilius duntaxat nos afferimus? Illud nimirum, quòd cum oſtenſum ſit ſuperius, è Ruſsia & Sarmatia Slauos in Mœſiam, Daciamq;, ac Pannoniam ſecundum citeriorem Danubij ripam penetraſſe: inde uerò non ante Iuſtiniani Imperatoris tempora, in Thraciam, Macedoniam, Dalmatiam, et Illyricũ inundaſſe: & aliquanto poſt demum, nempe circa Mauritij & Phocæ tempora, in ijs oris certum domicilium fixiſſe, ante quod tempus iam eadem gens ad Sarmaticos montes & fontes Viſtulæ, ubi nunc eſt Polonia, habitabat: aliquanto prius autem Vandalos ex ijs locis in Pannoniam, atque inde mox in Gallias, Hiſpanias, & Africam commigraſſe: conſentaneum, ac propè neceſſarium eſt, tunc, uel certè paulò poſterius circa Attilæ tempora, eos populos, qui nunc Poloni & Boemi dicuntur, progreſſos è Ruſsia & Sarmatia, itidem atque illos alios Slauos, uacuas, aut certè infrequentes Vandalorum ſedes occupaſſe, indéque porrò in interiorem Germaniam & Boemiam arma protuliſſe. Et ſanè minore longè negocio, citiusq; hàc ſecundum dextrum latus Carpathi montis ad interiorem Germaniam, uacuam aut certè ſemiuacuam tunc, ſicuti modò diximus, ij penetrare potuerunt, è patria ſua profecti, quàm in Slauoniam ac Dalmatiam, longius à ſe diſtantes, & Romanorum imperatorum armis defenſatas. In hac ſententia fuit ante nos Bernardus Vapouius: tametſi neque tam firmis argumentis, neque tam multis aut tam certis teſtimonijs uſus. Idem Blondus quoque

Polonos & Boemos è Ruſsia profectos eſſe.

Bern. Vap. lib. 1. hiſt. Polo.

ſenſiſſe

sensisse uidetur. Antonius uerò Sabellicus disertè scribit, Slauos à Cimmerio Bosphoro bipartitò digressos, partem unam ad dextram deflexisse septentrionem uersus, scissamq; in duos populos, Boemos & Polonos: alteram transmisso Istro, secundum Sauum amnem ad Dalmatiam usq; sedes tenuisse, nihil mutato nomine. Hæc nos de Polonorũ & Boemorum origine & aduentu ad has terras, grauibus argumentis & authoribus, ratione temporum & locorum consentiente comprobamus. Siue autem ij Lecho & Zecho ducibus initio è Sarmatia profecti, hæc gesserunt, siue cum initiò nullo aut uno duntaxat imperio regerentur, successu temporis, longè lateq; propagato imperio, hi duo principes regnũ inter se partiti sunt: alterum Polonis, alterum Boemis nomen dedisse, dubitandum non est. Neq; enim fabulosum omnino habendum est id, quod diuturno non tantum horum ipsorum populorum, sed cunctæ Slauicæ nationis consensu celebratur, Lechum & Zechum principes hisce Slauorum populis præfuisse, & nomina indidisse. Vapouius quidem etiam certum tempus edidit, quo hæc acta sint: nempe circa annũ Christi quingentesimum quinquagesimum. cuius rei penes authorẽ fides esto. Illud uerò, quod de aduentu Slauorum è Croatia uulgò & ipsum circumfertur, credibile est à sciolo quopiam, rationem temporũ & historiæ ueteris non satis tenente, assutum esse: cum is aduenas esse in his oris Polonos & Boemos persuasum haberet, nec unde huc uenissent inueniret, nescisse tamen id uideri nollet. Eum uerò locum ab eo potissimùm electum esse, unde cum hi populi commune Slauorum nomen acceperint, originem quoq; duxisse probabiliter uideri possent. Nisi fortè existimandum est, has gentes nõ ab uno aliquo homine regi, sed ab antiquo plebeia cõmuniq; libertate uiuere solitas, teste Procopio: cum longè antè in his sedibus consedissent, quodam tempore uel utilitate, uel necessitate adductas, peregrinos reges, sed eiusdem tamen secũ linguæ, è Croatia accitos se, oblatósue ultro accepisse. Quod credere, uel nõ credere, per nos liberum cuiq; esto. Nos explicata, quoad fieri potuit, origine Polonorũ, iam ad res gestas eorum aggrediamur, à Lecho sumentes initium, quando de uetustioribus gentis temporibus nihil exploratum habemus.

Blon. Dec. 1. lib. 1. Sabel. Ennead. 8. lib. 2.

Boemi & Poloni à ducibus nomina acceperẽ.

Lechus & Zechus quãdo in has oras uenerint.

550. annus à Christo nato.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER SECVNDVS.

LECHVS.

LECHVS igitur omni illa, quam siue armis, siue imperio tantum occuparat, regione quàm latissima, ad colendum & habitandum multitudini suorum distributa, arces & castella opportunis locis muniuit: ipse in una ex ijs domicilium fixit, quam sexto à Varta flumine milliario, uersus Septentrionẽ in patentissima planicie, ex rudi & non dolata materia inter lacus & paludes, ad necessitatem magis

Varta fluuius.

d & quale-

& qualequale receptaculum, quàm ad ſplendorẽ atq; delicias extruxit, eiq; oppidum adiunxit, quo eſſet tamen aliqua hominum circum principem frequentia: & Gneſno, ſeu Gneſnę nomen ipſi impoſuit, à nido, quẽ Gnaſdo uocamus, paulũ deflexo uocabulo: ſiue quòd eo ſibi loco arx illa futura eſſet, quo nidus auibus, per apertam aera uagãtibus: ſiue quòd aquilarum nidũ ibi reperiſſet. indeq; inſigne boni auſpicij acceptũ, manſiſſe & manere ſucceſſoribus eius principibus Polonorum exiſtimatur, alba aquila, erecta, expãſis alis. Sic igitur fundato regno Lechus partim Gneſnæ manendo, partim obeundo regnum, ius dabat populo æquabile, non ex præſcripto legum, quę nullæ erant: ſed ex arbitrio ſuo, hoc eſt, ex æquo & bono: imperio, quod credere par eſt, moderato utens, magis ut patris charitatem quàm domini ſeueritatem obtineret, in eos qui fidẽ ductumq; ſuũ ſecuti eſſent. Nec enim facile liber & ferox populus aſperum, ſuperbum, ſtolidum & impotentem tyrãnum aut initiò ſecutus eſſet, aut poſtea pertuliſſet. Reditus tũc & agros peculiares nullos habebat princeps: ſed ei cuncti ſeminabant & metebãt, deq; omnium rerum prouentu fructibus ipſis uectigal pendebant. Nam numus tunc incognitus erat apud Polonos: ſed permutatione rerum, quod cuiq; opus erat, ſibi comparabãt. Quamdiu uerò Lechus regnauerit, quid prędari bello pacéq; geſſerit, quosq; liberos reliquerit, nihil cõperti habemus. Aliquandiu quidem poſteri eius poſt eum regnaſſe feruntur, ita ut natu maximus principatum, cæteris libenter concedentibus, obtineret: ſed quinam hi, quotq; ſibi inuicem ſucceſſerint, donec ſtirps omnis deficeret, nõ liquet. Bernardus Vapouius, neſcio quem authorem ſecutus, uult, Lechum aliquoties cum Germanis, ſecundis prędijs dimicaſſe, ac de regulo quodam ſingulari certamine uicto et interfecto opima ſpolia retuliſſe: multas munitiones partim ui, partim per deditionem cæpiſſe, & ad Veſſerã ſeu Viſurgim uſq; imperium protuliſſe, & in eius fluminis ripa urbem cõdidiſſe, eiq; propter onus perpetui præſidij Brzemie ſiue Bremæ nomen impoſuiſſe: poſteritatem uerò eius centũ quinquaginta fermè annis regnaſſe in Polonia, nempe ad ſeptingẽteſimum ferè annũ à Chriſto nato: multaq; bella geſſiſſe cum Germanis, & alijs finitimis gentibus. Nam ea quę ſequuntur, è Saxone Grammatico, & Alberto Crantio paulùm immutata ſumpſiſſe uidetur: nempe, maris quoq; fortunam Polonos tunc feliciter tẽtauiſſe. Inſtructa enim claſſe, traiectoq; ſinu Codano, ſiue Balthico, Rugiam, Fœoniam, & alias quaſdam inſulas de Danis Polonos tunc cæpiſſe, & cum ea gente uario marte terreſtribus & naualibus prędijs dimicaſſe. Ad extremũ duce Viſsimiro, uno de Lechi poſteris, Syuardũ Danorum regem nauali pugna inſigni ab ijs profligatum, pulſumq; precario regni partem ſub annuo tributo recepiſſe, cõceſſa Polonis Iutia, Scaniaq; filias uerò eius duas captiuas, alteram Norueg̃js, alterã Germanis uenditas: filium autem Iarmericum in obſidis loco aſſeruatum eſſe. Inde Viſsimirum principem captiuis abundantem, duas urbes maritimas citra mare condidiſſe: & ex his alteram Viſsimiriam de ſuo nomine, alterã Dantiſcum, ſiue Gdanũ, à Danis deuictis, eoq; deductis appellaſſe: quę

Gneſna condita.
Gnaſdo.
Aquila alba, Polonorũ principum inſigne.
Lechi ſtudia.
Imperium placidum.
Principis reditus.
Pecunia incognita.
Bern. Vapouius.
Lechi res geſtæ.
Brema urbs cõdita.
Brzemie.
Lechi poſteri quamdiu regnarint.
Saxo in Dania lib. 8.
Crant. in Vandalis à Polonis bello petiti & uicti.
Syuardus rex Danorũ uictus à Viſsimiro.
Viſsimiria quæ nũc Viſmaria.
Dantiſcum, ſiue Gdanum.

parua

parua obscuraq; aliquandiu, ad eum splendorem postea peruenit, ut sit celeberrimum, & non solùm Septentrionis & occidentis, uerùm totius ferè orbis terrarum copiosissimum, & omni genere mercium refertissimum emporium, portu ac tribus oppidis permunitũ. Addit idem Vapouius, Syuardum postea seruitutis impatientem, Visimiro rebellasse, & in pugna occubuisse: filium uerò Iarmericum aliquanto pòst è custodia elapsum, nouos motus in Dania concitasse: uerùm eos à Polonis tunc sedatos esse. Quo tempore autem Dani iugum Polonorum penitus excusserint, non memorat Vapouius.

DVODECIM DVCES, SEV PALATINI.

CVM autẽ stirps Lechi defecisset, Poloni comitijs de constituenda repub. Gnesnæ habitis, ad neminem unũ principatum deferunt: uel quòd in pari multorum dignitate uariarent sententiæ, uel quòd monarchiæ ad tyrannidem (ut sunt res humanæ in deterius mutabiles) declinantis pertæsi iam essent, duodecim uerò ex omni procerum numero, potentes & spectatos in primis uiros, deligunt, qui siue nouo tunc populi placito, siue usitato etiam sub principibus instituto, suæ quisque regioni, diuisa in totidem regiones tota Polonia, præessent: & Voieuodæ, hoc est, duces belli & copiarum, uernacula lingua dicerentur. His reipub. in pace iuxtà ac in bello summam in commune mandant. Et rectè quidem illi initio, éq; repub. initum magistratum gessere, legesq; paucissimas & simplicissimas, ut rude illud ferebat seculum, non in libris, neq; in tabulis, sed in animis hominũ atq; in usu, perinde atq; Lycurgus apud Lacedæmonios quondam, incidêre: quæ instituta uerius, quàm leges dixerimus. Sed pòst aliquanto ad ambitionem uersi, dum ex suo quisq; nutu omnia geri uult, & rem priuatam potẽtiamq; suam augere studet, assentari multitudini, eiusq; licentiam alere, suos quisq; per fas nefasq; defendere & euehere, terrori esse ijs quos beneuolentia sibi adiungere non posset: inde contentiones, simultates, & factiones denicq; è studijs partiũ exortę: inde edicta et imperia ipsorum uulgo negligi cœpta, rempub. ab unius imperio ad paucorum dominatum dudum traductam, nec multo pòst eò redactam, ut rex iam sibi quisque & lex esset, pene funditus euerterunt. Quibus rebus commoti finitimi populi, Polonorum uim atque potentiam dudum ueriti, & experti etiam: celatum bene ad eam diem timore odium atq; dolorem in apertum proferendum, & armis uindicandum, nomenq; Polonum delendum, uel affligendum certè sibi esse existimarunt, tam luculenta occasione sese offerente. Quamdiu uerò horum duodecim ducum imperium durauerit, nihil comperti habemus. Manet quidem deinceps etiam sub principibus & regibus, manetq; in hanc diem is siue honor, siue magistratus: uerùm aliquantum restricta potestate & iurisdictione. & ab ijs qui latinè loqui uolunt, Palatini usurpantur: quo nomine à nobis quoq; deinceps appellabũtur, habentq; ij principem secundum episcopos in senatu regio locum. Cum autem nõ ijdem perpetuò fines Poloniæ fuerint, sed accisi aliquãdo, rursusq; prolati sint,

Voieuodæ.

Ambitio rerũpub. pestis.

Palatinorum dignitas.

ne regionum quidem eadem distinctio, nec idem Voieuodarum siue Palatinorum numerus mansit.

CRACVS.

PERTAESI igitur malorũ Poloni, quę sub duodecim Palatinorum imperio agminatim ipsis incubuerant, ad unius principatum respexere, & aliquid de gustata libertate ipsi sibi detrahere, quàm perire prorsus malebant. Itaque conuentu apud Gnesnam acto, post longam consultationem una omnes sententia ad Cracum principatum deferunt: quem nostrates quidem perperam Gracchum appellant, Romanumq; exulem fuisse, & supra quadringentesimum, uel ut alij uolunt, quingentesimum annum ante Christum natum apud Polonos regnasse, fabulantur. Quo quidẽ tempore, necdum Polonorum gẽs extiterat: & incognitum, ni fallor, adhuc erat apud Romanos Gracchorum nomen. Ac ne ijs quidem temporibus, in quę nos hunc Cracum conijcimus, aliquem de Gracchorum familia superfuisse, in Romana historia reperimus. Verisimilius est igitur, quod etiam Dlugossus sentit, Polonos Polonum potius, quàm externũ sibi regem creasse. Ac Vapouius quidem circa septingentesimum annũ à Christo nato id factũ esse uult: Hagecus uerò paulò posterius, fingitq; idem Lechi filium Cracum siue Crocum hunc fuisse. Verùm is neq; hoc, neq; item alia multa nobis probat. Siue autem Cracus unus de Voieuodis fuit, siue non, domicilium quidem habebat apud Vistulam, tertiodecimo milliario à fontibus eius fluminis: uir cùm amicitijs, copijs & facultatibus potens, tum prudentia, animi magnitudine, & iusticiæ atq; integritatis opinione apud omnes gratiosus, ita ut solus rectè dilabentẽ rem publ. sustinere & recreare posse uideretur. Is multum diuq; reluctatus, eo quòd perdifficile esse uideret rempub. partim ciuium licentia & intestinis dissidijs perturbatam, partim externis bellis quassatam restituere & reficere: tandẽ precibus & contentione multitudinis, & charitate patriæ uictus, reipub. curam suscepit: hostes alios fœderibus, alios armis à ceruicibus patriæ remouit, in his Gallos, ut uolũt nostrates plericq; omnes, per Pannoniam sese magnis copijs in Poloniam infundentes profligat, atque depellit. Vnde uerò hi Galli uenerint in has oras, inuestigare difficile est. Nam Scordisci ac Tauriſci Gallorum populi, qui Mœsis mixti, ut author est Strabo, multo antè ad Istrum consederant, iam à Romanis primùm, deinde à Gotis, & mox ab Hunnis deleti erant. Boij quoq;, & ipsi Gallica gens, qui Boemiæ, quemadmodum superiore libro indicauimus, nomen dedere, multo antè iam à Marcomannis Germanis, & hi porrò à Zechis Polonorum cõsanguineis, uel pulsi, uel subacti erant. Nec per Pannoniam certè ijs Polonos adoriri necesse fuisset: nisi fortè eos Boemia pulsos, in Morauia uel extremis finibus Pannonię consedisse, & inde in Poloniam inuasisse existimandum est: aut certè credendũ est, eos Francos fuisse oriẽtales, quorum regnum Austrasiam et Bauariã cõplexum, ad Vngariã usq; pertinuisse fertur: apud quos per ea tempora Pipinũ, Caroli magni proauum, dominatũ esse, Blondus et Sabellicus memo-

Cracus qui & cuias fuerit, et quo tempore.

700. ann. post Christum natum.

Cracus inuitus regnum suscepit.

Franci à Cracо repulsi.

Franci orientales.

Pipinus Caroli magni proauus.

Blondus.

Sabellicus.

memoriæ prodidere. Illud autem fortasse nostris errandi occasionẽ præbuit, quòd ea gens, cum Gallias subegisset & insedisset, priscorum Gallorum nomine etiamnunc à Latinis appelletur. Sed quicunq; tãdem ij fuere populi, qui tunc Poloniam bello uexauerunt, eos Cracus repressisse memoratur. Vincentius etiam in Carinthiam eum expeditionem fecisse uult, antè susceptum principatum: indeq; reuertentem, cum persuasisset Polonis, ut sub unius principatu, quàm sine principe uiuere mallent, omnium consensu principem factum esse. Deinde uerò Cracus pacatis foris rebus, domi licentiam & audaciam perditorum coercuit: iudices priuatarum controuersiarum per loca constituit: urbem in læua Vistulæ ripa in loco domicilij sui condidit, ac de nomine suo Cracouiam appellauit: eiq; arcem in colle Vauelo, Vistula eum ab oppido tunc dirimente, felicibus auspicijs superædificauit: quam regni caput, Gnesna relicta, fecit. Quæ quidem urbs è paruis illius seculi initijs successu temporum ad eam, quam uidemus, amplitudinem & splendorem, principum posterorum habitatiõe & fauore peruenit, ut mœnium ac turrium firmitudine, ędificiorum publicorum iuxtà ac priuatorum magnificentia, copia rerũ quæ non modò ad sobrium uictum cultumq; corporis, uerùm etiam ad luxum & uoluptatem requiruntur: deniq; urbanitate & elegantia ciuiũ & incolarum, cum Germanicis & Italicis urbibus certet: inter totius autem Septentrionis, nedum Poloniæ, urbes facilè principatũ teneat. Fertur etiam, immanem beluam, quam Holophagum uocant, in antro montis, cui arx Cracouiensis superimposita est, cubile habentem, & uiciniam omnem deuorandis pecudibus, iumentis & hominibus uastantẽ, à Cracone astu interemptam esse, cum corpora illi obijcienda, pice, sulfure & fomite succenso infarciri iussisset, & ignis conceptus uiscera beluæ torruisset: quod nescio an fabulosum sit. Antrum quidem in hanc usq; diem extat saxo exeso profundum, quod specum Draconis uocant: quod tamen etiã natura sic extitisse potuit. Celebri Craci fama moti consanguinei Polonorum Zechi siue Boemi, ipsi quoq; ultrò principem sibi eum asciuerunt, uti Dlugosso & Vapouio placet. Tametsi Æneas Syluius, & Hagecus, non hunc, sed alium Cracum siue Crocũ tunc apud Boemos regnasse uolunt, et Cracouiam siue Crocoueciam arcem in Boemia condidisse: morientemq; eo ferè tempore, quo noster regnare cœpit, tres filias reliquisse: è quibus una Libussa saga paternum regnũ susceperit, assumpto sibi in societatem thori & principatus Præmislo rustico homine, quem missi ad hoc equites in ferrea tabula, hoc est, in uomere prandentem repererant: eorumq; posteritatem longa & perpetua successione per multa secula Boemis præfuisse. Verùm ad nostra reuertamur. Cracus cum permultum tempus bene & feliciter regnasset, obijt, & è conspectu Cracouiæ ultra Vistulam in monte Lassotino, aggesto instar montis tumulo, quemadmodum mandauerat ipse, sepultus est: extatq; in hunc usque diem is tumulus, haud procul à delubro, quod diui Benedicti nomine appellatur.

Cracus expeditionem fecit in Carinthiam.

Pacis studia.

Cracouia condita.

Regia Cracouiam trãslata.

Cracouiæ laus.

Holophagus à Craco extinctus.

Cracus an & apud Boemos regnarit.

Cracouia in Boemia.

Libussa cũ Præmislo Boemorum principe.

Craci monumentum.

LECHVS SECVNDVS.

CVRATO Craci funere, filius eius natu minor Lechus, maiorem cui Craco nomẽ erat, per ſpeciem uenationis in ſyluas eductũ, incautum occultè interimit: ac fortuito caſu eum periſſe mentitus, ſimulatis lachrymis atque luctu honorificè ſepelit: principatumq́ ſceleratè appetitũ, qui maiori natu debebatur, ſublato illo ſuſcipit. Verùm aliquanto pòſt patefacto ſcelere, principatu deiectus, & in exilium actus eſt. Alij dolore & conſcientia patrati parricidij, cum dijs hominibusq́ exoſus eſſet, domi eũ contabuiſſe, nullis relictis liberis, aiunt. Vincentius uiuẽte adhuc patre parricidium ab eo patratum, ſed mortuo demum patre, & iam ipſo regnante, ſcelus patefactum eſſe, memorat.

Lechi paricidium & pœna.

Vincentius.

VENDA.

AM gratam autem, atq́ iucundam ſui memoriam Cracus princeps apud Polonos reliquerat, ut utroq́ filio eius, quemadmodum iam commemorauimus, orbati, Vendæ filiæ ſuperſtiti, uirgini, principatum mandarẽt: ea ſpe ducti, quòd præſtantem aliquem & inclytũ principẽ de externis regibus, aut principibus, cõiugio Vendæ inuitatum, habituros ſe eſſe exiſtimarent. Erat Venda uenuſtiſsima puella, ita ut meritò uendæ, hoc eſt, hami nomen ipſi inditum eſſe uideretur: quòd quaſi piſces hamo, ſpecie eius contemplantes caperentur. Nec ſanè fefelliſſet Polonos opinio, niſi per Vendã ſtetiſset. Nam Ritigerus (Ritogarum ferè noſtri uocant) illuſtris & potens ea tempeſtate in Teuthonibus finitimis ſiue Germanis, apud quos in uſu eſt etiamnum Rutigeri ſeu Ritigeri nomen, princeps, miſsis oratoribus coniugium eius petiuit. At illa excelſi et minimè muliebris animi uirago, facundaq́ iuxtà ac prudens, negare ſe cuiquam nupturam: principem, quàm principis uxorem eſſe malle. Indignè repulſam illam Ritigerus ferre: orare iterum atq́ iterum, & minas adijcere. Vbi fruſtra ſe omnia tentare uidet, coacto ingenti exercitu, armis negatum coniugium, atq́ principatum contemptu muliebris imperij perſequi ſtatuit. Nec ſegnius Venda cũ expeditis ſuorum copijs aduenièti hoſti ad fines regni ſui occurrit. Miſcere rurſus Ritigerus preces atq́ minas. Exprobrare illa armato importunã libidinẽ. Renunciant oratores duci ſuo eximiam puellæ pulchritudinem & ſapientiam, et animum ad belli dimicationem quàm ad nuptias paratiorem, adhæc permagnas & inſtructiſsimas armatorũ copias. Quibus auditis, labaſcere Teuthonum animi: monere & orare ducem ſuum, ne ſeſe exercitumq́ ſuum, propter intempeſtiuum amorem, atq́ cupiditatem ſuam, tam turpiter cõijciat in periculum. Inglorium eſſe uiro cum fœmina certamen, etiamſi exploratam habeat uictoriam. Ni deſinat, relicturos ſe eum, domumq́ ſignis conuerſis reuerſuros. Ille ubi omnibus tentatis, obſtinatos ſuorum animos, & à prælij dimicatione alienos eſſe uidet, cùm amoris impatientia, tum ignominiæ conſcientia, quòd à muliere ſine ullo prælio uictus eſſe uideretur, mortem ſibi conſciuit. Teuthones

Vendæ etymologia.

Ritigerus dux Vendæ coniugium ambit.

Teuthoncium bellum.

Ritigeri interitus.

nes ictis cum Venda fœderibus, finibus Poloniæ decesserunt. Hæc ita magno consensu à nostris prodita sunt. Quæ nam autem illa gens Teuthonum fuerit, nihil compertí habemus. Marcomannos siue Morauos, uel Saxonas certè fuisse, suspicari nihil fortassis prohibet. Hagecus Prussos fuisse scribit. Lętata hoc successu Venda, ouãs Cracouiam inuehitur: mactatísq; quamplurimis uictimis, ad extremum ipsa dijs patrijs solenni ritu sese deuouet, ac de ponte in profluentem Vistulæ, ne quis aduersus casus felicitatem eius contaminaret, proijcit. Proceres inuẽtum cadauer eius, uno ab urbe milliario editiore loco è cõspectu urbis, supra amnem Dlubniam sepeliunt, aggesto, itidem ut patri, tumulo. Indeq; subiacens pagus Mogilæ, hoc est, tumuli nomen adeptus, adhuc retinet.

Vendæ uirilis animus, & mors.

Dlubnia flumen.

Mogila.

DVODECIM PALATINI ITERVM.

POST Vendæ obitum, cum nemo regiæ stirpis supereſſet, commutata rursus reipub. forma, à duodecim ducibus, uel Palatinis, iterum Polonia cuncta militiæ domíq; administrata esse fertur aliquandiu: donec ex huiusmodi euentu, rursus ad unum principatus delatus est. Vincẽtius memorat, Alexandrum magnum regem Macedonum legatos misisse ad Polonos, qui tributum ab ea gente exigerent: eos cum Poloni uiuos excoriassent, cutesq; auro pariter & herbis infartas ipsi remisissent, Alexandrum indignatum, permagnas copias in Poloniam immisisse: à quibus cum ea crudeliter uexaretur, uastaretúrq;, Polonícq; sua defensuri occurrissent, & aliquoties profligati animos desponderent, hominem quendam plebeium & aurificem, Premislum nomine, coadunata aliquanta manu uoluntariorum militum, huiusmodi arte hostem circumuenisse. Nempe galeas & clipeos eum è tenerioribus arborum corticibus, & quauis alia materia magno numero fabricari curasse, eaq; partim felle, partim litargyrio extrinsecus illita, noctu è conspectu hostilium castrorum in extrema sylua truncis arborum, arbustis & ramis terræ infixis imposuisse, uel appendisse, ad exorientem solem obuersa, ita ut repercussu radiorum solis armati exercitus speciem eminus inspectantibus exhiberent. Id conspicatos hostes, paucos tumultuariè correptis armis, contemptu sæpe uicti fugatíq; à se hostis, quasi ad certam prędam procurrisse: & quoniam nostri interea galeas & clipeos summouerãt, siue combusserant, fugere creditos esse: ibi illos, cum longius in syluas fugientes, Polonos persequi instituissent, in præparatas à Præmislo insidias præcipitatos, & concisos esse. Polonos deinde cæsorum armis indutos, ad castra hostilia contendisse, & pro socijs atq; commilitonibus habitos, in imparatos & nec opinantes impetum fecisse, magnamq; stragem edidisse: ad extremũ re animaduersa, hostes in fugam sese effudisse, omni rerum copia referta castra nostris diripienda reliquisse, & inglorios Polonia excessisse. Ita quidem ferè Vincentius. Verùm Dlugosso id non probat. Itaque non Alexandrum, quem nos quoque multis seculis hæc tempora præcessisse superius attigimus, sed Pannonas & Morauos is ab hoc Præmislo, hoc ipso quẽ modò retulimus euẽtu, atq; etiã stratagemate profligatos & eiectos esse

Alexãdri Macedonis bellum cũ Polonis fabulosum.

Præmislus aurifex magni animi. Stratagema.

Pannones & Morauí à Polonis pulsi.

esse refert: præter quòd is uult, exercitum hostilem, cum Polonos, qui se se ostentarant, non reperisset, ad castra reuersum esse, securumq; genio liberius indulsisse: Præmislum deinde crapula somnoq; stratos, prima noctis uigilia è syluis prouolãtem, adortũ esse. Sed ueriſimilius futurũ erat, si galeis illis & clipeis de nocte suspẽsis, relictisq; ibidem paucis hominibus, qui sub exortum solis clamore sublato, tubarumq; ac tympanorum sonitu, & galearũ clipeorumq; illorum assimulatorum agitatione, exercitus aduentantis speciem hostibus præberent, Præmislus cũ reliquis copijs diuersa parte in castra hostium impetũ fecisset, eosq; ancipiti periculo perterrefactos in fugam uertisset. Sed utut gesta res est, illud quidem cõuenit, arte ac dolo hostes illos à Præmislo deuictos & pulsos esse. Quinam autem hostes illi fuerint, Dlugosso quàm Vincentio libentius assentimur: nisi quod nõ explicatis, quinam ij Pannones fuerint. Nos, Vngaros, qui è Sarmatia Asiatica, ut superiori libro indicauimus, egressi, Pannoniam tunc iterum occuparant, fuisse existimamus: eisq; Morauos, utpote uictoribus uictos, militasse. In illa quidem tempora Præmisli huius principatus incidere uidetur: nempe post septingẽtesimum & quinquagesimum, uel sexagesimum annum à Christo nato.

Vngari è Sarmatia Asiatica uenientes Pannoniam occuparunt.

760. ann.

PRAEMISLVS, SIVE LESCVS PRIMVS.

OB tam præclarum igitur facinus atq; meritũ in rempubl. Præmislus omnium acclamationibus princeps renunciatur: & blãdum Lesci nomẽ, gratiosum apud Polonos, ob Lechi conditoris memoriam, oblatum accipit. Quanquã Vincentius Lesticum, ab astu uult appellatum fuisse. Post susceptum principatum, nullum Lesci huius insigne factum, quod ad laudem uel uituperium pertineat, memoratur: nisi quòd in pace, una illa uictoria sibi suisq; parta, moderatum in suos gesserit principatum. Nec ausus est quisquam eo uiuente Poloniæ fines infestare. Quamdiu uerò regnauerit, ubi, quaq; morte absumptus sit, non constat. Liberos quidem post se nullos reliquisse fertur.

Lestici etymõ.

LESCVS SECVNDVS.

PRAEMISLO, siue Lesco eius nominis primo uita defuncto, exoritur noua de principatu cõtentio. Cumq; nullus appareret neq; modus, neq; finis, multis ambiẽtibus, neq; quoquam eorum alium sibi præferri patiente, placuit rem fortunæ committere: indictoq; ad certam diem maculosorum equorum cursu, qui primus ad metam peruenisset, eius dominus ut princeps esset cunctæ Poloniæ. Figitur meta apud Prandinicum amnem, in aperta planicie ad septentrionalem plagã Cracouiæ. Status curriculo dies adest: effunditur ad spectaculum ingens hominum multitudo, uaria studia: sollicita omnium, quem det euentum fortuna, expectatio. Considunt delecti iudices & munerarij, dant signũ certaminis. Ibi Lescus quispiam, procerum & competitorum unus, cum stadium uafro cõsilio stratis clàm in fabulo ferreis hexagonis, siue stylis cæcis, quibus currentium equorum pedes læderentur, impediuisset, ipse obliquo & minimè impedito

Prandinicus fluuius.

Cursus equorũ de principatu.

Styli cæci.

dito tramite primus, cæterorũ equis in cursu offendentibus ac cespitantibus, ad metam peruenit. Munierat is etiã equi sui calces ferreis soleis, ut ne offenderet in stylis, si fortè cũ impetu currens in eos incidisset, cum omnes omnium aliorum equi de more illius temporis soleas nullas haberẽt. Rei prorsus ignaris & miraculo attonitis omnibus, & iam uictorem atq; principem diuinitùs sibi oblatum Lescũ conclamantibus, techna deprehenditur, protrahitur Lescus in medium: conuincitur: damnatur: concerpitur. Notarant commentum illud impediti curriculi, duo quidam iuuenes tenues & obscuri. Cum enim nemine etiamdum præsente, in stadio illo pedestri cursu fortè certarẽt, ioco principatum inter se pacti, offendunt in stylis: subsistunt: inuestigant rem curiosius: notant tramitem stylis uacuum. Eorum alter, equitibus à carceribus procurrentibus, procurrit & ipse pedester noto iam sibi tramite, omnibus effuso risu eum prosequentibus. Omnium uerò equis, cum ad stylos uentũ esset, ita ut par erat, cespitantibus, iuuenis ille pedester primus post doli fabricatorem ad metam peruenit. Eum igitur, Lesco interfecto, principem populus omnis salutat: & ne quid ad authoritatẽ ac maiestatem ipsi desit, Lescus commutato nomine appellatur. Atq; is cum tam insperato euentu rei mirabundus atq; dubitabundus principatũ suscepisset, sedulò dedit operam, ne tanto munere indignus iudicaretur: nec modò repressit finitimorum uim & incursiones, sed quibusdam etiam populis ultrò bellum intulit. Quantum uerò ocij dabatur ipsi à bellis & serijs reipubl. negocijs, in exercenda militari uirtute atq; disciplina ferè consumere: uarios ludos & certamina equitibus pariter & peditibus indicere: certantibus & ampla & honorifica præmia proponere: ipse arbiter atq; iudex præsidere, & pro meritis quenq; collaudare. Fuit autẽ in hospites splendidus & munificus: in suos cùm uirtute aliqua præstantes, tum egestate pressos liberalis: ita ut egere ipse mallet, quàm tristem aliquem à se dimittere. adeuntibus facilis & comis: eorum qui potentiorum ui & iniurijs premebantur, acer uindex. In uictu cultúq; corporis singulari parsimonia: rudibus & crassis pannis aulæorum loco utens: nisi si quando in publico dare aliquid splendori atq; maiestati principatus, maximè propter externos homines, cogebatur. Quin ibi quoque crassos pannos, quibus ante adeptum principatum usus esset, ob oculos poni sibi iubebat, quibus admoneretur assiduò fortunæ suæ pristinæ, & unde ad tantũ honoris fastigiũ euectus esset. Quod non absimile est illi, quod de Agathocle Siculorum tyranno memoratur: quem, quòd figulo patre natus esset, fictilia inter aurea uasa apponere in mensa solitum esse ferunt. Ab ebrietate uerò Lescus maiorẽ in modũ abhorrebat, quòd pecudis quàm hominis similiorẽ esse ebrium hominem iudicaret. His moribus & hac moderatione animi quamdiu, quibusq; rerum successibus regnauerit, & quomodo uita defunctus sit, itidem atq; alia illius temporis, incertũ est: nisi fortè ad hunc Lescum pertinere existimandum est id, quod Dlugossus Martinũ Gallũ memorię prodidisse refert, Lechum, seu Lechonem, ut scribit ille, principem, in prælio cum Carolo, Caroli magni imperatoris

Lescus arte uictor, deprehensa fraude trucidatur.

Principatum obscurus homo fortuitu adeptus est.

Lesci studia in pace & in bello.

Certamina militaria.

Mores.

Pristinæ fortunæ memoria.

Agathocles Siculorũ tyrannus.

Sobrietas.

Lesci mors, Mart. Gallus. Caroli magni bellum cum Polonis.

804. ann. Imperium ad Francos trãs latum.

Rom. filio notho, quem pater contra Polonos & Boemos, Saxoniã bello uexantes cum exercitu miserat, occubuisse: idq; actum esse anno quarto uel quinto post octingentesimũ à Christo seruatore nostro nato, trãslato iam ad Francos & Germanos occidẽtis imperio. Quanquam Blondus Foroliuiensis, et Sabellicus, Leonem Boemorum ducem ab hoc Carolo interfectum esse scribũt. Sed nullum per ea tempora Leonem apud Boemos regnasse comperio: ne Lechonem quidem. Apud Polonos Lescus regnauit: quẽ Gallus, & H. Mutius Lechonem, cæteri Leonem uocant. Facilis est autem Lechonis in Leonem commutatio. Tametsi nihil uetat credere, Polonis pariter & Boemis eũ præfuisse. Tam Dlugossus autem cum suo Gallico, quàm Blondus & Sabellicus, Carolũ eo bello Poloniæ fines depopulatum, repressis modò hostibus, citò ad patrem reuertisse, memorant. Eginhartus, qui Caroli magni uitam conscripsit, eumq; dominum ac nutritorem suum appellat, Polonorum quidem nusquam meminit: sed omnes barbaras ac feras nationes, quæ intra Rhenũ ac Vistulam fluuios, Oceanumq; & Danubium positæ, lingua quidẽ penè similes, moribus uerò atq; habitu ualde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuisse Carolum scribit, ut eas tributarias effecerit. Sabellicus uerò Slauorum, Polonorum & Boemorum legatos Aquisgranum cum amplissimis muneribus ad hunc ipsum Carolum uenisse refert, ut pax sibi cum Gallis (quos equidẽ Francos fuisse crediderim) incolumis maneret. Verùm de his sententiam nostram statim aperiemus.

H. Mutius de Germ. lib. 9.

Eginhartus in uita Caroli magni.

Sabell. Ennea. 8. lib. 9.

LESCVS TERTIVS.

LESCO huic è rebus humanis sublato, unicus filius, eiusdem nominis, successit, nõ degener à paternis uirtutibus: qui ita se gessit in principatu bello pacéq;, ut patrem nõ adequare modò, sed superare etiam uideretur. Multa hic cum finitimis, qui nouitate & humilitate generis eius despecta, nouos ciebant motus, bella gessit: eosq; uel perdomuit, uel ad officium reuocauit: Slauis cõsanguineis Polonorum, Pannoniam tunc imperio tenentibus, ut uult Dlugossus, et cũ orientis atq; occidentis imperatoribus bellum gerẽtibus, rogatus, auxilio affuit aliquoties, collatisq; signis cum utroq; hoste prosperè dimicauit. Nec tamen is memorat, quinam hi fuerint imperatores. Fabulosius etiam id est, quod scribit Vincẽtius, C. Iulium Cęsarem tribus pręlijs ab hoc Lesco superatum, sororem suam Iuliam in matrimonium ei collocasse: Crassum item Romanum cum exercitu ab eo deletum esse. Magis consentaneum est rationi temporum, Lescum superiorem quidem, Vngaris et Slauis promiscuè Pannonias tunc incolentibus contra Carolum magnũ, paulo antè quàm Imperatoris Romani titulum, Pontificis maximi beneficio, adeptus est, octo annis in Pannonia bellum gerentem præstò fuisse, & nonnunquam bene rem gessisse: ad extremum uerò debellatis Vngaris propter latam illis opem, uel infestatam, ut uult Blondus, Saxoniam à Carolo, Caroli eiusdem filio, bello petitum: cõmissoq; prelio interfectum esse: Albiq; & Salæ fluuijs, quod idem Blondus memorat,

Poloni cum imperatoribus Rom. bella gessere.

Vincentius.

Caroli magni bellum contra Polonos.

morat,impoſita præſidia. Tum demum autem illud accidiſſe,quod è Sabellico ſuperius memorauimus,ut filius interfecti,de quo nunc agimus, legationem Aquiſgranum ad Carolum patrem de pace mitteret: & quidem cũ muneribus: eaq; munera tributi nomine ab Eginharto, Carolũ ſuum ornante,appellata eſſe. Poſterius quidem certè hoc bellum contra Boemos ſiue Polonos,quàm illud contra Pannonios & Vngaros, à Carolo magno geſtum eſſe,ab iis qui res geſtas eius quoquo modo attigerunt,memoratur:ante Carolum uerò trecẽtis plus minus annis uacauit occidentis imperium. Orientis quidem imperatores,nullũ per hęc tempora bellum in Pannonia geſsiſſe reperio. Cum Bulgaris geſſerunt Imperatores orientis & occidentis & antè & pòſt etiam, ſed in Thracia:ac nõ inferentes,ſed illatum depellentes. Quanquam Nicephorũ imperatorẽ in Mœſia contra Bulgaros bellum gerentem,uictum,et interfectum eſſe huius Caroli tẽpore,reperio. Sed Bulgaria quoq; & Mœſia longiſsimè tunc aberat à finibus Poloniæ, partim Vngaris, partim Ruſsis & Valachis ſiue Moldauis magna terrarum intercapedine interiectis,ita ut difficulter eò auxiliares copiæ à Polonis tranſmitti potuerint. Verùm penes lectorem eſto horùm iudicium. Suſcepit autẽ Leſcus hic liberos mares, ex legitima quidem uxore Popielum:è cõcubinis uerò Boleslaum, Cazimirum, Vuladislaum, Vuratislaum, Otam, Baruinũ ſiue Barnimũ, Pribislaum, Præmislum, Iaxam, Semianũ, Zemouitum, Zemomyslũ, Bogdalum, Spicigneuum, Spicimirũ, Sbigneum, Sobeslaũ, Viſsimirum, Ceſſimirum, et Vislaum. Ex his Popielum in ſpem principatus liberaliter educatum, ſucceſsorem ſibi uiuens deſignauit: cæteris ſacramento, ut Popielo pareant, adactis, occidentalẽ et maritimam oram omnem inter Albim & Habelam fluuios, quemadmodum Dlugoſsus prodidit, ad Oceanũ & Germaniã ſpectantem, inter eos partitus eſt. Tametſi Habela qui ſit, cõpertum non habemus. Niſi fortè is eſt Bola, è lacu quodã in Viſtulam ab occidente influens, qui ducatum Stolpenſem, niſi fallor, à Pomerania regia quadamtenus diuidit. Et Boleslao quidẽ natu maximo, Baruino ſiue Barnimo, atq; Bogdalo Pomerania, quaſi tu maritimam dicas, obtigit: Cazimiro & Vuladislao Caſſubia: Iaxæ & Semiano Serbia ſiue Sorabia: Vuratislao Rama ſiue Rugia, ut uult Bernardus Vapouius: Pribislao, Ceſsimiro, & Otæ Ditiuonia, quæ nũc à noſtris Luſatia, ab aliis Luſitia dicitur: Præmislo, Zemouito, & Zemomislo ea quæ nunc Marchia Brandenburgenſis, à metropoli Brandeburgo, quæ à noſtris Sgorelecia uocata fuit. Reliquis reliqua eius oræ. In quibus Vislaus Mezibozum arcem, quam nunc Meideburgum ſiue Magdeburgum uocãt: Sobeslaus Dale, quod Dalemburgum: Viſſimirus in litore Oceani Viſſimiriam, quæ antiquũ nomen in Viſmariã à Teuthonibus deflexum retinet, condiderũt. Quanquam de Viſmaria uariat Vapouius: nunc enim ab hoc Viſsimiro, nunc à quodã eiuſdẽ nominis, de Lechi poſteris, multo antè uult eam eſſe conditam, ut nos quoq; in Lecho indicauimus. Alias præterea cõplures arces & oppida ijdem duces poſteriq; eorũ ædificarunt, & uernaculis ſuis uocabulis appellarũt. De quibus ſunt Brema,

Legatio Polonorum ad Carolum magnũ.

Imperium occidentis quãdiu uacauerit.

Bulgarorũ bella cum imperatoribus.

Nicephorus imp. à Bulgaris occiſus.

Sabell. Ennea. 8. lib. 9.

Bulgariæ ſitus.

Leſci filij.

Leſcus ſucceſſorem ſibi deſignauit Popielũ filium.

Poloniæ diuiſio.

Pomerania.

Caſſubia.

Serbia.

Rugia.

Ditiuonia, ſiue Luſaria.

Sgorelecia, ſiue Brandeburgenſis.

Magdeburgũ urbs.

Dalemburgũ.

Viſmaria.

Brema. ut uult Dlugoſſus, in confinio Friſiorum & Veſtualorũ (tametſi Vapo-
Luneburgum. uius à Lecho primo eã cõditam eſſe prodidit:) Luna, quàm Germani Lu-
Lubeca. neburgum uocãt, à reſplendẽtia: Bucouicia, quæ à Germanis Lubeca uo-
catur, apud Slauos uerò accolas antiquũ nomen etiamnũ retinet: tamet-
Bachiborum. ſi Lubecę quoq; nomen Slauicã etymologiam redolet. Bacchiborũ: Zue-
Zuerinum. rinum: Lubouia ſiue Lucouia, Germani Mechelburgũ à Mikelo condi-
Mechelburgũ. tore: eiuſq; orę duces Mechelburgẽſes, nõnulli Magnopolenſes, ineptè
cõpoſito uocabulo dicunt. item Roſtocũ, Verla, Suanouum, Oſtrouũ,
Vrbes Polonicæ ſeu Venedicæ. Ceſſinum, Marlouum, Bolelum, Trebeſſouũ, Vologoſſum, Ciaſni, Vo-
lyneſſum: addit Crantius Vinetã & Iulinum. quæ omnes fuere Polono-
Alb Crant. rum colonię. Et ſubactę quidẽ atq; poſſeſsę ſunt regiones illę poſteriori
Poloniæ occidentalis fines, quãdo et à quibus acciſi. tempore à Francis, Saxonibus, Turingis, Friſijs, Veſtualis, & Holandis,
Teuthonũ populis, ſiue per ignauiam poſteriorũ principum Polonię, ſi-
ue per cõniuentiam, cum duces earum, Leſci huius nepotes ab imperio
principũ Poloniæ, quemadmodũ dicemus inferius, deſciuiſſent. Quan-
Eginhartus in uita Caroli. quam Eginhartus, cuius dudũ mentionẽ fecimus, iam inde à Carolo ma-
gno Slauos Viulſos ſiue Velatabos, auſtrale litus ſinus Codani ſiue ma-
ris Germanici tenẽtes, una expeditione ita cõtuſos ac domitos eſſe perhi-
bet, ut deinceps imperata facere nõ renuerent. Verùm idem paulo pòſt
ſcribit, Salam fluuiũ Turingos à Sorabis, qui & ipſi Slaui erãt, diuidere.
Blond. Dec. 2. lib. 1. Blondus addit, et Bonfinius, eo ipſo tẽpore Albi & Salæ fluuijs pręſidia
Bonf. Dec. 1. li. 9. hiſt. Vng. cõtra Sorbiẽſes Slauos (ſic ille Serbos uel Sorabos uocat) à Carolo, Ca-
Vitich. de geſt. Sax. lib. 1. & 2. roli huius magni filio, uiuẽte patre impoſita eſſe. Vitichindus quoq; lõgè
Crant. in Vandal. H. Mut. de Germ. recẽtior, bella quędã cũ Slauis eius orę à Francis, Turingis et Saxonibus
geſta cõmemorat: itemq; Crãtius & H. Mutius, ita ut ij à Carolo magno
debellari cœpti, longe pòſt partim à ſucceſsoribus eius imperatoribus
Slauicæ linguæ uſus. & regibus, partim ab alijs ducib. & populis Germanorũ paulatim ſuba-
cti eſſe uideant. Pagos quidẽ atq; uicos cõplures Slaui in tractu illo ma-
ritimo etiamnũ colũt, cõmuni cũ Polonis lingua, quãuis Teuthonicę ad-
mixtione corrupta, utẽtes. Sed ad inſtitutũ reuertamur. Leſcus igit̃ cũ ita
inter filios imperiũ diuiſiſſet, uita pariter atq; principatu defunctus eſt.

POPIELVS SENIOR.

Popieli ingenium. SVSCEPIT deſtinatum à patre principatũ Popielus, proce-
ribus pariter atq; fratribus aſſentiẽtibus, patris auiq; diſsimi-
lis, ignauus atq; timidus. Itaq; nihil is prędari in principatu
Regia rurſus translata. geſsiſſe memorat̃. Regiã quidem & domiciliũ ſuũ Cracouia
Cruſuicia. Gneſnã primùm retulit, indeq; non multo pòſt Cruſuiciã: cum eã arcem
Cracouiæ ſitus. in planicie ad lacum Goplum, & inter paludes, in ea ora quæ Cuiauia di-
cit̃, ipſe cõdidit & trãſtulit: uel quod mõtanę regionis, in qua ſita eſt Cra-
couia, pertęſus, apertis cãpis delectaretur: uel quòd ab Vngaris & Ruſ-
ſis ferocibus populis longius, à fratribus uerò propius abeſſe, tutius ſibi
fore exiſtimaret. Iuuenili adhuc ætate, cum aliquot annos regnaſſet, in
morbum incidit: & priuſquã fratres fratrem uiſitaturi aduenirent, obijt.
Fertur autem ſubindè ſolitus eſſe murium deuorationem ſibi ſuiſq; im-
precari: quo malo filius eius, ut mox dicemus, abſumptus eſt.

Popielus

POPIELVS IVNIOR.

PERACTO solenni ritu Popieli funere, filius eius eiusdem nominis impubes etiamtum, principatui cõcordi patruorum procerumq; uoluntate inauguratur, omnibus subiectionem ipsi interposito iureiurando promittentibus. Pupilli tutela, reiq; publicę administratio, delectis aliquot de numero patruorũ, qui maximè idonei uidebantur, mandatur. In regia ij sedulò & ad latus principis esse: causas & cõtrouersias cognoscere ac discęptare: nec ulla in parte deesse reipub. quoad princeps ipse per se publica munera obire posset, siue adeò donec regi se illorum cõsilijs passus est. Nam cum pubertatẽ attigisset, quę maximè lubrica et procliuis ad licentiam uoluptatesq; ætas est, suo iam arbitratu uiuere: patruorũ monita aspernari: cũ æqualibus consilia capere: cõuiuia compotationesq; largiores cum ijsdem frequẽtare: in lustris, & in choreis, lusibus & amplexibus puellarũ pernoctare: deinde crapulę stupriq; plenus ad multã diem stertere, rempub. iudicia & querimonias hominũ negligere: ad res agendas ineptus, ingenio nullo, stipes, caudexq; : indeq; omnibus iam erat despicabilis, ita ut Choſtek, uulgò per contẽptum appellaretur, cũ dissolutos & perditos mores eius deformis facies, rarus in capite & in barba pilus, quales ferè lasciui sunt, magis etiã deformaret. Capiunt patrui cum alijs proceribus cõsilium, quo nã modo tam dissoluta illa principis sui uita, tamq; profligata licẽtia refrenaret: uxorem ei dãt eleganti forma puellã, Teuthonici principis cuiusdam filiam. Et uidebatur sanè mulier auara et ambitiosa mariti uitam ad meliorem frugem reductura, torporemq; ignauo excussura. Sed res aliter cecidit: nimirũ, ut nihil ille de flagitijs & nequicia sua remitteret: quibus uerò uitijs antea caruisset, uxoris consuetudine ea sibi adiungeret. Nam & auarior factus, decreta honores atque magistratus uendebat: & cum uirtute ac dignitate non posset, quotidianorum peccatorum suorum sibi conscius, fastu & crudelitate principatum sibi stabilire: & metui à suis uolebat, cum amari nõ mereretur. Atq; hæc omnia uxore & impellente, & sequestra faciebat. Quæ degustata semel dominatus atq; lucri dulcedine, despectaq; uiri inertia, muliebri astu imperium omne ad se transtulerat: maximè cum duobus filijs Lecho & Popielo aucta, mollem uiri animum amore sui penitus adstrictum teneret, & firmum perpetuumq; apud Polonos dominatum suum fore, sibi persuaderet. Vnus obstabat scrupulus, patruorum uiri sui gratia, & authoritas apud multitudinem, integritate uitæ, grauitate morum & prudentia collecta. Hos metuebat: hos iam blandius admonentes, iam liberius obiurgantes oderat: horum tacitam etiam conscientiam pertimescebat. Itaque uiros eos quàm maximè potest suspectos & inuisos, confictis etiam criminibus, reddit: persuadet, illis uiuis & incolumibus, principatum ipsi certum firmumq; esse non posse. Quem si retinere ipse uellet, & liberis suis relinquere, tolleret patruos de medio. Si ipse animi satis ad id facinus non haberet, sibi mandaret eam prouinciam: illos armis atque uiribus, se dolis instructiorem esse.

Tutores principis.

Iuuenilia studia & cõsilia.

Choſtek.

Auaritia & tyrannis.

Muliebris improbitas.

Muliebre consilium atrox.

Cõfecturam se negocium sine ulla populi offensione, siue adeò suspicione. Quibus dictis, facilè ęgrum atq; timidum uiri animũ in deteriorẽ partem impulit. Initur necandorum illorum ratio. Grauem & periculosum morbum princeps simulat. patruos neci destinatos acciri eius nomine uxor iubet: conueniũt sine mora: circumstant mœsti ęgrotum principẽ: consolantur. Ille morbi magnitudinem gemitu assimulabat: adesse uitæ suæ finem, diuinitùs sibi indicatum: uxorem paruosq; filios illorũ tutelæ fideiq; etiam atq; etiã cõmendabat. Completur muliebribus eiulatibus, planctibus & lamentis regia: parantur funebres exequiæ, ipso iubente principe. Absumpto in his die, cũ iam ad occasum sol tenderet, princeps patruos quasi moribundus iã dimissurus, nomine quenq; blandè cõpellat, & in signũ amoris et beneuolentię suę erga ipsos, circũferri medicatũ poculũ, paratũ ad eam rẽ, iubet: pręgustare se simulat: cęterùm spumã tãtum à medio extantẽ halitu difflat, potũ ne extremis quidem labrijs attingit. Cum omnes bibissent ordine, fingit somno se premi, et uelle quiescere. Discedunt illi, reuerenter salutato principe. Conceptũ pręcordijs uenenũ uitalia mẽbra occupat. Nec mora, de statu mentis dimoti, et furentes maximo cũ cruciatu cadunt & exanimantur. Ibi mulier re statim per exploratores nunciata, cadauera insepulta projici mandat. Insidiatos eos uitę necessarij & bene merentis principis: iusta & euidenti deorũ immortaliũ uindicta percussos, repentè perijsse diuulgat. Quanquã autem liuores corporũ, & effusa ruptis pręcordijs uiscera, manifestũ ueneni indicium faciebant: nemo tamen indignũ optimorum principũ interitũ apertè deplorare ausus est, metu tyranni nõ amplius morbũ mortemq; simulantis. Sed non sinit inulta esse diu diuinũ numen scelera. Nam ex cadaueribus putrefactis enati mures inusitatæ magnitudinis, impiũ paricidam cum scelerata uxore atq; liberis fugientẽ quoquò uersus per aquã flammamq; persequuntur: nec claustra prosunt, aut abigentium satellitũ præsidia. Ad extremum diffugientibus omnibus, absumptis prius filijs, deinde uxore, postremus ipse infelix miserabiliter lenta morte cõsumitur in arce Crusuicia. Ita nõ cassę ceciderũt patris eius imprecationes. In hoc tẽpus incidere uidetur id, quod H. Mutius in annum Christi 823 confert: nempe duos fratres, quos in Saxonia Polonici siue Slauici generis fuisse cõstat, cum de principatu paterno contenderent, Francofordiam ad Ludouicum Pium imperatorem, Caroli magni filium ueniſſe: eoq; authore principatum natu minori, cõcedente maiore, attributum esse, cum eum magis gens illa per legatos expeteret.

Popielus patruos & proceres ueneno extinxit.

Popielus cũ uxore & liberis miserè à muribus absumptus perijt.

823. ann. H. Mutius de Germ. lib. 10. Ludouicus pius Imperator.

INTERREGNVM.

EXTINCTO, ut iam diximus, Popielo cũ uxore & liberis, cõuenit magna procerũ multitudo Crusuiciã, ad creandũ nouum principẽ. Agitata re aliquandiu, eo quòd uaria essent hominũ studia, & ambitiosi quidã magnas post se trahérent factiones, infecta tandẽ discedit. Ac dũ nemo alteri paret, neq; cedit, in summa omniũ licẽtia, cędes et latrocinia passim exercebãtur, et iustis interdũ pręlijs inter dissidẽtes cõcurrebat. Nec finitimę gentes,

Comitia de rege Crusuiciæ.

Polonia tumultuatur.

gentes, Germani præsertim, occasionem impunè uel proferendorum finium suorum, uel prædas agendi prętermittunt: diuexatur miserè Polonia. Indicunt iterū primores comitia, cōsultatur diu frustra. Nam non modò non remittuntur, sed intenduntur etiã studia partiū. Non desunt sibi interfectorum Popieli senioris filiorum filij, quasi hęreditariū principatū poscētes. Verùm ij quasi nothi, ex nothis certè orti, & indigni qui bene natis imperēt, repelluntur. Iam tanta multitudo, quantã illuc partim ultrò, partim à potētioribus euocatū conuenisse credibile est, caritate annonę atq; penuria premebatur. neq; apparebat tamẽ, quorsum tanta contentio euaderet, quicq; comitiorū exitus futurus esset: cum ecce insperata salus, diuinitùs, si modò nō fabulosum est quod memoratur, afflictæ Polonię oblata est. Erat Cruśuicię oppidanus, Piastus nomine, Cossisconis filius, statura infra mediocrem, crassis atq; robustis artubus, mediam ętatem supergressus, agello modico colendo & mellificio uitam sustentans, homo simplex & iustus, & beneficus tamen in egenos, atq; hospitalis pro modo facultatum suarum. Is ex uxore à suis moribus nō aliena, cui Repichæ nomen erat, unicum filium susceperat: eiq;, uiuente adhuc Popielo, primam comam gentili ritu tonsurus, & nomen impositurus, amicos ad eam ceremoniam atq; conuiuium porco mactato, et aquę mulsæ uase infuso, inuitarat. Priusquam stata dies adesset, fortè obtulerūt ei sese ignoti duo homines habitu peregrino; quos ille, cum regia excluderentur, comiter inuitatos, hilarè domum suam introduxit: instruxit mensam, apposuit affatim ex his quæ ad futurum conuiuium præparauerat. Ibi res mira & stupenda accidit. Accreuit porcina, redundauit ex uase mulsa: excepit Piastus, uasis admonitu hospitum conquisitis. Iisdemq; authoribus non ciues modò, uerùm etiam principem ipsum (ut tunc minimè fastuosi ac delicati erant principes) cum omni comitatu destinato conuiuio accepit. Eisdem igitur hospitibus sub tempus comitiorum reueniētibus, & iubentibus, Piastus ex tenui pœnu cellaq; sua conuentum illum omnem penuria laborantem, augescente rerum earū quæ promebātur copia refecit. Quo miraculo animaduerso, uulgatoq;, una uoce omnes Piastum non humanis suffragijs, sed diuinò iudicio principem sibi dari conclamant. Fit domum eius concursus orantium, & obsecrantium, labenti reipubl. ut succurrat. Recusat ille. Tandem hospitibus illis suis authoribus assensus, ita ut erat ueste & peronibus ex tiliæ cortice textis indutus, in regiam à primoribus deducitur. Hospites illi perfuncti officio suo disparuerunt. Existimantur autem ij fuisse angeli Dei, beneficentiam & hospitalitatem etiam in alieno à uera religione remunerantis. Neque id magnopere mirabitur, quisquis de Abimelech rege in Genesi, ac de Cornelio centurione in Actis apostolorū, non omnino dissimilia legerit. Alij uolunt, eos Ioannem & Paulum, quos Iulianus imperator ob Christi nomen & magnas facultates in usus egentium expensas ante aliquot secula necauerat, fuisse: itaque percontanti Piasto nomina sua edidisse, quemadmodum Dlugossus memorat.

Piasti genus et conditio.

Tonsura primæ comæ.

Miraculum.

Beneficentiæ remuneratio.

Ioannes et Paulus martyres.

Piastus

PIASTVS.

Piasti beneficẽtia.

NAVGVRATVS principatui Piastus, nõ mutauit cum ſtatu uitæ animum. Quin auctus copijs, multum ad priſtinam ſuã beneficentiam atq; benignitatẽ adiecit: uxore nõ modò non dehortante, uerùm adiuuante etiam. Conquieruntautem ſub eius principatu, hoſtium incurſiones: ceſſarunt & inteſtina diſsidia, cędes & latrocinia, reuerentia magis boni & uigilantis principis, quàm armis, ſeueritate & ſupliciſs: præſertim quòd eum dijs curæ eſſe, & ipſorum non obſcuro iudicio in illa reipub. ſpecula collocatum, certò ſibi perſuaderent. Nihil enim æquè ualet ad religandos atq; deuinciẽdos hominũ animos, & ad moderandas ſtabiliendaśq; reſpub. quàm religio: quæ pietate & integritate principis maximè excitatur, & cõtinetur. Nam principũ diligentiam & animaduerſionẽ multi fruſtrantur ſæpe: legum etiã uincula uel perrumpunt, uel declinant: diuini uerò numinis nemo eſt qui ſe uel prouidentiã fallere, uel uindictam effugere poſſe credat. Hoc ergo prędidio Piaſtus et bonis charus, & malis reuerẽdus, & finitimis uenerabilis erat: eodem longã principum reguḿq; Poloniæ poſteritatem permulta ſecula uſq; ad Cazimirũ ſecundum, qui Magni cognomen adeptus eſt, propagauit. Cuius etiam nunc quędam, licet tenues, extant reliquię, in Alberto duce Ceſsinenſiũ in Sileſia, & Anna filia Conradi ducis Maſouię: quę nõ ita pridem cũ Staniſlao Odrouãzo Palatino Ruſsię, iuuene nobiliſsimo, nupta fuit, eíq; filiã peperit: quam nuper Ioannes comes Tarnouius, Caſtellanus Cracouienſis, uir non ſolũ genere illuſtris, ſed etiã peritia rei militaris & rebus bello geſtis domi foriſq; clariſsimus, ætate, conſilio ac dignitate facile princeps ſenatus Polonici, unico filio ſuo Ioanni deſpondit. Nihil autẽ ad felicitatẽ Piaſto defuiſſet, ſi liberos interfectorũ à Popielo ducum, qui prę latum ſibi in principatu hominem plebeium atq; humilem dolebant, & parêre ei dedignabantur, ad officium & parẽdi neceſsitatem reduxiſſet. Qui ex eo tempore non modò alieni à repub. Polona, ſed hoſtes etiã Polonis, progenitoribus ſuis, nonnunquã fuerunt. Abominatus uerò Cruſuiciam Piaſtus, nefario ſcelere diróq; interitu Popieli contaminatam, Gneſnã priſci Lechi regiam, domiciliũ ſuũ tranſtulit: cuḿq; per multos annos ſapienter clementeŕq; regnaſſet, ſenex admodum mortuus eſt, annum agens centeſimũ & uiceſimũ. Per hæc ſanè tẽpora tres fratres Varaŋ, Ruricus, Sineus, et Trubor, dominari apud Ruſſos ſeptentrionales cœpiſſe memorantur, partiti inter ſe principatum, quemadmodũ libro primo ex ipſorum annalibns retulimus: nempe circiter annum 6370. à creatione mundi, ſecundum ſupputationem ipſorum: qui nobis uidetur eſſe à Chriſto nato 861. Apud Auſtrales uerò, tres itẽ, nempe Kius, Sciecus, & Choreuus, cũ ſorore Libeda, quatuor principatus fundaſſe, ac de ſuis nominibus appellaſſe feruntur, aliquãto antè, ut uidetur. Quorum ſtirps cum defeciſset, poſt mortẽ Rurici, Aſcoltum ac Dyrũ, Kiouiam urbem à Kio conditam, occupaſſe, & per Pontum inuectos, nauali bello Conſtantinopolitanum imperium uexare adortos, naufragium feciſſe.

Religio efficax ad regendã rempub.

» reſpub. quàm religio: quæ pietate & integritate principis maximè ex-
» citatur, & cõtinetur. Nam principũ diligentiam & animaduerſionẽ mul
» ti fruſtrantur ſæpe: legum etiã uincula uel perrumpunt, uel declinant: di
» uini uerò numinis nemo eſt qui ſe uel prouidentiã fallere, uel uindictam
» effugere poſſe credat.

Piasti poſteritas.

Stanislaus Odrouanzus, Pal. Ruſsiæ.

Ioannes Tarnouius.

Regia Gneſnã rurſus translata.

Piasti ætas.

Ruſsiæ principatuum initiũ.

6370. annus mundi ſecundum Ruſſos.

861. ann.

Kiouia cõdita.

Ruſſorum bella cũ Græcis.

Deinde

Deinde Olgũ, cui Ruricus, ueluti propinquo, unici filij sui Igorí tutelã moriens mandauerat, interfectis illis, Kiouiensem principatum Igoro adiunxisse, & cum Græcis bellum gesisse: & cum amplissima dona ab ijs accepisset, reduxisse exercitum Kiouiam, ibíq; serpentis seu uiperæ morsu extinctum esse. Mansit autem deinceps imperij Rusicí sedes Kioui. Circa hæc eadem tempora scribit H. Mutius, Ludouicum cognomento Balbum regem Germaniæ, Ludouici Pij imperatoris filium, Caroli Magni nepotem, aduersus Slauos, gentem irrequietam, & rapinis intentam, in Germania bellum gesisse, uictisq; pacem certis conditionibus dedisse: principem aũt eorum luminibus priuasse, ut homo ferox inutilis ad ciendos motus redderetur. Hunc aliquẽ de Popieli posteris fuisse oportet. Mutius quidẽ nomẽ eius nõ edidit. Paulus uerò Constantinus Phrygio, Rasliz eum uocat. Sed ad institutum nostrũ reuertamur.

Olgus. Igorus.

Kiouia sedes Rußici imperij.

H. Mut. lib. 11.

Ludouicus Balbus rex German.

Germ. bellum cum Popieli nepotibus.

Rasliz dux excæcatus.

ZEMOVITVS.

SVCCESSIT Piasto unicus filius Zemouitus, cuius uicaria opera uiuens adhuc & senio confectus pater in bellis & grauissimis quibus negocijs magno omnium fauore & beneuolentia usus erat: uir impiger, & ad rem militarem factus: æstus iuxtà ac frigoris, laboris & inediæ patiens: somni parcissimus: uictu cultuq; corporis non multum à gregarijs militibus differens: alieni abstinens: de suo munificus: facilitate & liberalitate, militum procerumq; studia & uoluntates tenere solitus: in animaduertendo, si quando necesse erat, lenis: noctu excubias ipse per se crebrò obibat. His artibus atque studijs summam sibi hominum suorum charitatem comparauerat. Principatum post patrem adeptus, constituta primùm disciplina militari, creatoq; magistro militiæ, & ordinum ductoribus, ex ijs quos maximè dignos & idoneos nouerat, ad recuperanda ea quæ Vngari, Morauí & Germani sub Popieli principatu iuuaserant: neque ad eam diem recuperata erant, totum se conuertit: easq; res ex animi ferè sui sententia confecit, eo quidem minore negocio, quòd eæ tunc gentes inter se belligerabant. Morauí enim bello exagitati à Ludouico Balbo rege Germaniæ, post mortem eius, Suatopluco rege, qui primus cum ea gente Christo nomen dedit, ductore, Germaniam uehementer afflixerant. Contra quos Arnolphus imperator, idemq; successor Ludouici in regno Germaniæ, Vngaros in auxilium euocauit: qui profligatis Morauis, & rege eorum interfecto, cum sibi merita stipendia ab imperatore non exoluerentur, magnis deinde & ipsi cladibus Germaniam affecere. Sic igitur distentis Morauis, Vngaris atq; Germanis, facile fuit Zemouito ab ijs sua recuperare, ac plura etiam, de Morauis præsertim, capere, & regno suo adijcere: cum Suatoplugus, quemadmodum Venceslaus Hagecus memoriæ prodidit, filium Suatoboium, è sorore Arnolphi susceptum, iuuenem admodum reliquisset: atque is ob impietatem in Deum, & acerbitatem in sanctum episcopum Methodiũ, Christianæ religionis in Slauorum natione propagatorem, afflictus, & suis exosus, in solitudinem & auias syluas sese

Principis uirtutes.

Morauí Germaniam uexarunt.

Morauí Christiani facti.

Arnolphus imperator.

Vngari Moráuiam, ac deinde Germaniam, infestarunt.

Morauia dilacerata.

Suatoboius, Morauorum rex Monachus factus.

subduxisset. Vbi etiam pœnitentia anteactæ uitæ compluribus annis religiose peracta, uitam finiuit: & moriens demum, tribus instituti eiusdem socijs, qui nam esset, indicauit. & in eo Morauorum regnum finem accepit, à Germanis, Vngaris, Boemis & Polonis discerptum. Sic igitur prosperè ab ea parte rebus gestis, Zemouitus à Prussis quoque, quæ ij superiori tempore de Polonis cæperant, bello repetiuit. Ad extremum Pomeranorum & Cassubiorum, & Vinidarum, siue Slauorum ducibus, Popieli senioris nepotibus & posteris, qui à patre suo defecerant, bellum infert: quod quidem illi, locorum difficultatibus magis quàm uiribus freti, diutius extraxerunt: domitíq; essent ad extremum, nisi Zemouitus rebus humanis, Gnesnę moriens, exemptus esset, altero & tricesimo principatus sui anno.

Morauorum regni finis.

Zemouitus de Prußis sua recuperauit.

Pomeranis & Cassubijs illatum bellum à Zemouito.

LESCVS QVARTVS.

MAGNO tam boni tamq; bene merentis de republ. principis desiderio ducti proceres, filium eius unicum, cui Lesco nomen erat, in principatu ipsi surrogant adolescentulum, eiq; custodes & moderatores consiliorum primores aliquot adiungunt. Quorum incuria & ignauia bellum aduersus Pomeranos, Slauos, & Cassubios à Zemouito susceptum, & nonnullo iam successu prospero gestum, intermissum est. Quod ne ipse quidem Lescus postea cum adoleuisset, unquã prosecutus est, quietis & ocij, quàm bellicæ gloriæ amantior: contentus eo, quem à patre per manus acceperat, principatu. Quin & ipse, & filius eius Zemomislus, de quo mox dicemus, habuit eos derelictui, cum Germanis bellum gerentes. Itaq; uehementer ij tunc diuexati sunt, & attriti, quemadmodum Vitichindus memorat, ab Henrico cæsare, siue rege Germanorum, qui Conrado successit, & nonnulli ex ijs cum dedicionem fecissent, tributarij facti, Zorelicia siue Brãdeburgum et Grona urbes captæ. Cumq; paulo pòst quidam ex eis rebellassent, apud Lunchinos urbẽ maritimam ab exercitu & legatis eiusdem regis ad internecionem profligati sunt, ita ut ad ducenta millia hominum eo prælio perijsse putarentur. Boemi quidem duce Venceslao, uiro pio & sancto, in fide regis Henrici permanserunt, donec Boleslaus, interfecto per summum scelus fratre Venceslao, dominatum inuasit, & Ottoni eius nominis primo Cæsari, Henrici filio, semel atq; iterum rebellauit, Germanos magna strage uicit, Boemiaq; eiecit. Sed & ipse tandem bello fractus, & Brandeburgum cum omni regione Slauorum citra Odram, proditione Tugumiri ducis pecunia corrupti, in potestatem Cæsaris reuenit. Nec ita tamen gens ea quieuit, & Germanorũ iugum pertulit, quin subinde eis negocium faceſſeret. Lesco certè Polonorũ principi, & Zemomyslo filio nihil horũ curę fuit. Tametsi Venceslaus Hagecus, subegisse Lescũ hunc Pomeranos, & Polonis adiunxisse scribit. Et fieri sanè potuit, diuisa in tot principatus ea gente, ut alij cum Germanis bellum gererent, alij subigerentur à Polonis. Principatum quidem, iustè, continenter & clementer, magna ciuium beneuolentia complures annos gessit Lescus, ut

Consilij regij moderatores iguaui.

Vitich. Saxo. lib. 1.

Henricus Cæsar.

Poloni occidẽ tales debellati à Germanis.

Brandeburgũ & Grona à Germanis capta.

Boemi tributarij Cæsaribus.

S. Venceslaus.

Otto Cæsar.

Vitich. lib. 2. & 3.

Brandeburgũ proditione receptum à Germanis.

Pomerani à Polonis subacti.

Lesci moderatio.

ut uult Dlugoſſus: qui eum ſenem obiiſſe, & adultum filium reliquiſſe, ſcribit. Quod ſi uerũ eſt, pauciores ergo Zemouitus regnauit, aut multo ante nongenteſimum uiceſimum primum, ut idem uult, regnare cœpit. Nos quidem potius deſiiſſe eum tunc regnare credimus: niſi Hagecum ſequi malumus, qui Zemouitum anno Chriſti nongenteſimo ſexto uult obiiſſe, cum uiginti annos regnaſſet: aut noſtrum quendam anonymum, qui Leſcum hunc anno 913 poſt Chriſtum natum obiiſſe, & Zemomyslum filium ei ſucceſsiſſe memorat. Alioquin non quadrabit ratio temporum ad poſteriorem ſupputationem, quæ certior eſt apud nos ex eo tempore, quo Polonia religionem Chriſtianam ſuſcepit.

Temporum ratio.

921. ann.

906.

913. ann.

ZEMOMYSLVS.

SVCCESSIT Leſco patri Zemomyslus, probus & ipſe, lenis, beneficus, hoſpitalis, & quietis amãs, quas uirtutes quaſi hæreditarias à maioribus ſuis habebat. Sed non alia re nobilior, quàm filio. Nam cum aliquot annis, nullos ex uxore ſuſciperet liberos, naſcitur ei tandem filius: ſed cæcus. Quæ res ipſi breui gaudio deliburo, maioris mœſticiæ cauſa fuit, præſertim cum uxor uno illo partu edito, párere deſiſſet. Septimum annum puer attigerat, quo prima coma pueris gentili ritu attonderi, & nomen imponi ſolebat. Adſunt ad celebritatem frequentes proceres, epulantur cum principe mœſto, et ſortem ſuam, orbitatis non ita multum diſsimilem, deplorante: mœſti & ipſi, & principis uicem dolentes: cum ecce inſperata omnibus affulſit lætitia. Puer abſq; ulla medicorum, aut cuiuſquam omnino ope, lucem aſpexit. Nec mora, uidentem mater exultans ad patrem in conuiuium adducit. Conuiuæ miraculo attoniti, effuſo gaudio principibus, ſibi & reipubl. tantum bonum diuinitus oblatum certatim gratulantur: feſtum diem largioribus inuitationibus, concentibus, plauſibus, choreis, acclamationibus, & omni iucunditate inſtaurant. Puero, Miezislao, quaſi qui gladio gloriam ſibi pariturus ſit, nomen inditum, ut uult Dlugoſſus: is poſtea à matre & pediſſequis blandius, ut fit, Meſco uocitatus eſt. Vincentius eum cæcum adhuc, cum tonderetur, ex tumultu atque turbatione ominoſe Mieſſcam appellatum, id'que nomen poſtea boni ominis gratia in Miecislaum in baptiſmo commutatum eſſe ſcribit. Zemomyslus peracto conuiuio, ſplendidè remuneratis ac dimiſsis proceribus, diuinos & ariolos de filij ſucceſsibus, & quid portenderet, quòd is cæcus natus, tanto interuallo uidere cœpiſſet, ſciſcitatur. Reſpondent illi, Poloniam eius principatu illuſtratam iri. Accuratè igitur puer, & ut principe dignum eſt, iuſſu patris educatus eſt. Quamdiu uerò Zemomyslus regnauerit, non conſtat ſibi Dlugoſſus, qui octo tantum annorum principatum ei tribuit: & ad Piaſti tamen proaui ætatem, perducto ad maturitatem filio, peruenisſe eum, & anno Chriſti nongenteſimo ſexageſimoquarto obiiſſe ſcribit. Venceslaus, ſupra quadraginta annos uult eum regnaſſe. Sed iam hic liber unà cum Zemomysli, qui mortuus Gneſnæ ſepultus eſt, principatu finem habeat, alterius

Zemomysli uirtutes.

Meſco cæcus natus.

Miraculum.

Miezislai etymologia.

Mieſſca.

Arioli.

964. ann.

initium à mutata religione, quemadmodū par est, faciemus, pauca prius de prisca Polonorum & Slauorum religione præfati.

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER TERTIVS.

DE RELIGIONIBVS PRISCORVM POlonorum & Slauorum, & religione Christiana ab ijs suscepta.

Religiones falsæ.

Gradus impietatis.

TOTVS quidem penè orbis terrarum iam inde ab initio propemodum humani generis, post maximum illud uniuersæ terræ diluuium, fallacium dæmonum fraude inductus, ueram unius ueri Dei religionem, impio multorum & falsorum deorum cultu & superstitione cōmutauerat: mortuos homines primùm propter merita & beneficia accepta: deinde impios dæmonas, ementitis miraculis & prodigijs, hominum oculis atq; mentibus sese insinuantes: postea solem, lunam, et eximia quæq; naturę Deiq; opera ueneratus: deinde uerò mutis etiam animantibus, feris, beluis, atq; serpentibus, cepis atq; alliis, & ad extremum, nullū exitum inueniente insania, sculptis, fictis, pictisq; humana arte simulachris, diuinum honorem impertitus. Verùm eas tenebras tetras & horribiles, IESV CHRISTI Dei hominisq; benignitas, post multa secula quasi lux clarissima cœlitùs affulgēs, dispulit: dimissis quoquò uersus certis hominibus, omnium, pręter uitę integritatem, miraculorumq; & inspiratæ diuinitùs doctrinæ efficaciam, egenis: qui genus humanum dæmonum fallacia pessundatum, ab errore ad ueritatem, à scelere ad innocentiam, à nequitia ad sanctimoniam, denicq; à falsorum deorum innumerabili multitudine, & abominandis ritibus, ad unius ueri Dei agnitionem, & rectam sanctamq; religionem reducerēt.

Christiana religio.

Iesus Christus.

Apostoli.

Slaui diutius falsas religiones retinuerūt.

Sedenim à Slauis, cæterisq; Septentrionalis plagæ populis diutius, q̄ ab alijs gētibus, inueterata illa de multis dijs opinio & superstitio retenta est, cum propter barbariem & feritatem, ut equidem existimo, difficilis ad eos externis hominibus esset aditus: nec uerò multū homines militiæ & bellis dediti, de religione disquirerent. Colebant itaq; pro dijs Poloni, & cæteræ Slauici nominis gentes, præcipuè Iouem, Martem, Plutonem, Cererem, Venerem, Dianam: quos Iessam, Ladum siue Ladonem, Niam, Marzanam, Zizilíliam, Zieuanam siue Zieuoniam, uocabant. De his eadem quæ cæteri homines ferè sentiebant: his delubra lucosq; dedicabant: his simulachra et sacerdotes cōsecrabant: his libabant, his immolabāt: his festos dies epulis, choreis, plausibus, cātibus lusibusq; uarijs indulgentes, agebant. quem ritum festorum dierū Dlugossus usq; ad suam tempestatē, aliquot post susceptam religionē Christianam seculis perdurasse memorat. Solitos em̄ uiros & mulieres, senes & iuuenes,

Polonorum & Slauorum dij falsi.

Ludi prisci in Polonia.

ad

ad lusus & choreas pariter conuenire ijs diebus, quos nos Pentecosten uocamus: eumq; coetum, Stado, quasi gregem uel armentum, appellatũ esse. Nec scio an hoc sit, quod Russi & Lituani, presertim in pagis, adhuc retinent, dum Ladonem choreas ducentes, & manibus complodentes, ingeminant. Fuisse uerò Gnesnæ sanctissimum Niæ siue Plutonis templum, idem Dlugossus refert. Adhæc autem Ziuie, quasi tu dicas uitalis (aura nimirum) Pogoda, hoc est, serenũ, siue temperies: Pochuist, quam Miechouiensis aurã, nos intemperiem interpretamur, (indeq; Pochuiscelà Masouijs adhuc cœli intemperies dicitur) Polonis dij fuere. Sunt qui his addunt Lelum & Polelum, quos in conuiuijs & compotationibus appellari adhuc audimus, eosq; Castorem & Pollucem esse autumant. Piorunum autem, hoc est, fulmẽ, & Stribum, & Chorsum, & Mocoslum Russi peculiariter coluere, ut proditum est eorum annalibus. In hoc igitur errore & uana superstitiõe hęc natio diu perstitit. Primi Slauorũ Bulgari, Nicolao eius nominis primo Pontifice maximo, post annum Christi octingentesimum sexagesimum: hinc minus quàm triginta annis interiectis, proximi his Rascij, Serbi, Bosnenses, Croatæ, Dalmatæ, Illyrici, Suatoplugo siue Sueropilo, ut est apud Blondum, regnante, religionem Christianam, cultumq; ciuiliorem à uicinis Græcis & Italis acceperunt. Venceslaus Boemus Suatoplugum hunc apud Morauos, Velegradi domicilium habentem regnasse, & cum ea gente Christo nomen dedisse, eiusque opera Boriuoium Boemorum ducem & ipsum Christianum factum esse, & uxorem Ludimilam gentemq; suam in eandem sententiam adduxisse, circa annum Christi nongentesimum, memorat. Dlugossus uerò tres duces Slauorum, Roscislaum, Suatopolcum, et Cocelum à Græcis Christianæ religionis leges accepisse uult circa octingentesimum annũ, imperantibus in oriente quidem Michaele, in occidẽte uerò Arnolpho, qui pediculari morbo perijt. Nos Blondum & Sabellicum, utpotè diligẽtiores, & qui magis sibi constant, quàm Dlugossum, in supputatione horum temporum sequi malumus. Præclaram aũt his populis noua religione imbuendis operam nauarunt Methodius & Cyrillus episcopi: à quibus & illud perfectum est, assentiente pontifice maximo, ut Slauis sua lingua in sacris uti liceret. Aliquanto post Russi, imperantibus apud Græcos Basilio & Constantino fratribus, Ioannis Zemiscæ filijs, post nongentesimum octogesimum annum à Christo nato, hoc est, 6497 ab orbe condito, ut ipsorum annales habent, publicè ad eandem religionem accesserunt, cum Volodimirus dux eorum Sueneoslai, siue ut alijs placet, Stoslai è concubina filius, sororem imperatorum in matrimonium, & magistros religionis Græcos accepisset: ac Metropoliten quidem Kiouiæ, Archiepiscopum uerò Nouogrodi, in alijs autem urbibus episcopos, à Constantinopolitano patriarcha sacris initiatos, collocasset. Itaque ergo Græcos ritus ex eo tempore Russi mordicus retinent. Tametsi Olga siue Helena Volodimiri huius auia aliquanto antè, post Igori mariti sui mortẽ profecta Constanti-

Stado.
Niæ templum Gnesnæ.
Pochuiscel.
Russorum dij.
Bulgari Christiani facti.
860. ann.
Rascij, Serbi, Bosnẽses, &c.
Suatoplugus.
Morani.
Velegradum.
Boemi.
Boriuoius & Ludmila.
900 ann.
Methodius & Cyrillus episcopi.
Slauicæ linguæ usus in sacris.
Russi.
Ioannes Zemisces imp.
Constantinop.
980 ann.
6497 mundi annus secundũ Russos.
Russi Græcorum sectam amplectuntur.
Olga.

Lamb. Saffnaburgenſis error. nopolim Zemiſce imperante Chriſtiana facta erat. Lambertus Saffnaburgenſis, qui ante quingentos ferè annos chronicon rerum Germanicarum annotauit, ſcribit, anno Chriſti nati 960, Ruſciæ gentis legationem ad regem Ottonem primum ueniſſe, orantem, ut ſibi epiſcopus aliquis, qui religionem Chriſtianam apud ſe docendo propagaret, mitteretur: miſſumq; eſſe Adalbertum, qui uix manus eorum effugerit. Sed hallucinatur Lambertus. Venceslaus Hagecus, à Boemis eum epiſcopum nominatim expetitum fuiſſe memorat, ſed iam longè antè Chriſtianis. Et adñt is quidem Vngariam & Poloniam, quemadmodum & nos ſuo loco attingemus: uerùm & aliquanto poſterius, quàm uult Lampertus, & poſt ſuſceptam ab ijs populis religionem Chriſtianam, Ruſsiam nunquam adñt. Pruſsiam adñt quidem, ſed non expetitus: neq; manus eius gentis effugit, quod nos inferius narrabimus. Certiora ſunt, quæ Ruſsi ipſi de ſe memoriæ prodidere, qui Volodimirum adhuc impio dæmonum cultui deditum, miſiſſe exploratores ad nonnullas gentes ferunt, cognoſcendarum religionum gratia: Chriſtianámque ipſi in primis apud Græcos & Conſtantinopolitanos placuiſſe. Aliquanto autem ante Poloni Miezislao authore, & ipſi Chriſto nomina dedere. Quod quomodo & quando factum ſit, omiſsis ijs quæ ſuperius attigimus, cum ipſius Miecislai principatu pariter proſequemur.

Adalbertus episcopus.

Poloni Christiani.

MIEZISLAVS.

PERACTO Gneſnæ ſolenni ceremonia Zemomysli funere, Miezislaus filius principatum ſuſcepit: & iuſtè quidem adminiſtrabat, ſed tamen infra ſpem omnium, diuinorúmque uaticinia, quorum ſuperiori libro meminimus: ex quibus præclarum quiddam & eximium Poloni de ipſo ſibi uulgò pollicebantur. Vxores ſeptem barbarico more duxit: ijsq; & libidini ſuæ liberius indulgens, nullos ſuſcipiebat liberos. Erant iam tunc inter Polonos nonnulli, qui peregrè reuertentes à Boemis & Morauis, religionem Chriſtianam domum referebant. Erant & externi partim in miniſterio & comitatu principis, partim mercaturam in Polonia exercentes, partim etiam in receſsibus ſyluarũ & ſolitudinum, quo liberius cultui diuino uacarent, degentes, Chriſtiani non pauci. His monentibus atque ſuadentibus, & religionis Chriſtianæ ueritatem caſtitatemq; prædicantibus, poſteritatem deniq; & felicitatem principi, ſi eam religionem amplecteretur, pollicentibus, Miezislaus priores uxores dimittit, Dambrouucamq; Chriſtianam, Boleslai primi Boemorum ducis filiam uirginem, de conſilij ſententia nouo matrimonio ſibi iungit. Libet autem hic Dambrofcæ huius ac Boemorum ducum genus paulo altius repetere. Premislus ruſticus Boemorum princeps, Nezamislum filium è Lebuſſa ſuſceptum, ſucceſſorem reliquit: huic Mnata filius ſucceſsit: hunc porrò Voien filius, quem Æneas Syluius Vorcium uocat, excepit: poſt hunc filij Creſomyslus & Vuratislaus principatum inter ſe partiti ſunt, ita ut Creſomyslo Viſſegradēſis, Vuratislao Lucenſis ſiue Zatecen-

Vxores ſeptẽ. Chriſtianiſmi occaſio apud Polonos.

Dambrouuca Boema Miezislai uxor.

Boemorum ducum propago.

Zatecensis cederet. Huic Vulastislaus, illi Neclã, filij succesſere. Neclan porrò, uicto & interfecto Vulatislao patruele, & filio eius Zbislao puero, Turingi curatoris fraude ſublato, principatũ Boemorum redintegrauit. hunc Hoſtiuitus filius excepit: cuius filius Boriuoius, primus Boemorũ principũ, cum uxore Ludimila, quemadmodũ ſuperius attigimus, religionem Chriſtianam in Boemia fundauit: priuatamq; uitã ſecutus, Spitigneuo filio natu maiori, deinde eo breui ſine liberis uita defuncto, Vuratislao minori principatum cõceſsit. Hic autem è Dragomira uxore impia, & à Chriſtiana religione aliena, Venceslaũ & Boleslaum filios ſuſcepit: quorũ hunc mater, illum auia, ſuis utraq; moribus conueniẽter cum educeſſet, patre mortuo ſic ij diuiſere dominatum, ut Auſtralem oram ad Albim uſq; Venceslaus, inde porrò ſeptentrionalem Boleslaus obtineret. Sed crudelis & impius Boleslaus, pio ſancto q; fratre per dolum interempto, redintegrauit rurſus principatum: & ex Brena uxore Boleslaum filium, & hanc iſtam, de qua nunc agimus, Dambrouucam ſuſcepit. Quæ poſteaquam Gneſnã ſplendido comitatu aduecta eſt, Mieſca ſiue Miezlaus princeps, baptiſmo, ut conuenerat, ritu Chriſtianorum initiatur, & ſubſequentibus diebus nuptias magnã celebritate peragit, anno Chriſti nongẽteſimo ſexageſimo quinto. deinde Boemos, qui nouam nuptam deduxerant, honorificè habitos, & ſplendidè donatos, remiſit. Mox totum ſeſe ad propagandam per omnem principatum ſuũ religionem, hortante & adiuuante uxore, conuertit. Baſilicas nouem diuerſis locis ædificat, eaſq; ſupellectili omnis generis preciosa ornat, cenſibus & poſſeſsionibus locupletat, & in diœceſes diſtributas, duas quidẽ ex his Archiepiſcopis, nempe Gneſnenſem & Cracouiẽſem: reliquas uerò, hoc eſt, Poſnanieſem, Smorogouienſem, quæ poſtea Bicinẽſis, ac demum Vratislauienſis dicta eſt: Cruſuicienſem, quæ Vuladislauiam ſucceſſu temporis translata eſt, Plocenſem, Culmenſem, Lubuſſenſem, & Camenenſem, ſingulis epiſcopis attribuit: ijſq; decimas omnis generis frugum, de ſuis iuxtà ac nobilitatis plebiſq; agris edicto perpetuo adſcribit, ita quidem, ut eæ decimæ poſt meſſem ab ijs qui dant, ad conſtitutum locum comportentur. Quanquam anonymus quidam uetuſtus rerum Polonicarum annotator, uerius quàm ſcriptor, Cracouiæ quoque initiò non Archiepiſcopum, ſed epiſcopum uult eſſe conſtitutum: deinde uerò Aaronem abbatem Tinecenſem à Benedicto papa nono primũ Archiepiſcopum Cracouienſem renunciatum eſſe: eam uerò prærogatiuam ſucceſſorem eius proximum, Lampertum Zulam, neglexiſſe. De Culmenſi quoq; epiſcopa Dlugoſſo non aſſentior. Longè poſterius enim eam conditã eſſe, ac de Plocenſi quaſi deductam, certa extant monumenta literarum cùm alibi, tum in archiuio regio Cracouienſi, quemadmodum ſuo loco indicabimus. Niſi fortè initio quidem à Miezislao cõditam, poſterius uerò à Pruſsis ſubacta ea regione deletã, ac deinde à Conrado Maſouiorũ duce denuò reſuſcitatã potius quàm conditam fuiſſe, exiſtimare uolumus. Vtut eſt, tunc quidem primùm epiſcopæ & baſilicæ in Polonia conditæ, & ſolenni ceremonia dedicatæ ſunt.

Boriuoius dux Boemorũ primus Chriſtianam religionem fundauit in Boemia.

Diuerſæ educationis diuerſi fructus.

Venceslaus 6. à fratre occiſus.

Dambrouucæ parentes.

Miezislaus fit Chriſtianus.

965. ann.

Religionis propagandæ cura.

Epiſcopæ & Baſilicæ primæ in Polonia.

Decimæ epiſcopis attributæ.

Cracouiæ Archiepiſcopus.

Culmenſis epiſcopa quando condita ſit.

Legatus Pontificis max.

sunt. His autem rebus perficiendis Ægidius Cardinalis episcopus Tusculanus, Ioannis tertij decimi Pontificis max. qui per illud ipsum tempus Leoni octauo successerat, legatus præfuit: qui primos Archiepiscopos & Episcopos Italici, nec scio an quosdam Gallici & Germanici generis fecit, cum nostri rudes adhuc essent, & nouitij. Additi sunt & inferiores sacerdotes, qui partim socij & consiliarij, partim administri essent Episcoporum, quos uulgò Prælatos & Canonicos, & plebanos, siue parochos, seu rectius paroecos dicimus: quibus etiam possessiones à principe, & locupletioribus quibusq; , ac certæ decimę ab Episcopis attributę sunt: templaq; in oppidis & pagis permulta, studio pietatis certantibus inter se cunctis, extructa. Horum itaq; opera, studio atq; diligentia religio Christiana celeriter magna cępit incrementa in Polonia, præsertim cum alij muneribus & honoribus à pio principe, ditionē suam omnem eius rei gratia circumeunte, allicerentur: alij minis adigerentur: deorum simulachra ubiq; in oppidis atq; uillis confringerentur, comburerenturq; : & uani priscæ superstitionis ritus atq; ceremoniæ abolerentur à magistratibus edicto regio, constituta ad eam rem publicè peragendam septima die Martij. Repræsentari autem eius rei memoriam etiam sua ętate Dlugossus testatur, quòd in pagis quibusdam simulachra Marzanę & Zieuoniæ contis præfixa, (uel ut nos è maioribus natu didicimus, trabis imposita) cum querulo & lugubri cantu uulgò in pompa gestari, & in paludem uel in flumen abijci soleant, ea die, quæ est quarta Dominica Quadragesimæ. Dum in his totus est Miezislaus, nascitur ei filius ex uxore Dambrouuaca, anno Christi nongentesimo sexagesimoseptimo, ut uult Dlugossus: eiq; apud sacrum fontem aui materni Boleslai, qui per idipsum tempus è uiuis excesserat, nomen imponitur. Adulto deinde, pater uiuens adhuc uxorem accepit Iuditham, Geisæ siue Iessæ Vngarorum principis affinis sui filiam, ex priore uxore susceptam. Nam ea mortua, sororem ei suam Adleidam Miezislaus in matrimonium collocarat: à qua persuasus Geisa, cum Vngaris suis Christianam & ipse religionem quinto post Polonos anno suscepit, quemadmodum Dlugossus & Vapouius memorant. Vngari annales nullam Adleidę huius, aut omnino alterius uxoris Geisæ, mentionem faciunt: sed eum Christianum iam antè factum, Vngaros ad susciendam religionem eandem adduxisse, & ex Ascolta Giulæ Transyluanorum ducis filia Stephanum filium & hæredem reliquisse. Quanquam autem certam eius temporis historiam Vngari non habent, nec satis sibi constat etiam in temporum ratione Bonfinius: nos tamen litem hanc non dirimemus. Illud quidem constat, uel eodem tempore, uel certè paulo posterius Vngaros quàm Polonos, populariter cum suis principibus Christo nomina dedisse, Stephanumq; Geisæ filium à diuo Voicecho siue Adalberto (de quo paulo pòst plura narrabimus) primis Christianorum mysterijs initiatum, uel certè confirmatum esse, anno post CHRISTVM natum nongentesimo nonagesimo. Anno 974, narrat Dlugossus acrem & niuosam hyemem à principio Nouembris usque ad ęquinoctium uernum in Polonia

Episcopi Itali in Polonia.

Sacerdotes inferiores.

Paroeci.

Religiōis propagandæ studium in Miezislao.

Simulachrorū demersio.

Boleslaus natus 967. an.

Boleslai uxor Iuditha.

Adleida Miezislai filia.

Vngari Christiani facti.

Bonfinius.

Stephanus Geisæ regis Vng. filius.

947. ann. hyems aspera.

lonia perduraſſe. Tertio autem anno poſt, Dambrouucam rebus humanis exemptam eſſe, quæ ſerto & corona redimita incedere, nec unquam uelare caput ſolita ſit. Pijs autem & quietis conſilijs ferè principatum ſuum Miezislaus annis triginta quinq; adminiſtrauit: præter, quòd cum Volodimiro Ruſſorum duce, ditiones ſuas inuadente, neceſſarium bellum geſsit, ſucceſſu quidem uario, iam huc, iam illuc inclinante uictoria, euentu uerò non ſatis proſpero. Nam Præmisliam, Cerue-
num, & aliquot præterea arces & oppida à Volodimiro capta amiſit. Quo planior autem decurrat hiſtoria, non abs re fuerit, Volodimiri genus paucis repetere: à quo Kiouienſium, ac totius Ruſsiæ duces, cum quibus multa bella noſtri geſſerunt, orti ſunt. Iorus, ſiue Igor Rurici filius, Kiouiæ ac Nouogrodi principatum obtinens, multa cum Græcis Imperatoribus bella proſpero euentu geſsit: ictóque cum eis fœdere, à Dreſlianis populis (qui neſcio an Bulgari ſint) cum grauibus tributis eos premeret, Coroſtani interfectus eſt. Quanquam Luitprandus Ingerum Ruſſorum regem (ſic enim ille eum appellat) cum ingenti claſſe uenientem à Romano imperatore, Conſtantinopolitano nauali prælio uictum, & magna ſtrage repulſum eſſe prodidit. Poſt Iori mortem circa annum Chriſti 950, uxor eius Olga uidua principatum aliquandiu adminiſtrauit: Dreſlianoſq; dolo ulta, Stoslao filio, cum adoleuiſſet, principatum tradidit: & Conſtantinopolim profecta, Ioanne Zemiſce imperante, religionem Chriſtianã ſuſcepit. Stoslaus uerò, nequicquam ſuadente matre, ut ipſe Chriſtianus fieret, in impietate perſeuerans, ſeptuaginta arces ſecundum Danubium cæpiſſe fertur: reuocatuſq; à matre, Pecinigos (quos Vapouius Peucinos, eius oræ, qua Danubius in Pontum influit, populos eſſe uult) ditionem ſuam infeſtantes, & Kiouiam obſidentes, repreſsit. Sed ab his deinde, cum eis uiciſsim bellum inferret, cæſus eſt. Viuens autem principatum inter filios Iaropolcum & Olgum, ex iuſta uxore natos, partitus erat: Volodimirum porrò è Maluſſa concubina ſuſceptum, Nouogrodenſibus petentibus principem dederat. Sed non diuturna manſit concordia inter fratres. Poſt mortem enim patris, et annum Chriſti 971, Iaropolcus Kiouienſium dux Olgo fratri Pereaslauicenſium duci bellum intulit, incitante Suenceldo, qui principem gratiæ & honoris locum apud Iaropolcum obtinebat, quòd filium eius Olgus interfecerat: Olgoq; ſuorum perfidia perempto, dominatum eius in poteſtatem ſuam redegit. Nec multo poſt ipſe quoque Iaropolcus à Volodimiro per ſpeciem colloquij euocatus, ſimilem exitum habuit. Volodimirus uerò paterno principatu omni potitus, finitimos Bulgaros, Croatas, Viaticos, Dulepios, & Iazygas, quos Iazuuingos noſtri uocant, ſubegit, ac tributarios ſibi fecit. Cum Piecinigis quoque proſpero Marte bella geſsit. Imperatoribus Conſtantinopolitanis Corſunum urbem Ponti, quam Cherſonam uocat Sabellicus, eripuit: ductaq; in matrimonium Anna ſorore imperatorũ Baſilij & Conſtantini, et religione Chriſtiana ſuſcepta, reddidit. Quibus ſucceſsibus elatus, proximas Polonorum ditiones adortus eſt, & quas

Dambrouuicã mortua.

Rußicũ bellũ.

Præmislia amiſſa.

Ruſſorũ principum ſtirps.

Igorus.

Dreſliani.

Coroſtanum.

Luitpran. rerũ per Europam geſt. lib. 5. c. 6.

950. ann.

Olga uidua Conſtantinopoli facta Chriſtiana.

Stoslaus.

Pecinigi.

Iaropolcus.

Olgus.

Volodimirus dux.

971 ann.

Volodimiri res geſtæ, & uxor.

Sabel. Ennead. 9. lib. 2.

Rußi Polonorum fines infeſtarunt.

985 ann. quas dudum memorauimus munitiones, anno Christi nongentesimo octuagesimo quinto, de ipsis cæpit, quemadmodum Dlugossus scriptũ reliquit. Russorum annales nullam cuiusquam expeditionis Volodimiri huius contra Polonos mentionem faciunt. Venceslaus autẽ Hagecus memorat, Miezislaũ, uiuẽte adhuc Boleslao pio Boemorũ duce, Dambroscæ fratre, anno Christi 994, crebris incursionibus Boemiam tunc infestasse, cum Volodimirus illas munitiones Polonorum, in potestatẽ suam redegit. Contra quem cum Miezislaus, Boemis omissis, duxisset exercitum, & bello illo Russico distineretur, Boleslaũ magnas Boemorum copias duce Crasata Suchoradio in Poloniã immisisse, & cùm alias munitiones, tum Cracouiã expugnasse, & præsidijs muniuisse: sexto demũ anno pòst, cũ Boleslao pio Boemorũ principi extincto, filius Boleslaus tertius in principatu succesisset, à Miezislao & Boleslao filio eas recuperatas esse, eiectis & ad internecionẽ cæsis Boemis. Sed uiderit Hagecus, quem secutus sic authorẽ in eo, quod Miezislaũ, mitem & quietis amantem principem, nulla iniuria prouocatum, cũ affine suo Boleslao bellum gessisse uult. Nostrorũ quidem nemo quicquã eiusmodi memoriæ prodidit. Vitichindus uerò etiam adiutũ esse à Boleslao socero Misicam ducem (sic fortasis ille Miesconem appellat) Ottonis imperatoris amicum, contra Vigmannum, et concitatos ab eo Vuloinos Slauos, indicat. Nisi fortè alius à Miezislao nostro hic est Misica, unus fortè de posteris Popieli: quem Vitichindus Licicauicorum Slauorum ducẽ siue regem appellat: qui potuit & ipse gener esse Boleslai Boemi, sed fratris potius, quàm patris Dambrosce, si diligẽtiorem temporum, quibus hæc gesta esse uult Vitichindus, rationem ineamus. Scribit quidẽ Dlugossus noster, & Vapouius, Miezislaum unà cũ filio suo Boleslao fecisse expeditionem in Boemiam, sed pòst Russicum illud bellum, & post mortem Boleslai pꝛ̃, in gratiã filij ipsius pupilli: cui & ipsi Boleslao nomen fuit: cuius imperium proceres Boemi proteruè contemnebant, & bona principis inter se diripiebant. idq; bellum magna celeritate ab eo confectum esse, Praga metropoli, quę sola ipsi uenienti portas clauserat, expugnata, prę̃sidioq; militum aduersus rebellionem procerum in ea relicto. Venceslaus Cracouiam à Miezislao & Boleslao Polonorum principibus expugnatam & receptam falso affirmat: & quidem anno post Christum natum 1000, nempe altero post Miezislai mortem. Æneas uerò Syluius eam ipsam urbem per fraudem à Mesce Polonorum principe Boemis ereptam esse refert: qua de re nos paulo inferius in Boleslao sententiam nostram exponemus. Nunc de Russico & Boemico Miezislai bello hæc dicta sufficiant. Cæterùm quo augustiorem posteris suis principatum relinqueret Miezislaus, hortante senatu, Lampertum Cracouiensem Archiepiscopum siue episcopum, uirum doctum & eloquentem, oratorem mittit ad Benedictum eius nominis septimum Pontificem maximum, ut regium diadema sibi mitteret, regemq; Polonorum se & posteros suos esse iuberet. Quo tempore etiam Stephanus Geisæ filius, post defunctum patrem Vngariæ princeps, eadem de re

Hagecci error.

Boemicum bellum.

Vitich. de gest. Sax. lib. 3.

Boemicum bellum.

Praga expugnata.

Diadema regium à Pontifice max. petitum.

suum

suum miserat. Atque ille quidem impetrauit: quanquam Vngari uulgò crediderunt, ab angelo cœlitùs ei diadema esse impositum, nostro negatum est, uel quòd de morte eius nunciatum esset, uel quòd differre eam rem Pontifex diuino oraculo iuberetur: eò quòd Poloni uenationibus, rapinis ac cædibus mutuis diditi, duri & immanes, cõtumelioſi & aſperi aduersus tenuiores atq; subditos, minus castè religionem colere dicerẽtur. Regnauit Miezislaus annis triginta quinq; ferè: mortuus uerò uicesimosecundo post uxorem lectissimam et pientissimam fœminam defunctam, & nono post natum sibi nepotem Miezislaum anno. Posnanię honorificè sepultus est eo anno, qui fuit à Christo nato nongentesimus nonagesimusnonus. Non uidetur silentio prætereundũ esse, quod sub hoc principe mos inoleuit apud Polonos, ut homines equestris ordinis in templis, dum sacerdos apud altare pronunciat unde recitaturus sit Euangelium, gladios mediotenus stringerent, quasi profitentes Euangelij & religionis defensionem. Choro autem respondente, Gloria tibi Domine: rursus reconderẽt. Diuq; hic mos mansit in Polonia. Fuerunt etiam hoc tempore in solitudine apud Donaiecium fluuium, qui è finibus Vngariæ profluens, Vistulæ apud Opatouecium oppidum miscetur, duo monachi sanctimonia uitæ celebres: quorum Benedictus ab Vngaris, quòd Christum profiteretur, cæsus: Suiradus post uitam durissimè exactam, in monasterio Montis ferrei in Vngaria, quo ambo cõ migrarant, sua morte absumptus est.

Vngarici regni principiũ.

Polonorum mores antiqui.

Miezislai regni & uitæ finis.

999 ann.

Mos distringẽdi gladium, dũ Euangelium recitatur.

Donaiecius fluuius.

Donaiec. Opatouec.

Benedictus & Suiradus monachi.

BOLESLAVS PRIMVS REX, COGNOMENTO *Chrobry.*

SVSCEPIT paternum principatum Boleslaus, summa Polonorum omnium uoluntate: quippe quos non indoles tantum eius egregia, sed specimen etiam uirtutis, nec uulgare, nec unum uiuente patre ab eo editum, spe optima impleret. Nam præter ingenij prompti & perspicacis, ad omnia cum decoro atq; dignitate sese accommodantis, acrimoniam, præter studium laudis, rerumq; & hominum militarium singulare, præter animi denique magnitudinem summo principe dignam, elucebat in eo rara modestia, uerecundia, comitas, suauitas morum grauitate temperata: nullum intemperans dictum aut factum, sordes nullæ, sed cum delectu ac iudicio paulatim sese proferens liberalitas, & cæteræ mitiores uirtutes, quæ magnopere adolescentiam commendant. Nec sanè spem & opinionem hominum fefellit. Hic enim princeps, Polonorum nomen regia dignitate externorum principum necessitudinibus, & clarissimis rebus gestis uehementer illustrauit: militarem disciplinam auxit, regni fines longè lateq; propagauit: religionem stabiliuit, & augustiorem reddidit: denique feros & agrestes homines ad ciuiliorem aliquanto uitæ cultum redegit. Quæ priusquam explicemus, operæprecium est paulum ab instituto cursu deflectere: quo maiorem sequenti historiæ lucem afferamus. ERAT apud Boemos secundus ordine Pragensis episcopus Voicechus, qui Adalbertus ab externis appellatus est, uir nobilis, & sanctus.

Boleslai uirtutes.

Boleslai merita erga Poloniam.

Voicechus siue Adalbertus episcopus, uir sanctus.

Boemorũ mores. & sanctimonia uitæ, pietatisq; studio clarus. Is Boemicæ pertinaciæ in retinendo impio idolorum cultu, & feritatis, iniustitiæ, rapinarum, & neutiquã conuenientiũ Christianæ professioni morum pertæsus, cũ crebris admonitionibus, acribusq; obiurgationibus nihil proficeret apud populũ, atq; adeò multos etiã infestos sibi reddidisset, Romã primùm, ac deinde impetrato à Pontifice max. cõmeatu, tentatis tamen iterũ, an resipiscerent, Boemis, in Vngariam, Razino siue Gaudentio fratre, & uiris aliquot religiosis comitantibus, profectus erat: ibiq; annum & amplius commoratus, Geisa principe cum uxore fauentibus, Vngaros religione Christiana, nõ ita pridem, nec uniuersè adhuc susceptа, per interpretem accuratius imbuit: Stephanum regis filium uel baptizauit, ut uolunt quidam, uel baptisatum iam antè confirmauit. Inde in Poloniam iter perrexit. Acceptus honorificè à primoribus, & cætera multitudine, & ab ipso Miezislao duce, eandem Polonis, quam Vngaris, nauauit operam, cùm Cracouiæ & in itinere, quà ueniebat, tum Gnesnæ in primis: & eò quidem maiore studio & alacritate, quòd linguæ & sanguinis cognatio Boemis suis cum Polonis intercederet. Mortuo uerò illis diebus Roberto primo Gnesnensi Archiepiscopo, Adalbertus magnis principis precibus exoratus, quemadmodum uolunt nostrates, sufficitur. Sed non multo interiecto tẽpore, uiso nocturno diuinitùs admonitus, iam inde ab initio susceptam ad Prussos, de quibus paulo pòst dicemus, peregrinationem, ægrè dimittẽtibus eum principibus, persequitur: relicto pro se Gaudentio, siue Razino fratre Archiepiscopo. Ibi dum religionem Christianam magna cum difficultate & patientia disseminat, à gente barbara & immani, dæmonum & idolorum sacrificulis cum antistite instigantibus, ueneranda mysteria peragens prope oppidum, quod Fisshausum Germani postea dixere, ad litus Oceani à barbaris confossus interficitur, die uicesimatertia mensis Aprilis, anno Christi nongentesimo nonagesimoseptimo. Cuius corpus postea Boleslaus dux, patre iã mortuo, dilata in aliud tempus ultione, à Prussis redemit: & minimo quidẽ, propterea quòd appenso in statera, perexiguum ipsi pondus, diuina, ut creditum est, uirtute efficiẽte, inesset. Tantum enim argenti, siue auri, ut alij uolunt, barbari pacti erant, quantum corporis ponderi respõderet. deductum solenni pompa primùm in Tremesnensi monasterio collocauit: nec multo pòst ad Gnesnensem basilicam transtulit. Nec mora, cœpit locus & monumentum inclyti martyris CHRISTI plurimis & saluti feris humano generi clarere miraculis. Hac igitur fama motus Otto Rufus, tertius eius nominis (quãuis Crantius secundũ fuisse uelit) imperator. Rom. ab Italica siue expeditione, siue peregrinatione reuertens, cum permagno & splendido comitatu paratus in Poloniã ad sepulchrũ noui martyris uenit, siue exoluendi uoti, q̃ graui morbo implicatus uouerat, gratia, siue expiandi sceleris causa, quo comitem quendam insontem, calumnia libidinosæ uxoris suę incitatus, pro adultero indicta causa interfici iusserat. Et erant inter se cum Boleslao Polonorũ principe paterni amici. Acceptus est à Boleslao, habitusq; unà cũ suis omnibus plusquam regali

Adalberti iter in Vngariam.

Adalb. in Poloniam aduẽtus.

Robertus primus Archiepiscopus Gnesnensis.

Adalberti in Prußiam iter.

Gaudẽtius archiepiscopus.

Adalberti cædes.

997 ann.

Miraculum.

Adalberti corpus Gnesnam translatum.

Miracula.

Ottonis Imperatoris aduentus in Poloniã.

Cœnt. lib. 2. cap. 36. Vand.

regali magnificentia & liberalitate, & cùm aliis amplissimis donis, tum abaco & instrumento mensæ omni aureo & argenteo, quod triduo nouum semper promebatur, auleisq; & uestibus preciosis donatus. Volens autem tam splendido hospiti & amico principi parem referre gratiam, collocutus cum consilio, quod secum in comitatu habebat, regem eum appellat, sociumq; & amicū Rom. Imperij: à tributo & omni iurisdictione Imperatorum immunem. Ac diadema suum, Gaudentio archiepiscopo solennes cæremonias peragente, ipsi imponit: eumq; honorem sempiternum ipsi & posteris ipsius, in Polonia regnaturis esse iubet. His adiungit hospitale munus: unum de clauis, quibus CHRISTVS Dominus & Deus noster cruci affixus esse dicitur, & lanceam D. Mauritij: quæ in basilica Cracouiensi, ubi sedes est episcopi, adhuc uisuntur. uicissim autem brachium diui Adalberti à nouo rege accepit: quod Romæ in insula apud diui Bartholomæi ædem ab eo postea depositum esse fertur. Et quo arctior firmiorq; esset inter ipsos & posteros ipsorum necessitudo, Rixam Hezonis Erenfridi comitis Palatini Rheni filiam, è sorore sua Machtildi susceptam, Miecislao regis filio, puero duodecimum annum agenti, despondet imperator. Quæ paruula apportata in Poloniam, & à socru educata, duodecimo demum anno post, adulta adulto Miezislao nupsit. Annus autem, quo hæc acta sunt, & Boleslaus rex appellatus est, millesimus primus à CHRISTO seruatore nostro nato fuit. His ita peractis, Otto Romam rursus ad sedandos nouos motus contendit: ijsq; compositis, sequenti anno cum Gregorio eius nominis quinto Pontifice max. propinquo suo, cui Bruno prius nomen fuerat, cōstituit, ut penes certos Germaniæ principes semper deinceps libera electio Rom. regis siue Cæsaris esset: nimirum tres Archiepiscopos, Moguntinensem, Colonienſem, ac Treuerensem: comitem Palatinum Rheni, ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandeburgensem. Quibus postea rex Boemiæ septimus à Rudolpho imperatore adiunctus est, qui paribus illorum suffragijs, controuersiam dirimeret: nec tamen prius is qui electus esset, imperator appellaretur, quàm à Pontifice max. confirmaretur, & ritu solenni ungeretur atq; coronaretur. Conrado autem Sueuo imperante, quemadmodum scribit Blondus, illud quoq; his institutis additum est, ut imperator designatus, priusquam Romæ à Pontifice confirmaret, siue inauguraretur, Modoeciæ primùm palea, deinde Mediolani ferro coronaretur. Posterius deniq; Aquisgrani fieri cœptū est id, quod Modoeciæ prius fiebat. Non multo post Otto, cum ex Italia in Germaniam reuerteretur, ueneno, ut creditum est, extinctus, Henricum Bauarorum ducē nouo instituto electum, successorem accepit, anno Christi 1003. Boleslaus aūt nouus rex, cū Volodimiro duce Russiæ, non recuperatis ijs quæ is patri ipsius ademerat, pacē fecit: ad Boemicū bellū spectans, ne pluribus eodē tempore bellis implicaretur. Nā Boleslaus Boemorū dux, ferox iuuenis, & futuri incogitans, de quo superius in Miecislao mentionē fecimus, improbo quorundam procerū suorum cōsilio adductus, q; ij non permissos se à Miecislao, Boemiā pro libidine

Boleslai splendor & munificentia.

Regni Poloniæ initium.

Clauus sacer & D. Mauritij lancea.

Rixa Miecislao desponsa.

1001. ann.

Otto Imperator Romā profectus.

Imperij Romani electores.

Blon. Dec. 2. lib. 3.

Imperij diademata.

Ottonis mors. Henricus imperator primus.

1003. ann.

Boemicum bellum.

sua uexare dolerent: Poloniæ fines circum Closcum oppidum ferro & igni, prædisq; agendis uastabat. Mittit ad eum Polonus legationem res repetitum, cognationi ætatiq; illius aliquid remittens: componitur pax. Eam non multo pòst Boemus, repetita in Poloniam incursione, rupit. Ibi rex læsam iterum patientiam suam indignatus, & grauibus suorum iniurijs & querelis iritatus, tumultuaria manu Boemum persequitur: quem cum intra regni sui fines non esset assecutus, auctis copijs Boemiam longè lateq; populatus est: oppida & arces partim ui expugnauit, partim in deditionem accepit: Pragam metropolim, & Vissegradum arcem, quò se dux Boleslaus cum Iaromiro filio receperat, biennio obsessam, fame ad deditionem compulit, fautoribus & adiutoribus ad omnia usus Cochano, & cæteris Rauitis, seu Versouicijs, principe tunc inter Boemos familia: cuius stemma gentilitium est, puella ursо insidens. Ducem Boleslaum, ne nouos posset ciere motus, Boemorum suasu oculis priuauit: Iaromirum filium eius, Rauitis in custodiam asseruandum tradidit, ipse, cum præfectos, qui nomine suo Boemiam administrarent, partim de suis, partim de Boemis, quos fideles sibi expertus erat, constituisset, præsidijsq; opportuna loca firmasset, uictorem reduxit exercitum: Vdelricum alterum Boleslai filium, ab Henrico imperatore affini suo, qui tunc bello Gallico ualde distinebatur, petenti sibi deditum, cum in custodia habuisset aliquandiu, non modo liberum, sed etiam equis, uestimentis, satellitibus, & uiatico lautè instructum, domum remisit, motus lachrymis & pollicitationibus cognati adolescentis: & quòd sanctè is deieraret, semper se in potestate regis Poloniæ futurum. Verebatur etiam rex, ne si Rauitæ uel fidem erga se mutarent, uel populi consensum reformidarent, Iaromirus, cui propter ætatem paternus principatus debebatur, ex ipsorum custodia elaberetur, & nouos cieret motus. Hunc ergo alterum beneficio suo sibi obligatum, ac dominandi cupidum, illi obijciebat. Is posteaquam ad suos peruenit, principatum suscipit, regi Polono obnoxium ac tributarium: fratrem Iaromirum excæcat, quo minus eum metuat. Ita de hoc Boemico bello Dlugossus, Miechouiensis, & Vapouius, nostri memoriæ prodidere. Æneas Syluius, qui postea fuit Pontifex max. assumpto Pij secundi nomine, aliquanto aliter hæc refert. Scribit is, à Mescone Cracouiam Boleslao tertio duci Boemorum per fraudem ereptam: ipsum deinde per inducias, post bellum utrinque gestum, & agros uastatos, factas, eòdem ad colloquium euocatum, non seruata fide captum, & luminibus orbatum: comitatum eius, exceptis Rauitis, quos ille Vrsouicenses, ab ursa fortasis, uocat, trucidatum: Boemiam uastatam, & in ditionem Polonorum redactam excepta arce Vissegradensi, quam Iaromirus non filius, sed frater, ut ipse uult, ducis, è manibus Rauitarum, necare eum uolentium, populi concursu liberatus, retinuerit. Vdelricum postea tertium fratrem, re cognita, ab Henrico Imperatore dimissum, Boemiam omnem deiectis Polonorum præsidijs recuperasse, & Iaromiro fratri oculos eruisse: filium Prædislaum, quem ille depra-

Boemia subacta à Polonis.

Praga & Vissegradum regi Polono dedita.

Rauitæ, seu Versouicij.

Boleslaus Boemus excæcatus.

Vldericus dux Boemiæ, Polono regi tributarius.

Boemi regi Polono tributarij.

Iaromirus dux excæcatus à fratre.

Æneæ Syluij error.

Prædislaus Vdelrici filius.

uatè

uatè Bizetislaum uocat, (nisi fortè typographi hic error est, quòd secũdam literam i pro r posuit) ex Bozena rustica uxore suscepisse, eumq; adultum Lutham Ottonis Ruffi imperatoris filiam rapuisse: eam bellum inter patrem & socerum atq; uirum, propter se exuscitatum, interuentu suo sustulisse. Tametsi Venceslaus Hagecus eam Ottonis, non imperatoris, uerùm Comitis Bauari filiam fuisse uult. Hæc fermè, tametsi non ijsdem uerbis, Æneas Syluius: uir magnus quidẽ ille, & in magnis rebus uersatus, sed uel Polonis ob negatam episcopam Varmiensem, ut aiunt, nimio plus iniquus: uel à Boemis malè edoctus, cum quibus in aula Friderici tertij Imperatoris, qui tunc Ladislai pueri Boemorum regis, propinqui sui tutor erat, familiariter uixit. Obseruare is certè aliquanto diligentius conuenientiam rerum atq; temporum debuit, si scriptis suis fidem derogare noluit. Primùm enim confundit Æneas hanc expeditionem Polonorum in Boemiam cum superiori, cuius nos in Miezislao meminimus: et nullam facit Boleslai Poloni, clarissimi principis mentionem. Nostri eas distinguunt, differtéq; utriusque causas produnt: nec ullum à Miezislao, siue Mescone, bellum contra Boleslaum affinem susceptum, sed principatum ei puero statim post mortem patris uindicatum memorant: & quidem eo ipso anno, quo Miezislaus quoque mortuus est. Porrò à Boleslao rege susceptum quidem esse bellum contra illum ipsum Boleslaum, sed prouocato iniuria. Et sanè, ut demus Syluio, quamuis contradicente Hageco, longè pòst quàm Boleslaus Boemus in principatu patri succesit, Miecislaum nostrum obijsse: tamque cupidum eum fuisse, ut affini principatum per scelus eriperet, haud ita pridem susceptа, ac tam sanctè, quàm ostendimus, culta religione Christiana, est ne credibile, eum ab obsidione Vissegradensi re infecta, dimissáq; è manibus uictoria, discessurum, & Iaromiro renouandi belli, atque eripiendæ sibi tanto studio, labore & sumptu petitæ Boemiæ opportunitatem relicturum fuisse? Non conueniunt cum tanta cupiditate, tanta incogitantia & ignauia. Iam Cracouia in Polonico solo, quod Syluius non uidit, à Polono condita, & minimum quadraginta milliaribus Germanicis à finibus Boemicæ ditionis tunc remota, quæ eripi Boemis potuit, quam illi imperio nunquam obtinuerunt, nec sanè potuerunt, nisi pariter interiacentem partem Poloniæ permagnam, quæ postea Silesia dicta est, aut Morauiam etiam finitimam obtinuissent? At Silesia quomodo aut quando Polonis adempta sit, nusquam ille ostendit: nos alibi ostendemus. Tunc autem eam in Polonorum ditione fuisse, iam liquere debet ex eo, quòd Smogorouiensem siue Vuratislauiẽsem ecclesiam, ac diœcesim, quæ Silesiam ferè omnem complectitur, ab isto ipso Miezislao, quem Æneas Mesconem uocat, constitutam esse constat. Morauiæ uerò permagnam partẽ à Polonis subactam fuisse, Arnolpho Romanis imperante (qui sunt sexaginta plus minus anni ante Mesconis tẽpora) ipse etiã Syluius testat, et nos superius memorauimus. Boemi uerò posterius in ea pedẽ posuere, uel ipso Hageco teste: q hęc nõ uidit, cũ Syluiũ sequeret. Quanq; illud tamẽ animaduertit, nõ potuisse hęc geri à Miezis-

Aeneas Syluius cur Polonis iniquior.

Polonorum expeditiones in Boemiam.

Cracouia an fuerit in ditione Boemorũ.

Silesia pars Poloniæ.

Morauiæ magna pars subacta à Polonis.

Miezislao siue Mescone, præsertim quod ad excæcationẽ Boleslai tertij Boemi attinet: proinde ipse Boleslao Miezislai filio id atrribuit. De Iaromiro quoq;, & Vdelrico, & Prædislao dissentit idem à Syluio: propterea quòd ille temporum rationem ita confundit, ut ipse se paulo pòst refellat. Cum enim & ipse Vdelricum iuuenem etiamtum ab Henrico imperatore, cuius tempora in Mesconis principatum nusquam incidũt, dimissum, ac non Polonorum regi, quemadmodum superius nos diximus, condonatum esse sentiat: mox Prædislaum Vdelrici filiũ, Ottonis imperatoris filiam uxorem sibi rapuisse, eamq; contumeliam Ottonem bello persecutum esse uult. At enim, non Otto Henrico, sed Henricus Ottoni defuncto, & quidem priusquam nasceretur Prædislaus, in imperio successit. Fratres quidem Boleslai huius Boemi fuisse Iaromirum & Vdelricum, ac non filios, ut uult Dlugossus noster, atq; etiam Hagecus, non difficulter Syluio concesserimus. Nam cum pauciores quàm decem anni, inter superius illud Miezislai, & alterum hoc Boleslai filij eius bellum, secundum eundem Dlugossum, intercesserint, non est uerisimile, Boleslaum Boemum, iuuenem etiamtum, hoc bello adultos iam filios habere potuisse. Tametsi Hagecus aliter sentit de ętate illius, inconstanter quidem & inconueniẽter, ut nobis uidetur: de Vlderico autem fabulose etiam, sicut pleraq; alia. Quem diuinitùs liberatum è carcere Henrici Cæsaris, & in Boemiam delatum, subulci opera cum paucis adiutoribus, Pragã, pulso ignominiosè Boleslao rege Polono, exercituq; eius conciso, recepisse scribit. Idem aliquãto pòst memorat, Boleslaum, cum bellum contra Vdelricum & Boemos instauraret, graui morbo à cœpta expeditione retractum esse: resumptis autem uiribus, mox prosecutum intermissam expeditionem, Closcum obsedisse: inde uerò, coorta in exercitu eius dira peste, quasi diuinitùs admonitum, inglorium ab inauspicato bello reuertisse: uno autem, anno intermisso, Morauis eum bellum intulisse, totamq; Morauiam peruastasse: nec potuisse ab Vngaris inde depelli, ac ne à Boemis quidem, cum ij Morauis amicis suppetias iuissent. Ac Morauici quidem belli etiam Vincentius ac Dlugossus, & alij nostri mentionem faciunt, uoluntq; illam quoq; gentem tunc tributariam regi Polono factam esse: Boemici uerò istius alterius, nemo. Et sanè leuiusculus in eo, sicut in pleriscq;, uidetur esse Hagecus. Hæc nos, non quòd dissimulandũ nobis esse in historia domesticũ aliquod scelus aut crimen existimemus, neq; contẽtionis studio, sed ueritatis uindicandæ gratia ab instituto digressi, disputauimus. De quibus liberum lectori iudicium relictum esto. Vincentius quidem noster, & qui pòst eum, ante Dlugossum, Polonorum res gestas literis mandarũt, breuiter, subactos esse ab hoc Boleslao Boemos & Morauos, ac tributarios factos, prodidere. Vtrumq; autem bellum, Boemicum scilicet ac Morauicum, intra quintum annum pòst susceptum regnum ab eo confectum est. Deinde anno Christi 1008, quemadmodũ Dlugosso placet, Rusicum bellum eum excepit, maiore apparatu, ac prolixius, sed non minus prospero euentu gestum. Rusiæ principatum amplissimum Volodimirus uiuens

De Vlderico duce fabulæ.

Morauí Polono regi tributarij facti.

1008. ann. Rußicum bellum.

uens inter duodecim filios partitus erat,& Visseslao natu maximo Nouogrodum,Isaslao Pultuscum(nisi fortè Poloscum legendum est) Stopolco Turouiam, nescio an Tuuerã potius, Iaromiro Rostouiam. Nec multo pòst, cum Visseslaus obijsset,translato Nouogrodum Iaroslao, Rostouiam Borislo,Glebo Muromum, Stoslao Dereuos, Vusieuolodo Vulodimiriam,Mescislao Torocanum,Stanislao Smolenscum, Plescouiam Sudislao, Volyniam Posuisdo attribuerat. Verùm ij partitione paterna nõ contenti, post mortem patris mutuò inter se principatus inuadebant,bellumq; ciuile concitabant.Ex his Stopolcus, siue Suentopelcus,qui cognita morte patris Kiouiam occuparat, duobus fratribus Glebo & Borislo, quos Rusi in diuorum numerum postea retulerunt, dolo occisis,ab Iaroslao tertio fratre,cæsorum necem ulciscente,superatus,& Kiouiensi principatu eiectus,in Poloniam ad Boleslaum regem confugit.Eius rogatu susceptit impigrè Boleslaus expeditionem aduersus Russos,cùm ut exulem supplicẽ reduceret, tũm ut ea quæ pater suus Miecislaus amiserat, recuperaret, & regni sui fines cum gloria longius proferret.Ingressus fines Rusiæ, obiter obuia quæq; populatur, incendit,diripit,arcibus oppugnandis abstinet, quæ tamen perpaucæ munitæ erant.Nam pagis,uicis, & oppidis ferè, nulla arte munitis,Rusi, itidem atq; Poloni,& omnes ferè Septentrionales gentes, antiquitùs habitant.Iamq; ad Lucensem siue Volynienſem oram rex cum infesto exercitu peruenerat.Ibi occurrit ei ad Bogum fluuium,quem Hipanim esse uolunt,Iaroslaus cum expeditis suorum copijs,& magnis Varaiorum atq; Pecinigorum auxilijs: quarum gentiũ memoria quoq; iam extincta est. Prior rex maledicto Bludi Palatini Rusi,Iaraslao charissimi iritatus,copias suas celeriter armatas fluuium traijcit. hostes subita re tumultuantes,& instruenda acie impeditos adortus, magna strage, quamuis acriter repugnantes,profligat:castra opulenta diripit:Iaroslaum fugientem persequitur.quem ubi suis diffisum, in remotiores paludes sese recepisse accepit, Kiouiam, insignẽ ea tempestate urbem,cuius amplitudinem & splendorem ingentes ruinæ adhuc testantur,non longi temporis obsidione & fame,propter infinitam hominum multitudinem,quę undiq; eò confugerat,adactam,per deditionẽ accepit:intactamq; thesauro tantum principis in donatiua militum & in sumptus belli ablato,Stopolco restituit. Distributo in hyberna exercitu,ipse Kiouiæ cum paruo præsidio stabiliendi Stopolco principatus gratia, hyemare statuit. Quo explorato,Iaroslaus raptim coacto exercitu,Boleslaum securum & inopinantem opprimere conatus est. Sed re per exploratores regi nunciata, non modò frustratur,sed magna iterum occidione superatus,Nouogrodum,quæ urbs in ditione eius, patris instituto erat, profugit. Aliud autem hoc est Nouogrodum in ditione Seuerienſi,ab illo,quod magnum uocatur: quod quidem ad occidentem solem & Liuoniam uergens,longissimè abest à Kiouia. Nouogrodenses, ut erant potentes & opulenti, ducem suum ulteriorem fugam,abiecta spe omni,meditãtem,recreant, confirmant,stipendio militibusq; ad instaurãdum bellum iuuant.Dum

Volodimiri filij.

Russorum bella ciuilia.

Stopolci fuga in Poloniam.

Gleb & Boriss. sancti apud Russos.

Boleslai regis expeditio in Russiam.

Septentrionales populi carent urbibus munitis.

Boh fluuius Hipanis.

Russi profligati à rege.

Kiouia per deditionem accepta.

Iaroslaus bellum renouans, iterum superatur.

Nouogroda duo in Russia.

hæc fiunt, Kiouienſes pertæſi impendiorum, tamq; diuturnæ moræ regis apud ſe, milites Polonos nihil tale metuentes per omnẽ occaſionem clàm excipere ac trucidare, ſiue iubente, ſiue conniuente Stopolco. Hac iniuria commotus Boleslaus, cum nihil amicè monendo proficeret, in prædam dat Kiouiam, militibus indignantibus. Arcem receptam de poteſtate ducis, & alia quædam loca opportuna præſidijs munit. ipſe cum reliquo exercitu, primoribus Ruſsis compluribus, atq; duabus filiabus Volodimiri ducis in loco obſidum deductis, quarum unam Prædislauam, ut habẽt annales ipſorum, per uim ſtuprauerat, primo uere victor in Poloniam reuertitur, cum tres columnas ferreas permagnas fixiſſet in Boriſthene ſeu Nepro, quà Zula fluuius influit, ad memoriam victoriæ ſempiternam. Diſcedentem Iaroslaus cum ualido exercitu, apud Nouogrodum comparato, ad Bogum conſequitur: ſed tamen victorem, quamuis incompoſitè reuertentem, ac dilabentem iam exercitum adoriri non auſus, benè gerendæ rei occaſionem, clam ſubſequens, captabat. Cuius aduentu ab exploratoribus cognito, rex, reuocatis celeriter, quos potuit, militibus, pauca apud eos concionatus eſt, quibus eos fiducia ſuperiorum victoriarum ad delẽdas reliquias bis victi hoſtis inflammaret: ſimul periculi imminentis & ignominiæ admoneret, ſi pugnam detrectarent, aut adeò trepidarent, & cùm præteritas victorias ſibi eripi, tum patriam cædibus & incendijs fœdari, uxores, liberos & parentes ſuos chariſsimos in ſeruitutem & in contumeliam abripi paterẽtur. His dictis incenſos, & ad mortem, ſi quid durius accidat, pro patria, pro libertate, & pro gloria nuper parta, paratos, in hoſtem ducit. Ille Polonorum paucitate contempta, acriter initiò manus conſerit. Sed urgentibus noſtris, regeq; & imperatoris & militis officium faciẽte, pelluntur Ruſsi. Magna in prælio, maior multo in fuga cædes editur, ita ut Bogus ſanguine cæſorum rubuiſſe dicatur. Viui multi in poteſtatem uenêre, capta impedimenta, relata complura ſigna militaria: dux hoſtium abiectis ducalibus inſignibus, mutatiſq; equis euaſit. Ruſſorum annales nullam neque ſecundi, neq; tertij huius prælij mentionem faciunt. Sed poſt diſceſſum regis, Iaroslaum contra Stopolcum arma reſumpſiſſe memorant: eum uerò Pecinigorum auxilium imploraſſe: commiſſoq; prælio prope eum locum, ubi Boriſſus interfectus erat, totum diem dubio Marte dimicatum eſſe: ad extremum, Stopolcum victuum in Poloniam profugiſſe, & in ſolitudine quadam inter Poloniam & Boemiam hiatu terræ hauſtum perijſſe. Verùm hæc etiam poſt tertiam uictoriam, & poſteaquam Boleslaus rex Ruſsia exceſsit, accidere potuerunt. Ille quidem victor in regnum ſuum reuectus, uota Deo perſoluit: templa complura, ſed Gneſnæ in primis, hoſtium ſpolijs ditauit, ornauitq; proceres & milites eos, quorum uirtus maximè præclaro aliquo facto perſpecta erat, pro meritis collaudatos, honoribus et premijs affecit. Chrobri, hoc eſt, acris appellationem, propter excellentem uirtutem & animi magnitudinem à Ruſsis tributam, accepit: indeq; nouam arcem uno à Viſlicia milliario conditam, Chroberſum nuncupauit: uſus Chabrum Boleslaum

Kiouia direpta.

Columnæ Boleslai in Boriſthene.

Ruſſi tertiùm profligantur.

Ruſſica hiſtoria.

Donaria ex manubijs Deo dicata.

Chrobri.

Chroberſum arx condita.

laum pro Chrobro dici obtinuit. Monasterium Secechouiēse supra Vistulam in tractu Sendomirienſi Benedictinis ſodalibus conſtruxit, conferente patrimonij ſui partē Sececho Palatino Cracouienſi, & magiſtro militiæ Polonæ ex gente Topororum, à quo monaſteriū id nomen accepit. Conſtruxerat etiam idem rex ijſdem monachis paulo ante Ruſsicū bellum, aliud monaſterium in monte Lyſezo, ſiue Caluo, orante & hortante Emerico Stephani regis Vngarię filio, uiro ſancto & caſto, qui lubens cum Boleslao propinquo uitā degebat in Polonia. Atq; is portionem crucis CHRISTI, quā Conſtantinopolitanus imperator patri eius Stephano magni muneris loco miſerat, quaq; ipſe pro amuleto utebatur, in eo loco repoſuit, ubi in hanc uſq; diem ſalutaria hominibus eduntur miracula. Hoc tempore, atq; adeò ante Ruſsicum bellum, quemadmodum Dlugoſſo placet, ſex uiri religione & ſanctimonia uitę inſignes, durā & incultam uitam degebāt in ſolitudine maioris Poloniæ, ubi nūc eſt Cazimiria oppidū. ex his quinq; à conſceleratis quibuſdā, crudeliter excarnificati, pridie Idus Nouemb. interfecti ſunt: ſextus, qui tunc abfuerat, aliquāto pòſt ſua morte uitā finiuit. Cū diuo Adalberto eos ex Italia in Poloniā ueniſſe, Hagecus exiſtimat: Dlugoſſus uerò, duos ex his Boleslao regi poſtulāti, à Romualdo Camaldulēſi abbate ſancto miſſos eſſe, his deinde reliquos quatuor noſtrates in ſocietatē uitæ ſeſe adjunxiſſe, ſcribit. Cauſa autem ſceleris fuit, aurū, quod latrones à Boleslao rege ipſis donatum eſſe cognouerant, ſed repudiatum remiſſumq; ab ipſis neſciebant. Ferunt, tuguria eorū ab ijſdem latronibus incenſa non arſiſſe: ipſos cum exitum ſyluę non inuenirent, regis iuſſu comprehenſos, & ad martyrum tumulum alligatos, ut acerbiſsimū famis ſupplicium expenderent, diuinitùs cadentibus ultrò uinculis ſolutos eſſe: cum pœnitentia patrati ſceleris ducti, ad Dei clementiam, & eorum quos dudum necarant, patrocinium confugiſſent. Per hæc eadem tempora Turcæ Scythica gens, ſubacta Cappadocia, Bithynia & Armenia, imperium in Aſiā, Syriamq; protulerunt, & Ieroſolymam urbem anno Chriſti 1012 cęperunt. Deinde uerò ex paruis pudendisq; initijs, ad tantam, quantā nunc cernimus, magnitudinem imperium ſuum ſucceſſu temporum perduxerunt, Chriſtianis imperatoribus & principib. inter ſe belligerantibus, et ad reſtinguendū cōmune quaſi incendium non concurrētibus. Confecto, ut iam diximus, Ruſcico bello, Boleslaus rex, ne ſui diuturno ocio torpeſcerent, & ut ea quæ Poloniæ maiorū ſuorū negligentia adempta erāt, recuperaret, eo ipſo anno cuius modò mentionē fecimus, Saxonibus bellum intulit. Saxones ęm Henrico primo Saxone rege, et filio eius Ottone primo eius nominis Imperatore Rom. regnantibus in Germania, plerāq; omnē eam Poloniæ oram, quā Leſcum tertiū inter uiginti filios partitū eſſe ſuprà narrauimus, partim armis, partim proditiōe Tugumiri ducis, ditioni ſuę ſubiecerāt, quemadmodū ſuperius expoſuimus. In hos ergo duxit Boleslaus, & ſub ſignis progredit, ſperās hoſtes ad dimicationem pręlij uenturos eſſe. Quę poſtq; eum opinio fefellit (nam hoſtes in auias ſyluas ad impeditas paludes ſeſe abdiderāt) longè lateq; excurrit, rapidi torrentis

Secechou ienſe monaſterium conditum.

Lyſecenſe monaſterium.

Emericus ſanctus Stephani regis Vngar. filius.

Crucis Chriſti portio in monte Caluo.

Sex eremitæ martyres.

Cazimiria maioris Poloniæ.

Romualdus abbas ſanctus.

Miraculum.

Turcarum incrementa.

Ieroſolyma capta. 1092.

Saxonicum bellum.

Saxonia naſtata à Polonis.

Magdeburgũ. Miſna. Hiltẽſeimum. Mechelburgũ.

torrentis in modũ obuia quęq; ſternens et euertens, ita ut Meideburgũ, ſiue Magdeburgũ, Miſna, Hiltenſeimũ, Mechelburgũ, inſignia oppida, exitiali illa quaſi inundatione & incendio Polonorũ conſumerent. Quæ

Henricus Bauarus Imperator.

Henricus Bauarus imperator, de quo ſuperius mentionẽ fecimus, aliquã to pòſt à Gallicis & Italicis bellis, quibus tunc impeditus abfuerat, reuerſus, inſtaurauit. Porrò qui Polonici ſeu Slauici erant nominis, certatim

Vindarum ſeu Slauorum deditio.

Boleslao, partim propter cognationẽ linguę & ſanguinis, partim clemẽtia & liberalitate eius inuitati, partim etiã metu adacti, ſeſe dedebãt. Ita is hoſtico uexato, uaſtatoq;, cum nuſq; in aciem prodirent hoſtes, & ſua quoq; auertendorum noſtrorum cauſa ipſi exurerent, omnem illam orã latiſsimam, quæ olim à Slauis & Polonis poſſeſſa fuerat, uſq; ad Albim

Cherſoneſus Cimbricą Dania.

& Salam fluuios, & Cherſoneſum Cimbricam, quę nunc Dania ſiue Dacia eſt, magna celeritate in ſuam poteſtatem redegit. Principibus Slauis, qui adhuc ſupererant, Saxonũ dominatu liberatis, nullum tributũ impoſuit. Ac cętera quidem eos ſui iuris eſſe paſſus eſt: ſed ſacramẽto tantum in ſua & ſucceſſorum ſuorũ regum Poloniæ uerba adegit & obſtrinxit,

Vindæ religionẽ Chriſtianã ſuſcepere.

& ad ſuſcipiendã religionem Chriſtianam, quã propagare quoquouerſus in primis ſtudebat, adduxit: tametſi Henrici Bauari imperatoris armis eos Chriſtianos factos eſſe, apud Bonfinium, Vngaricarũ rerũ ſcriptorem, & alios quoſdam hiſtoricos reperio: uultq; idẽ Bonfinius, Boemos quoq; & Polonos uniuerſè ab eodẽ imperatore armis ad profeſsionem Chriſti adductos eſſe. Verùm facile id ratio temporum refutat, cũ

Bõf. Dec. 2. l. 1. Poloni & Boemi ante Henricum Imperatorem Chriſtiani fuere.

utramq; gentem longè ante hunc imperatorem, religionem Chriſtianã ſuſcepiſſe cõſtet. Ille enim anno Chriſti milleſimo ac tertio imperare cœpit. Poſuit autem Boleslaus rex itidẽ in ripa Salę tres columnas ferreas,

Boleslai columnæ in Sala.

uictoriæ ſuæ monimentum, & regni Poloniæ limites. Venceslaus Hagecus, neſcio quo authore, ſcripſit, Boleslaũ prędabundũ crebras excurſiones in Marchiã Brandenburgenſem & Saxoniã feciſſe: cũq; legatis Hagecus.

Falſa quædam de Boleslao Chrobro.

Henrici imperatoris ab inſtituto eũ reuocantibus ſuperbius reſpondiſſet, imperatorem cũ magnis copijs ingreſſum in Poloniam, haud longè à Cracouia abfuiſſe. Ibiq; duobus prælijs uictorem Boleslaum, dum pertinacius fugientes Germanos perſequitur, captũ, Henricoq; traditum, ingenti pecunia ſeſe redemiſſe. Verũ uiderit ille, ne imprudẽs his Henrico & Boleslao accommodarit, quę de alijs memoriæ prodita ſunt à noſtris: & quidẽ affingens nonnihil, ne dicã multa, de ſuo, quę nos ſuo loco attingemus. Aliorũ quidẽ quotquot de Henrico hoc literis aliquid mandarũt, nemo quicq; eiuſmodi de eo ſcriptũ reliquit, quod ego ſciã, pręter Lam-

Lampert. in hiſt. Germ.

pertum Saffnaburgenſem: qui tamen Henricũ bis duxiſſe modò exercitũ cõtra Polonos memorat, nimirũ anno Chriſti 1015. & iterũ anno 1017. niſi fortè huc detorquendũ eſſe duxit id Hagecus, quod apud H. Mutiũ

H. Mut. lib. 14 Germ.

uel alium quempiam Germanum ſcriptorem legerat: Henricum hunc exercitũ duxiſſe in Boemos & Slauos, & cum his ſæpius congreſſum, ſemper uictorem diſceſsiſſe, admodũ exiguam ſuorũ iacturam paſſum. Eos uerò prælio pręter alia maiore poſtremò uictos pacem petiuiſſe, & iugum admiſiſſe. Subiugatis autem Boemis, & eorũ principe Boleslao,

quem

quem ille Bodislaũ deprauatè uocat, apud illos iura & leges in reb. profanis ac sacris ordinasse. Hæc ipsis ferè Mutij uerbis relata, uiderit æquus lector, an ad Boleslaum nostrũ & Polonos pertineant: nos ad curriculũ nostrum reuertamur. Non multo tempore post hoc bellum quieti dato, aliam rursus expeditionem Boleslaus rex in Prussos suscepit, indignam diui Adalberti, necem ulturus, & illam quoq; gentem suo adiectu rus imperio. Fuerit aũt operæ precium hic paulò altius eius gentis originẽ ac mores repetere. Inter multas Sarmatiæ Europeæ gentes Borusci à Ptolemæo in geographia ad Septentrionẽ ualde remoti ponuntur in ea ora, quam nunc Liuones & Moschi, ut opinor, obtinẽt, ultra Cherniscũ amnem, Rhyphæis uicini. Eos ego aliquo tempore ad meridiem & occidentem progressos, magnam Sarmatiæ partem, quæ ab oriente Russis & Moschis coniungitur, à meridie nemoribus & Hercinio saltu claditur: & omnem illum tractum qui secundũ Venedici, siue Balthei & Codani sinus litus, usq; ad Vistulam & Ossam fluuios pertinet, tenuisse: & Borussos siue Prussos, deflexo paulum nomine, dictos esse, cum Erasmo Stella crediderim. Quibus finibus nunc Liuones, Lituani, Samagitæ, & Prussi uetus nomen retinẽtes, continentur, gentes imperijs quidẽ & rei pub. ratione nunc distinctæ, sed eadem penè inter se lingua uulgò adhuc utentes, Slauicæ prorsus dissimili, sed quæ non paucas habeat admixtas latinas uoces, corruptas ferè, & magis Italica uel Hispanica notã signatas q̃ Latina. Quanq̃ Theutones & Germani in eam orã quę maritima est, & Prussia ac Liuonia nunc uocaẽ, deuictam, colonias posteriori tempore deduxerunt: quod suo loco attingemus. Hinc usitatior iã est apud eas gentes lingua Germanica, q̃ uetus illa & uernacula, præsertim in urbibus & oppidis: quemadmodũ & apud Lituanos usuuenit, ut propter uicinitatem cõmerciaq; Russorum, & colonias etiam deductas, multum utanẽ sermone Rusico. Nã quod Dlugossus à Prussia Bithynię rege originẽ illius gentis deducit, fabulosum est omnino, nec refutatiõe indiget. Quidã Borussos, quasi Russis finitimos, à Germanis lingua uernacula dictos esse existimant: ueré ne an falso, non disputo. Quando aũt & quonam modo Latina lingua cũ uernacula Prussorũ, Lituanorũ, Liuoniq; sese miscuerit, dicere non habemus. Erasmus quidem Stella Prusiã Romanis armis tentatam magis, quàm uictam esse, memorat, Pliniumq; authorem citat: quo fit, ut cum imperio Latina lingua eò peruenire nõ potuerit. Dlugossus uerò scribit, ciuili bello, quod inter Cæsarem & Pompeium gestum est, manum quandam Romanorum deserta Italia, in ijs oris consedisse, urbemq; cõdidisse, & Romoue de Romæ nomine dixisse, eamq; diu metrõpolim gentis fuisse. Quod si uera est Dlugossi sententia, suspicari quis posset (si quis tamen locus est suspicioni in Historia) eam Romanorum manum, duce Libone aliquo, ad ea litora Venedici sinus, quæ ad exorientem solem spectant, & Russis finitima sunt, uel ui tempestatum appulsam esse: uel certo cursu Cæsarum tyrannorum sæuitiam fugientem, secessisse, & Liuonum siue Liuoniorum appellationem à Libone accepisse. Deinde propagatis finibus alios, Lituanos,

Prussicum bellum.

Prussorum origo.

Borusci.

Erasm. Stella. Prussi, Lituani, Liuones & Samagitæ, eadẽ ferè lingua utuntur.

Germanicæ linguæ usus in Prussia.

Russicæ in Lituania.

Prussi unde dicti.

Preissen, quasi beireissen.

Latina uerba apud Prussos.

Romoue urbs in Prussia.

Liuonij.

magis iam corrupto uocabulo dictos esse, alios uetus Prussorum nomẽ retinuisse. Quancp autem Pomeraniæ quocp magna pars, & Culmensis, ac Michalouiensis ora, posteacp eodem cum Prussis iure uti cœperunt, & in ditionem Theutonũ Crucigerorum, uti post dicetur, concesserũt, Prussiæ nomine censeri cœperunt, atcp ita nos quocp nonnuncp posteri us utemur eo nomine: reuera tamen, ac propriè Prussia ea est, quæ est inter Vistulam, Deruanciam, Ossam & Nemenum fluuios, & sinum maris suprà memoratum: & à Lituanis atcp Masouijs, densis ac palustribus syluis dirimitur. Nemenum autem eum esse uolunt, qui à ueteribus geographis Chronus appellatur, Germani Memelam uocant: qui in finibus Russiæ, quæ Podlassensis dicatur, ortus, Lituaniamcp & Samagitiã emẽsus, in sinum Venedicum, qua is extremã Prussiam & Liuoniam alluit, sese exonerat. Fuit autẽ antiquitùs gens Prussorũ fera & bibax, lac equinum in delicijs habens, ante mellis cũ aqua despumationẽ cognitã. Vxores quot cuicp libuisset ducere ius fascp erat, eascp pro ancillis habere: hypocaustorũ siue balneorum usu penè quotidiano lassitudinẽ, labore uel intemperantia & ebrietate contractam, depellere, indecp excalfacta corpora frigidæ aquę immergere aut abluere, etiamnũ hyberno quocp tempore solẽt. Corpora defunctorum cũ preciosissima uestiũ, equorum & armorũ supellectili cremabant: manibus interfecti cędę humana parentabant. Solẽ, lunã, bestias, serpentes, aues, aquã, ignẽ, & nescio quid non pro Dijs colebant. Criue aũt uocabant sacrorũ antistitẽ. His ergo Boleslaus rex bellũ intulit, & per Culmensem tractũ, qui Polonicę ditionis erat, hostiles terras ingressus, agros uastat: Razinum, Romoue & Balgã arces, nullo negocio capit & incendit: uicos & pagos diripit. Oppida enim pauca, eacp ferè natura locorum, non arte manucp munita, tũc Prussi habebãt: sed in syluas acp paludes ad primũ aduentũ hostilis exercitus sese occuluerant. Ex quibus cũ regionem suam uastari longè latecp prospicerent, supplices pacẽ à rege petunt, & impetrant: tributum pendunt, & pensuros se deinceps quotannis promittunt. Dimittit ibi rex, qui barbarã gentem rationẽ & ritus Christianę religionis docerẽt. Ipse uictor recedens, in Ossa flumine ferream columnã ponit, mille passibus à Rogosno oppido. Vnde uicina uilla Slupi, hoc est, colũnæ nomẽ accepit. Biennio ab eo bello quieuit Boleslaus, quo tempore multa quæ ad religionis maiestatem, & ad rempub. belli domicp administrãdam pertinere uidebantur, sapienter constituit. Interim optatam pacem Iaroslaus dux Russorũ turbauit. Is enim, dum Boleslaus alijs bellis, quæ modò commemorauimus, distinetur, Kiouiensem principatum, Stopolco fratre uno, quem admodũ suprà indicauimus, siue duobus, secundum Dlugossum, secundis pręlijs uicto, & dũ ad Boleslaum refugit in itinere mortuo, denuò inuaserat: Nouogrodensem etiã à Prędislao, Isaslai fratris filio sibi ademptũ receperat: Rededã Cosarorũ ducẽ singulari certamine uictũ interfecerat, gentẽcp illã tributariã sibi fecerat: & quamuis às Miecislao fratre superatus, & Kiouiẽsi principatu exutus esset, tñ fratris eiusdẽ benignitate & misericordia restitutus erat, quẽadmodũ à nostrię memori

Prußiæ nomine etiam Pomerania & Clunensis quãdocp accipitur.

Prußiæ fines. Ossa fluuius. Deruancia.

Nemenus siue Chronus, siue Chronis flu.

Mores Prussorum.

Balnea Prussorum & Lituanorum.

Prussorum exequiæ.

Dij.

Criue antistes Prussorum.

Culmensis tractus Polonicæ ditionis.

Prußi munitionibus caruere olim.

Prußi tributarij Polonorum regi.

Columna Boleslai in Ossa.

Rogosnum oppidum.

Iaroslaus Russorum dux.

Kiouiensis principatus à Iaroslao occupatus.

memoriæ proditum est. Nam Russorum annales hoc loco Kiouię captę & restitutæ nullam faciunt mentionem. Illud modò memorant: post atrox prælium inter fratres commissum, Mescislaum partitum esse cum Iaroslao principatum Russiæ; ita ut ei quicquid cis Neprum est concederet, ipse Seuerienſi ditione ultra Neprū contentus. His igitur constitutis rebus, cum fratre Iaroslaus bellum aduersus Boleslaum regem magno apparatu renouabat. Rex nō rumoribus modò, sed crebris atq; certis præfectorum suorum, & præsidij, quod in Russia reliquerat, nunciis excitus, contra hostem cum exercitu proficiscitur. Ducebat & Iaroslaus ingentes copias, in Poloniam inuasurus. Veniunt in conspectum apud Bogum amnem exercitus. Decreuerat eo die Boleslaus prælio non dimicare, ob reuerentiam diei Dominici, simul ut hostium copias & consilia prius cognosceret. Sed magnam in bellis uim fortuna habet, paruisq; interdum momentis permagna fit rerum atq; consiliorum mutatio: ut tunc accidit. Nam pugna inter paucos primū lixas & aurigas, dum adaquant equos, apud flumen, quod castra dirimebat, orta, mox pluribus utrinq; cōcurrentibus incaluit. eminus res sagittis & iaculis, & cominus etiam ab audacioribus nonnullis in flumine gerebatur: cū Polonicus exercitus omnis celeriter armatus fluuiū tranat. Cōmittitur acre prælium: cedere loco hostes, nostri magis instare: ibi dux hostiū à suis impulsus, fuga saluti suæ cōsuluit. Tunc effuso cursu omnes passim ex acie diffugiūt. Magna strage cùm in prelio tū in fuga concisis atq; debilitatis hostibus, rex pacem dedit supplicibus, tributum modicū imposuit: captiuos omnes, quos uel hoc, uel superiori bello ceperat, uel obsidū loco habuerat, liberaliter dimisit. Hoc bellum anno post Christū natum 1018. confectū est, ut uult Dlugossus. Non assentior autem ijs, qui siue alterū hoc bellū Russicum, siue prius etiam, à Boleslao propter negatum sororis Iaroslai cōiugium, quā postea in concubinę loco ipsi fuisse aiūt, susceptū esse autumant. Nā ut faciamus, principem tam temperantē, ut non melius populis & gentibus, q̄ suis cupiditatibus dominaretur, prouecta iam ætate, tot rebus gestis clarissimis, tantum libidini indulsisse, ut bello uxorē sibi quærendā existimaret: quid causæ erat, cur eā aliunde peteret, negatam q̄ bello persequeretur, quā domi ipse obsidis loco, ut diximus superius, habebat? aut partā bello cur uiduus pro concubina, ac non pro iusta uxore haberet, cuius amore tantum exarsisset, & in qua ipsa nulla hærebat culpa, quòd à fratre tradita non esset? Sed mitto disputationem: pace per circuitum parta, auctoq; & propagato in omnes partes cum laude atq; gloria imperio, Boleslaus rex reliquum uitę tempus quieti et cōstituendę domi reipub. dabat, duodecim utens consiliarijs, quos è tota Polonia probatissimos, & annis iudicioq; graues delegerat: quos etiam quoties animum remittere uolebat, unà cum uxoribus ipsorum mensæ suæ & conuiuio adhibebat, iudicia exercebat: tenuiores, dum litis finem expectant, sumptu mensaq; sua subleuabat. Fertur aūt quadraginta mensas, exceptis minoribus alijs, quotidie apud eum solitas esse instrui, ad quas accūbere uolētibus licuerit. In itinere si quē rusticum hominē, aut alio-

Rußicum bellum.

Prælium.

Boleslai uictoria de Rußis.

1018 ann.

Falsa causa belli Rußici.

Boleslai studia in pace.

Consiliarij duodecim.

Comitas regis.

Comitas regis. aliòqui pannosum conspexisset, accersebat ad se ultrò: & num quid à se uellet, percontabatur. Quòd si is de potentioris iniuria querebatur, euocatum illum qui accusabatur, causa cognita, placidè obiurgabat: ac in posterum ne quid eiusmodi cõmitteret interminatus, satis facere iniuriam passo iubebat. si quis autem è pauperibus causam ipse suam agere nescie

Polonorũ ius atq; studia. bat, ei causidicum attribuebat, mercede de suo data. Quanquam simplicissimum tunc ius erat apud Polonos, & non summo iure disceptabantur, sed ex æquo & bono, aut armis nonnunquam & singulari certamine dirimebantur priuatorum controuersiæ. Pluris erat fortis uir, quàm disertus causidicus: mẽtiri, fallere, calumniari, alienum appetere, iniquam litem alere, turpe & infame ducebatur. Hinc maius, ac solum fe rè, existebat in hominibus illis laudis & bellicæ rei studium. Hoc rex co-

Iuditha reginæ clementia. mitate, clementia & liberalitate sua alebat, hoc moderata seueritate uindicabat: Iuditha regina, fœmina lectissima, quæ sub alterius belli Russici tempus extincta est, mariti iram & seueritatem leniente, & sontium supplicia deprecante. Cuius clementiæ illud in primis exemplum prædicatur, quòd nobiles quosdam adolescentes ob latrocinium damnatos à rege, occultè seruari insciente rege iussit: aliquanto pòst captato tempore, & iniecta eorum quasi necatorum mentione, ubi regem ad misericordiam flexum uidit, supplex cum nonnullis proceribus adolescentum

Religio Boleslai. illorum mortem deprecata est. Nulla autem in re Boleslaus erat seueri-

Sacerdotibus honos habitus. or, quàm in contemptu religionis, templorum profanatione, & sacerdotum iniurijs atq; contumelijs uindicandis: ad quæ facinora, cum plerisq; equestris ordinis homines partim pristinæ impietatis consuetudine, partim licentia militari incitati ferrentur, & decimarum quoq; onus detrectarent, sacerdotesq; pulsarent, in authores quidem pœna capitis animaduertit: cæteros partim uerberibus, partim uerbis atq; minis castigauit: episcopos & sacerdotes ipse magnopere colebat, & ab omni-

Militandi ratio. bus coli uolebat. nec sedebat stante aut ueniente Episcopo, nisi & ille assedisset. Ab hoc etiam rege, ipso statim initio regni, descripta est equitibus Polonis militandi ratio per regiones atque tractus, quos nostri uulgò Palatinatus ac districtus uocant: ita ut ex præscripto certum numerum armatorum, quilibet Palatinus è ditione sua, ad expeditionem à rege indictam educeret. Oppidanis quoq; pedites & currus onusti cõmeatu, ad numerum imperati sunt. Sed hæc abusu arbitraria postea facta sunt, magno reipubl. detrimento: de quo nos alibi uberius scripsi-

Cursus publici, siue subuectiones. mus. Equorum quoque dispositio & subuectio oppidis iniuncta, per quam celerrimè regi, si quid cognitu dignum aut necessariũ usquam in regno extitisset, nunciaretur, & rex uicissim quæ uellet iuberet, huius re-

Arcium munitio. gis est institutũ. Quod quidem abusu nostri temporis, ualde onerosum est oppidanis. Muniuit is etiam arces plerasq; in finibus regni, quo rece-

Præfecturæ & reditus earum. ptus esset equitibus iuxtà atque agricolis ad subitos uicinarum gentium motus, & unde furta & latrocinia domestica, excursiones prædationesque finitimorum reprimerentur, domi inter ciues pax & tranquillitas præstaretur: ijsq; arcibus præfectos cum modicis militũ præsidijs impo-

suit,

fuit,& certos pagos adscripsit, qui & excubias nocturnas per uices seruarent,& materiam ad reficiendas, cùm opus esset, eas arces comportarent,& certam siliginis atq; auenæ mensuram in cellam arcis & alimentum præsidij hostiatim quotannis præberent. Indeq; id uectigal Strosza,hoc est,custodia,eo quòd custodibus expensum ferretur,dictum est. *Strosza.*

Cæterùm hominibus ecclesiasticis omnium onerum, laborum & pensionum regi & reipubl. præstandarum, immunitatem sempiterno iure concessit. *Ecclesiastici ordinis immunitas.*

Ipse rex crebrò arces & præfecturas, atque omne penè regnum obibat,ut superstitiones ritusq; priscæ religionis, si qui adhuc usquam extarent, penitus extirparet, ac de iniurijs atq; controuersijs omnium cognosceret, & quid quoque loco opus esset præsens mandaret: dicere solitus, malle se gallina uescentem, salutem atque tranquillitatem suorum tueri,quàm delicijs indulgentem, pati ut quisquam uexaretur, aut opprimeretur. Pecuniam contemnebat, omniaq; ad decus religionis,salutem reip. ornamentum templorum,& præmia bene merentium de republ. conferebat. Cum autem annis pariter atq; laboribus, & contentione animi confectum atq; debilitatum se esse animaduerteret, indictis Gnesnam comitijs, Miecislaum filium successorem sibi summo totius conuentus consensu designauit, eumq; deinceps iudicijs pro se præfecit: cætera per se ipse administrauit. Nec multo pòst in morbum incidit: quem ubi mensium aliquot spacio inualescere,mortemq; appropinquare sibi sensit, sacris mysterijs ritu Christianorum procurari minimè neglexit. Primores sacri pariter ac militaris ordinis Posnaniam,ubi decumbebat,ad se conuocauit. his mandata dat,de cõcordia inter ipsos & beneuolentia erga posteritatem suam retinenda. Seorsum filio cùm de rebus priuatis,tum ut senatoribus suis honorem habeat: ab omnibus amari magis,quàm metui studeat: pietatem erga Deum,uirtutem, iustitiam,benignitatemq; in omnes colat: ocium & uoluptates tanquam pestem fugiat. Ad extremum,multa coram omnibus de futuro statu & motibus reipubl. & posterorum suorum successibus quasi diuinitùs prædixisse fertur,quę rerum euẽtus postea comprobarit. His actis dictisq; summo omnium dolore atq; mœrore moritur: & Posnaniæ moderata, quemadmodum uiuus præceperat, pompa sepelitur,cum annos uiginti quinq; regnasset, uixisset octo & quinquaginta. Fuitq; is annus post Christum natum millesimus, uicesimus quintus. Per quod tempus Conradus Sueuus Henrico Imperatori mortuo à principib. electoribus successor datus est. Fuit autem Boleslaus statura mediocrem nõ excedente, oris & corporis totius habitu eleganti,& ad modestiam composito, capillo denso, crispo, nigroq; : uictu cultuq; corporis non neglecto, neq; nimis tamen exquisito. Eius morte uniuersa Polonia, optimè merenti rege orbata, annum totum in luctu fuit, ita ut neq; conuiuia ulla, neq; choreę celebrarentur, neque cultoribus uestibus quisquam nobilium uirorum aut feminarum sese uestiret. Scribit Vincentius, frequenter Vngaros ab hoc rege superatos, & usq; ad Danubiũ subactos esse. Mihi non fit uerisimile, aliquid ei hostilitatis cum Vngaris intercessisse, regnante tum

Regis peragratio regno salutaris.

« *Præclarè dictum.*
« *Liberalitas.*

Successor designatus.

Iudicia filio mandata.

Pia cohortatio.

Prædictio futurorum.

Boleslai mors.

Aetas.

1025. ann.

Conradus Sueuus imperator electus.

Habitudo corporis Boleslai.

Luctus publicus.

Vngarica bella.

apud eos Stephano, cum quo magna necessitudine coniunctus erat. Et iam diximus, Emericum Stephani filium libenter in Polonia cum Boleslao uictitasse: dicemusq; posterius, eiusdē Stephani fratres patrueles fuga in Polonia salutem sibi quæsiuisse. Nisi fortè Stephano regi propinquo aduersus Cupan cognatum, res nouantem in Vngaria, pręstò fuisse existimandus est.

MIEZISLAVS SECVNDVS REX.

Coronatio Miezislai.

CVRATO Boleslai primi regis funere, Miezislaus filius triginta quinq; annos natus, destinatum iam prius regnū init, frequenti procerum & nobilum conuentu, qui ad exequias regias conuenerant. His stipatus Gnesnam uenit, ibiq; diadema regium ipsi & Rixæ uxori eius, Hippolytus archiepiscopus Gnesnensis cū alijs episcopis solenni ceremonia imposuit ea die, quæ Christianis Pentecoste dicitur. Inde dies aliquot festis epulis & conuiuijs dantur: sparguntur in uulgus missilia: apparantur & in egenos atq; mendicos pię uiscerationes. Æstate sequēti rex in Russos facit expeditionē. Nam ij Boleslai regis morte nunciata, Iaroslao & Mescislao ducibus rebellauerant: quas oras rex ille ditionis suæ fecerat, eas armis infestabant: Ceruenum, & alias arces, & præsidia Polonorum oppugnabant: abactosq; ex Polonia agrestes cōplures, ad Porsum amnē non procul à Kiouia collocarūt, ut agros ob assidua bella cultoribus exinanitos colerēt. Hos primo aduentu Miezislaus repressit: & multos ex Russis primores comprehensos, in arces suas custodiēdos distribuit: sed Iaroslaū tamen ducem ad officiū non reuocauit. Quin monarchæ is titulū, qui apud Russos Iedinouuladez dicit, postea Mescislao fratre defuncto usurpauit. Ex Russia reuertens Miezislaus, pleraſq; Poloniæ regiones obit, cùm iuris dicendi, tum uisendi gratia: filium Cazimirū septennem literas docere curat. Boemicum bellum uix suscepit, & nulla cū laude gessit, cuius hæc fuit causa. Obtinebat Boemię principatum Vdelricus, cuius in Boleslao superius meminimus. Is morte Boleslai confirmatus, & Prædislao filio, impigro & feroci iuuene, fretus, tributum, quod Boleslao quotannis pependerat, Miezislao negauit: nec eo contentus, regia præsidia per filium (nam ipse cæcus erat, & iurisiurandi religione teneri se simulabat) undiq; deturbauit et interfecit: Morauiam, quę tunc in Polonorum ditione erat, inuasit: oppida aliquot cum arcibus obsessa & oppugnata, nemine opem ferente, in deditionē accepit: quorum autoritatē secuta Morauia cuncta, breui tempore in potestatē Boemi uenit, Polonis uel eiectis, uel trucidatis. Qua de re nō fuit necesse Hageco citare autores Critiū & Callimachū, quorū neuter de temporibus illis quicquam scriptum reliquit. His itaq; rebus motus rex Miezislaus, & magnis populi clamoribus & conuicijs uix tandem impulsus, & sibi iam regnoq; timens, è Russia reuersus, in Morauiam duxit exercitū: & oppidū quidem nullum oppugnatione tentauit, quippe quæ Boemorum præsidijs tenerentur, et per se etiam oppidani conscientia deditionis atq; defectionis, obstinatè ea defensuri esse uiderentur: sed agris tantum & suburbanis

Ruſsicum bellum.

Iedinouuladez monarcha.

Boemicum bellum.

Morauiam Poloni amiſere.

Morauiam populatus eſt Miezislaus.

urbanis uaſtatis, magnaq; hominum, pecudum & iumentorum præda abacta, domum reuerſus, dimiſit exercitum. Boemorum exemplum ſecuti, qui trans Odram erant duces, & præfecti regij, in ijs regionibus quas Boleslaus rex de Saxonibus uindicarat, molliciem & ipſi ignauiamq; regis contemnunt: imperium detrectant: uectigalia regia, impendens à uicinis bellum cauſificantes, pro ſe uſurpant: cum uicinis Theutonibus clã fœdera, amicitias & affinitates iungunt: poſtremò ubi inulta hæc eſſe uident, in apertam rebellionem erumpunt: & partim nouos ipſi ſibi dominatus conſtituunt, partim Romano imperio ſocios & uectigales ſeſe faciunt: idq; uel conſcientia defectionis, & metu regis Poloni: uel ut Germanici ſcriptores prodidere, ui & armis Conradi ſubacti. Nam quod ijdem ſcribunt, & ſequitur Bonfinius, Boleslaum regium titulum, imperante adhuc Henrico uſurpantem, tributumq; negantem, à Conrado multis & grauibus prælijs ſuperatum & ſubactum eſſe, Meſconemq; filium eius aliquanto pòſt eadem molientem eiectum: & fratrem eius Ottonem, qui à Meſcone pulſus fuerat, reſtitutum: Meſconem uerò profugum ad Boemos, ab Vdelrico quidem penè proditum, Conradi uerò clementiam & magnanimitatem expertum, eius fidei ſeſe cõmiſiſſe: principatum cum fratre partitum, regia dignitate ſe abdicaſſe, contentum principis nomine: Poloniam imperatori tributariam manſiſſe: longè in eo aberraſſe à uero uidentur. Nam neq; Conradus imperium uiuente Boleslao adeptus eſt: neque Boleslaus præter Miezislaum ſiue Meſconem alium filium habuit: neq; diadema regium ille ipſe Boleslaus temerè uſurpauit, ſed ab Ottone tertio imperatore ultrò oblatum accepit, atque poſteris ſuis reliquit: neq; Conradus, compluribus alijs externis pariter ac ciuilibus bellis diſtẽtus, ocium ad perſequendos bello Polonos habuit: neq; uerò Polonos principes cuiquam omnino imperatori Romano unquam tributarios fuiſſe, iſti uetuſtioribus & fide dignis teſtimonijs aut argumentis docere poſſunt. Sed cum partem aliquam Poloniæ Germani, ut ſuperius meminimus, ſeu per deditionem, ſeu ui cæpiſſent, uniuerſam ſe Poloniam ſubiugaſſe iactarunt. Hos unus aliquis ab alijs auditum, uel ne auditum quidem fortaſsis, poſtea literis mandauit, & cæteri ſecuti ſunt. Gallus quidam, qui non ita multo pòſt hæc tempora Boleslai tertij & ſuperiorum regum Poloniæ res geſtas tribus libris complexus eſt, nullam neq; de fratre Meſconis, neq; de ulla Conradi huius imperatoris expeditione in Poloniam facit mentionem: ac ne Lampertus quidẽ Saffnaburgẽſis, aut Hermannus Contractus, quamuis propinquiores etiã illis temporibus, nec indiligentes eorum quæ ad gloriã Germanicæ nationis pertinebant. Hermãnus quidẽ Luiticos, quos eodẽ Vilſos à Crantio uocari uideo, Slauos ſcilicet, citra et ultra Panim fluuiũ habitantes, non prẽterijt, quos cũ Virbinã caſtellũ in confinio Saxoniæ intercepiſſent, à Conrado deuictos, & uectigales factos eſſe memorat. Ab illa aũt defectione ducũ & prẽfectorum regiorũ, Lubecenſis reſpub. abrogato poſteriori tẽpore, unius dominatu, opibus creuit. Hinc Holſatiæ comites, hinc Mechelburgẽſes, ſiue Maghopolẽſes, Rugij Pomerani,

Vindarum defectio.

Otto Friſing. Naucler. Tubing. H. Mutius. Bonfinius. Falſa de Boleslao & Miezislao.

Poloni nunquã fuere tributarij Rom. imperio.

Gallus anonymos Polonicarũ rerum ſcriptor. Lamp. Saffnaburg. de reb. geſtis Germ. Herm. Contractius in ſupplemento Chron. Luitici ſeu Vilſi à Conrado Cæſare uectigales facti. Lubecenſis reſpubl. Holſatiæ comites. Mechelburgenſ. Rugiæ et Pomeraniæ duces.

Marchia Brandeburgensis. Lubussensis et Camenẽsis diœceses olim in Polonia.

merani,& nonnulli alij eius oræ duces,originem habuere.hinc Marchionum Brandeburgensium ditio exorta,magna cæpit incrementa:quanquam Lubussensem & Camenensem diœceses posteriori tempore detractas esse Polonis,argumento est pensio nummi S.Petri,de qua paulò inferius dicemus:quæ ijs tantum,qui tunc Poloniæ finibus regnoq; continebantur,imposita est,quam Lubussensis quidem diœcesis adhuc pendit. Camenẽsi uerò posterius singulari sedis Apostolicę indulgentia, ob liberatum legatum Apostolicum, remissa est. Cęterùm ex eo tempore nunquam illa loca,quæ tunc sese abalienarunt, in ditionem Polonorum reuenere:præter Pomeranos,quibus, cum ducem sibi potentem quendam & factiosum inter ipsos creassent, intulit bellum Miecislaus,habẽs secum in exercitu Andream,Belam & Leuentam,Vngaros, Ladislai cal ui filios,Stephani regis fratres patrueles: qui,cum Petrus eiusdem regis sororis filius regnum Vngarorum Stephano moriente inuasisset,in Poloniam confugerant. Cum his igitur & magnis suorum copijs cum ingressus esset Miecislaus in Pomeraniam,occurrit illi cum armatis Pomeranus,& in aciem suos educit necessitate magis,ne qua suos defectionis & noui dominatus ipsius pœnitentia subiret,quàm aliqua suarũ uirium fiducia. Quanquam nonnullam etiam bene gerendæ rei spem ignauia Miecislai regis ipsi dabat.Concurritur infestis armis, hinc ira stimulante,illinc conscięntia defectionis spem ueniæ pręcidente:ad extremum inclinata acie, funduntur Pomerani, & in potestatem regis ueniunt: autores defectionis capitali pœna afficiuntur, cæteræ multitudini parcitur. nam dux in prælio occubuit. Nonnulli à Bela eum singulari certamine uictum & interfectum esse uolunt. Præclara quidem certè eo prælio uirtus atq; opera Belæ enituit.Itaq; generum eum sibi rex filiæ matrimonio adoptauit: Pomeraniam ipsi in dotem dedit. cętera neglexit, nec unquam ad recuperanda quæ amiserat,animum adiecit. Verùm torpori ac desidiæ se dedit, ac uoluptatibus ijs quæ gustu tactúq; percipiuntur. Aliarum etiam,præter uxorem, mulierum consuetudine usus esse dicitur. Vxori tamen, mulieri auaræ & importunæ, ita fuit obnoxius, ut eius maximè nutu & arbitrio regnum administraret. Quæ quidem deinceps,cum rex amentia correptus,sui compos non esset,dominatum omnem regium ad se transtulit:quo maius etiam hominum in se & in regem odium concitauit. Moritur haud ita multò pòst ex morbo illo Miezislaus, anno Christi 1034, & Posnaniæ sepelitur: homo tardus & hebes, leuitate iuuenili,& iuuenum atq; uxoris consilia plerunq; sectatus. quibus rebus factum est, ut suis atq; externis hostibus pariter atque socijs esset contemptui: sic ut in se uerum esse comprobaret id, quod Græcis est in Prouerbio, Heroum filios noxas esse. Regnauit autem annis ferè nouem,uixit quadraginta quatuor.Sunt qui eum in colloquio quodam insidijs exceptum à Boemis, gigendo inutilem redditum, & mox mente captum, non diu patri mortuo superstitem fuisse uolunt.

Pomeranicum bellum.

Andreas, Bela & Leuenta,duces Vngari in Poloniam profugi.

Pomerani uicti & recepti.

Bela gener regis Poloniæ,et Pomeraniæ dux.

Vicia Miezislai.

Muliebre imperium.

Miezislaus amentia correptus.

Ann.1034.

Miezislaus captus,& exactus à Boemis.

Martini

MARTINI CROMERI, DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVARTVS.

INTERREGNVM.

NICVM reliquit post se Miezislaus rex superstitem filium, Cazimirum: sub cuius ortum tremor terræ acciderat. Quod ita rarum & insolens est in Polonia, regione mediterranea, ut magni prodigij loco habeatur, quoties accidit: & tunc quoque habitum sit. Is igitur Cazimirus, siue iam uicesimum annum, ut placet Dlugosso, attigerat: siue paruulus puer adhuc erat, ut uult Gallus, non dum regiam dignitatem & reipubl. curam sustinere posse uidebatur. Itaq; ex uniuersi conuentus, qui Gnesnam ea de re conuocatus erat, sententia, differtur noui regis coronatio. Interim penes Rixam reginam pueri matrem regia potestas relinquitur: qua abusa mulier, pia alioqui & religiosa, quemadmodum uideri uolebat, cæterùm audax & auara: uarijs & grauibus exactionibus, uiuo marito institutis, rusticanos homines tam regios, quàm nobilitatis, magis ac magis premebat: nouas rationes cogendæ pecuniæ exquirebat: Polonos despicatui habebat: Teuthonas suos in consilium adhibebat, hos ad honores & magistratus euehebat: hos diuitijs & possessionibus augebat, etiamsi nullum industriæ & uirtutis specimen præ se ferrent. Indignè hæc ferre nostri: orare reginam, ut quorum armis atque sanguine regnum defenderetur, & ad tantam amplitudinem, quanta regnante Boleslao fuit, perductum esset, eorum maiorem, quàm externorum, quamque suæ cupiditatis, rationem duceret. Multa Polonos principibus suis ultrò concedere & indulgere, a superioris dominatus insuetos esse: externis hominibus, in quibus aliquid modò ingenij uirtutisque sit, maiorem, quàm gens ulla habeat, honorem habere: sed posthaberi se omnino in patria sua, dignisque indignos præferri non oportere. Cæterùm ubi uident, orando apud reginam se nihil proficere, fremebant inter se uulgò, atq; adeò palàm etiam loquebantur: non ferendum esse uiris tam graue & contumelioſum externæ mulieris imperium. Contemnebant uicissim potentiores iussa reginæ, & regias possessiones atq; reditus nonnulli inuadebant: atq; ut inter quosque simultates & clandestina odia antè id tempus fuerant, tunc in apertam hostilitatem erumpebant: comparabantur factiones: & omnia dissidijs atque seditionibus plena erant. Regina uerita, ne in tanta licentia, & irritatis in se hominum animis, maius aliquod malum in se redundaret, consilium fugæ cum filio atque Teuthonibus suis clàm init: regium fiscum, in quo cùm pretiosæ res multæ, tum duo diademata Regis & Reginæ erant, compilat, regno excedens, in Saxoniam se contulit: ab imperatore

Terræ tremor insolens in Polonia.

Cazimiri ætas.

Rixa regnum administrat.

Nouæ exactiones, et contemptus gentis.

Polonorum ob sequium erga principes suos.

Pol. humanitas erga externos.

Turbantur res in Polonia.

Rixa profugit è Polonia.

Conrado, oblatis ei magnis muneribus, & inter ea duabus coronis è Polonia asportatis, Salefeldum, uti uult Vapouius, seu Magdeburgum, & Brunsuicam oppida cum suis territorijs uel emit, uel dono accepit. Cazimirum uolunt nonnulli non cum matre pulsum esse, uerùm aliquanto post, cum ij qui maternæ eius fugæ autores fuerant, magnas que clientelas & factiones comparauerant, ab eo sibi metuerent, siue adeò impotentius agerent: ipsum quoque solum uertisse, & in Vngariam ad Stephanum regem propinquum profugisse. Deinde post Stephani mortem, qui anno Christi 1036 obijt, & cum Emerico filio in numerum diuorum relatus est, à successore & sororis eius filio Petro commeatu & comitatu instructum, ad matrem in Saxoniam missum esse: nec Boemis proditum, qui simulatione misericordiæ eum deposcebant, ulturi in eo clades ab auo acceptas: & in posterum ut sine metu essent, sibi prospecturi. Quam enim Vincentius præterea refert nescio cuius opinionem, quasi Cazimirus hic paruulus post matris in puerperio mortem, clam nouerca, quæ ut necaretur infans, apud uirum instabat, in monasterio quodam educatus sit: mortuo que patre cum res reginæ odio turbatæ essent, proditus ab eo, à quo educabatur, ad paternum regnum uocatus sit: eam inquam opinionem, ne refellere quidem pluribus libet. apertè enim ijs refellitur, quæ statim exponemus. Profectus est autem Cazimirus Lutetiam, uolūtate matris, ut ingenium honestis disciplinis excoleret: inde post aliquot annos uisa obiter Italia, & Romualdo abbate sancto, Cluniaci in Benedictinorum monachorum sodalitatem se dedit, monasticam uitam professus. Reginæ & regij filij discessu, quasi limphatico furore Polonia cuncta exagitatur. Miscentur omnia cædibus mutuis: latrocinijs uiæ publicæ infestantur: incenduntur pagi atq; oppida: tumultuatur: collatisq; signis inter ciues atq; proceres concurritur: ut quisq; audacissimus est, ita maximam perditorum hominum manum cogit, aliena inuadit, ueteres possessores possessionibus deturbat: trucidantur passim diuites & locupletes patresfamilias, liberi eorum eliduntur, cæsorum coniugijs atque bonis interfectores per uim potiuntur: stuprantur honestæ uirgines, & matresfamiliâs. In tanta uastitate atque confusione, agrestes quoque à laboribus & agricultura feriati, in patronos ac dominos suos insurgunt: in nobilitatis excidium conspirant: ueteres nonnullorum iniurias & oppressiones, concepto in omnes odio, omni crudelitate summaq; acerbitate ulciscuntur. Neque ministris sacrorum, ac ne ipsis quidem templis, aris atque sacris parcitur: & in pristinam barbariem atq; impietatem Polonia, abiecto ueri Dei culu, relapsura esse uidebatur. In latebras sese abdebant proceres & episcopi. Eratq; miserabilis ubiq; rerum facies. Nihil usquam tutum: nihil cuiusquam proprium: nemo mali exors erat. Per hoc tempus Maslaus, qui & Masos dictus est, qui pocillator regis Miecislai fuerat, uir potens & audax, dominatum inter suos in tractu Plocensi arripuit: confluenteq; ad eum undique magna hominum, partim ui & armis exercitatorum, partim potentiorum

uim

Salefeldum Rixæ emptum.

Cazimirus in Vngariam.

Stephanus Vngar. rex cũ Emerico filio in diuos relatus. 1036. ann.

Cazimirus monachus fit.

Poloniæ status turbatißimus.

Rusticorũ tumultus contra dominos.

Vis illata sacris, & ministris sacrorum.

Maslaus tyrannus.

Masouia.

uim & iniurias declinantium, multitudine, permagna potentia auctus est, & Masosiæ, siue Masouię nomen ei oræ, quã dominatu complexus est, dedit. Ad hęc domestica mala accedebant hostiles incursiones: erum pebant deuota deuictarum dudum gentiũ in Polonos odia. Hinc laroslaus Rusiæ dux terrestribus & naualibus copijs secundo Bugo uicinią omnem, quæ nũc Polesia siue Podlasia est, & à Rusis atq; Lituanis tenetur, usque ad eam oram, quam Mosouia pòst ea tempora finibus suis complexa est, infestauit. Illinc Prędislaus Boemus quũ post Vlderici patris mortẽ, Iaromiro cæco patruo concedente, principatum suscepisset, cum ualido exercitu ferro & igni Silesiam, quæ sic posterius dicta est, & maiorem Poloniam quàm longissimè populatus est: Vuratislauiam, Posnaniam, aliaq; minora oppida complura diripuit & incẽdit, nulli neque sexui neq; ætati hominum pepercit, nec à templis impias & sacrilegas manus abstinuit (nam de Cracouia Syluio & Hageco non assentimur, refellitq; eos locorum ratio) Gnesnam metropolim nec manu munitam, & habitatoribus defensoribusq; uacuam primo impetu cæpit: ad basilicam eius oppidi spoliandam, ubi iussu ipsius uenere milites, aliquoties irrumpere conati, subitò cæcitate & lethargo diuinitùs percutiuntur. Erat in castris Prædislai, Seuerus Pragensis episcopus. Is miraculo attonitis omnibus, & spoliationem templi in religionem uertentibus, persuasit, non ob id quod putabant omnes, sed propter nefanda flagitia & enormia scelera Boemorum, cæcitatem illam & obliuionem ipsis accidisse: triduanoq; ieiuno diuinam iram placandam esse censuit. Quo expleto Boemi liberè iam episcopo authore templum ingrediuntur: aurum & argentum omne, uestes sacras & omnem basilicæ supellectilem, quæ erat munificentia superiorum principum satis ampla, tollunt: itemq; quinque eremitarum, de quibus in Boleslao meminimus, corpora, quæ illuc à pio rege translata erant, auferunt. Gaudentij corpus, pro Adalberti corpore à ministris templi pio mendacio indicatum, etiam tollunt. Nam Adalberti corpus ijdem ministri in adyto templi clàm defoderant. Quamuis Boemi eius reliquias habere se iactent. Hæc omnia Pragam asportauit Prædislaus, & in basilica Pragensi reposuit: præter Cristini, unius de quinque illis heremitis, corpus, quod Olomucensibus concesit. Atque hæc anno Christi 1038 acciderunt: Hagecum enim multa temere de hoc bello nugantem, non sequimur. Nec unquam postea Prædislaus, quæ iure belli cæperat, Polonis restituit: quamuis postulatus ea de re apud Pontificem max. à Stephano archiepiscopo Gnesnensi, qui Polonus Polono Bozentæ successerat. Grauioribus etiam fortasse incommodis ferox Boemus Poloniam tunc affecisset, ni metus domestici belli, à Conrado quidem imperatore intentati, ab Henrico autem filio & successore Conradi illati, eum repressisset. Conradum quoq; imperatorem Rixæ reginæ precibus & muneribus adductum, ad uexandos & infestandos Polonorum fines exercitum misisse, Dlugossus memorat: sed eum non multum progressum, nec magnis damnis illatis, citò domum uertisse: uel quòd inuitus

Russi uastant Septentrionalem oram Poloniæ.

Prædislaus dux Boemorũ meridionalem & occidentalem.

Vuratislauia.

Posnania.

Gnesna incensa.

Gnesna captà ac direpta.

Miraculum.

Episcopi impietas.

Quinq; eremitarum & Gaudentij corpora asportata à Boemis.

S. Adalberti corpus occultatum.

1038. ann.

Romæ litigatũ cum Boemorũ duce de spoliatione templorum.

Conradus imperator Poloniam uexauit.

uitus imperator eo se bello cum Polonis implicabat, & regine tamen ut cunqꝫ satis esse faciẽdum putabat: uel quòd ad sedandos motus Burgundicos & Italicos, & Boemicum fortassis bellum, auocabatur. Nec multo post uitam is cum morte commutauit, Henrico filio, sicut modò attigimus, Imperij successore relicto: quem longè ante mortem, Cæsarem, siue regem Rom. ipse de principum electorum sententia designarat. Nec tamen huius belli Polonis à Conrado tunc illati, quisquam omnino, præter Dlugossum, mentionem fecit. Cæterùm Pomeranos quoqꝫ defectores Poloniam tunc diuexasse, Gallus innuit. His tam sæuis tempestatibus totos penè sex annos iactati ac fatigati Poloni, & acerbiora etiam, extremumqꝫ tam florentis dudum regni naufragium metuentes, ut maximè quisqꝫ consilio, dignitate & authoritate pollebat, remittunt nonnihil de intestinis dissidijs, condonant sibi mutuò priuatas offensas, de republica cogitationem suscipiunt, reꝫ per internuncios inter se cõmunicata, comitia Gnesnam indicunt: ibi de summa reib. consultatur. Et inter omnes quidem conueniebat, rempub. nisi ad unum rursus deferatur principatus, saluã esse non posse: quem nam uerò potissimum deligant, uariabãt sententiæ: nõnulli reuocandum esse Cazimirũ, optimè de ipsis meriti Boleslai regis nepotem, censebant: alij negabant, quòd metuendum esse dicerent, ne is paternam ignauiam & maternam auaritiam imitatus, uniuersa perderet: neue memor iniuriæ, crudelis ultor & acerbus tyrannus in ipsos existeret. Sed cum de proceribus atque ciuibus neminem deligi placeret, externi uerò principes ij qui erant finitimi, partim hostes essent, partim impares tanto oneri iudicarentur, partim etiam domesticis malis atque dissensionibus laborarent: uicit tandem ea sententia, quæ Cazimirum, ubi ubi sit, quærendum, placandum, & reducendum esse censebat. Iuuenem esse, & facie liberali, nec sanè crudelis patris filium: facilè ueniam daturum, culpam deprecantibus: indolem uerò eius omnia meliora, quàm de patre matreꝫ, polliceri: ad hæc autem, calamitate & exilio non ad ocium & nequitiam, sed ad industriam & modestiam eruditum esse. Oratores delecti primores uiri ad reuocandum eum, luculento uiatico & amplis muneribus publicè contributis instructi, ad Rixam in Saxoniam proficiscuntur: ei dona dant: quo in statu sit res Polona, ad quid ue ipsi ueniant, supplici & miserabili oratione exponũt. Illa implacabilis mulier, aspernari preces: exprobare eiectionem suam: insultare malis miserorum: negare filium postulata ipsorum facturum esse, ipsorum scelere eò redactum, ut calamitatis tædio, exilijqꝫ pudore, in Gallias secederet, Cluniaciqꝫ monasticæ uitæ sese adjiceret. Hoc accepto à regina responso, oratores Cluniacum rectà contendunt: inueniunt Cazimirum mutato nomine Carolum, non modò professum religionem, sed iam Diaconum. Deprecantur culpam exilij ipsius, quæ tamen penes reginam ferè fuerit: orant, respiciat afflictam & penè euersam patriam: suscipiat paternum & auitum regnum ab extremo interitu uindicandum: in eo solo spem Polonorum sitam esse. Quasi decidant, funditùs se periisse. Respondet ille modestè obortis lachrymis:

Henricus filius Conradi successor in imperio.

Pomerani Poloniam infestarunt.

Procerum Polonorum prudentia.

Comitia & cõsultatio de republ.

Cazimirus reuocatur.

Cazimirus Diaconus.

Cazimiri modestia.

mis: Exilium suum non ipsis, uerùm arcano Dei iudicio, & nonnulli fortasis parentum suorum culpæ se imputare: casum dulcissimæ patriæ, quam sui maiores florentissimam reliquissent, miserari: & adiutam eam omni ope & consilio uelle, si integrum id sibi sit. Nec ignorare, maioris esse pietatis & meriti, publica administrantem multorum saluti consulere, quàm priuatum, & in solo loco conclusum, innocentiam uitæ suæ tueri. sed alieni iam se iuris factum esse: datam semel Deo, atq; ijs quorum se potestati ultrò subiecisset, fidem fallere non posse. Mœsti hoc responso legati, ac de spe propemodum deiecti, omnia tamen tentanda sibi esse existimant. Abbatem monasterij adeunt: eadem illa orant: muneribus animum eius mollire conãtur. Ab eo ad Pontificem max. reijciuntur. Ne eum quidem itineris laborem & molestiam defugerunt: Romam è Gallijs profecti, magna diligentia importunisq; precibus tandem à Pontifice maximo Benedicto, eius nominis nono, uel à Clemente secundo, ut alij uolunt, impetrant, ut Cazimirus monachus & Diaconus, professionis & sacrameti religione solutus, ad regnum maiorum suorum redeat, uxorem ducat, liberos procreet. Pro hoc Polonis, quo beneficium sedis Apostolicæ agnoscant, iniunctum, primùm ut de singulis capitibus, exceptis nobilibus siue equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obolus unus in lucernam perpetuò in æde diui Petri Romæ arsuram pendatur: qui etiamnum sancti Petri numus dicitur: tametsi Dlugossus, regnante apud Polonos Vuladislao Loctico ad hanc rationem uult redactam esse pensionem illam, cum prius tres oboli & cribrum auenæ de unaquaq; familia pensitatum esset. Deinde præscriptum est, ut omnes Poloni rotunda in morem monachorum tonsura capillorum utantur, nec ultra auriculas ritu barbarico quisquam omnino comam promittat: tum festis solennibus, dum sacra peraguntur, ut singuli equites fasciam lineam candidã in modum stolæ, qua in sacris utuntur sacerdotes atq; diaconi, è collo suspensam ferant. Suscipiunt non grauatim præcepta & leges Pontificis oratores, & Poloniam omnem ad seruanda hæc obstringunt. His rebus è sententia confectis, curriculo Cluniacum repetunt cum mandatis pontificijs: atq; inde porrò læti Cazimirum reducentes, ad Rixam, ita uolente ipso, diuertunt. Ea frustra reditionem filio dissuadere conata, salutataq;, ad Henricum deinde imperatorem adeunt, orant, ut diademata, quæ Rixa è Polonia sublata Conrado patri ipsius donarat, propinquo regi reddat eumq; auitum socium & amicum Rom. Imperij tuendum ac defendendum suscipiat: Boemum ducem ab inferendo Polonis bello cohibeat: & ad reddenda, quæ superiori tempore abstulerat, cogat. Non difficilem se in ijs quę petebantur, Henricus præbuit. Nam & coronas reddidit, & sexcentorum equitum præsidium Cazimiro deducendo addidit: & de Boemo, cum quo bellũ tunc gerebat, curę sibi fore promisit. Igitur auctus comitatu Cazmirus, & plenus bonæ spei, salutato Imperatore, in Poloniam contẽdit. Cũ aũt Poloniæ fines attigisset, effusa obuiam hominum omnis generis, ætatis, atq; sexus ingens multitudo, officij gratia, læta ac tripudians regẽ suum

Oratores Poloni Romã profecti.

Votũ relaxatur Cazimiro.

Polonis iniuncta onera à Põtifice max.

Numus S. Petri.

Henrici imperatoris animus erga Cazimirum.

Cazimiri reditus.

tantopere expetitũ, quasi prẽsens quoddam numen, atq; salutem suam, faustis ominationibns & acclamationibus, gaudioq; profluentibus ubertim lachrymis, excipit: reducem gratulatur: certatim omnes præteritorũ ueniã & obliuionẽ supplices petunt. Ille lachrymans & ipse, comiter omnes consolatus, suspicione culpæ metuq; supplicij liberat. Quicquid factum sit, non sine diuino nutu factum, pro suis fortasse & maiorum suorum meritis. Adesse iam se, quem alio uitæ generi deditum, & in eo acquiescentem, tanto studio expetissent, & reuocassent: salutem omnibus, ac nõ perniciem cuiquam afferentem. cõfidere autem se uicissim, ipsos omni fide atq; beneuolentia complexuros se esse, boni ac uigilantis principis officio fungentem. Ita densissimis lẽticiaq; exultantibus hominum cateruis præcedentibus & subsequentibus, Gnesnam honorificentissimè deducitur, septimo posteaquàm excesserat anno.

Cazimiri comitas & pietas.

CAZIMIRVS PRIMVS REX.

2041. ann. RESTITVTVS igitur paterno regno Cazimirus, uicesimũ sextum annum agens, & summa omnium ordinum gratulatione lẽticiaq; Gnesnæ de more inunctus & coronatus, legatis externorum principum gratulantibus, celebritatemq; illam cohonestantibus, benignè & sapiẽter respondit, eosq; liberaliter donatos dimisit. mox ad reipubl. uulnera sananda animum adiecit: pacem publicam inter ciues grauibus edictis sanxit. & quoniam ex tanta rerum perturbatione, obducẽdam potius afflictæ reipubl. cicatricem, quàm acerbis quæstionibus & iudicijs uulnus refricandum esse existimabat, uetus Athenienſium exemplum imitatus, præteritorum quidẽ oblituionem edicit, restitutis modò in suas possessiones ijs quibus per uim ablatas esse constabat: in posterum uerò eis qui se ui, cæde, latrocinio non abstinuissent, omnem spem uenię præcidit: in paucos contumaciores, qui à consuetis rapinis ægrè recedebant, ad terrorem cæterorum, non sine moderatione tamen, animaduertit. Rebus domi maxima ex parte bene constitutis, ad externa circumspicit: & ut debilitatas regni uires externis auxilijs confirmaret, simulq; ut posteritati suæ consuleret, amplissimi senatus suasu atq; rogatu cum Iaroslao Russorum principe fœdus & affinitatem init: sorore eius Maria, cuius mater Constantinopolitanorum imperatorum, sicut suprà memorauimus, soror fuerat, uxore cum ampla dote ducta: quam ingenti pompa Cracouiam aduectam iuxtà ac exceptam, Gnesnam deduxit: Græcorum schisma abdicantem, ecclesiæ catholicæ reconciliauit: Reginam solenni ceremonia fecit, & pro Maria Dobrogneuam appellauit. Iaroslaum affinem iure omni, quod pater auusq; suus in Russia habuere, donauit: societatem tantum, & auxilia contra quos suis hostes pactus. Quibus auxilijs, itemq; sexcentis Germanis equitibus, quos præsidij sui causa ex Germania secum adduxerat, fretus, insequenti æstate Masouios infesto exercitu adoritur. Nec segnius Maslaus tyrannus, non parua suorum manu raptim coacta, aduenienti regi occurrit: nec mora, pugnæ copiam facit: Prussorum, quos in societatem belli asciuerat, auxilijs non expectatis. Fit acre

Consilium salubre in rebus turbatis.

ἀμνηστία.

Fœdus & affinitas cum Russis.

Dobrogneua regina.

Russorum schismate abdicato, coronatur.

Russiæ ius Iaroslao ducidonatum.

Masouiense bellum.

præ-

prælium,hinc iusta ira,illinc ueniæ desperatione pugnante. franguntur tandem,funduntur que Masouiorum acies: dant manus uictori regi. Dux ipse & author belli Maslaus, nihil sibi tutum forè inter suos ratus, ad Prussos fugit:ab his simul & à uicinis Slonẽsibus & Iazygibus,siue Iazuingis facilè non modò auxilia,sed ualidos exercitus contra regem impetrat,quòd ipsorum rem agi diceret.Non quieturum enim esse regem se uicto, quin ipsis quoq; arma inferret: & non tantum tributum quod pendere desijssent exacturum, uerumetiam graues pœnas rebellionis de ipsis sumpturum esse. Tuerentur libertatem, in quam se asseruissent: cogitarent, non eas iam Polonorum uires esse,quæ Boleslai regno floruissent,quibus que ipsi debellati essent:magnam uim hominum partim externis bellis,partim intestinis cædibus exhaustam esse: qui supersint, quiq; maximè bellicosi sint, eos ferè secum sentire: & partim apertè id profiteri,partim clàm consilia communicare: in regem non optimè animatos esse,quippe qui ocio & superstitioni in monastero imbibitæ deditus, militaribus hominibus minus indulgeret. Se quidem cum paucis non tam iusto prælio superatum, quàm inopinantem oppressum, non incruentam tamen hosti uictoriam reliquisse:ipsos tantis pollere copijs, ut Poloniam omnem nullo negocio possent subigere, afflictam præsertim atq; laceram,ut tunc esset.ad hæc,ipse etiam de suo ingentibus pollicitis eos onerat: nec difficulter homines barbaros ad societatem prædę magis,quàm belli, quemadmodum uideri uolebat,allicit.Iazuingos autem & Slonẽses, siue Slomẽses,Prussici tractus populos fuisse, Dlugossus indicat.Siue autem ijdem fuerunt Iazuingi cum Iazygibus Metanastis, quorum extant adhuc reliquiæ quædam ad Tibiscum fluuium in Vngaria, nomen antiquum retinentes, & quodam tempore ad Septentrionem in mediam Sarmatiam progressi colonias deduxerunt, siue diuersi prorsus ab illis, inter Poloniam quidem, Russiam atq; Prussiam medij,in extrema ora Lituaniæ habitasse,& acerrimi ac bellicosissimi fuisse memorantur: donec à uicinis attriti, & ad extremum deleti sunt. Quanquam feruntur adhuc tenues quædam eorum reliquiæ supereſſe in Lituania & Russia.Hi ergo cum Prussis pariter ad inuadendam Poloniam excitj, publico consensu belli totius administrationem Maslao mandant. Per id tempus Cazimiro regi Boleslaus filius natus est.Æstate insequenti Maslaus cum ingentibus barbarorum copijs in fines Masouiæ ingressus,facilè eam recepit:carebat enim præsidijs & munitionibus.Nec multo post Cazimirus de aduentu hostium certior factus, adest & ipse, auctis numero & robore militum superioris anni copijs. Venientem apud Vistulam Maslaus spei & animorum plenus, operitur: conferuntur propemodum castra castris. Rex ubi copias hostium suis longè maiores uidit,concidere animo: pœnitere præsentis fortunæ atq; regni:pristinam monasticæ uitæ quietem atq; tranquillitatem animo requirere.His curis atq; cogitationibus fatigatum sopor opprimit. Ibi per uisum diuinitùs recreatus & confirmatus, postero die pro con-

Maslaus uictus reparat exercitum.

Iazuingi & Slomenses populi.

Prussicum bellum.

Boleslaus Cazimiro natus 1043.

Cazimiri pœnitentia

cione militibus uisum exponit, & repletos fiducia diuini auxilij, alacres in aciem educit. Nec hostes pugnam detractarunt. canunt signa: clamor utrinq; attollitur. Nusquam deest suis, regis prouidentia & adhortatio, ut duce Deo certam uictoriam amplectãtur. Et ferunt, conspectum esse in aere iuuenem augusta specie corporis, ueste candida, candido equo insidentem, & in hostiles turmas uexillum inferentem. Nec mora, terga uertunt barbari: instãt acrius nostri fugientibus: fit strages maxima. In eo prælio cæsa feruntur hostium quindecim millia, capta duo millia: ex nostris pauci saucij, pauciores desiderati sunt. Rex inter primos hostem fugientem persequens, uociferando, cædendoq; lassus, & cruore respersus, semianimis propemodum à gregario quodam milite in castra relatus est: quem postea militaribus affecit præmijs, & in equestrem ordinem retulit. Cæterùm Maslaus ex fuga perpetuo cursu in Prussiam contendit. Ibi à barbaris cognito euentu prælij excarnificatus, in crucem actus est: insultantibus, ut alta teneret, qui alta petiuisset. Sic mali consilij author, malè perijt. Ab hoc prælio Masouia penitus in ditionem regis reuenit: nomen tamẽ semel acceptum in hanc diem retinet, quamuis mutatis deinde finibus. Prussi clade suorum permoti, & ueriti ne statim sibi Cazimirus uictricia signa inferret, missis legatis culpam rebellionis deprecantur: Regi se & sua subijciunt: tributa debita persoluunt, ac deinceps quotannis soluturos se esse recipiunt. Ita pax eis data est, & captiui dimissi. Rex altero filio Vuladislao auctus est. Interim autem dum hęc geruntur in Polonia, Henricus imperator, cum meditatum etiam à patre bellum Boemis intulisset, superbo Prædislai ducis responso, de reddendis Polono regi munitionibus, magis etiam fortasis iritatus, principio quidem rem non satis prosperè gessit: sed altero anno repetita maioribus uiribus in Boemiam expeditione, uictum fractumq; Prædislaum grauiter multauit, & iureiurando in sua uerba adactum, quas de Polonis cęperat, uel ipse in finibus Poloniæ munierat munitiones, Cazimiro reddere coẽgit: concessaq; ipsi Morauia, tributum auxit, ita ut quingentas libras, siue ut uulgo uocant marcas argenti, ac centum uiginti boues dux Boemus deinceps Romano imperio quotannis penderet. Atq; hoc illud est, quod Æneas Syluius, & alij nonnulli historici scribunt, ab hoc Henrico Boemorum ducem domitum esse, quòd is iniussu suo Poloniam uastasset. Necq; enim existimandum est, Poloniam tunc in ditione Romanorum imperatorum fuisse. Nam quod addit Syluius, Silesiam Boemis ab imperatore, imposito tributo traditã esse: de Morauia id rectius accipitur. Silesiam enim etiam tunc in Polonorũ ditione mansisse, uel S. Petri numus, cuius dudum mentionẽ fecimus, argumento est. Nam eum Silesij quoque, itidem ac cæteri omnes, qui tunc in regno Polono censebantur, etiamnunc pẽdunt: & aliquanto pòst, ut nos inferius ostẽdemus, ea regio Silesia dici cepta est. Adde quòd posterius Cazimirus rex Polonorũ, cuius tempora nunc prosequimur, Smogorouiensem siue Bicinensem cathedram & episcopam Vuratislauiam, propter Odrę fluuij

Visum.

Pruſsi & Iazyges profligati à Polonis.

Cazimiri labor in prælio.

Maslai interitus.

Vuladislaus naſcitur.

Boemi ab Henrico Imp. uicti, ac denuò tributarij facti.

Morauia Boemis ceſsit.

Boemorum tributum.

Sileſia in Polonorum ditione manſit.

Vuratislauia urbs.

fluuij cõmoditatem transtulit: quæ urbs in umbilico Sileſiæ ſita eſt. Rectius igitur Sileſiæ munitiones Polonis tunc à Boemo iuſſu Henrici reddítas eſſe crediderimus. Pacato per circuitum regno, Cazimirus memor priſtinæ conditiõis, & uitæ monaſticę, uictoriamq; contra Maslaũ atq; barbaros diuino beneficio acceptã referẽs, Cluniacũ, ubi monachus fuerat, legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem erga ſe Dei prædicat: ſodalitati uniuerſæ ſe ſuoſq; commendat: aliquot monachos ad ſe mitti poſtulat, qui ſectæ illius quaſi colonias quaſdam in Poloniam deducant: mittuntur duodecim. His partim Tineciam arcem uno à Cracouia milliario ſupra Viſtulam, cum centum amplius pagis: partim Lubenſum oppidum ad Odram ſitum, cum compluribus itidem pagis & prouentibus alijs attribuit: domicilia monachis extruxit, atq; tẽpla, eaq; perampla ſupellectili ad cultum diuinum apta ornauit. Fuit autem primus abbas Tinecẽſis Aaron Gallus: cuius integritas, pietas, & induſtria Cluniaci adhuc Cazimiro perſpecta erat. Atq; is deinde Rachelino, ſexto archiepiſcopo ſiue epiſcopo Cracouiẽſi uita defuncto, à ſacro eius baſilicæ collegio poſtulatus ſeptimus ſucceſsit, regis fauore & cõmendatione adiutus: decimas, quæ ex bonis Tinecenſis monaſterij Archiepiſcopo Cracouienſi præbebantur, Abbati & monaſterio iure ſempiterno addixit & adſcripſit: diœceſim pſalmodijs & precationibus ijs, quæ Graduum uulgo dicuntur, onerauit. Multa item alia Cazimirus rex fecit & inſtituit, quæ ad religionis & reipubl. inſtaurationem pertinere exiſtimabat: pace perpetua, poſt Maslaicum bellum fatigatam ſuperioris temporis malis Poloniam, mirum in modum recreauit: eoq; inſtauratoris pacifici cognomentum meruit. Henrico imperatori bellum in Polonos paranti, quòd auxilia contra Petrum regem, propinquum ipſius, Andreæ & Leuentæ Vngaris miſiſſe dicerentur, miſsis legatis, & refutatis Boemorum, qui imperatorẽ in Polonos iritabant, calumnijs, ſatisfecit: & contra Vngaros ipſi, Petri necem ulciſcenti, auxilia poſtea miſit. Vngari enim pulſo Petro, Abam, ſiue Ouonẽ, cum quo ſoror diui Stephani regis nupta erat, regem ſibi creauerant. Atq; is ob receptum ab imperatore Petrum, æmulum ſuum, Auſtriam & Bauariam infeſtarat. Quare iritatus Henricus, defunctus bello Boemico, in Vngariam ſemel atq; iterum exercitum duxerat, quo Petrum in regnum reſtitueret. Sed reſiſtentibus Vngaris, re infecta receſſerat. Deinde uerò accitus ab Vngaris, quibus Abas ob crudelitatem & contemptum nobilitatis exoſum ſe reddiderat, Petrum profligato & interfecto Aba reſtituerat. Sed cum is quoq; impotenter dominaretur, ac Teuthonas Italoſq; Vngaris non modò in conſuetudine uitæ, ſed etiam in honoribus mandandis anteponeret, Vngari Andream, & Leuentam, Ladislai Calui filios, apud Ruſſos tunc poſt Miezislai Poloni regis mortem exulantes, clàm acciuere: & regnum ad Andream, Leuenta concedente, detulere, ea conditione, ut ſibi, abiecta Chriſtiana religione, extirpatiſque ſacerdotibus & externis omnibus priſtinam & Scythicam impietatem publicè

Benedictini monachi Cluniaco acciti in Poloniam.

Tinecenſe monaſterium.

Lubenſe.

Aaron archiepiſcopus Cracouienſis.

Graduũ preces in Cracouienſis diœceſi.

Cazimirus inſtaurator pacifi cus.

Vngaricæ res.

Petrus rex Vngarorum.

Abas rex Vng.

Andreas rex Vngariæ.

Vngari à religione Chriſtiana defecere.

Petri regis mors. publicè resumere liceret. Quod ubi factum est, Petrus fuga sibi cosuluit: sed retractus & excæcatus, paulo pòst angore animi periit. *Andreas religionem Christianam apud Vngaros reuocauit.* Andreas regno potitus, edictum suum de religione abrogauit, capitalíque pœna sanxit cultum religionis Christianæ. Nec tamen ea re Henricum imperatorem placauit: quin is Boemorum & Polonorum auxilijs accitis, denuò cõtra Vngaros expeditionem faceret, ut Petri regis mortem ulciscereturr, & Vngariam Romano imperio uectigalem redderet. *Henricus imperator bellũ infert Vngaris.* Ad hoc igitur bellum Cazimirus auxilia ipsi misit. *Polonorũ auxilia contra Vngaros.* Verùm id bellum æquis conditionibus diremptum est, ut mox in Boleslao referemus. Scribit Bonfinius, & uetustior quidam Vngaricarum rerum scriptor, quem in pleriscq; sequitur Bonfinius, Andream hunc Boemiam, Poloniam & Austriam tribus continuis annis infestasse, & uectigales sibi reddidisse: irritatum, ut uidetur, ob missa contra se imperatori auxilia. *Bonf. rerum Vngar. Dec. 2. lib. 2.* Cæterorum nemo ullam huius rei mentionem facit. Hagecus uerò memorat, Latrunculos è Polonia, ducibus Versouijs siue Rauitis Boemis circum Closcum infestasse: & multos ex his à Cazimiro rege captos, & suspendio necatos esse, Prædislao Boemorum duce postulante: atque ita pacem inter Boemos & Polonos redintegratam, nequicquam dissuadentibus Prædislai filijs: Vuratislauiam'que & alias urbes Polonis à Prædislao redditas, ea lege, ut Boemorum principi certum tributum quotannis inde penderent. *Boemorum cũ Polonis pacificatio.* Sed hoc quoque inconuenienter & obliuiose ille, ut cætera ferè. Quomodo enim ad Closcum prius Poloni excurrissent, Boemis Vuratislauiam & cæteras intermedias munitiones tenentibus? Syluius quidem, ex quo pleraq; sumpsit Hagecus, Boemorum principi tributum id ab Henrico imperatore impositum esse uult: sed is quoq; re ipsa, quemadmodum superius attigimus, facilè refellitur. Nos cætera de Cazimiro persequamur. Suscepit autem is ex Dobrogneua uxore liberos, mares quidem quatuor, Boleslaum, Vuladislaum, Miesconem & Ottonem: fœminam uerò unam, Suentochnam. *Cazimiri regis liberi.* Ex his Otto puer admodum, uiuo patre: Miesco adultior iam, octauo post patrem anno, rebus humanis exempti sunt. Cum autem Cazimirus decimumoctauum regnaret annum, incidit in grauem morbum: quo mensem unum afflictus, ubi finem uitæ suæ adesse sensit, proceribus liberos commendat, & sacramentis ritè procuratus, religiosè tranquillo'que animo, quarto Calendas Decembris, extremum uitæ clausit diem: & magno omnium mœrore Posnaniæ sepultus est, anno post Christum natum 1058. Mortem eius cometes portenderat. *Cazimiri mors.* *1058 ann.* Fuit autem Cazimirus procera statura, forma liberali, bona & uegeta corporis habitudine, capillo denso, promissa barba, comptus & elegans: literis mediocriter eruditus, primus quidem inter reges Poloniæ: in pupillos & uiduas clemens & beneficus: in Ecclesiasticos homines in primis propenso animo: erga omnes comis, lenis & benignus: deniq; in omnibus rebus agendis Dei timorem maximè ob oculos habere solitus. *Cazimiri effigies & mores.* Hic rex sedem episcopi, quæ primùm Smogorouiæ, deinde

deinde Bicinæ fuit, Vuratislauiam transtulit: insula urbi uicina ad confluentem Odræ & Olauæ fluuiorum sita, Episcopo & collegio sacerdotum attributa. *Vuratislauiēsis basilica.*

BOLESLAVS SECVNDVS REX.

CONVENTV apud Gnesnam acto, summa omnium uoluntate ad Boleslaum Cazimiri filium natu maximum, solenni cerimonia regnum & diadema defertur, cùm quod ætati is honor habendus esse existimaretur: tum quòd is adolescentulus etiamtum singulari industria, liberalitate, animi magnitudine, laudis atq; gloriæ studio præditus, ad res maximas gerendas factus, & regno dignissimus esse uideretur. *Boleslai secundi indoles.* Ad eum primis tribus annis tres illustres exules cum confugissent, magnam ei materiam sequentium bellorum præbuerunt. Ii uerò fuerunt, Izaslaus princeps Kiouiensium, Iaroslai Dobrogneuæ reginæ fratris filius: Bela dux Vngariæ, Andreæ regis frater, quorum superius meminimus: & Iaromirus, Prædislai Boemorum principis filius. *Bellorum seminarium.* De quibus omnibus, quo res fiat dilucidior, ab instituto digrediētes, paulo altius repetemus. Ac primùm de Izaslao. Iaroslaus monarcha, de quo plura suprà scripsimus, inter quinq; filios Izaslaū, Suentoslaum, siue Stoslaum, Vuseuolodum, Igorum siue Gregorium (ut habent Dlugossus & Vapouius) & Viceslaum siue Visseslaum, Russiæ principatus moriens partitus erat. Sextus enim Volodimirus, uiuente adhuc illo obierat. Ex his Izaslaus cui Kiouia, & Vuseuolodus cui Pereaslauia obtigerat, Visseslaum Polocensium ducem cum duobus filijs, post patris mortem dolo captum, in uincula coniecerant. *Russiæ principatuum partitio.* *Fratrum dissidium.* Per id tempus Polouuzi, barbara gens, Russis ab oriente sole & meridie confines, quos nostrates quidam Gotos, Vngarici uerò scriptores (nescio an rectè) Cunos & Cumanos esse uolunt, Tanai transmisso, in Vuseuolodi ditionem impetum fecerant: eum'que unà cum Izaslao fratre & Russorum copijs sibi obuiam progressum, bis magna strage profligarant: Russiam longè latè que uastabant, & ingenti terrore extremi excidij cunctos impleuerant. *Polouuzi Russiam uastant.* *Goti.* *Cumani.* Ibi Russica nobilitas uinctum Visseslaum dimitti sibi poposcit. Cum'q; id negatum esset, ipsa eum per uim atque tumultum inuitis ducibus suis liberauit, & cum eo arcem Kiouiensem inuasit, ac ducem eum sibi pro Izaslao constituit. *Visseslaus è carcere liberatus.* Izaslaus diffisus rebus suis, in Poloniam ad propinquum regem confugit. Ita Dlugossus & Vapouius. Russorum annales nullam faciunt Visseslai, capti & liberati, mentionem: nec ab eo, sed à Stoslao Cernechouiensium, & Vusseuolodo Pereaslauiensium ducibus, Izaslaum Kiouia eiectum esse uolunt, paulo pòst, quàm tres ij Smolenscensem principatum à morte Igori inter se partiti erant. *Izaslai fuga in Poloniam.* Ac ne Boleslai quidem & Polonici belli meminerunt: sed Stoslaum cum Izaslao in gratiam rediisse, Kiouiam'que ipsi reddidisse memorant: atque adeò pleraque omnia, quæ Poloni in Russia præclarè gesserunt, subticent. *Russicorum annalium fides de Polonorum rebus gestis.* In Vngaria uerò, Andreas rex prouecta iam ætate, post Leuentæ fratris mortem, alterum fratrem Belam, cum filijs *Bela uocatus à fratre in Vngariam.*

filijs è Polonia & Pomerania euocauerat, ut quẽ exilij ſociũ habuiſſet, ſecundarũ quoq; rerum participem faceret: & cum eo ſic Vngariam partitus erat, ut ipſe quidem duas partes regni cũ titulo regio, Bela uerò tertiã ac ducis nomen obtineret. Poſtea bello petitus Andreas ab Henrico Imperatore, quemadmodum dudũ memorauimus, pace facta, filiã Henrici uxorem, ſiue filio Solomoni è Ruſſa uxore ſuſcepto acceperat, ſiue ipſe duxerat, & Solomonem filium ex ea ſuſceperat (uariant enim ſcriptores) & eum ipſum filiũ, paruulum adhuc, ſocero contendente, ſucceſſorem ſibi deſtinarat, regemq; uiuus nuncuparat. Igitur indignè ferens Bela puerum ſibi ſeni prælatũ eſſe, initiò quidem diſſimulauit: mox collectis clam ſarcinis, cum uxore, tribus filijs, & familia in Poloniam ad affinem regem ſe recepit, ueritus ne quid durius in ſe frater ſtatueret. Subolfecerat enim, eum ſibi inſidiari. Porrò in Boemia Prędislaus princeps ex Iuditha uxore quinq; filios ſuſceperat, Spitigneum, Vuratislaum, Ottonem, Conradum & Iaromyrum. Moriens Spitigneum natu maximum ſucceſſorem ſibi fecerat: Iaromirum natu minimum ſacerdotio deſtinarat: tribus autem reliquis Morauiam attribuerat. Eo mortuo, cum Spitigneus impotẽter dominatum gerere cœpiſſet, Germanos & externos omnes, & in his matrem ſuam Iuditham excedere Boemia iuſſiſſet, primoresq; nobilitatis Morauicæ euocatos ad ſe prehendiſſet, & per arces cuſtodiendos diſtribuiſſet, Vuratislaus fratris acerbitatem timens, relicta uxore in Vngariam ad Andream regem profugerat. Vxore deinde mortua, alterã, Andreæ regis filiam, ultro oblatam exul duxerat. Id cum comperiſſet Spitigneus, ueritus ne ille ſoceri auxilio fretus, bellũ ſibi inferret, ultrà eum reuocarat: nec multo pòſt ſupremum uitę clauſit diem. Vuratislaus à Boemis ad ſuſcipiendum principatum accitus, Morauiã Ottoni & Conrado fratribus totam conceſſerat: Iaromirum, itidem ac Spitigneus, exortem patrimonij fecerat, perſuaſeratq; ipſi epiſcopæ ſpe iniecta, ut ſacris initiaretur. Is igitur cum iam eſſet Diaconus, pœnitentia ductus, mutata ſententia & ueſtitu, in Poloniam. & ipſe, apud Boeslaum regem militaturus, & rebus ſuis commodius conſulturus, paruo comitatu ſe cõtulit. Nunc iam ad inſtitutum noſtrum reuertamur. Vuratislaus ergo permoleſtè ferens, receptum ex fuga fratri ſuo Iaromiro in Polonia patêre, ueritusq; ne quid ille noui cõtra ſe Polonorũ fauore & auxilijs fretus moliretur, cum infeſto exercitu in fines Polonię ingreſſus eſt: Sileſiam ferè omnem, quæ necdum hoc nomen acceperat, populatus, igni ferroq; uaſtauit: quo nuncio ad ſe perlato, celeriter Boleslaus cum tumultuaria manu hoſti occurrit, & inopinantem in ſylua quadam aſſecutus, reficere corpora & iumenta ſuos feſtinatione defatigatos iubet, poſtera die hoſtem aggreſſurus. Boemus regis aduẽtu cognito, neq; dimicare cum Polonis, quorum uires non noſſet, quosq; locorum peritia adiuuaret, tutum ſibi eſſe ducebat: & manere eum diutius in eo loco, penuria rerum omnium non ſinebat: tum autem uerebatur, ne ſucciſione arborum uel ab agreſtibus receptu prohiberetur. itaq; fugæ conſilium cæpit: à rege fallendi cauſa colloquium in poſterum diem petijt, quaſi

Vngariæ ducatus.

Solomon Andreæ regis filius.

Belæ fuga in Poloniam.

Boemicæ res.

Prædislai filij.

Spitignei acerbitas.

Vuratislai fuga in Vngariã.

Moraviæ Marchiones.

Iaromiri diaconi fuga in Poloniam.

Boemicum bellum.

Boemorum fuga.

quasi de admissis satisfacturus, & secunda noctis uigilia relictis impedimentis, & paucis infirmis, maioribusq; ignibus, quo facilius excubias nostrorum frustraretur, accensis, silentio suos eduxit, & festinus fugam arripuit. Insequenti die Boleslaus, ubi hostem effugisse animaduertit, dolore atque ira percitus, aliquot dies eum persecutus est, nec tamen assequi potuit: sed extremos tantum agminis debiliores atque lassos, excepit. Nec mora, in Morauorum fines diuertens, uillas, uicos & oppida incendit, multosque mortales, nihil eiusmodi metuentes, in agris oppressit, & magnam prædam abegit & abduxit. In sequentem uero annum maius bellum parabat. Quod ubi Vuratislaus comperit, cùm hostiles uires, tum suorum proditionem & fratrum insidias metuens, de pace per communes amicos agit: & quòd alio spectabat Boleslaus, facilè impetrat, his quidem legibus, ut damna nostris illata sarciat: soro rem Boleslai Suentochnam, quam Suantauam Boemi uocarunt, tertiam uxorem ducat: alteram enim anno superiore defunctam amiserat. Suentochna ad sponsum non multo post à primoribus Boemis accita ac deducta, & nuptiæ magno splendore celebratę. Iaromirus autem Poloni regis & reliquorum fratrũ opera in gratiã cum Vuratislao redijt: & Pragensis, deinde uero etiam Olomucensis episcopus non sine iniuria alterius factus est. Per id tempus Aaroni archiepiscopo uita defuncto, cũ sedes ob discordiam sacri collegij toto biennio uacua fuisset, tandẽ Lampertus cognomento Zula Polonus successor electus est. Nec tamen is palliũ de more à Pontifice maximo petiuit. Inde igitur in posterum Cracouia archiepiscopum habere desijt. Per idem tempus Prussi contemnẽtes Boleslai regis adolescentiam, & quòd eum Boemico bello distineri sciebant, rebellarunt: Pomeraniam finitimam transmisso flumine Vistula repentina excursione populantur: arcem Grodecum, quò se cum præda recipiant, muniunt. inde crebro in adiacentes oras Poloniæ, nemine prohibente, grassantur. In eos igitur Boleslaus, pace cum Boemis facta, duxit exercitum: Grodecum oppugnare aggreditur. uerùm difficultate expugnandi eius deterritus, eo quòd natura munitus esset locus, egregiéque à Prussis defenderetur, soluit obsidionem, in qua plusculum temporis frustra consumpserat: fremensque, quòd syluis & paludibus & munitione illa sese tenerent hostes, nec ullam pugnandi copiam facerent, & se alio festinantem distinerent, arte sibi domandos esse, quos aperto marte non posset, existimauit: reducere se exercitum simulat: cæterùm in insidijs latebat. Prussi abijsse hostem rati, è latebris prodeunt, & in Poloniam excursionem facere parant. Quod cum Boleslaus ab exploratoribus accepisset, ducit in hostem alacer. Priusquam ad hostem ueniretur, transmittendus erat Ossa fluuius, qui Poloniam à Prussia dirimit. hunc primi armati incunctanter ingressi, pondere armorum, & altitudine aquarum, quæ imbribus tunc fortè excreuerant, absorpti sunt. Cæteri exuti armis & loricis, quæ magni ponderis fiebãt antiquitùs, minori periculo tranarunt: hostesq; secutos, & nihil tale suspicantes opprimunt: & ingenti strage concisos, in potestatem suam redigunt. Gallus in

Morauia à Polonis uastata.

Pax affinitate sancitur inter Boemos et Polonos.

Lampertus Zula episcopus Cracouiensis.

Prussicũ bellũ.

Grodecũ arx.

Prussi uicti à Boleslao rege.

Armatura leuior Polonorum. Pomeranico bello id usu ueniſſe narrat: nec fluminis nomen prodit. Ex illo autem tempore Poloni grauioribus armis & loricis minus utuntur.

Vngaricũ bellum. Pruſsicum bellum excepit Vngarica expeditio. nam Boleslaus rex Belæ exulis, & uxoris eius amitæ ſuæ, precibus fatigatus, & perſugientium ad eos Vngarorum multitudine, clandeſtinisque nonnullorum procerum, fidem & ſtudia ſua Belæ deferentium, legationibus motus, neque prætermittendam ſibi eſſe tam luculentam gloriæ comparandæ occaſionem iudicans, reducere propinquos inſtituit: ac tribus agminibus, Belam in comitatu ſuo ducens (uxor & liberi in Polonia manſerant) Vngariam ingreditur. Venientibus adiungunt ſe complures Vngari, ita ut quartum ex ipſis agmen conficeretur. Nec ſegnius Andreas rex hoſti aduentanti ad Tibiſcum, ſiue Ciſſam amnem, qui è Sarmaticis montibus ortus, in Danubium influit, occurrit: magnas Vngarorum copias, maioraq; Germanorum & Boemorum auxilia ducens. Cum enim bellum contra ſe à Bela & Polonis parari intelligeret, miſerat Solomonem filium in Germaniam. Regnabat tunc apud Germanos poſt mortem Henrici patris Henricus puer, eius nominis inter Cæſares quidem quartus, inter imperatores uerò tertius, cum Agnete matre: quæ ſiue ſocrus, ſiue auia Solomonis erat. Ab his igitur Solomon non contemnenda auxilia, ducibus Guilhelmo & Botho acceperat: à Boemis item alia, quibus Vuratislaus ipſe princeps præerat. His ergo uiribus fretus, tranſmiſſo Tibiſco acies inſtruit: neq; noſtri pugnam detrectarunt. Concurritur infeſtis ſignis, & aliquot horis dubio marte & incerto euentu pugnatur. Ad extremum cedunt loco Andreæ copiæ. Ibi Vngari qui cum Andrea rege erant, premi ſuos, noſtros urgere conſpicati, ad Belæ partes tranſeunt: nec diutius Germani & Boemi, deſerti ac prodíti ab Vngaris, impetum Polonorum pariter & Vngarorum ſuſtinuere. In fuga oppreſsi ſunt multi, capti item non pauci, & in his Vuratislaus princeps, & Germanorum duces. Vapouius pro Vuratislao Conradum fratrem eius, Marchionem Morauiæ, Boemicis auxilijs præfuiſſe, & captum eſſe, excæcatumq; à Boleslao ſcribit. Rex Andreas longius fugiens, tandem ad portas Moſonienſes comprehenſus ab Vngaris, & malè tractatus in ſylua Boconienſi, uitam finiuit. Magna eo prælio Boleslai uirtus & ſolertia extitit. Poſt uictoriam Boleslaus Belam Albæ Regiæ in ſede regia collocauit: uictorem exercitum præmijs ab eo & Vngaris affectum, domum reduxit. Deinde procerum ſuorum ſuaſu uxorem duxit, præſtanti forma uirginem, Viſſeslauam Ruſſorum principis cuiuſdam filiam unicam, ad quam hæreditas paterna pertinebat. Tantiſper autem quieuit Boleslaus à bello Vngarico, & à nuptijs, quantum ſat erat ad apparatum belli Ruſsici, ad quod ſummo ſtudio & omni cogitatione incumbebat. Paratis omnibus, coadunatoque ad conſtitutum locum omni exercitu, in hanc ſententiam apud milites in concione uerba feciſſe memoratur. Non ignoratis milites, compluſculos iam annos Izaslaum cognatum noſtrum, principatu ſuo paterno iniuſtè pulſum, apud nos exulare: eiq; reſtituendo nos hanc o-

Tibiſcus fl.

Henricus quartus Imp. Rom.

Prælium.

Boleslai uictoria de Vngaris, Germ. & Boem.

Vngari ad Belam tranſeunt.

Boem. dux captus.

Andreæ regis fuga & mors.

Vxor Boleslai.

Rußicum bellum.

Oratio Boleslai regis ad milites.

peram

peram dare existimatis. Nec sanè fallimini. Debemus hoc propinquitati: debemus humanitati. Quin ita hoc natura comparatum est, ut afflictę principum fortunæ, principes quamuis alienos maximè ad misericordiam moueant. Sed nobis hic nos etiam ferimus milites. Scitis quantum nobis imperium, quàm amplam gloriam maiores nostri reliquerunt, & ut alios prætream, Boleslaus quidem proauus meus imperium hoc nostrum Boristhene, Albi & Sala fluuijs, Sarmaticis montibus, & Germanico Oceano: gloriam uerò nominis Poloni ijsdem penè, quibus orbis terrarum clauditur, finibus terminauit. Nunc quanto nostro cum dedecore & imperium hoc accisum, & gloria obnubilata sit, quis nescit? Equidem uix teneo lachrymas, quod ad patrem auumq; meum hæc infamia in primis attinet. Tametsi patrem uestra excusat iniuria, & afflictę nimium interregno uires. Auo ueniam, nisi sim ipse ignauissimus, dare non possum. Verùm enimuero eam labem à genere nostro detergere, Russiam regno huic rursus adijcere, columnisque Boleslai (quem ego ut nomine refero, ita & factis referre cupio) imperium nostrum terminare, mihi in animo est. Quod uobis placere debet, milites, nisi fortè à uirtute maiorum uestrorum degenerauistis. Atque maiores quidem nostri gentem hanc, sibi prius incognitam, adierunt, uexarunt, debellarunt. Nos iugum excutientem, & quidem domesticorum nostrorum malorum, non suarum uirium fiducia, non ulciscemur? non ad officium reuocabimus? Nisi fortè ubertas soli illius admiranda, hominum ingens opulentia, & ex rerum copia ortus luxus atque mollicies, ab hoc bello uos deterrent milites. At ego nobiscum hæc omnia, contra ipsos facere iudico. Quin ista ipsa in primis ad spem luculentæ prædæ nos inuitant. Plura dicere parantem, clamore interpellant uniuersi: duceret quò uellet, bono omine: se impigrè secuturos, & imperata facturos esse. Hinc magnã pecuniæ uim inter milites, ut quenque superioribus bellis meritum esse nouerat, aut usui sibi deinceps fore sperabat, distribuit. Sic animatis & optima spe impletis militibus, instructa acie triplici, Russiam ingreditur: propterea quòd credebat hostes mox ad prælij dimicationem uenturos esse. Et aderat quidem ad Bialogrodum Visseslaus dux, cum non contemnendis Russorum, Piecinigorum & Varaiorum copijs: uerùm explorata nostrorum multitudine atque apparatu, Poloscum paucis conscijs fuga contendit. Exercitus quoque, cognita sui ducis fuga, nulla interposita mora diffugit. Trepidare tota Russia, Kiouienses deditionem facere uelle, ni metuant iratum Izaslaum, quem principatu eiecissent: implorare Stoslai & Vusseuolodi opem: ni adsint, exusturos se esse urbem, & in Græciam cum coniugibus atque liberis migraturos. Bono eos animo Stoslaus & Vusseuolodus esse iubent. Ipsi legatos ad Izaslaum fratrem mittunt, orant ut parcat ciuibus atque patriæ, dimittat exercitum, Kiouiam recipiat supplicem: Visseslaum Poloscо sese continentem, non iam de uictoria aut Kiouia, uerùm de sua salute esse solicitum. Neminem præterea ipsi aduersaturum. Quod si dolorem

Russiæ uberitas & opulentia.

Liberalitas Boleslai in milites.

Visseslai fuga.

Russorum ducum legatio ad frãtrẽ Izaslaum.

exilij ex animo delere non posset, ipse de sontibus supplicium arbitratu suo sumeret, Polonis patriam utcunq; de se meritam, in seruitutem atq; prædã ne daret. Cogitaret quàm bene olim Stopolco succesisset, quòd exul per eosdem Polonos restitutus esset. Ad hæc Izaslaus de Boleslai sententia nihil aliud, quàm periculum se facturum esse, quàm uerè illa de Kiouiensibus dicerentur, qua'que ij uoluntate in se essent, respondit. Mouet Boleslaus exercitum propius Kiouiam, & Mescislaum Izaslai filium cum expeditis aliquot turmis ad urbem præmittit. Is intromissus, cum opportuna loca præsidio occupasset, authores seditionis paterni'que exilij septuaginta comprehensos partim necat, partim excæcat. Patri & Boleslao regi pacatas esse res Kiouiæ renunciat. Contenderunt ij tamen, eo pacato agmine. Venientibus tota ciuitas ad septimum milliarium obuiam effusa esse dicitur. Dies ea fuit secunda Maij. Rex restituto in paternum principatum Izaslao, partem exercitus cum eo contra Visseslaum misit. Atq; is fuga elapso Visseslao, nulla mora Polosco potitus est, filiumq; Mescislaum, & non multo post eo mortuo, alterum Suentopelcum, siue, ut Rusi habent, Stopolcum Michaelem, cum præsidio ibi reliquit: ipse cum Polonis Kiouiam reuertitur. Rex distributo in æstiua, ac deinde in hyberna exercitu, ipse cum delectis æstatem atque hyemem illam Kiouiæ peregit, amœnitate loci ac delicijs urbis, & mulierum uenustate, teneritudine & lepore admirando captus. Præbuit autem Izaslaus uniuerso exercitui per omne id tempus alimenta & uestes, insuper & regem perquàm honorificè & exercitum pro meritis remuneratus est. Exacta hyeme maturè Boleslaus ex hybernis mouit, & in Premislienſem tractum, iniuriá ne prouocatus, an quòd ea paterna esset uxoris suæ hæreditas, an uerò sola proferendi regni cupiditate ductus, non constat. At minoribus quidem oppidis, quæ erant in itinere, primo aduentu potitus est: cæterùm Premislia à Septentrionali quidem latere, quà ipse ueniebat, Sano fluuio, qui è Sarmaticis montibus haud ita longè à Tibisci fontibus oritur, ab reliquis uerò fossis & aggeribus munita erat, & à magna præterea multitudine hominũ urbanorum simul & agrestium, atq; nobilium, qui ex agris eò se cum familijs & facultatibus suis receperant, defendebatur. Ad hæc ab uno latere arx oppido imminebat, in edito loco sita, & ualidis mœnibus turribus'q; expugnatu, ut illa ferebant tempora, perdifficilis. Rex igitur cum fluuium, nequicquam prohibentibus Rusis, uado satis alto transisset, oppidum summa ui oppugnat: nec segnius defendunt Rusi, & crebris eruptionibus, abundante multitudine, nostros oppugnationi intentos adoriuntur: sed reprimuntur, magna'q; cæde in oppidum repelluntur. Postremò uim nostrorum diutius sustinere se posse diffisi, deserto oppido, in arcem se receperunt. Rex oppidum summa rerum omnium copia diuitijs'q; refertum, quarto posteaquam oppugnare cœpit, die captum, in prædam dat militibus. Arcem, quia difficilis esse uidebatur eius expugnatio, propter multitudinem defensorum, nec'q; contrucidari suos uolebat, corona obsedit, sperans fame siti'q; breui se eam sedendo in potestatem

Kiouiæ deditio.

Polosco redactum in potestatem.

Kiouienses ille cebræ. Fœminarum uenustas.

Præmislienſe bellum.

Præmisliæ situs. Sanus fluuius.

Præmislienſe oppidũ in præ dam datum. Arx obsessa.

teſtatem ſuam redacturum eſſe: equites pediteśque quoquouerſus pabulatum dimittit, cõmeatum quamplurimum in caſtra comportare, uillarum incendijs abſtinere iubet. Ipſe diſpoſitis cuſtodijs obſeruabat, ne quid ad obſeſſos importaretur, neue ij libera è flumine aquatione uterentur. Nullas enim arx intus perennes habebat aquas. In magna difficultate, obſtinatis tamen animis, obſeſſi obſidionem ſuſtinebant: donec fame ſitíq; enectis iumentis, & peſte in homines graſſante, deditionem extremo æſtatis tempore fecerũt, uitam, & quæ ſinguli uno onere ſecum efferre poſſent, pacti. Rex arcem deditam quantum poteſt reficit & adornat, in eaq; hyemem ſequentem commoratus eſt, exercitu in hyberna diſtributo. Fuit hic annus à Chriſto nato milleſimus ſexageſimus nonus. Eo tempore, cum Bela rex Vngariæ tertio regni ſui anno cameræ ruina in uilla quadam afflictus, paulo pòſt obiuiſſet, Solomon Andreæ filius ab Henrico quarto imperatore affini ſuo in Vngariam ualidis copijs reducebatur: quo cognito, Geiſa, Vuladislaus & Lampertus Belæ filij, nihil præſidij ſibi in fluxa Vngarorum ſuorum fide fore rati, ex Vngaria in Poloniam exceſſerant: & Cracouiam rectà contendentes, à Vuladislao regis fratre & regina comiter & benignè accepti ſunt, Rege tunc apud Præmisliam cum exercitu moram trahente. Cuḿ que hybernaturus is eſſe in Ruſsia referretur, Geiſa relictis Cracouię fratribus, illuc ad eum uenit, opem eius implorans. Quem Boleslaus comiter conſolatus, cogitare ipſe ſecum, ac deinde cum ſenatu conſultare, quid faceret: propinquoś ne exules atque ſupplices, intermiſſo Ruſsico bello, reduceret, an hoc prius conficeret. Ac conſilium quidem in eam ferè inclinabat ſententiam, ut Ruſsiam prius pacandam domandaḿque, & alienam rem ſuæ poſthabendam eſſe cenſeret. Cæterùm regi placuit, non eſſe differendam expeditionem in Vngariam, donec Solomon regnum ſuum ſtabiliret, Germanoruḿq; auxilia accerſeret. Igitur æſtate proxima, cum iam matureſcerent ſegetes, Boleslaus rex relicto Præmisliæ, quantum ſatis eſſet, præſidio, in Vngariam cum reliquo exercitu & Belæ filijs, ſuperatis montibus, qui Poloniam & Ruſsiam ab Vngaria diuidunt, contendit. Confluxit ſtatim ad ipſos non paruus Vngarorum numerus. Solomon rex, ubi de aduentu hoſtium cognouit, Buda regia urbe relicta, Moſonum (arx ea erat munitiſsima) ſe recepit, eo quòd inops ab externis auxilijs, parum præſidij ſibi contra patrueles in Vngarorum ſuorum uiribus atq; fide eſſe exiſtimaret. Ibi epiſcopi medios ſeſe interponunt: Belæ filios orant, ne ſe patriæ parricidio contaminent: pacem deinde eos & Solomonem, non abnuente Boleslao, qui ad intermiſſum Ruſsicum bellum feſtinabat, componunt his conditionibus, ut Belæ filij regium honorem cum duabus partibus regni Solomoni permittant, ipſi tertia, ducuḿque nomine contenti ſint. His rebus magna omnium lætitia confectis, Boleslaum cum exercitu, datis de publico ampliſsimis muneribus, dimittunt. Reuertens autem Præmisliam Boleslaus, reperit Izaslaum principatu Kioui-

Præmisliensis arcis deditio.

1069. ann.

Belæ regis Vng. interitus.

Solomon reductus in Vngariam.

Belæ filiorum fuga in Poloniam.

Vngarica expeditio.

Solomon rex in tutum se recipit.

Pax inter Solomonem & Belæ filios.

Solomon regnat in Vngaria.

Ruſsicum bellum inſtauratum.

ensi iterum à fratribus prętextu controuersorum finium illato bello eiectum. Itaq; æstate quę consecuta est, in Volynienſium fines infestum duxit exercitum. Regio tunc erat diues, & omnium rerum propter fertilitatem agri abundans, & oppidis castellisq; frequens, quę pleraq; omnia partim ui capta, partim dedita, citò in potestatem regis uenere. Arces tres præcipuę, Luscum, Vuladimiria & Chelma, è materia quidem limóque, ut pleræq; omnes harum regionum, constructæ, sed bene munitę, ualidis Russorum præsidijs tenebantur. Ex his ad Luscum primùm castra ponit, arcem ui capere nititur: ubi sæpius res tentata non succesſit, animi dubius deliberat, quid faciat. Et ad Kiouiam quidem prono animo ferebatur: itaq; iudicabat, ea recepta facile cæteras eius oræ munitiones deditionem facturas esse: uerùm relinquere post se hostem integrum, & cæteris Rusſis horum exemplo animos ad resistendum addere, neque consultum, neque tutum fore arbitrabatur. Itaque obsidendo ad deditionem adigere, quos expugnare non poterat, statuit. Obsessi sex propemodum menses, uim & obsidionem cum sustinuissent, ad extremum freti benignitate regis, pacti'que liberum cum rebus suis discessum, arcem dedunt. Ibi Gregorius, siue Igorus dux, qui oram illam ditione tenebat, diffisus munitioni reliquarum arcium, missis primùm legatis, deinde ipsemet ueniens, imperata se facturum promisit, obsides dedit, pacem impetrauit. Anno sequenti ad Kiouiam mouit castra Boleslaus: obuium sese ipsi offert Vusseuolodus cum ualido exercitu, è suis iuxtà ac fraternis ditionibus collecto. Nam Stoslao fratre mortuo, principatum eius sibi adiunxerat: & ij qui Lusci, Vuladimiriæ & Chelmæ in præsidijs fuerant, dimissi, ad eum ferè sese receperant: eo'q; inuitum multa suadendo & orando impulerant, ut prælio cum nostris de summa rei decerneret. Rex quod in primis cupiebat adeptus, acies contrà instruit: milites paucis cohortatur, ut optatam conficiendi illius belli occasionem, ab hoste præter spem sibi oblatam, elabi è manibus ne sinerent: & extremum illum eius conatum desperatione magis, quàm spe uincendi susceptum, fortiter retunderent: eundem esse, qui prius ad manus uenire nunquam ausus esset: & ex ijs militibus ferè collectum, qui uicti prius, ac uel fuga elapsi, uel deditione facta dimissi à se essent. Si ipsi uiri esse pergerent, penitus debellatum iri ea uictoria, nec nisi præmia belli, & ea quidem amplissima, ipsis reliqua fore. Quòd si quid eos paululum fefellisset, cogitarēt in hostico se esse: ne eos quidem quieturos, quos pacatos à tergo reliquissent, ut sunt Rusſorum ingenia mobilia. Adniterentur, ne fortuitu, sed suæ uirtute atq; fortitudine superiores, uictorias adepti esse uiderentur. His dictis, & clamore crepitu'que armorum alacritatem significante uniuerso exercitu, canere signa iubet. Cohortatur & Vusseuolodus suos, fortiter ut pro patria, pro liberis, pro coniugibus, pro parentibus, pro aris & focis, pro libertate denique dimicarent: ex eius prælij euentu uel lætiora omnia deinceps, si uicissent: uel si, quod absit, uicti essent, duram seruitutem,

Volynia in potestatem Boleslai uenit.

Lusci obsessum ac deditū.

Igorus dux regi se dedu.

1074. Vusseuolodus dux.

Oratio regis ad milites.

Russorum ingenia.

tutem, summamq; miseriam expectarent. Congrediuntur infestis armis & animis instructæ acies: incalescit pugna, & magis quisque ut hostem feriat, quàm ut ictum ipse declinet, dat operam. Adsunt ubique suis duces. Iamque premi & conturbari Poloni cœperant in dextro cornu, hostium clamore, fugere nostros uociferantium, magis etiam consternati: cum Boleslaus laborantibus subsidium submisit, & non modò pugnam restituit, uerùm etiam hostilem aciem perfregit, & conuertit. Perturbatis ordinibus, fugiunt Russi: Vusseuolodus, ubi aliquamdiu suos nequicquam reuocauit, in fugam se & ipse coniecit. Ita plena, nec incruenta tamen, uictoria nostris obtigit. Multi nanque saucij in castra relati, mille propemodum desiderati sunt. Boleslaus aliquantum recreato ab ea pugna exercitu, ad Kiouiam contendit: quam cum primo impetu capere non potuisset, opportuno loco castra metatus, oppugnauit urbem iterum atque iterum: sed nullo operæ precio, imò uerò non minimo suo detrimento. Nam etsi locus neque situ, neque opere admodum munitus erat, sed tamen acriter cùm ab urbana multitudine, tum ab ijs qui è prælio dudum fuga elapsi eò se receperant, defendebatur: nec à uiris modò, sed à mulieribus etiam atque pueris, nostri mœnia subeuntes eminus, atque è superiore loco iaculis omnis generis uulnerabantur. Omissa igitur oppugnatione, obsidione urbem, multitudine hominum abundantem, premere statuit, dispositisq; in omnes partes custodijs, commeatu oppidanos prohibet. Quod quidem facile fuit, longum prospectum quoquo uersus prębente planicie, in qua Kiouia sita est. Nec multo pòst cũ angustiore annona uti cœpere obsessi: ueriticq;, ne extrema pati cogerentur, & ad extremum in potestatem hostium uenirent, culpam & necessitatem deprecati, urbem dedunt. Boleslaus ingrediens in portam urbis ferro intectam, gladium uibrauit, quod proauum item suum fecisse acceperat: oppidanorum autem facultates atque corpora capitali edicto à militum ui atque iniurijs & rapinis tutatus est. Qua clementia eius, & animi moderatione moti oppidani, ingentia dona ultrò ipsi accumularunt. Ea rex pleraq; omnia inter milites uirtutis ergò collaudatos, pro meritis cuiusq; distribuit. Pacata omni Russia, uectigalia magna non solum pecuniæ, sed & omnium rerum ad uictum cultumq; corporis pertinentium, instituit. Izaslaum summæ rerum pręposuit. Is porrò filios suos, Stopolcum quidem Polocensibus & Nouogrodensibus, Vuladimirum Smolẽscijs, Iaropolcum uerò Vissegradensibus præfecit. Rex quo magis imperiũ suum in Russia stabiliret, & quo diutius notis iam sibi antea Kiouię delitijs atq; uoluptatibus perfrueretur, hyemem illam ibi mansit. Ibi robur nostrorum hominum illecebris opulentæ, luxuriosæ, & Græcorum cõmercijs corruptæ ciuitatis, ut Pœnorum olim apud Capuam, elanguit, ac disciplina militaris licentia dissoluta, & ille uictor multarum gentium exercitus, deuictę urbis lasciuia, libidinibus & flagitijs uictus est: ita ut ei uinci magis propemodum, quàm uincere expediuerit. Etenim plurimorum maximorumq; malorum, quæ Poloniam postea implicarunt, hæc uictoria causa

Prælium.

Victoria Boleslai de Russis.

Kiouia oppugnata.

Kiouia deditur Boleslao. Moderatio Boleslai.

Russia Polonis uectigalis facta.

Deliciæ uicere uictorem.

causa & origo fuit. Nam dum illi Kiouiæ nulla se nequitia & libidine, quamuis fœda, & sibi inusitata prius, abstinent, uxores eorum & filiæ domi relictæ, non ferentes tam diuturnam uirorum absentiam (iam enim septimum fortè annum in Russia & Vngaria militantes domibus aberant) tum autem libidinibus eorum quæ crebris nunciis ad ipsas perferebantur, & iniuriis iritatæ, flagitiis uicissim uiros & propinquos suos pleræq; ulciscuntur: nonnullarum etiam pudor & constantia partim blanditiis & falsa extinctorum uirorum persuasione corrumpitur, partim ui expugnatur, iusta diuini numinis uindicta atq; permissu. Libet hic præclarum muliebris pudicitiæ exemplum referre. Margaritha Nicolai Zembocij comitis uxor, pudicitiæ suæ metuens, grassante passim impunè flagitiosorum iuuenum licentia, in turri templi Zembocinensis, uno à Prossouia milliario cũ duabus sororibus per multum tempus latuit, familia per funem alimenta ipsi subministrante. Hæc ubi uiris in hyberna renunciata sunt, fremere multi ad quos illa pertinebãt, & indignari, commeatumq; domos uisendi à rege petere. Sed uel non admissi ad regem, uel superbius repulsam passi, clàm pauci primùm sese subduxere, deinde plures paucorum exemplum secuti, ipsi quoque discesserunt, ita ut pauci cum rege remanerent. Raptim is quoque cum reliquis consequitur, ueritus, ne Russi mutatis animis, despectaq; Polonorum paucitate, opprimendi sui consilium inirent. Posteaquam peruenit Cracouiam, concœptam animo in desertores iram, in apertum profert: à quibus fugæ initium ortum erat, eos capitali pœna afficit: in cæteros autem bonorum confiscatione, aut diuturno carcere animaduertit. Sæuit & in mulieres, quæ culpæ affines esse uidebantur, quibusq; misericordia & indulgẽtia uirorum pepercerat, & quidem inaudito modo. Abstractis enim, et abiectis infantibus, quos è stupris et adulteriis enixæ erant, catulos ad ubera earum admouisse dicitur. Adhæc uulgus atque plebem nouis & grauibus exactionibus premebat. ius non dicebat, nec iniurias tenuiorũ uindicabat: impeditus consuetis uoluptatibus, fœdisque & abominandis libidinibus, de quibus nihil remittebat. Quin Cristina, nobili fœmina, à Mescislao marito abducta, palàm per adulteriũ abutebatur. His commotus, ita ut decuit, Stanislaus Cracouiensis episcopus, uir pius & nobilis de Prussorum, quam uocant, familia, cognomento Scepanouius, qui Lamperto defuncto paulo antè suffectus erat: uidensq; iniurias & exempla regiorum flagitiorum ad multos pertinere, regem adit, & semotis arbitris blandè admonet, orat & obsecrat, ut illis moribus & corruptelis finem statuat, ne quod grande malum sibi suisq; & uniuersæ Poloniæ accersat. Peccata per se maxima, longè tamen maiora esse in rege, quàm in priuato homine: cum ea quoq; quæ in aliis leuia sint, in eo qui loco & honore eminet, grauissima esse uideantur: propterea quòd ultro hominum sese oculis ingerant, & plurimos secum malo exemplo in præceps detrahant. Quo sublimior sit & fortunatior, hoc maiore uitæ puritate & innocentia eum niti, Deiq; beneficentiam agnoscere oportere. Ni faceret, metueret, ne diuina ultione de

Polonorum fœminarum petulantia.

Margaritha Zembociæ pudicitia.

Boleslai receptus è Russia fugæ similis.

Boleslai sæuitia & scelera.

Boleslai regis adulterium.

Stanislai Cracouiẽsis episcopi officium, & animi magnitudo.

Principum exempla illustria.

summo

ſummo gradu in imum deturbaretur, neu denicꝫ falſas & momentaneas uoluptates diris ſempiterniſcꝫ cruciatibus commutaret. Hæc dicta rex iniquiori animo pati: & ira odioſcꝫ inflammatus, conuiciis & maledictis ſanctiſsimum antiſtitem inceſſere: quærere quo pacto authoritatem eius eleuaret, linguæcꝫ libertatem comprimeret: neqꝫ tamen quicquam eiuſcemodi in uita & moribus Stanislai, quod opportunum eſſet crimini aut reprehenſioni, comperiebat. Emerat fortè illo triennio Stanislaus pagum Petrauinum in tractu Lublinenſi, à Petrico quodam equite Polono. atqui is Petricus accepto precio iam obierat: nec ſatis tamen Stanislaus propter perpetuum bellum & iuſticium, actorum publicorum monumentis de iure ſuo ſibi cauerat. Eius rei Boleslaus ab aſſentatoribus ſubmonitus, Petrici agnatos ſubornat, qui de interuerſa hæreditate ſua legitima Stanislaum in ius uocent, auxilium ſuum ipſis pollicetur. Illi tum authoritate regis, tum inſperati compendij ſpe adducti, iuſſa faciunt. Fortè tunc iudicia, quæ noſtri uulgo colloquia & generales terminos uocant, in pratis inter Solezum, & illud ipſum Petrauinum in papilionibus, ut moris erat antiquitùs, à rege exercebantur. Comparet Stanislaus citatus: emiſſe ſe pagum, & ſoluiſſe precium affirmat: teſtes eius rei nonnullos citat. Qui cum à rege deterriti, teſtimonij dictionem ſubterfugerent: ibi Stanislaus non tam pagi retinendi, cꝫ criminis depellendi cauſa anxius, tandem facinus aggreditur, humanas uires atcꝫ cogitationes fidemcꝫ excedens. Tridui dilatione à rege impetrata, Petrauinum contendit: ibi peracto cum ſacerdotibus & aliis piis hominibus, quos in comitatu habebat, ieiunio, Deicꝫ ope peruigili oratione & perpetuis lachrymis implorata, detectum Petrici putre cadauer, pedo, quo utuntur epiſcopi, tangit: magnacꝫ fiducia exurgere Petricum à mortuis in nomine Dei patris & filij & ſpiritus ſancti iubet. Nec mora, attollit ille ſeſe, quaſi è ſomno expergefactus, & à Stanislao per manum deductus, ad tribunal regium ſiſtitur. Rei miraculo rege & omnibus qui aderant obſtupefactis, Petricus uendidiſſe ſe pagum, & precium omne accepiſſe fatetur. Regem, ac deinde propinquos, quod iniuſtè innocenti & ſancto epiſcopo negocium faceſſant, liberè obiurgat. Ita ingratis & inuito rege uincit cauſam Stanislaus. A tribunali diſcedens, optionem dat Petrico, reuertí ne ad ſepulchrum, an diutius uita hac frui malit. Æternam ille cœleſtemcꝫ malle, à qua nõ longius abeſſet, ſi exiguum id quicquid eſſet reliquum ſupplicij, quo anteactæ uitæ ſuæ maculas eluere adhuc deberet, oratu ipſius ſibi remitteretur. His dictis, & annuente poſtulatis eius epiſcopo, ſepulchrũ ſubiens, animam iterũ exhalauit. Non deterruit ea res Boleslaum regem, à contaminatis moribus & libidinibus. Quin is iterum atqꝫ iterũ monitus, & acrius obiurgatus ab eodẽ Stanislao, adhibitis etiam ſecundũ præceptum CHRISTI grauibus aliquot uiris, furere, cędemcꝫ minari ipſi cœpit. Nec ſegnius Stanislaus, ubi non reſipiſcere regem animaduertit, graui anathemate eum percellit: uetat ſacra fieri tota urbe, quò ille deteſtatione & conuicio populi, qui ſacris arcebatur, ad ſaniorem mentem reuocaretur. Ipſe per pontem Viſtulę foras

Boleslai peruicacia.

Calumniæ occaſio.

De Petrauinolis intenta epiſcopo.

Colloquia generalia in papilionibus.

Petricus mortuus à Stanislao reſuſcitatus.

Rex diris deuotus ab epiſcopo.

Interdictorum ratio.

ras ad diui Michaelis ædem, in rupe prærupta supra Vistulam è conspectu arcis sitam, ad faciendam rem diuinam clàm cum paucis sacerdotibus commeabat. Quod ubi Boleslaus, à suis certior factus, cognouit, quadam die correptis armis amens cum complurib⁹ assecl⁹ & satellitibus eò contendit. Præmittit, qui Stanislaum sacris operantem ad destinatam necem ab ipsis altaribus abstrahant. qui introgressi erant, subito & insolito fulgore perculsi, supini cadunt: inde manibus pedibusq; reptantes sese proripiunt. Submittit rex alios iterum atq; iterum: idem & ijs, quod primis, accidit. Ille morę impatiens, & furore percitus, increpita satellitum ignauia & formidine, ipse stricto ense in templum irrumpit, lethalíq; ictu sacrosanctũ episcopum in uerticem ferit, ita ut cadens cerebro parietem proximum aspergeret. Ibi satellites cohortati sese mutuò, corpus humi procumbens templo extractum, minutatim concidunt, morem gerentes furori regio, & in subiectis pratis, canibus & uolucribus laniandum diuijciunt. Erant autem ij satellites equestribus & honestis quatuor ferè familijs, quæ in hodiernum diem in Polonia durant, orti: nempe Stremenij, Srenauij, Drucinij, & Iastrembecij. Dies, quo hæc patrata sunt, fuit octauus Maij, anno Christi millesimo septuagesimo nono: cum Stanislaus uix triennium episcopus fuisset. Rege cum conscelcratis satellitibus post perpetratum paricidium abeunte, quatuor aquilæ inusitatæ magnitudinis apparuisse feruntur, circum eum locum uolitantes, corpusq; sanctum à laniatu canum & rapacium auium defendentes toto biduo: donec moti ea re pij quidam sacerdotes, resumptis animis, membra disiecta collegerunt, & suo ordine composuerunt, quę euestigiò mirandum in modum coaluisse dicuntur. Ita corpus integrum pro foribus ædis illius, ubi martyr Dei cæsus est, in urna uenerabundi condiderunt: quod decimo post anno in arcem Cracouiẽsem illatum, in medio basilicæ reconditum est. Quin & lucernæ permultæ in aere supra eum locum ubi disiectum erat corpus Stanislai, nocte proxima, quæ cędem consecuta est, ardere à nonnullis uisæ esse memorantur. Fertur etiam pijs quibusdam hominibus diuinitùs reuelatum esse, regnum Polonum insequenti tempore in multas partes discerptum iri, quemadmodum corpus Stanislai sectum fuisset: itaq; per multum tempus mansurum. Hæc ubi Romæ nunciata sunt, Pontifex max. Gregorius eius nominis septimus, atrocitate rei commotus, toti Polonię sacris interdixit, Boleslaum diris deuouit, regnumq; ipsi solenni ritu abrogauit. In posterum quoq;, ne quem episcopi regem iniussu suo ungerent & coronarent, edixit. Qui uerò socij sceleris regi fuissent, eos simul & posteros eorum usq; ad quartam propaginem, à sacerdotij & omnium magistratuum ecclesiasticorum functionibus & emolumẽtis alienos esse iussit. Nihilominus tamen annum & amplius Boleslaus postea regnauit, sed inuisus omnibus, & externis etiã contemptibilis: ita ut iam Russorum principes ab eo subacti, imperium eius detrectarent. Conspirarunt deinde in necem eius nobiles & proceres nonnulli: qua conspiratione detecta, ueritus ne ad plures etiam ea pertineret, in Vngariã cum filio

Stanislai cædes.

1079 ann.

Aquilæ defendunt corpus sanctum.

Corpus dissectum ac disiectum coaluit.

Polonici regni dissectio.

Poloniæ sacris & regio nomine interdictũ à Pont. max.

Interfectores qua pœna affecti.

Boleslai fuga.

filio Meſcone & paucis comitibus fugit. Regnabat tunc in Vngaria poſt Solomonem eiectum, & Geiſam mortuum, Ladislaus Geiſæ frater: quos ambos à Boleslao reductos in Vngariam fuiſſe, ſuperius narrauimus. Ab eo Boleslaus exul ſanè quàm comiter & honorificè acceptus eſt: manſitq; apud eum aliquandiu. Verùm exagitante eum in dies magis ac magis patrati ſceleris conſcientia, acerbo & infatigabili ſceleratorum carnifice, amentia correptus, mortem ſibi ipſe conſciuit, anno poſt Chriſtum natum milleſimo octogeſimo primo: qui quidem æſtu & ſiccitate inſignis fuit. Alij uolunt, eum in uenatione concito equo efferatiore, in auias ſyluas delatum eſſe, canibus conſequentibus: excuſſumq; ab ijs diſcerptum, ac deuoratum. Sunt qui uelint, eum clam omnibus errabundum inter Alpes ad monaſterium quoddam, ſiue id ad Enipontem, ſiue ad Villacum ſitum ſit (utrumq; enim memoratur) peruenisſe, ibiq; latentem quis nam eſſet, poſt multos labores in coquinę miniſterio ultro & pœnitentia commiſsi paricidij ſuſceptos & exhauſtos, uitam finiuiſſe. Sed Mechouienſis ſcribit, quærentem ſe in illis locis, nihil eiuſcemodi comperire potuiſſe. Fuerat autem futurus hic rex clariſsimus & feliciſsimus, ſi fortunam perpetuò cœptis ſuis adſpirantem ferre didiciſſet. Verùm ſecundis rebus elatus & inſolens, animo ſuo minus quàm oportuit moderatus eſt. Et ſanè libidini & iracundiæ moderari longè eſt cùm difficilius, tum præclarius: quàm gentibus & nationibus, quamuis feris atq; barbaris, imperare. Mirari ſatis nequeo, à Lamperto Saffnaburgenſi, qui per hæc tempora uixit, & res geſtas Germanorum conſcripſit, memoriæ proditum eſſe, quòd anno Chriſti milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, dux Polonorum, qui per multos annos regibus Teuthonicis tributarius fuiſſet, cuiusq; regnum iam olim Teuthonum uirtute ſubactum, atq; in prouinciam redactum fuiſſet, repentè in ſuperbiam elatus, regiam dignitatem, regiumq; nomen ſibi uſurpauerit, diadema impoſuerit, atq; ipſo die natalis Domini à quindecim epiſcopis in regem ſit conſecratus. Atqui plus ſeptuaginta annis ante hoc tempus Polonia regem cum habuiſſet, & quidem Ottonis Ruffi Germani Imperatoris beneficio, per hoc tempus habere deſijt. Iam uerò quindecim epiſcopos Poloniam, non modò tunc, ſed nunquam omnino habuiſſe, ipſa rei euidentia falſum eſſe conuincitur. Conſtruxit autem Boleslaus uiuens, ac ditauit, Mogilnēſe monaſterium, in eoq; Benedictinos collocauit. Audacis & liberalis cognomentum uiuo inditum, mortuus etiam retinuit. Regnauit autem annos fermè duos & uiginti, cum ſextum decimum annum nondum egreſſus regnare cœpiſſet. Sed iam Cazimiri, & Boleslai filij regno, librum hunc terminemus. Quintum à ſublato regno, auſpicaturi, duobusq; principibus finituri, quorum filius patris, atq; adeò ſuperiorum ferè omnium principum claritatem, rerum geſtarum magnitudine & gloria ſua obſcurauit.

Ladislaus rex Vngariæ.

Boleſlai interitus. 1081 ann.

Libidinem & iracundiam domare difficile.

Lamp. Saffnaburgen. error.

Mogilnenſe monaſterium.

Boleslaus audax & liberalis.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER QVINTVS.

VVLADISLAVS PRIMVS, PRINCEPS.

Rußi populantur fines Poloniæ.

EXACTO rege Boleslao, priusquam ex motu illo sese recolligeret respub. Russi incunctanter arripuere eam nouandarum rerum occasionem: & coacto è suis & auxiliaribus Polovuzorū militibus exercitu, Polonas ditiones duce Basilio Roscislai filio, ferro & igni depopulati sunt, & cum magna præda ad sua se incolumes recepere. Quo incommodo permoti proceres, ueriti ne quo grauiore etiam casu rursus interregnum illud rempub. affligeret, comitijs habitis, ad Vuladislaū Boleslai fratrem, quē Hermannum etiam uocarunt, qui unus supererat, regnum deferunt. Et suscepit is quidem principatum: sed tamen regem se appellari passus non est, uel quòd inunctus & coronatus solenni regum ritu, Pontificis max. interdicto, non esset: uel quòd reuersurum aliquando Boleslaum, regnumq; repetiturum existimaret. Principis uerò & hæredis regni Poloni nomen sibi sumpsit: uir prudēs quidem, & uirtute præditus, uerùm ad quietem & ocium, quàm ad bellum propensior, & humanitatis atq; religionis amantior, quàm gloriæ. Initio statim principatus sui Poloniam commotam nonnihil, magna dexteritate pacauit, latrocinijsq; purgauit. Ad Pontificem maximum de tollendo interdicto, quo Polonia uniuersa ob necem Stanislai episcopi obnoxia, sacris se abstinebat, oratorem misit, uirum eruditum & eloquentem, Lampertū, equestri apud Polonos ortum familia, canonicum Cracouiensem, quem Pontifex diuo Stanislao successorem dedit, & sublato interdicto episcopum remisit. Vxorē deinde Vuladislaus duxit de amplissimi consilij sententia, Iudithā Vuratislai Boemorum principis filiam, ex Adleida Andreæ Vngarorum regis filia susceptam. Mieſconem, siue Miecislaum Boleslai fratris filium, cum cæteris exulibus ex Vngaria reuocauit, fortunæ eius misertus: aut ueritus fortasse, ne quando is ope Vngarorum, apud quos ob indolem gratiosus esse dicebatur, paternum regnū repeteret. nam pater eius iā perierat. Reuersum in filij loco dilexit. Atque is cum egregia indole, uirtute & comitate sua paruo tempore animos multitudinis mirum in modum sibi deuinxisset, & optima spe omnes impleret, sexto, posteaquàm rediit, anno, immaturam mortem obijt, nullis relictis liberis, & magnum sui desiderium apud omnes reliquit. Creditumq; est uulgò, ueneno sublatum à paternæ eius fugæ authoribus, ueritis, ne quando eos, iniuriæ memor, ulciscereturr: Vuladislao principe & patruo si non iubente, conniuente quidem certè: ne se aut liberos suos, populari gratia fretus, regno eijceret. Volunt nonnulli, quemadmodum refert Dlugossus, non tunc perijsse Miecislaum hunc, sed altero demum post Vuladislai mortem anno,

Vuladislaus Hermannus dictus.

Vuladislaus regem se dici noluit.

Hæres regni Polonorum.

Interdicti relaxatio.

Lampertus episcopus Cracouiensis.

Vxor Vuladislai principis.

Miesco Boleslai filius extinctus.

anno, uenenato poculo, unà cum Eudoxia uxore Russa Stopolci ducis sorore, Izaslai filia, de medio sublatum esse, cum Crusuicien sem tractum complures annos obtinuisset. affirmatque idem Dlugossus, uidisse se diploma eius authenticum, quo is donationem paternam Mogilnensi monasterio confirmauit. Sed uiderit Dlugossus, ne alius ille sit Miezislaus, nempe Boleslai tertij filius, cuius diploma illud fuerit. Vngarorum historiæ memorant, circa illud tempus, quo Miecislaum à patruo reuocatum esse diximus, regem suum Ladislaum Polonis bellum fecisse, quòd ij cũ Russis & Cunis, quos nostri Polouuzos uocant, conspirasse contra se dicerentur. Cumque eos insigni & cruento prælio profligasset, Cracouiã urbẽ tribus mensibus obsedisse, & fame oppidanos ad deditionem adegisse: deinde deditione facta, ius omne cum urbe Polonis restituisse, admonitis ne deinceps amicitiam cum Vngaris pridem constitutam uiolarent. Hæc an uera sint nescio. Nostri quidem, eius belli nusquã meminerunt. Quòd si quam tandem Ladislaus expeditionem per hæc tempora in Poloniã fecit, credibile est Miecislai reducendi causa, quamuis nullam eius illi faciant mentionẽ, eam esse susceptam, lætioreque Polonorum euentu confectã, Miezislao cum patruo æquis conditionibus reconciliato. Nã cum Russis & Cunis non uideo quid cõmune tunc Poloni habuerint, ut pariter contra Vngaros arma sumerẽt. Russi quidẽ post exactũ regno Boleslaum, hostiliter etiã uexarant Poloniã: & ipsi uerò uehementer per illa ipsa tempora ab ipsis Polouuzis diuexebantur. Nec facilè crediderim, Vuladislaũ nouũ principẽ nondum bene constitutis domi rebus suis externo, et nõ necessario bello sese implicasse. Neque uerò intelligo, cur Ladislaus Vngarus dubiã Martis aleam cũ Polonis subijsset, ac tã diuturnę obsidionis laborẽ hausisset, si culpã omnẽ uictis et obsessis remissurus, captamque urbẽ hostibus liberã omnino & iure optimo cõdonaturus erat. Sed omittamus Vngaros. Iam aũt Vuladislaus princeps habebat liberos, cũ Miezislaus hic mortuus est, Sbigneũ nothũ, ante initũ principatũ è concubina susceptũ: & Boleslaũ legitimũ in principatu ex Iuditha uxore, cũ aliquot annis sterilis ea fuisset, diuinitùs, quẽadmodũ creditũ est, in gratiã sancti abbatis Ægidij datũ. Cum enim orbitate sua principes coniuges maiorẽ in modũ angerẽtur, & Iuditha religiosissima fœmina assiduis precibus, ieiunijs, & eleemosynis in egenos liberaliter erogandis de prole Deũ assiduò fatigaret, omniaque tentaret eius rei gratia, admonita à Lamperto episcopo Cracouiẽsi, mittit unà cũ uiro, in eandem sententiam adducto, oratores in Narbonensem prouinciam, ad monasteriũ diui Ægidij, ubi corpus sancti illius uiri mortui conditum erat. Vbi eò peruenerunt oratores, dedicant templo diui amplissima aurea & argentea donaria, quæ secum attulerant: Abbati præterea & monachis non contemnenda dant munera principum suorum nomine: exponunt quid ueniant, quidue postulent. Indicitur monachis tridui ieiunium: oratur Deus, ut intuitu grati serui sui Aegidij, masculam prolem concedat pijs principibus. Triduo illo reuelatur per uisum seni cuidam & pio monacho, impetratum esse, quod tanto studio peti-

Bonfinius.

Cuni seu Cumani Polouuci.

Sbigneus nothus Vuladislai filius.

Boleslaus filius legitimus diuinitùs per diuum Aegidium impetratus.

Aegidij abbatis sepulchrũ.

tum esset. Dimittuntur cum spe certa oratores: reuersi reperiunt Iuditham grauidam: quæ postea maturo partu puerum edidit, cui Bolesłao nomen inditum est. Iuditha post quartum mensem à partu, extremum clausit diem, fœmina pietati in primis & beneficentiæ dedita: quæ & ipsa facultates suas, mundũq; muliebrem penè omnem in usus pauperum, & ad cultum templorum uiua elargita est: & à marito impetrauit, ut Croppensem siue Pabianicensem comitatum collegio sacerdotum Cracouiensis basilicæ, Lagouiense territorium Crusuicienſi seu Vuladislauiensi episcopo, Xansnicensia uerò bona Tinecensi monasterio semiterno iure donaret. Non multo pòst etiam Dobrogneua, Vuladislai principis mater, senex uita defuncta est. Duxit deinde alteram uxorem Vuladislaus, suasu Ladislai regis Vngarorum, Sophiam uiduam, Henrici quarti imperatoris sororem, quæ Solomonis uxor fuerat, honestè et honorificè post mortem uiri à Ladislao rege sancto pioq; habitam: ex eaq; tres filias suscepit, quamuis ea cum Solomone nullos habuisset liberos. Quanquam Bonfinius eam ex aliorum sententia in Agmondensi monasterio, post Solomonis mortem siue exilium, obijsse memorat. Per hæc tempora Russi, cognita Mesconis & uxoris eius morte, in libertatem sese rursus asseruere: munitiones, quæ Polonorum præsidijs tenebantur, recepere: militibus Polonis partim pecunia & largitione corruptis, partim ui ejectis, partim longa obsidione ac desperatione nequicquam petiti & expectati à principe suo auxilij deditionem facere coactis. Defecere & Prussi & Pomerani. Hos Vuladislaus, dilatis in aliud tempus Russis, bello persecutus, & Pomeranorum fines depopulatus est, arcesq; & munitiones aliquot primo aduentu recepit. Nec sibi defuere Pomerani: sed cum Prussis pariter coniunctis uiribus, magno impetu Polonorum castra die quintodecimo mensis Augusti adoriuntur. Nolebat eo die Vuladislaus cum hoste manus conserere: habebat eum honorem Virgini matri, cuius assumptionẽ dies ille anniuersaria celebritate repræsentabat. Verùm lacessitus, & iusta penè necessitate adductus, educit suos in aciem. Atrox prælium in magnam diei partem, utrisque dubio euentu pro uictoria contendentibus, committitur. Incipiunt deinde pedem referre hostes: nostri cohortati se inuicem, instare cedentibus, nec mora, illi effuso cursu diuersi diffugiunt: quos nostri ira elati longius persequuntur, magnamq; in fugientibus stragem faciunt: qua fusi fractiq;, principis potestati & clementiæ sese suaq; omnia permiserunt. Facilè dedit ille ueniam uictis & supplicibus, arces tamen & munitiones opportunas, quæ illis rebellandi ansam dare possent, in potestatem suam redactas, partim præsidijs firmauit, partim demolitus est. Nec diu quieuere Prussi & Pomerani, sed præfectis à Vuladislao sibi datis, partim dolo necatis, partim pulsis, rebellant iterum. Quam rebellionem Vuladislaus ut in primo statim ortu opprimeret, tumultuarijs copijs coactis, media hyeme magnis itineribus ad fines Prussorũ & Pomeranorum peruenit. Quos ubi munitionibus sese tuentes, aut in syluas atque paludes abditos, pugnandi copiam non facere animaduertit, partitus

Iuditha mors.

Pabianicensis comitatus ecclesiæ Cracouiesi donatus.

Lagouiense territorium Vuladislauiensi.

Xansnice Tinecensi monasterio.

Dobrogneua mortua.

Vuladislai uxor altera.

Ladislaus rex Vngarorum sanctus.

Russi in libertatem sese asseruere.

Pomeranicum & Prussicum bellum.

Pomerani & Prussi uicti, uictori Polono sese subdunt.

Pomeranorum & Prussorum rebellio.

Pomeranicum bellum alterũ.

titus exercitum cum Sececho palatino Cracouiensi,& magistro militię, hostiles terras crudelem in modum uastauit ac depopulatus est. Reuertenti,apud Drenum,quam arcem Naclus amnis circumfluit,nunciatur, hostes subsequi, nec longius quinque milliarijs abesse: statuerant enim ij nostros nec opinantes,animaduersa ac despecta eorum paucitate,magna ui adoriri:& magna celeritate sese undiq; conuolantes collegerant. Debilitabat principis animum, hostium multitudo: sed cedere non tam iustis hostibus,quàm fugitiuis & cõtumacibus seruis, turpe sibi Poloni milites & infame ducebant:barbarorũ rabiem,ni mox reprimatur, efferatam, in tergis cedentium hæsuram, & Poloniæ uicissim infesta arma faces'q; illaturam.Dictis in consilio castrensi sententijs, uicit ea quæ censebat, occumbendum potius honestè, si ita sors tulisset, quàm per summam turpitudinẽ concedendam esse ultro sæpius à se uictis uictoriam. Itaq; conuersis signis pugnam flagitant. Vbi in conspectum uentum est, magna uociferatione,magno'q; impetu nostri in hostem feruntur. Concurritur utrinq; infestis,& obstinatis ad uincẽdum aut moriendum animis.Nostri peritia rei militaris hostium uim sustinebãt:illi contra abundante multitudine integros in sauciorum ac defatigatorum locum submittebant.Pugnatum est à mane usq; ad uesperam,neutrò inclinante uictoria:nisi quòd nocte prælium dirimẽte, aduersarij pro uictis, nemine tamen persequente,discessere.Tantus autem erat ardor utrinq; in militibus,ut perpauci uiui caperentur, sed omnes aduersis pectoribus uulnera mortem'q; exciperent.dies,quo hæc acta sunt,fuit pridie eius diei Dominicę, quæ Christianis Palmarum nomine celebris est.Postero die dilapsis hostibus,consultant nostri quid porrò faciant,instent' ne perculsis & perterritis,nec ullũ dent respirandi & colligendi sese spaciũ:an potius abacta & ablata præda, quæ ingens erat, domi sese prius exonerent: & mox aucto mercenarijs militibus,qui è Boemia & Vngaria expectabantur,exercitu,cõmodiore anni tẽpore,maiore ui hostẽ adoriant:neq; pauci multos in solo ipsorum inuadentes,sępius fortunã periclitentur.Huic sententiæ facile omnes assensi sunt.& mouebat illud quoq; plurimos, q̃ sacrũ Paschæ tempus pro foribus aderat,quo Christianos impẽsius cultui diuino uacare oporteret. Itaq; diuersi ex hostico discedunt. Nec ita multo pòst recreatis ab illa hyberna expeditione iumentis, auctis'q; tum domestico,tum externo milite copijs, Vuladislaus princeps Pomeraniã ingressus, hostẽ quærit:quo nusquam in apertũ prodeunte, uastat iterũ agros pagos'q; & oppida quàm acerbissimè. Deinde Naclum arcem in primis munitam, quæ receptaculum erat Pomeranis, ad excursiones in Poloniam faciendas ualde opportunum, cum primo impetu capere nõ potuisset, eo quòd ualido teneretur præsidio, operibus circũuallare instituit,ut obsessorum eruptiones reprimeret. Vbi res mira & prodigij similis accidit: nocturnis temporibus lucente luna, crebrò uisebantur ab excubitoribus nostris quasi armatorum hostiũ acies,ex apertis campis ad statiua nostrorum adequitantes & incursantes:quas nostri exciti, raptim'q; correptis armis, satis habebant à fossis castrorum propellere,

Drenum arx. Naclus fluuius.

Prælium incepr.

In Pomeraniã expeditio tertia Vuladislai.

Nakel. Naclum arx obsessa.

Spectra nocturna.

ueriti

ueriti nocturnas insidias. Cum id sæpius accideret, indignari nostri, inquietari sese, nec usquam in apertum certamen prodire hostes: itaq; nocte quadam, cum itidem hostes adesse nunciarentur, fremebundi agminatim è castris sese propripuere, diffugientesq; casso labore longius persecuti sunt. Obsessi tumultu nostrorum exaudito, & excursione è castris

Castra Polonorum incensa.

animaduersa, erumpunt subitò, & ignem in opera atq; tuguria militum stramine arundine'que contecta injiciunt: quo celeriter pluribus in locis sese diffundente, paucis qui in castris manserant defendentibus, facile opera cum magna castrorum parte conflagrarunt. Nocturnas umbras illas fuisse autumant, quæ hostilis exercitus speciem ostentantes,

Ieiunium Quadrageſimæ temeratum.

Polonos ita diuino permissu exagitarunt: propterea quòd solenne omnibus Christianis quadraginta dierum ieiunium, priore expeditione, promiscuo ac temerario esu carnis & lactariorum, moribus & institutis Ecclesię catholicę contemptis, temerauerant. Hoc incommodo accepto nostri, quod hyems, quæ citius & asperius regiones illas affligit, iam instabat, tuguriaq; amiserant, sine quibus uim & iniuriam hyberni cœli perferre non potuissent, simul quòd terrores illos nocturnos in religionem uerterant, re infecta ab oppugnatione Nacli, iussu regis domos discedunt. Insequenti æstate rursus in eosdem Pomeranos, & mox in Prussos, infestis animis impetum faciunt: regiones'que eorum, quæ quidem cultæ erant, quoquo uersus quàm crudelissimè uastant, nulli neque sexui neque ætati hominum parcunt. His igitur fatigati fracti'que malis hostes, publico consilio deditionem fecerunt, misericordiam principis supplices implorarunt. Ille populariter adesse iussos, grauiter castigat, authores rebellionis edere imperat, & in eos supplicio capitis animaduertit: cæteram multitudinem metu soluit, & iusiurandum conceptis uerbis dare sibi iubet. Ita perdomiti Prussi & Pomerani, ad tempus quieuerunt. Secutum est Boemicum bellum, quod ut temerè excitatum, ita citò, neque graui admodum exitu, consopitum est. Vuratislaum Boemorum principem Henricus quartus imperator, de consilij sententia Maguntiæ regem appellauerat, anno post Christum natum 1087: eiq; & posteris eius Poloniam omnem, in qua utercq; ne tantillum quidem habebat, quantum uestigio calcare posset, attribuerat. Vuratislao, ac deinde Conrado item Vuratislai fratre, qui post fratrem regnum susceperat, intra paucos menses uita defunctis, Prædislaus Vuratislai filius ex Vngaria, ubi iustam patris iram fugiens exulabat, reuocatus successerat. Neque is tamen, ac neque Conradus, neque succedentium post principum quisquam, usque ad Vuladislaum, regium nomen usurpauit. Is ergo Prædislaus immemor necessitudinum, quæ ipsi cum Vuladislao intercedebant, siue persequendi imaginarij illius iuris causa, & spe occupandi aliquid de Polonis, siue prædæ cupiditate, Poloniæ fines cum infesto exercitu inuaserat, Vuladislao principe Pomeranico & Prussico bello, quod modò exposuimus, implicato: omnem'que eam oram, quæ ab Albi fluuio, & Grezo siue Gradezo, ut uocat Hagecus, arce, quæ tunc in Polonorum ditione erat, quemadmodum uult Ioan-

Obsidio Nacli relicta.

In Pomeraniã quarta expeditio.

Pomeranorũ & Prussorum deditio.

Boemicũ bellum.

Boemiæ rex primus. Vuratislaus. 1087 ann.

Conradus dux Boem.

Prædislaus dux.

Prædislaus Poloniam infesta uit.

nes

nes Dlugossus,usq; ad Odram amnem pertinet, copiosam tunc diutur- *Odra fluuius.*
na pace, & abundantem, incendijs & populatione diuexauerat. Hanc
iniuriam ulturus Vuladislaus, quoniam tunc per anni tempus cõmodè
bellum gerere non poterat, proximè consecuta æstate, qui fuit annus à
Christo nato 1094, exercitum in Morauiam, Conradi principatu in uni- *1094. ann.*
us principis ditionem cum Boemia redactam, mittit, eiq; Secechum Pa- *Morauia Boemiæ rursus iuncta.*
latinum Cracouiensem, præstantem in re militari uirum, præficit. ipse e- *Secechus pal. Cracouien.*
nim aduersa ualetudine, & pedum dolore proficisci ad eam expeditionẽ *Boleslai pueri indoles generosa.*
prohibebatur: nec tamen uolebat institutum bellum differre. Mandata
cum dabat Sececho proficiscenti Vuladislaus, aderat fortè Boleslaus fi-
lius, nonum tunc agens annum: attentoq; animo omnia hauriebat, & in
leonini catuli morem, qui teneris etiamdum unguibus, laniatu tamen
iam gaudet, generosum pueri pectus belli gloriæq; cupiditate impendio
exardescebat: neq; diutius animo conceptam flammam ferens, genua pa
tris amplexus, & collo eius implicatus, uix magnis precibus, osculis &
blanditijs eum exorat, ut cum Sececho ad id bellum mittatur. Sececho
pueri cura mandatur. Vbi ad exercitum uentum est, puer singula quæ
fiebant curiosius obseruare, uersari inter ordines, omnibus arridere, æ-
stum imbremq; pati, uigilare, humi cubare, uigilias cum Sececho obe-
quitare, aliaq; multa præter ætatem facere, ferreq;: ita ut indoles illa, stu-
diumq; pueri, futuram eius magnitudinem non obscurè portenderet.
Vastata igni ferroq; aliquò usq; Morauia, & paucis hostiũ turmis, quæ
sese nostris tulerant obuias, aliquot prælijs profligatis (munitionũ enim
oppugnatione abstinere Vuladislaus iusserat) reduxit cum Boleslao co
pias Secechus, præda onustas. Hagecus more suo fingit, Vuladislaũ illa
tam acri Prædislai in ditionem suam inuasione consternatũ, statim auer-
tendi belli causa oratores ad eum cum tributo duorum annorum misis-
se, deincepsq; perpetuò se & posteros suos Boemorum principibus ue-
ctigales fore promisisse, atq; ita pacem impetrasse. Homo ridiculus, cui
pueriliter & leuiter tanquam inter aniculas garrire studiũ est. Nec tamẽ
memorat is, quomodo aut quando tributum illud ante id tempus Vula
dislao fuerit impositum, quod quasi debitum etiam superiori anno, de-
pendisse eum scribit. Reuertẽte è Morauia Sececho & Boleslao, magna *Pomeranica expeditio.*
fuit inter patrem & filium gratulatio. Nec diu tamen à bello feriati sunt. *Miezirzecz*
Nam cum arcem Medirezum à Pomeranis quibusdam priuato consilio
interceptam esse, ex eaq; latrocinia in subiectas oras, & quicunq; eà iter
facerent, exerceri nunciatũ esset: difficulter quidẽ, sed tamẽ impetrat rur
sus à patre Boleslaus, ut sibi cum exercitu ad recuperandum Medirezũ,
& coercendos prædones ire liceat. Summa tamen rerũ, & administratio
belli, ipseq; adeò tyrũculus Boleslaus, Secechi curę fideiq; cõmittit. Nec
mora, operibus à castris ad arcem ductis, quatit murum aries: cuius non
exigua ruina cum paucos defensores partim oppressisset, partim debili-
tasset, mutilassetq;: cæteri diffisi rebus suis, & liberam cum singulis equis
& sarcinis abitionem pacti, arcem dediderunt. Recepta & refecta arce, *Medirezum receptum.*
dimissoq; exercitu, Secechus & Boleslaus intra dies non ita multos

ad Vuladislaum ouantes reuertuntur. Felix admodum sibi esse Vuladislaus tali filio uidebatur: sed fortuna, quæ nihil ex omni parte beatum, nihilq; stabile in rebus humanis esse sinit, felicitatem eius nonnulla ex parte contaminauit. Valebat plurimùm apud eum gratia & authoritate Secechus, idque nonnullo suo merito: magnamque potentiam sibi compararat, ita ut ex eius ferè nutu respubl. omnis & princeps ipse pendere uideretur. Magnam ea res ipsi apud nobilitatem Polonam inuidiam conciliauerat, maius ipse sibi in dies odium, intolerabili fastu suo & immoderato dominatu conflabat. Itaq; complures ab eo bonis exuti, proscripti, aut aliqua insigni iniuria uel contumelia affecti: multi item potentiam & importunitatem eius reformidantes, aut necessarios afflictos secuti, solum uerterant. Quibus omnibus apud Boemos tutus erat receptus, Prædislao principe comiter & benignè eos recolligente. Quos ex crebris sermonibus & querelis, ubi irarum aduersus Secechum, & ipsum adeò Vuladislaum, (quod tantum is Sececho indulgeret) plenos esse, & patria ægrè carere animaduertit, odium suum in Polonos conceptum exatiare, damnaq; ab eis accepta alieno periculo ultum ire cupiens, facilè ægros animos eò, quò ferebantur ipsi sua sponte, impellit: nempe ut armis patriam repetant: auxilia pollicetur: ducem quoq; satis, ut uidebatur, opportunum ad eam rem ipsis edit, Sbigneum Vuladislai principis filium nothum: quem pater literis à puero utcunq; imbutum, propter nouercale odiū (& ueritus, ne quid is postea negocij Boleslao, quem pòst ex iusta uxore susceptum in spem principatus alebat, facesseret) in Saxoniam relegarat, & monasticæ uitæ addixerat. Eum igitur è monasterio extractum, ducem sibi exules Poloni adscisc unt, & Vuratislauiam cum eo & cum auxilijs Boemorum & uoluntarijs Saxonibus contendunt. Obtinebat præfecturam Vuratislauiensem Magnus, comes illustris & spectatæ probitatis, cui simultas etiam nonnulla cum Sececho intercesserat. Ad eum præmittunt exules legationem, recipi se & Sbigneum principis filium postulantes: nolle se patriæ bellum facere, neq; principi optimo & mitissimo. Parentum, coniugum, liberorum, tectorum ac domorum suarum, ipsius denicq; patriæ aspectu iucundissimo diutius carere non posse: unde non ob aliquod scelus suū, neq; iusta principis indignatione, sed per summam Secechi iniuriam, & impotentē superbiam eiecti essent. Ipsum quoq; Magnum, multo præstantiorē dignioremq; Sececho uirum, scire se tamen haud penitus expertem esse illius iniuriæ. Ne pateretur se in auxilio consenescere: neue ipse deterioris dominatum ferret, suaq; patientia aleret. Miseraretur uel Sbigneum principis filiū, qui Secechi opera suasuq; ab oculis patris auulsus, et in monasterium, quasi in carcerem quendam ærumnosum, retrusus esset. Cauēdum esse, ne homo ambitiosus eadē audacia alterū quoq; principis filiū circūueniat, dominatumq; Poloniæ, non expectata etiā Vuladislai morte, inuadat. Frangendis Secechi conatibus atq; potentiæ neminem aptiorem fore, quàm principis filium, iuuenem magni animi consilijq;, & Sececho infestum. Eū igitur Magnus necessario illo ipsius tempore beneficio suo

Secechi Palatini potentia & acerbitas, occasio rerum nouandarum.

Prædislai Boemorum ducis odium in Polonos.

Sbigneus nothus Principis filius monachus.

Sbigneus dux exulum.

Exules Poloniam repetūt.

Magnus præfectus Vuratislauiensis.

sibi

sibi deuinciret, per quem eum locum adipisci posset, quem tunc Secechus obtineret: Quieturos se cum illo esse Vuratislauiæ, quo facilius è propinquo reuocationẽ à benigno & clementi principe impetrare possent, & reuocati accurrerent. Hac legatorum postulatione, iusta in speciem, & honesta, aliquantum permotus Magnus: tamen ne quid imprudens contra fidem & officium suum faceret, conuentu Vuratislauiensis territorij ciuitatisq; celeriter conuocato, rogat ea de re sententias. Exosum erat uulgo Secechi nomẽ: miserabantur exulum gentilium plericq;, & necessariorum suorum: miserabantur Sbignei: audierant magna esse principem erga suos indulgentia: non oportere sese inter patrem & filium medios interponere. alioqui hunc offensuros: ab illo autem paruam uel nullam gratiam inituros. Tum autem uerebantur, ne hostes eos in agris experirentur, quos hospites & amicos recusarent. Ita de conuentus sententia, Magnus exulibus aduenientibus portas urbis aperit: Sbigneum honorificè in arcem deducit, omniaq; ad uictum abundè ipsi suppeditat. Quæ cum ad Vuladislaum principem perlata essent, commotus animo maiorem in modum, mittit certos homines, qui Magnum & Vuratislauiẽses suis uerbis castigent, fideiq; & officij admoneant, eoq; prętextu ociose & accuratè rem omnem & consilia exulum cognoscant. Responsum est à Vuratislauiensibus, eos nõ hostem, sed filium principis recepisse: putasseq; gratum id fore principi, à cuius fide non recessissent, neq; auelli se à quoquam omnino passuri essent. de exulibus autem orare, ut optimus princeps, calamitosos homines clementia sua, redituq; in patriam dignaretur, ne ue desperatione salutis ad duriora consilia capessenda eos cogeret. de Secechi crudelitate eos queri: eum ne plus pateretur posse, quàm ipse sibi sumat princeps: ne omnium uoluntates propter unum hominem, qui dominatum omnem ad se transtulisset, pergat offendere. Hæc missi, principi referunt. His addunt, parum se abfuisse, ut lapidarentur à conuentu, cum Secechum purgare uellent. Non cessandum sibi ratus Vuladislaus, neque patientia sua confirmandum uires & ausa exulum, raptim quantas potest copias cogit: cum ijs ipse, quamuis infirmus, proficiscitur. Nam Secechum quo minus mitteret, uerebatur, ne plus incommodi eius odio & inuidia acciperet. Porrò Boleslaus tener adhuc erat, necdum aptus administrando bello: & metuebat pater, ne is à fratre, cuius ambitio & audacia iam sese ipsa prodebat, insidijs appeteret. Itaq; reliquit eum Cracouiæ cum Voislao, quem puero custodem & curatorem, & quasi magistrum dederat. Vbi de principis aduentu Vuratislauienses certiores facti sunt, uniuersa multitudo nobilium pariter & oppidanorum, obuiam sese ipsi effudit cum Ziroslao episcopo, ueniam errati petens. Resalutata comiter pro tempore multitudine, princeps patentem urbem & arcem ingreditur. Deinde ad uocata concione, clementer obiurgatis omnibus, culpam remisit: cæterùm Magnum à præfecturà amouit, & pro eo Voislaum Boleslai pædagogum absentem illis præfecit. Pridie quàm Vuratislauiam aduenire Vuladislaus, Sbigneus cum suis inde profugerat, & Crusuiciam

Sbigneus Vuratislauiam occupat.

Vuratislauiensis connentus postulata à principe.

Vuladislai expeditio contra exules.

Voislaus pædagogus principis.

Vuratislauiensibus uenia data à principe.

Magnus præfectura amotus.

Sbignei fuga.

contendit, frequentem adhuc ea tempestate & copiosam urbem. Eum igitur Vuladislaus, pauculos dies cõmoratus Vuratislauiæ, persecutus est: ueritus ne ille uicinorum Pomeranorum, ad nouãdas res procliuiũ, auxilijs sese confirmaret. Nec eum opinio fefellit. Cognito enim aduentu & consilio Sbignei, magna mox uis Pomeranorum, atq; etiam Prussorum, ad eum confluxit: quorum ille suasu atq; fiducia hostilem prorsus animum aduersus patrem induit. Venienti, cum septem aciebus instructis ad marginem Gopli lacus, qui Crusuiciam in insulæ modum ambit, occurrit. Nec mora, expedit et Vuladislaus ordines: canũt utrinq; signa: concurrunt infestæ acies: acrius multo pugnabant ipsi exules, utpote in suo periculo, quàm auxiliarij. Ibi sors gentiles etiam, necessarios, agnatos & fratres inter ipsos commisit, ut manus inter se conferrent, ita ut necesse erat in ciuili bello accidere: cædunt, cæduntur q;. ad extremum acrius instantibus ijs qui cum Vuladislao sentiebant, fusi aduersarij, maxima pars in lacum compelluntur: ibiq; uel à persequentibus trucidantur, uel aquis merguntur. Magna ea strages fuisse memoratur, ita ut aqua eius lacus cruore & cadaueribus infecta, usibus hominum & iumentorum aliquandiu post apta non esset. E' Vuladislai exercitu non ita multi desiderati sunt: uulnerati fuere plurimi. Sbigneus fuga in urbem relapsus, uiuus in potestatem patris uenit. Vrbs, quòd receptum ipsi præbuisset, militi in prædam concessa: & ex eo tempore in eam, quæ etiam nunc cernitur, solitudinem redacta est. Dimisit deinde Vuladislaus exercitum, Sbigneum q; in custodiam Sececho dedit: ipse in Masouiam inde diuertit. Vnde cum Gnesnam ad basilicæ dedicationem à Martino archiepiscopo inuitatus, cum multis proceribus, & aliquot episcopis uenisset, eorum precibus expugnatus, ueniam Sbigneo dedit, filium agnouit, & liberaliter apud se deinceps habuit: nec ita multo post cum Boleslao legitimo filio, pessimo exemplo, & magno reipubl. malo, honore eum exæquauit, & quibus finibus uterque post se principatum obtineret designauit. cui rei dissensio ipsorum occasionem dedit. Nam quo tempore basilica Gnesnensis dedicabatur, Pomerani Santocum arcem penè interceperant. Re enim cum paucis proditionis consciis constituta, noctu intromissi, cæteros arcis custodes dormientes trucidare parabant. Verùm terrore diuinitùs, ut creditum est, quasi equitis armati cum strepitu & impetu in ipsos incurrentis oblato, perculsi, dum pauidi & locorum ignari in tenebris discursant, à custodibus strepitu atq; trepidatione excitis concisi sunt. Hoc facinus ulturus Vuladislaus, ambos filios cum exercitu in Pomeranos misit. Qui cum dissidere cœpissent, nulla re memorabili gesta, citò ad patrem reuerterunt. Hac igitur dissensione ipsorum motus pater, ac ueritus ne magis in dies inter eos odia gliscerẽt, certos principatus fines utriq; descripsit. Cęterùm interea dum Vuladislaus Sbigneum Crusuiciam persecutus erat, Prædislaus Boemorum dux, ad omnem occasionem, qua Polonis noceret, attentus, simul ut exulibus promissum præstaret, cũ tumultuaria suorum manu raptim in eam oram, quæ ad Nyssam fluuium est, prædabundus excur-

Prælium inter patrẽ & filiũ. Goplum lacus.

Sbigneus captus. Crusuicia direpta.

Sbigneus in gratiam receptus & Boleslao exæquatus.

Pomerani Santocum adorti repelluntur.

Dissidium Sbignei cum Boleslao.

Boemi Silesiã inuadunt.

Nyssa fluuius.

excursionem fecit: Bardam arcem defensoribus uacuam, ut in pace, nullo negocio cæpit, & exusit. Aliam ipse in rupe quadam eminenti & undique prærupta, loco opportuno celeriter construxit, & Camenecíam appellauit: relicto'que ibi aliquanto præsidio, cum reliquis copijs domum se recepit. Verùm hoc antè, quàm Sbigneus in gratiam à patre reciperetur, acciderat. Tertio autem anno pòst fama uulgatur, Boemum clàm comparare exercitum, ut ex improuiso Poloniam inuadat. Contendit statim Boleslaus uoluntate patris, cum expedita suorum manu, quam ex tempore cogere poterat, ad tutandos fines, & uim Boemi propulsandam: non expectandum sibi esse ratus, dum aliquo prius ille incõmodo Poloniam afficeret. Aduenies nullum tumultum, nullum metũ reperit apud suos, qui Boemis & Morauis erant finitimi. Missi exploratores, pacata esse omnia apud Boemos referunt. Ibi rumor à paucis, ex inuidia'ne confictus, an ex uero timore ortus nescio: mox tota peruasit castra: unoquoq;, ut fit, addente aliquid ijs quæ ab alijs acceperat: nimirum, famam illam de motu Boemorum à Sececho sparsam esse, ut confla to adolescentis temeritate bello, periculo ipsum obijceret, aut à patre duntaxat seiungeret: ipse interim liberius potentiam suam stabiliret, omniaq; ad inuadendum principatũ, et ad exitiũ absentis Boleslai compara ret. Erat enim Secechus homo callidus, præpotens, & factiosus: magnas habebat clientelas: cũ multis proceribus necessitudine & affinitate sese implicauerat: complures propinquos & gentiles suos ad multos honorum gradus euexerat: præfecturas regias pleraſq; per suos, & per se ipse administrabat. Is porrò erat fastus & ambitio hominis, & sublatus secundis rebus, & nonnullis in rempubl. meritis animus, ut rem uerisimilem faceret, eum in præsenti illo rerum suarum statu acquieturum non esse: neque æquo animo laturum, ut minus ualeret gratia apud iuuenes, quàm apud patrem: quos animaduerteret suo merito non optimè in se animis affectos esse. augebat suspicionẽ & illud, quod Voislaus Boleslao de more ad expeditionem illam comes non iuerat. nam & is Secechi cognatus erat. Extollunt apud Boleslaum in immensum omnia ij, quorum animos uel iniuria aliqua, uel nimia potentia Secechi offenderat, & quibus priores cũ Sbigneo conatus non malè cecíderant, quiq; crescere ipsi aliena inuidia uolebant. Et facilè ambitiosi adolescẽtis in eum iram exacuunt. Fremitur totis castris: indignum esse facinus, ab uno sic omnes ludificari. Non ferendum esse diutius impotentem eius dominatũ, & intentas in capita principum suorum insidias. Placet acciri Sbigneum, quem sciebant Sececho ob relegationem & custodiam infensum esse. aduolat ille: initur societas inter adolescentes aduersus Secechum, dato & accepto inuicem iureiurando: patrem aut exorandum sibi esse statuũt, aut terrore exercitus cogendum, ut Secechum à se, & ab administratione reipubl. penitus amoueat. Vũratislauiam in primis in potestatem suam redigunt, propterea quòd Voislaum præfectum eius urbis cum Sececho sentire credebant. Ibi dum cætera comparant, uenientem fortè Voislaum, rerum omnium ignarum, urbis aditu prohibent.

Bardam captũ & incensum. Camenicia arx in Silesia.

Rumor falsus Boemicæ excursionis.

Secechi inuidia.

Secechi opes & ingenium.

Conspiratio contra Secechum.

Voislaus præfectura amotus.

bent. Miranti, & causam scisciranti, proditio & insidiæ obijciuntur. Purgare crimen cupiens, non auditur. Repulsus, ad Vuladislaum in Masouiam magnis itineribus contendit. Degebat is tunc apud Zarnoueciam, uicum ignobilem. Nec multo post adsunt Boleslaus & Sbigneus cum copijs suis: haud longè à uico castra metantur. missis legatis, constantem fidem & pietatem suam erga patrem plurimis uerbis, & iureiurando asseuerant: inuidiosam & intolerabilem omnibus Polonis Secechi potentiam, maximo cum contemptu & dedecore principis coniunctam, & ad principatum iam adspirantem, atque adeò grassantem exaggerant: insidias sibi ab eo comparatas, & manifestè à se deprehensas esse. Orant, ne inultum scelus illud, & lesam maiestatem suam esse patiatur. Per omnia se patrem indulgentissimum debito honore & obseruantia prosecuturos esse, eius que dicto audientes fore. Cæterùm salutem suam dignitatemq; ipsius minimè neglecturos, & ingratum atq; sceleratum Secechum uel inuito patre persecuturos: idem secum sentire uniuersam Poloniam, paucis necessarijs malefici illius exceptis. Videret ergo pater, utrum ne uni malefico, qui se incantamentis dementasset, immoderatius indulgendo, plurimorũ animos offendere: an unum illum Deo hominibus que exosum, à se & à superbo dominatu amouendo, cunctorum beneuolentiam retinere malit. Aderant episcopi aliquot & proceres è uicinioribus locis, qui ad primum noui illius motus nuncium, ad principem euocati accurrerant. Ab ijs persuasum est principi, ut filiorum postulata faceret potius, quàm uim & furorem multitudinis unà cum Sececho experiretur. Restitui postea Secechum in suũ locum, & iuuenibus recõciliari posse, ubi iræ eorũ paulùm resedissent. Itaq; dat fidem princeps filijs, facturum se de Sececho, quod postulassent. Adeũt ipsi ad patrẽ adolescentes inermes, & læti euentu illo consilij sui: uenerabundi patrem salutant, & ueniã cœpti sui, non tã temerarij, q; necessarij, ut ipsis uidebatur, supplices petunt. Facilè indulget pater, & mox in amplexus eorũ ruit. Secechus conspectum eorum declinans, discessit ad arcẽ suam Secechouiã, fossis atq; propugnaculis bene munitã. Id ubi adolescẽtes cognouerũt, statuunt eũ persequi: neq; quieturi esse, nisi aut sublato illo, aut è Polonia pulso, uidebant. Nõ poterat id pati Vuladislaus. Itaq; nocte intempesta clàm, traiecta nauigio Vistula, tribus tantum ministris comitatus, ad Secechum contendit: præsentia sua periculum à capite ipsius, quẽ admodũ credebat, depulsurus. Nec eũ spes fefellit. Cognito nãq; patris consilio, adolescentes mutant consiliũ: partitiq; inter se copias, ad ditiões à patre sibi destinatas uterq; proficiscunt: arces capitales, eiectis Secechi partiũ prefectis & custodibus, in potestatẽ suam redacturi. Et Boleslaus quidẽ facilè, & nemine repugnante, Cracouia, Sendomiria, Siradia, & alijs quibusdã suæ ditionis munitionibus potitus est. Sbigneus à Ploſco repulsus, Boleslai opem implorat. nec moratur ille: iunctis uiribus Ploscum obsidetur. Interea Martino Gnesnensi archiepisco po, sene optimo, interueniente & adnitente, pax iterum inter patrem & filios Secechi exilio sancita est: qui in Russiam exulatum abijt. & quamuis

Zarnoueciã.

Legatio filiorum ad patrẽ principem.

Boleslaus & Sbigneus ueniam à patre petunt.

Secechouia arx.

Secechi gratia apud Vuladislaum.

Ploscum obsessum à Sbigneo.

Secechus in exiliũ pellitur.

uis longo pòst tempore placato Boleslao ab exilio redierit, nunquam tamen ad pristinum dignitatis atq; potẽtiæ gradum peruenit. Arces quas occuparat Boleslaus, patri reddidit. Pertęsi quietis Pomerani, & commodam rerum nouandarum occasionem ciuili Polonorũ bello oblatam sibi esse rati, Santocum arcem, nostris ad reprimendos ipsorum motus ualde opportunam, per fraudem intercipere conati sunt: ubi dolus non processit, ac ne aperta quidem uis, alteram & ipsi arcem è regione illius, quæ à nostris defendebatur, magna celeritate excitarunt: unde nostros commeatu & pabulatione prohibeant, & ipsi liberius in Poloniam incursiones faciant. Quod publicóne consilio, an priuato quorundam latrocinio factum sit, incertum est. Valida certè ea fuisse manus memoratur. In eos mittit Sbigneum Vuladislaus, cum iusto exercitu. Verùm is difficultate expugnandæ hostilis munitionis deterritus, re infecta recessit. Indignè id tulit Boleslaus, excelsi animi adolescens: & mox cum expeditis copijs profectus, ad hostem peruenit. Pomerani superioris temporis successu feroces, impetũ in Polonos ex arce faciunt. Quos fusos Boleslaus in arcem compellit: parumq; abfuit quin cum fugientibus simul irrumperet. Repressi Pomerani, & qui dudum nostros obsidebant, uicissim obsessi, desperatis rebus, incensaq; munitione sua, sub obscuræ noctis silentio diffugêre. Celebris iam erat Boleslai fama apud exteros. Cuius admiratione ductus Prædislaus Boemorum princeps, auunculus ipsius, conspectum eius expetebat: fecit ille satis desiderio eius, & à Santoco rectà ad eum profectus est. Nec minuit famam ueniens: paucosq; dies apud auunculum commoratus, maiore beneuolentia & charitate eum sibi deuinxit: & Camenecia arce, quam supra Nyssam amnem à Prædislao munitam esse, superius memorauimus, ab eo donatus, magnisque præterea muneribus ornatus, quæ tamen ille pleraque omnia mox inter milites distribuit, in Poloniam ad patrem reuertit. Qui alendam sibi esse laude & honore præcocem adolescentis uirtutem existimans, baltheo militari quatuordecim annos natum cingere statuit. Conuocati primores utriusque ordinis, Ploscum ad præstitutam diem conueniunt. Interim nunciatur, Pomeranos iterum summa ui Santocum oppugnare: nec diutius nostri, qui erant in præsidio, hostiles impetus sustinere posse dicebantur. Ibi Boleslaus cum equitibus, quos ad manum tunc habere poterat, necquicquam retinentibus patre & proceribus, celeriter ad ferendam Santoco opem excurrit. Et facto tota nocte itinere, primo diluculo in hostes, securos ab ea parte, irruit: inermes ac dormientes uel contrucidat, uel capit: pauci ex magno exercitu fuga elapsi sunt. Ita summa celeritate confecto bello, uictor cum longo captiuorum agmine, magnisque spolijs, Ploscum ad intermissam celebritatẽ reuertens, ingenti lætitia patrem omnesq; perfudit. Et mox solenni ceremonia ipse primùm, deinde complures nobiles iuuenes, qui uirtutis aliquod specimẽ ediderant, baltheis militaribus à Vuladislao principe donati sunt. Insequenti anno Russi ducibus Vuladimiro Nouogrodensiũ, Dauide Olecho Pereaslauiensiũ, Volodoro Premislienſium,

Pomerani à Boleslao adolescentulo uicti.

Boleslaus in Boemiam profectus.

Camenecia arx in Silesia Polonis donata.

Pomerani iterum profligati à Boleslao.

Baltheo militari donatur Boleslaus.

Russorum excursio in Poloniam.

slienſium, principibus, & Iaroslao Iaropelci filio, cum ualido exercitu Polonię fines inuaſere, & ad Viſtulam uſq; excurſionibus longè latéque factis, ingentem prædam & magnum captiuorum numerum abigebant. Hos Boleslaus tantiſper dum raptim copias cogit moratus, iam extra Poloniæ fines uno agmine euntes, & nihil hoſtile à tergo metuentes conſecutus, nocte intempeſta, dum feſsi potí'que dormiunt, ſublato ad terrorem hoſtium clamore adoritur. Nec magni erat negocij, quamuis longè paucioribus, re ſubita trepidantes ſuperare. Ad fugam ſpectabant omnes, reſiſtebat nemo: nec tamen fugæ conſilium explicabant, ueriti, ne ſubducentibus aſpectum hoſtium tenebris, in inſidias ſeſe præcipitarent. Impeditos cædunt noſtri. neque captiui ceſſant: ſed ſciſſis ruptís'que uinculis obuios quoſq; uel obtruncant, uel ijſdem quæ ipſi dudum geſtarant, uinculis conſtringunt. Ita longè maiore, quàm pro numero noſtrorum, ſtrage fuſi Ruſsi, temeritatis & perfidiæ ſuæ pœnas dedere. Duces tamen noctis præſidio cum paucis effugêre. Sequenti anno, qui fuit à Chriſto nato milleſimus centeſimus & ſecundus, Vuladislaus morbo & angore confectus obijt, pridie Nonas Iunij: cum uiginti regnaſſet annos, uixiſſet propemodum quinquaginta nouem. Scribit Dlugoſſus, opinari nonnullos, qui ante ſe ſcripſerint, eum à Sbigneo filio dolo interemptum eſſe. Vtcunq; eſt, procuratus quidem certe eſt ante mortem ſacris myſterijs, à Martino archiepiſcopo Chriſtiano ritu: & ſolenni pompa ab ambobus filijs, & magna procerum atq; nobilitatis frequentia in baſilica Plocenſi ſepultus. Mortem uerò eius non eodem modo tulere filij. Nam Boleslaus quidem mœrori ac luctui totum ſe dedit: Sbigneus uerò omnibus rebus poſthabitis, theſauro manus iniecit, totum ſibi uendicans: propterea quòd is in arce Plocenſi, quæ ipſi erat deſtinata, eſſet recondítus. Tandem epiſcopis & proceribus medios ſeſe interponentibus, conuenit, ut æqualem utercq; partem acciperet.

Ruſsi ſuperantur à Boleslao.

1102 ann. Vuladislai principis mors

De theſauro controuerſia fratrum.

BOLESLAVS TERTIVS COGNOMENto Criuouſtus.

PERSOLVTIS Vuladislao principi iuſtis, nihil eorũ mutatum eſt, quæ is uiuens de principatu conſtituerat. Conceſsit enim Boleslaus Sbigneo fratri Maſouiam atq; Cuiauiam, & Lencicienſem tractum: cætera ipſe cum ſummo imperio obtinuit. Nam quod Dlugoſſus maiorem Poloniam, hoc eſt, Poſnaniẽſem & Caliſsienſem tractum, Sbigneo adiungit, mihi non admodum ueriſimile fit, Vuladislaum maiorem portionem, & ipſam Poloniæ totius uetuſtam metropolim Gneſnã, quæ in maiore Polonia eſt, notho potius quàm legitimo filio attribuiſſe. Nec ſanè quicquam negocij Boleslao prius, q̃ in ſuam poteſtatem paternum omnem principatũ redegit, cum Pomeranis atq; Pruſsis, quod paulo pòſt exponemus, fuiſſet: ſi maior Polonia cum Cuiauia & Maſouia, quę orę populos illos à cætera Polonia diſiungũt, in Sbignei ſortẽ ceſsiſſet. Tanto aũt patris deſiderio Boleslaus tenebat, ut diu ſanè lachrymis & fletibus nõ tempe

Poloniæ diuiſio.

Boleslai mores.

temperaret,gestabatq; de collo suspẽsam in pectus auream laminã, in qua nomen & imago patris insculpta erat,qua subinde memoriã eius sibi refricaret,et quicquid uel faceret,uel loqueretur,sic ageret,quasi inspiciẽte omnia,& exaudiente patre,ita ut summa in iuuene existeret modestia & uerecundia.Exacto luctu annuo,suadente & orante senatu uxorẽ duxit,Sbislauam Suẽtopelci siue Stopolci Michaelis (sic eum Russorũ annales uocãt) Kiouiensiũ principis filiam:non sine indulgentia tamẽ Pontificis maximi, ne propter intercedentem cognationẽ incestę essent eæ nuptię.Fuit enim Suẽtopelcus hic Izaslai filius:is porrò Iaroslai: cuius soror germana eodẽ patre Vuladimiro,sed alia tamẽ matre orta Dobrogneua, paterna Boleslai huius auia fuit. Eas nuptias Sbigneus non modo nõ cohonestauit, sed penè defœdauit & interturbauit,si euentus conatui respondisset. Etenim improba mens,malus animus,cum fraternę gloriæ inuideret, atq; ad uniuersum principatũ adspiraret,moliebatur fratri exitiũ. Boriuoius Vuratislai filius è Suentochna Polona uxore,tũc in Boemis post Prędislaũ fratrem, Vngara matre natũ, suorumq; fraude occisum, principatũ tenebat. Ad eum se contulit Sbigneus,persuasit precibus & pecunia,ut sub nuptiarum tẽpus in Boleslai ditionem inuaderet. Ad Grezum iã Boemi peruenerant,cum subitò murmure & fremitu castra cõplentur,ad iniustũ se bellum et cõtra cognatos et cõfœderatos duci: minimè necessaria expeditione:nec minoribus propemodũ, quàm in quos eãt Polonos, incõmodis se ab auaro principe suo confici.Boriuoius ubi uidet alienos esse ab illobello Boemorum suorum animos, reduxit exercitum. Ita conatus ille primus, sumptusq; Sbignei tunc incassum cecidit, nisi quòd in sequentẽ annũ bellum tamẽ conflatum est.Nam Boleslaus incursione illa Boemorũ superiori anno facta prouocatus, primo uere coegit exercitum, eumq; mox duce Zelislao misit in Morauiã. Nam ipse ne unà proficisceretur, magnis precibus à proceribus & noua nupta exoratus est.Iamq; Zelislaus peruastata tripartito agmine Morauia, ingẽti præda onustum reducebat exercitum, cum certior fit, Suentopelcũ Morauorum ducẽ cum magnis copijs à tergo uenientẽ,nõ longius duobus miliarijs à se abesse.Itaq; prẽmissis impedimentis atq; captiuis,signa cõuertit, & instructa acie manus cũ hoste cõserit. Pugnatum æquo marte aliquandiu, plurimumq; humani sanguinis utrinq; fusum est,ducibus ubiq; prẽliũ instaurantibus. Ad extremũ neutrò inclinãte uictoria,utriq; mœsti et pro uictis se gerẽtes:illi quidẽ in Morauiã,nostri uerò cum prẽda incolumes in Poloniã sese recepere.In eo prẽlio Zelislaus, dum ducis pariter atq; militis officio fungit, dextrã amisit. Quẽ Boleslaus princeps,collaudatum pro meritis & uirtute,aurea manu donauit.Nec longa quiete data militibus,iterũ eadẽ æstate Boleslaus ipse transmissis mõtibus atq; syluis, quib.Morauia à Polonia uersus occidentem solẽ disiungitur,incursionem in Morauiã fecit: exustisq; nemine resistẽte,plurimis uicis atq; pagis,aliquãto tamen minorẽ prędam, quàm Zelislaus reuexit:propterea quòd agrestes à Sbigneo,ut creditũ est,de aduẽtu Boleslai certiores facti,in uastas syluas cũ gregibus & armentis sese occuluerant.Reuertente & ouante ex Morauis Boleslao, legatus Pontificis

Boleslai uxor.

Sbignei improbitas.

Boriuoius Boemorum dux.

Boemorũ contra Polonos expeditio.

Poloni infestãt Morauiam.

Suentopelcus Morauorum dux.

Zelislaus uictis ergò donatus aurea manu.

Morauia iterũ uastatur à Boleslao.

Legatus Pontificis max.

maximi Gualtho episcopus Beluacensis in Poloniã uenit, adhibitaq; scelerum ac flagitiorũ indagine & correctione, fauente & adiuuante principe, duos episcopos Gnesnensis prouinciæ sedibus suis eiecit. Qui uerò ij fuerint, nõ liquet: nisi quòd Dlugossus alterũ ex ijs Ciaslaũ fuisse suspicatur, qui Cracouiensem sedẽ permittente Boleslao, sine authoritate Pontificis max. usurpauerat. Geminata est aũt Boleslao uictoriæ Morauicæ lætitia nato filio Vuladislao. Quanquã cõtaminabant eam lętitiã Sbignei nõ obscuræ machinationes, à quo exciti esse Boemi, sollicitati Pomerani dicebãtur: et rem credibilẽ faciebat, q̃ ipse cum suis copijs ad Boemicã expeditionem non adfuisset. Dissimulabat tamen Boleslaus, & patientia sanare fratrem uolebat. Cæterũ Pomeranos è Polonia prædas agentes coercere, & insigniter ulcisci cupiens, æstate sequenti in Boemos expeditionẽ simulat. Ad Glogouiã conuenire equites iubet. Inde cõuerso itinere, per densas syluas septimis castris, ad Colbergũ, frequens & opulentũ ea tempestate oppidum, peruenit: & nocte quidẽ in syluis quieti data, insequentis diei diluculo, uadato amne, qui oppidũ præterfluit, & maiore copiarum parte ad subitos hostiũ impetus, si fortè eos aduentus suus nõ fefellisset, sustinẽdos relicta, cum reliquis oppidũ improuisò adortus est. Iamq; portas oppidi effregerat, cũ facto ab oppidanis cõcursu, recipere se coactus est: ueritus, ne sui pauci à multis, in quib. & pueri & mulieres bonã de domibus atq; tectis operã nauare possent, opprimerentur. Plericq; enim è nostris prędæ cupidiores, ad suburbana diripienda discurrerãt. Primo tumultu dux hostium, qui in eo tunc oppido cõmoratus erat, in fugã se eiecit. Boleslaus castigatis ijs, quorũ importuna auaritia factum erat, ne oppidũ primo impetu caperetur, maiore deinde ui & omnibus copijs oppugnationẽ aggressus: ubi cassο labore et uulnerib. confici suos ab oppidanis strenuè mœnia defendẽtibus animaduertit, direptis & incensis suburbanis, in Poloniam cum præda reuersus est. Paucisq; diebus quieti datis, cum ijsdẽ copijs inexpectatus in Pomeraniã rursus inuadit: Suatoborum maritimæ oræ ducem, socium et consanguineum suum liberaturus. Nam is propter iniustũ & crudelem dominatum captus à suis, in uincula cõiectus erat. Itaq; præmissis, qui Suatoborum repeterent, ipse nõ magno interiecto spacio cũ exercitu subsequitur. Pomerani repentino hostiũ aduẽtu territi, Suatoborum dimittunt, & in Boleslai castra perducunt. Boleslaus Suatoboro admonito officij sui, & non optimę erga se ante eũ diem fidei, statim reduxit exercitum. Insequenti anno rursus, missa cum Scarbimiro magistro militum, quẽ comitem palatij uocat Vincentius, aliquanta manu, Pomeraniã, nemine prohibente, depopulatus est. Nam ipse cũ prędatoribus illis profectus non est. Haud longè tamẽ à Pomeranorũ finibus aberat. Reuertẽs è Pomerania Scarbimirus, ad principẽ contendit, ab equite quodam familiari suo ad nuptias pariter atq; dedicationẽ templi inuitatum. Adueniẽs maiore lętitia explet conuiuiũ. inde princeps hilarior, uenatum se in syluã cum centũ, nõ amplius, equitibus è cõuiuio proripuit. ibi in Pomeranos, qui tũc fortè raptim in Poloniã incursionẽ fecerant, sua damna cõpensaturi, cũ incidisset: fugere turpe ratus, manus cũ hoste, quamuis longè impar, conse-

Episcopi duo depositi.

Vuladislaus filius Boleslao natus.

In Pomeraniã expeditio Boleslai.

Colbergum.

In Pomeranos altera expeditio.

Suatoborus Pomeranorũ dux.

Pomerania rursus uastatur.

Boleslai periculum & fortitudo.

conſeruit. Magnaq; in eis ſtrage edita, dum iterum atq; iterum perrumpit hoſtile agmen, deficiente ex uulneribus equo ipſius, & uno de comitibus equum ipſi ſuppeditante, uix cũ triginta ſuis, inter quos & Scarbimirus erat, ſaluus euaſit: Pomeranis in ſtuporẽ uerſis, & perſequi abeuntes nõ auſis. et mox ad ſuos peruenit: qui re cognita, correptis armis è cõtiuio ad ferendam principi ſuo periclitãti opem accurrebant. Pomerani ſine mora, omiſſa inſtituta incurſiõe, quæ malè adhuc ipſis ceciderat, curriculo domos ſeſe recepere. Feruntur aũt fuiſſe ad tria millia. Sic temeritas principis, pro ſperum tamen euentum habuit. In ea pugna Scarbimirus ualde conſaucia- *Scarbimirus oculo priuatus.*
tus, dextrum etiã oculum amiſit. Implet mox fama huius prælij atq; pericu li principis omnem Poloniã, multa (ut fit) ueris affingens. Cõcurrunt ad ui *Senatus principem obiurgat.*
ſendum primores: obiurgant principem periculoſę temeritatis: orãt, in po ſterũ ne ſeſe, remq; pub. in tantum diſcrimen præcipitet. Ille contrà, repre henſionem facti ſui, quòd iam infectum fieri nequeat, in aliud tempus, ſi ipſis uideatur, differendã eſſe cenſet: hoſtem uerò, ſi uicem ſuam, cęſorumq; fratrum doleant, ſecũ ſtatim ulciſcantur. Annuunt omnes, & mox domos ad arma capienda dilapſi, quantũ quiſq; copiarum ex tempore contrahere poterat, contrahunt. Accientur ex fœdere Ruſſorum auxilia: cõducuntur etiam ex Vngaris mercenarij milites. Nunciatur interim Boleslao, Suento *Suentopelcus ſiue Suatopluguſ Boemorũ dux.*
pelcum Boemorum principẽ cum ualida equitum peditumq; manu expeditionem parare in Poloniã. Erat aũt is Suentopelcus, quem & Conradũ dici reperio, Ottonis Morauorum ducis, cuius ſuprà meminimus, filius: qui pulſo Boriuoio patruele, Boemorũ principatum illis diebus inuaſerat. Atq; id eo liberius faciebat, q̃ magni erant motus in Germania, bellumq; *Germanici motus.*
ciuile primùm inter Henricum eius nominis quartum Cæſarem, & Rudol phum ducem Sueuorum, Henrico uiuenti à principib. Electoribus ſuffectum: deinde Rudolpho extincto, inter eundem Henricum, & filium eius *Henricus quartus & quintus, & Rudolphus, Cæſares.*
Henricum, quẽ pater ipſe imperij conſortem & regem Germaniæ fecerat. Is igitur Suentopelcus ſiue ſuopte ingenio, ſiue ob receptũ è fuga Boriuoium Polonis infenſus, ſiue adeò à Sbigneo ſubornatus, incurſionem in Boleslai ditionem, dum ille Pomeranico bello diſtinetur, facturus eſſe dicebatur. Diſtrahebatur ancipiti cõſilio Boleslaus, Pomeranos ne prius ulciſceretur. an Boemorũ excurſionẽ reprimeret. Hic ſalus multorũ agebat: illuc iuſtus dolor & ira pectus generoſum impellebat, ueritũ ne creſcerent hoſtibus animi patiẽtia ſua. Tandẽ aduenientib. Ruſsis & Vngaris, utrumq; bellũ perſequi ſtatuit. & Scarbimirum quidẽ cum parte copiarũ in Pomeranos mittit: ipſe cum reliquis ad ſaltum Herciniũ, qui Boemiã terminat, Boemis obuiã ire pergit. Verùm ij cognito Boleslai occurſu, quieuerunt: nec eos tunc ſibi laceſſendos Boleslaus exiſtimauit. Scarbimirus uaſtatis, *Pomerania uaſtata à Polonis.*
ut mandatũ erat, Pomeranorũ finibus, nemine obuiã prodeunte, exercitũ præda onuſtũ reduxit. Mentio facta Vngarorũ admonet nos, ut ne prætereamus, id quod in ipſorũ annalibus reperimus. Tradunt ij, Almũ Geiſę regis filiũ, propter metum Colomanni fratris, cui Almus regnum, à Vuladislao patruo ſibi delatum, ultrò cõceſſerat, profugum, hoc anno, qui fuit à Chriſto nato 1106, à Polonis in Vngariã reductum, & cum fratre pacificatum, non tentata dubia Martis alea, Polonorum auxilia dimiſiſſe. Noſtri *Almus rex Vngarorum à Polonis reductus. 1106 ann.*

nullã per hęc tẽpora Polonorũ in Vngariam expeditionem cõmemorant: cæterùm ipſos ab Vngaris cõtra Pomeranos adiutos eſſe referunt. Nobis cõtrouerſiã hanc dirimere nõ libet. Hoc etiã anno Boleslaus filia Suẽtoslaua auctus eſt: & cũ Sbigneo fratre, opera Suentopelci ſiue Stopolci Kiouienſiũ principis, ad quẽ Sbigneus profugerat, in gratiã redijt. Sequenti anno maiore ui Pomeranis bellũ fecit. Iam ij malorũ pertæſi, & aſsiduis agrorum ſuorũ uaſtationibus fracti, ad deditionẽ animis inclinabãt. ſoli Bialogradẽſes, ciuitas ea fuit Pomeranorũ in primis diues & populoſa, ferociores, cęteros quoq; à propoſito auerterunt. Itaq; in eos omnẽ belli molẽ cõfert: ſed prius tamen miſsis cum legato duobus ſcutis, animos eorũ tentat, album'ne, in quo pax, an rubrũ, in quo bellũ excidium'q; ſignificabat, mallent. Superbius illi reſponſum dedere, ambobus ſcutis acceptis: Sanguine Polonorũ ſe ſibi candidã uictoriã pacem'q; paraturos. Itaq; Boleslaus admotis ad mœnia Bialogradi caſtris, actis uineis, et turribus celeriter excitatis, ſumma ope urbem expugnare nititur: quatit murũ aries: ipſe princeps periculi immemor, inter primos uerſari, nec deterreri multitudine telorũ hoſtiliũ, aut ſuorum circa ſe cadentium miſerabili interitu, quin ad portam urbis excindendã ſuis pręiret. Depellũtur tandẽ ſumma noſtrorũ ui è propugnaculis hoſtes, noſtri'q; liberius effractis portis, cæſis'q; uel ſummotis qui in introitu urbis repugnabant, in urbẽ ſigna inferunt. Tunc demũ Bialogradenſes abiectis armis, clemẽtiam uictoris ſupplices implorant. Parci iubet inermibus Boleslaus: & receptui ſigno dato, ab excidio & direptione urbis abſtinere milites iubet: euocato'q; & caſtigato magiſtratu urbis et omni multitudine, dat ueniã uictis. Hac uictoria & uictorię moderatiõe accepta, Colberga, Camenũ, Vielenũ, Coſminũ, & aliquot præterea oppida Pomeranorũ, in poteſtatẽ Boleslai uenere. Zarnicouũ excitatis turribus maiore ui oppugnatũ, dũ Boleslaus ad Boemiæ fines excurrit, ad extremũ ſub autumnũ reuertẽte eo, per deditionẽ receptũ, & Gneuomiro, qui eius oppidi dominus fuerat, redditũ eſt: cũ is religionẽ Chriſtianã, à qua alieni adhuc erant Pomerani, à Boleslao de ſacro fonte leuatus, ſuſcepiſſet, & in Boleslai ſucceſſorum'q; eius principũ Polonię uerba iuraſſet. Quod aũt de excurſione Boleslai ad Boemorum fines attigimus, ita ſe habuit. Cozle arx ſupra Odrã ſita, ad reprimẽdas Boemorũ ſiue Morauorũ incurſiones peropportuna, cõflagrauerat. Suſpicabatur Boleslaus dolo Boemorũ incendium id conflatũ eſſe: eos'q; mox locum denuò munituros, & præſidio firmaturos, ni ipſe anteuerteret. Nec tamẽ eum, quẽ in Pomeraniã duxerat exercitum, longo itinere & labore belli defatigatũ, nondum cõfecto eo bello, deducere, & nouo labore cõficere uolebat. Itaq; Sbigneũ fratrẽ auxilia, cum quib. ad inſtaurandam arcem Cozle iret, popoſcit. At ille non modo nõ fecit poſtulata, uerumetiã legatis fratris ſuperbo et pleno cõtumelię reſpõſo oneratis, uix manus abſtinuit. Permoleſtè id tulit, ut par erat, Boleslaus. Itaq; cum paucis uoluntarijs, ſumma celeritate cõfecto itinere, reſtaurata arce Cozle, ac mox recepto Zarnicouo, quòd hyems iam inſtabat, dimiſit exercitũ. In Poloniã reuerſus, ad ampliſsimũ ſenatum de iniurijs, contumelijs & perfidia Sbignei refert. Cõſtabat, eum aduerſus cõmune placitum (quod inter fratres iureiurãdo interpoſito cõuenerat, ut neuter ſine al-

Suẽtoslaua Boleslai filia.

Pomeranicum bellum.

Bialogradum Pomeraniæ captum.

Clemntia Boleslai.

Vrbium Pomeranicarum deditio.

Zarnicouium à Boleslao in poteſtatẽ redactũ.

Gneuomirus Zarnicoui dominus Chriſtianus factus.

In Sileſiam excurſio Boleslai.

Cozle arx exuſta & inſtaurata.

Sbignei contumacia.

Sbignei doli.

tero

tero fœdus cum quoquam percuteret,& alterius hostẽ,suum utercꝫ duceret) cũ Pomeranis fœderatũ esse: his crebros nũcios & munera mittere,uicissimcꝫ ab eis accipere: captiuos,si qui fortè de eius ditione capti essent,ei cõdonari.Proferebant testimonia,& literæ eius interceptę,ad Boemos & Pomeranos scriptę,quib. eæ gẽtes aduersus Boleslaũ solicitabant, ac doli in caput Boleslai cõcinnati aut meditati aperiebant. Certatim quiscꝫ in senatu partim hęc exaggerãt,partim alia pręterea,quę acceperãt, aut cõperant,proferũt.Cẽsent omnes nõ esse ferendũ diutius monstrũ illud,sed armis persequendũ:et aut tollendũ de medio,aut certè pellendũ hostẽ publicum,qui eo sit capitalior,ꝙ sub specie societatis & amicitiæ fallat. His cognitis Sbigneus,diffisus rebus suis, maluit ad clementiam & misericordiã fratris,quam summã esse in eo nouerat,cõfugere: quam uirium & armorũ eius,uniuersæ Polonię consensu nitentium, in se periculum facere:præsertim cum suorum animos alienos à se esse intelligeret,& in Boemis atcꝫ Pomeranis parum iam spei reponeret. Etenim Boleslaus cum Boemis quidẽ pacem fecerat,Pomeranos uerò fregerat:& distinebant ij tunc,ut uidetur, Saxonũ Danorumcꝫ bellis.Itacꝫ Sbigneus per Balduinũ Cracouiensem episcopum,& Iaroslaum Russorũ ducem,ut uult Gallus,ueniam, & Masouiam,cętera ditione sua Boleslao cõcessa, impetrauit, & in potestate illius semper se fore sanctè promisit. Hoc tẽpore Pomeranorum manus, siue ea prædabunda fortè incursionẽ fecerat,siue intentis in unũ insidijs ad rẽ certam uenerat,Spicimirũ uicum improuiso inuasit. Secesserat eò tunc cũ paruo comitatu Martinus Archiepiscopus Gnesnensis,pius & uenerandus senex. Atcꝫ is ad primum tumultũ & aduentũ hostilẽ, timore subministrãte cõsiliũ atcꝫ uires,inter contignationẽ tẽpli abscõsus latuit:ministri uerò & comites eius,dilapsi partim euaserũt,partim in fuga ab hostib. capti sunt,inter quos erat Archidiaconus Gnesnẽsis.eũ Pomerani,ꝙ et sacerdos,et splẽdidè uestitus,et magna oris dignitate prędituꝫ esset, Archiepiscopum esse rati,spoliato raptim tẽplo,secũ abduxerũt.Ferunt,Pomeranos omnes,qui cũcꝫ Archidiaconũ et sacra tẽpli uasa attigissent,domũ reuersos,cũ liberis, cõiugibus,propinquis,atcꝫ domesticis familijs,uel comitiali morbo correptos ad parietes et saxa sese allisisse,uel in amentiã uersos partim mutuis cędibus cõcidisse,partim dẽtib.& unguibus in seipsos sęuijsse.Hoc malo igitꝫ perculsi,causacꝫ mali notata, Archidiaconũ cũ sacris uasis & omni instrumento tẽpli Spicimirien sis conquisito,domũ remiserunt. Hæc ita diuinitùs ad preces pij sanctícꝫ Archiepiscopi accidisse existimant. Addunt Dlugossus & Vincẽtius,ex eo tẽpore Pomeranos religionẽ Christianã suscepisse. His adstipulatur.Albertus Crant. qui & ipse Pomeranos Boleslai huius principis opera,Christianos factos esse scribit:tametsi paulo posterius. Longè quidem antè ij cum cæteris eius oræ Slauis, quos Vandalos uocat Crantius,Christo nomina dederant,partim Germanorum, partim Polonorum armis adacti:sed rursus ad pristinam impietatem semel atcꝫ iterum desciuerant.Post hæc Boemicum,& ex eo Teuthonicum bellum exarsit in Polonia,ex huiusmodi causa. Hẽrico quarto Imperatore capto,& in carcerem coniecto,ac deinde angore animi confecto, liberè iam Henricus filius eius tenebat habenas imperij:inferebatcꝫ is bellum Vngaris, ob uexatos

Clementia Boleslai erga male merentem fratrem.

Spicimirus uicus à Pomeranis direptus.

Archidiaconus Gnesnen. captus à Pomeranis.

Sacrilegij pœna.

Pomerani religionem Christianam suscepere.

Alb. Crãt. li. 3. ca. 28. Vandaliæ.

Henrici quinti Imper. expeditio in Vngariã.

& uiolatos milites, qui ex uniuerso orbe Christiano ad Asiaticã contra Saracenos & Turcas expeditionẽ, & recuperandam Hierosolymã per Vngariam proficiscebantur, & Almũ Colomanni regis fratrẽ exulẽ reducebat. Ad quod bellũ Boemos etiã, utpote tributarios Rom. imperij, secum in exercitu ducebat. Hac tãti belli mole territus Vngarorũ rex Colomannus, Geisę filius, qui Ladislao patruo in regnũ successerat, à Boleslao colloquiũ petijt. Loco dieq; cõstituto, cõueniunt principes in Scepusiensi territorio: societatẽ inter se ineunt: cõmunes amicos, communes hostes sibi fore promittunt: fœdus, quo firmũ perenneq; sit, noua affinitate sanciunt: Colomãnus enim Iudithã Boleslai filiã, Stephano filio suo natu maiori despondit: Scepusiẽse territoriũ, quod Polonicę ditionis erat, in dotẽ datũ, ex eo tempore in Vngarorũ potestatẽ uenit. Veniebat iã Henricus imperator cum ualido exercitu contra Vngaros, Almũ Colomanni regis fratrem natu minorẽ secũ ducens. Idq; factum esse quinq; annis antè, quàm Bonfinius supputat, multis authoribus et argumẽtis docere possumus. Ibi Boleslaus Vngaris, quemadmodũ conuenerat, auxilia mittit: ipse cũ non contẽnendis aliįs copijs in Boemiã inuadit, Boriuoium & Sobeslaum Suentopelci Boemorum principis fratres patrueles, Colomãni regis sororis filios exules in comitatu suo habẽs. Tametsi Venceslaus Hagecus uelle uidet, non interfuisse huic expeditioni Boleslaum. Suentopelcus Henricũ ad Vngaricum bellũ cum auxiliaribus copijs sequens, Vasconi & Mutinę procerib. summã rerum Boemicarũ commẽdauerat. Hi igitur Boleslao fines Boemię ingredienti, cũ aliquanta suorũ manu occurrũt: initoq; pręlio profligati, Pragã se receperunt. Polonus uastata magna parte Boemię, oppidisq; aliquot captis atq; direptis, incolumẽ & ingenti pręda ditatũ reduxit exercitum. Suentopelcus de domestico periculo certior factus, ęgrè impetrato ab Imperatore fremẽte, & Polonis iã tunc minante, cõmeatu, raptim cum suis in Boemiam reuertit: camq; Polonos tunc ulcisci procliuè ipsi nõ esset, in suos iram cõuertit, quasi eorũ conniuentia & proditione Boemia uastata esset. Et Vasco quidẽ alter de ijs, quib. princeps abiẽs imperium mandarat, in collegã culpam omnẽ transferebat. Res uerisimilis esse uisa est, eò q; Mutina gente Rauita siue Versouius, in Polonos semper propensa, erat. Itaq; is cũ duobus filijs, & alijs nõnullis primoribus Rauitis, & paruulis eorum filijs, iussu principis indicta causa capitali supplicio affectus est. Reliqui ea familia fuga elapsi, in Poloniã cõmigrarũt. In Vngaria nihil præclari gestũ est à nostris: sed reb. cum Cęsare et Almo fratre amicè cõpositis, dimisit Colomãnus auxilia. Reuertentẽ aũt à Boemica expeditione Boleslaũ, duę res aduersę & molestę excepere. Nam Sbislaua uxor eius uitam cũ morte cõmutarat; Pomerani aũt Vsce arcẽ Gneuomiro Zarnicouiensi domino uel authore, uel adiutore, per deditionẽ interceperãt, deceptis qui in pręsidio fuerãt, cũ falsum de Boleslai morte rumorẽ cõfinxissent, quasi is uictus à Boemis, captusq;, et Hẽrico Cęsari traditus esset. Itaq; omnib. rebus post habitis Boleslaus, à Boemica expeditione maximis itineribus rectà in Pomeraniã cũ paucis expeditis militibus contendit, reliquo exercitu dimisso, ut præda Boemica exoneratus, ad Pomeranorũ fines sibi occurreret. Nec tamen expectauit, dum is exercitus conueniret: sed cum paucis illis, ita ut

Boleslai cũ Colomanno rege fœdus & affinitas.

Scepusiũ in dotem datum Vngaris.

Boemia uexatur à Polonis.

Rauitarum excidium in Boemia, & in Poloniam migratio.

Pomerani Vsce arcem intercepere.

Pomeranicum bellum.

uenerat

uenerat rapida excursione, cædibus hominũ & incendijs uillarum, hostium fines uastauit: non quo sic ulcisceretur eorũ iniurias, sed magis ut incolumẽ se esse, & mox iustas pœnas de perfidis exacturum, ipsis ostenderet. Posteaquã uniuersus cõuenit exercitus, Velenũ oppugnat. nam id quoq; recepto Gneuomiro defecerat: nec ita magno, ut Vsce, præsidio tenebat. Iam aũt hyems aduentabat. Erat in exercitu cum fratre Sbigneus: sed cum hostibus, qui aliquãta manu coacta, opportunitatẽ inuadendorũ nostrorum obseruabãt, sentiebat, eosq; clàm per internũcios de omnib. rebus & cõsilijs fratris certiores faciebat, & prodẽdi perdẽdiq; eius occasionẽ quærebat. Nocte quadã castris clàm egressus, persuadet Pomeranis, ut se duce castra Polonorũ adoriantur: perfacile esse, quãuis paucis multos inopinãtes opprimere. Sequuntur Pomerani. Agebat fortè in statione et excubijs Boleslaus, quod quidẽ crebrò facere solebat. is re animaduersa, hostes cũ tumultu & strepitu in castra irrumpentes, cum ijs qui in statione erãt à tergo adoritur: suos in castris subita re perculsos, uoce sublata animat: concidunt animis hostes, in insidias præcipitatos se esse rati: conciduntur & capiunt utrinq;: pauci tegentibus eos tenebris effugiunt. Captus est & Sbigneus, detractaq; galea agnitus, & ad Boleslaum adductus, in sequentẽ diẽ asseruatus est. Orto die, refert rem Boleslaus ad castrẽse consiliũ. Ibi alius alio acerbiorẽ in Sbigneum dicit sententiã. Sed omnium acerbissimam Secechus palatinus Cracouiensis, qui iam ab exilio reuerterat. Is grauissimè in genus, mores, ingratitudinẽ, impietatem & perfidiã Sbignei inuectus, exaggeratis, quæ is in patrẽ indulgentissimum, quæ in fratrẽ mansuetissimum, quę in patriã optimè merentẽ peccasset, nullo non supplicio dignũ, & unguibus atq; dentibus, si ferrum desit, populariter laniandum ac discerpendum esse pronunciauit: Boleslaum etiã de nimia & pernicioſa ipsi totiq; reipub. facilitate & clemẽtia obiurgauit. Productus, & causam dicere iussus Sbigneus, cum se nõ explicaret, & re manifesta redargueret, non morte tamen, quemadmodum censebant omnes, sed exilio à mitissimo fratre damnatus, in Boemiã abijt. Velenenses uigilijs, defendendæq; arcis labore assiduo fatigati, & desperato suorum auxilio, arcẽ apertis portis dedũt. Introgressi milites, crebris Pomeranorũ defectionibus & immedicabili perfidia cõmoti, in omne genus hominũ nullo neq; sexus, neq; ætatis, neq; ordinis discrimine desæuierunt: nequicquam reuocante Boleslao, & uictis parci iubente. Gneuomirus ad principẽ uiuus adductus, cõminuto fustibus capite, iustas perfidiæ pœnas dedit. Boleslaus cum per hyemem iam nihil rectè geri posset, reduxit dimisitq; exercitum. Gallus per hyemẽ etiam Prussos adortum eum esse memorat, cõcretis glacie lacubus & paludibus, quib. ea regio impedita, difficilẽ prębet aditum alijs tẽporibus: peruastatisq; ferro & igni agris, magnã hominũ & pecudum prædã abegisse, nemine obsistente, aut pugnę copiam faciente. Sequẽti anno, qui fuit post Christũ natum 1109, Germanicũ bellũ exarsit: breue quidẽ illud, sed prospero successu, magnaq; gloria Polonorũ & Boleslai principis gestũ. Cuius hęc fuit causa. Adiutos à Polõis Vngaros, et uexatos retractosq; è suis castris Boemos, ipse per se indignè ferẽs Hẽricus Cęsar, magis etiã à Boemis

Velenum oppugnatum.

Sbignei perfidia.

Pomerani fundantur à Boleslao.

Sbigneus excęptus.

Iudicium de Sbigneo.

Sbigneus exilio multatus.

Velenum direptum.

Gneuomirus fit iste comminuto capite interfectus.

In Prussiam excursio Polonorum.

1109 ann. Germanicum bellum.

contra

cõtra Polonos incitabatur. Sollicitabatur et à Sbigneo exule magnis pollicitationibus, eaq; spe implebat, ut per Sbigneum Poloniã omnem nullo negocio in potestatẽ suam redacturum se esse crederet. Affirmabat enim Sbigneus, primo eius aduẽtu, certatim ad se Polonos defecturos esse. Igitur initio æstatis, quæ Vngaricũ bellum cõsecuta est, cum maximis copijs atq; uiribus totius Germanię et Boemię Poloniã, qua Saxonibus atq; Turingis cõfinis est, & nũc Marchiæ Brandemburgensis ac Silesiæ nomẽ habet, ingreditur: Lubus arcẽ & oppidũ, quæ sedes episcopi etiam nunc est in prouincia Gnesnẽnsis Archiepiscopi, capit (tametsi negant quidam) & Magdeburgensi Archiepiscopo donat. Bythomiã deinde, nõ hanc quę in Oppoliensi tractu est, tentat: sed à Polonis audacter ex oppido erumpentibus repulsus, spei suę & Sbignei pollicitis nõ respondere euentũ, iniquius tulit. & omissa atq; in aliud tẽpus reseruata Bythomia, ad interiora contendit: Recenũ recepit: inde ad Glogouiã duxit. Iam eò Boleslaus partem copiarum præmiserat, quæ hostem transitu Odræ fluuij prohiberẽt, dum ipse Russorum & Vngarorũ auxilia expectat. Verùm Cæsar nouo inuento uado, haud ita procul à Glogouia transducit exercitum ad nonum Cal. Septemb. penéq; nostros ultra Odrã statiua habentes oppressit: paucos quidẽ milites in agris uagantes, & magnã agrestium pecudum q; prædam cæpit. Reliqua militum manus partim in oppidum sese recepit, partim fuga dissipata est. Magna ui oppugnat oppidum, frequens quidẽ ea tempestate, sed non munitissimum. Oppidani ueriti, ne capto per uim oppido, extrema quæq; ab irato hoste paterentur, quinq; dierũ inducias petunt, quib. nisi succursum sibi esset, deditionẽ promittunt. obsides dant primorum ciuium liberos: ad Boleslaum principem mittunt, quãto in discrimine sit oppidum, et quid cum hoste cõstituerint exponunt: orãt, celeriter sibi ut opem ferat. Collaudat ille eorum consilium: affuturum se esse maturè pollicetur. Quod ni affuerit ad cõstitutũ cum hoste tempus, sustinere eos porrò impetum hostilẽ iubet. Ni faciant, deleturum se esse eos post discessum Cæsaris iurat. Malint ergo paucorum obsidum iacturã facere, quàm uniuersi perire. Valuit apud Glogouienses plus fides & authoritas principis, quàm priuata pietas. Itaq; biduo, quod de inducijs erat reliquũ, ad sustinendã uim hostium omni ope sese cõparant, turres & mœnia quassa & labefacta reficiunt, lapidũ & aliorũ telorum maximã uim in turres congerunt. Aduenìente quinta die, imperator promissam deditionẽ poscit: ubi mutatos oppidanorũ animos uidet, iratus corona oppugnat oppidũ, obsides pallijs alligari, & ad mœnia obuerti iubet, ut dum suis oppidanorũ misericordia parcit, facilius & liberius milites mœnia subeãt. Sunt autem pallia asseres cõpacti, qui milites mœnibus succedentes tegunt, & à missilibus defendũt. Sed nihilo minus oppidani omne telorum genus in suos iuxtà ac in hostes congerunt: qui propius ad mœnia accesserant, aut scalis admotis muros iam scandebant, eos contis deturbant, lapidibus obruũt, pice & aqua feruenti perfundunt, præcipitesq; agunt. Cæsar hostium siue pertinaciã, siue constantiã admiratus, & suorum uulnera & pericula miseratus, receptui canere iussit. Sic eo die & succedentibus aliquot deinceps,

Lubus arx capta à Cæsare, et Archiepiscopo Magdẽburgen. donata.

Bythomia oppugnata.

Recenum oppidum.

Glogouia oppugnata & fortiter defensa.

Glogouiensiũ fides & cõstantia.

Pallia.

fruſtra

frustra tentata expugnatio est. Nec uoluit postea Cæsar suos periculo obij cere. Permultos enim fortes uiros, Bauaros, Saxonas, & Boemos una illa oppugnatione amiserat. Ac Bauarorũ quidẽ & Saxonũ funera honorificè domos remisit, Boemi uerò ad Glogouiã in cãpis tumulati sunt. Nõ recessit tamẽ ab obsidione Glogouię Cęsar. Iam Boleslaus expectata auxilia acce perat, ualidasq; de suo milite copias habebat: itaq; propius hostẽ accedit: nec tamẽ pugnandi copiã, quãuis flagitantibus suis, faciebat: sed è latebris & insidijs hostilẽ exercitũ carpebat, pabulatores excipiebat, noctu subducendę alui causa castris egressos trucidabat: sæpius intẽpesta nocte cũ clamore & clangore tubarum hostiũ castris adequitabat, excubias aut opprimebat, aut è stationibus depellebat: interdiu quoq; nonnunquã prandẽtes aut quiescentes tumultuariè adoriri, persequẽti hosti cedere, recipientẽ sese rursus persequi, celeritate equorũ suorũ, & hostiliũ tarditate grauiq; armatura fretus. Itaq; neq; oppugnãdi oppidũ, neq; reficiẽdi se, neq; quiescẽdi spaciũ hosti dabat. Exurebat etiã circumiacentes uillas, obsidebat itinera, ita ut integras legiones pabulatũ mittere hostes, & longius petere commeatũ necesse haberent: sæpeq; reuertentibus præda excutiebat. Celebre his rebus erat Boleslai nomen inter hostes, totaq; castra laudes & uirtutes eius, cõpositis etiã ad id carminib. personabant: ita ut Cęsar capitali pœna, ne id fieret, sancire cogeret, ueritus ne ea res formidine atq; desperatione animos militũ suorũ deijceret. Angebatur aũt ancipiti malo, obsesso quàm obsidẽti similior. Et infectis quidẽ rebus ab obsidione discedere turpe, manere aũt diutius in loco, periculosum ducebat: ne non mutantẽ castra exercitũ & pestis, & fames, & peruigilia, propter crebros nostrorũ insultus cõficerent. Tandem ui expugnare oppidũ statuit. Cæterùm Suentopelcum cum Boemis ad sustinendos nostrorũ impetus, ne se oppugnationi urbis intento, castra sua caperẽt, obijcit. Et impediebant nonnihil Boemi nostrorũ conatus, tum in statione illa, tum aliâs. Verùm Suentopelci mors nõ parum adiumenti nostris attulit, aduersariorũ uerò animos deiecit. Occidit aũt eum Ioãnes Ciste, eques Boemus exul, siue Boleslai cõsilio, & præmio percussori proposito adductus, (nam & hoc fertur) siue proprij exilij cæsorumq; propinquorũ Rauitarũ dolore stimulatus. Certè patrata cæde, fuga, nequicquã persequentibus Boemis & Germanis, pernici equo elapsus, magnis pręmijs à Boleslao affectus est. Perculit is casus uehementer Cæsarẽ, & omnem eius exercitũ. Itaq; tumultuatũ in castris, ac tota nocte in armis uigilatum est, ne quid maius noctu nostri aggrederent. Neq; enim in uno illo tã audaci facinore cõquietura esse Polonorũ audacia uidebat. Postero die cõploratione circa cadauer facta, Cęsar ut Boemorũ studia & uoluntates retineret, permittit eis, ut principẽ ipsi sibi, quẽ uelint, eligant. Illi Henrico & Venceslao Suentopelci filijs, & Vuladislao eiusdem fratre patruele, quẽ prius Suentopelco successorẽ interposito iureiurando designarant, pręteritis, Ottonẽ eiusdẽ Suentopelci fratrẽ germanũ Morauię Marchionẽ absentem regnare iusserunt: à Cæsare missionẽ flagitarunt, deducẽdi funeris gratia: & q̃ uerebantur, ne Boriuoius & Sobeslaus exules, qui uel authores uel certè cõscij necis fraternæ esse credebantur, principatum inuaderẽt. Ac ne Vuladislaus quidẽ tam insigni iniuria affectus, quieturus

Belli gerendi ratio.

Suentopelcus Boemus dolo interfectus.

Otto dux Boemis datus.

Vuladislaus principatū apud Boemos occupat.

esse existimabatur. Et ita sanè accidit. Ad primum enim nuncium fraternæ mortis, principatū is occupauit. Ægerrimè Boemorū discessionē tulit Cæsar: maluit tamen hoc ipsis cōcedere, q̄ ut ij nequicquā aduersante se, iratis animis discederent. Boleslaus ratus Cæsarē non satis auspicati belli iam

Legatio Boleslai ad Cæsarē.

pertęsum, simul q̄ hyems instabat, facilioremq̄ placidioremq̄ fore, legatos ad

Henrici Cæsaris arrogantia.

eum de pace misit. Edit ille pacis conditiones, ut Sbigneus in principatum suū restituatur, & ut Poloni tributarij sint Romano imperatori. Duræ uidebantur nostris hæ conditiones, neq̄ existimabant principē eas acceptarū esse. Ibi Henricus Cæsar ambitiose admodū & arroganter, ostendens legatis thesaurū, quē ingentē habebat: Hic, inquit, Polonos perdomabit. Erat legationis princeps Scarbicus comes ex ea gente, quę insigne habet lineas iunctas in modū duorum trigonorū æqualiū, acutos angulos habentiū,

Habdancorum familiæ origo.

quorū bases sursum uersus pateant: uel, ut planius ac rudius dicam, in modum VV literę geminę maiusculę. Is igitur Scarbicus stultā Cæsaris iactātiam notans, annulo, quem digito gestabat, in thesaurū proiecto: Aurum, inquit, adijciamus auro. Id scomma intellectū Cæsar, gratias agēdo elusit, Habdank, inquiēs lingua Germanica, quod est, gratias ago. Inde familię id nomē mansit, ut Habdanci dicant. Ex qua familia Michael comes Lubenē se monasteriū in maiore Polonia paulo pòst construxit atq̄ dotauit. Hęc eo libentius cōmemoramus, q̄ ex hac familia fuit Ioānes Choinius episcopus Cracouiensis, & Cancellarius Poloniæ, uir clarissimus, admirabili ingenio, excelso animo, maximo consilio, eruditione & iurisperitia non uulgari, rara celeritate ac dexteritate in rebus agendis præditus, in uictu cultuq̄ corporis elegans & moderatus, temporis parcissimus, constantia uerò, integritate & libertate in defendenda iusticia & iniustitia oppugnanda singulari: quib. rebus cū potentes & factiosos quosdā offendisset, eorū obtrectationibus minus gratiosus fuit apud multitudinē, quàm esse debuit. Cęterùm regi Sigismundo, cuius iudiciū diuinum erat, ita fuit charus, ut inuidi quidā & inimici, plus quàm filiū eum diligi ab illo, dictitarent. Atq̄ is uiueret adhuc fortasse, si chariora sua cōmoda, quàm uirtutē & rempub. habuisset. Cæterùm ante octo annos immaturā mortē obijt, maximo nostro dolore. Etenim non in clientis, sed in alumni atq̄ filij loco nos dilexit, ac de ornamentis nostris sedulò cogitabat. Sed unde defleximus, reuertamur. Reuersi ad Boleslaū legati, mandata Cæsaris referunt. mirari ille cōfidentiam Cæsaris, & iniquitatē conditionū, quasi uictor uictis leges imponeret, ac nō dubia adhuc esset Martis alea. Itaq̄ quā non impetrabat pacē, ui & armis extorquere pergit, ac maioribus quàm prius dānis & incōmodis hostē afficit, minus aptū per se, abductis Boemorū auxilijs, ad nostrorum insultus diurnos atq̄ nocturnos reprimendos: nec ullam ei dat lignādi, pabulandi, cōmeatus petendi, atq̄ adeò è castris prodeūdi facultatem. His malis fatigati Germani, maioraq̄ metuentes, alio transferre bellū statuunt, ut loci mutatione & aura meliore, & pabulatione cōmeatuq̄ laxiore uterentur. Simul aūt elicere se nostros ad decernendū de summa rei uniuersis copijs aliqua occasione posse speabant. Soluta igitur Glogouiæ obsidione, ad interiora Poloniæ & Vuratislauiam urbem instructa acie contendunt. Inuadit à tergo, carpitq̄ extremos hostium Boleslaus, turbat or-

Ioannes Choinius episcopus Cracouiensis, & Cancellarius Poloniæ.

dines,

dines,impedit iter:nec ſuſtineri noſtrorum impetus à paucis poterat. uulnerabantur hoſtes haſtis cominus, eminus ſagittis: cum illi cõuerſis ſignis ad prælĩũ ſe expedirent,noſtri diuerſi refugiebant, rurſuſq; ex interuallo, iter proſequentes adoriebant. Orabant principẽ noſtri pleni fiduciæ, tota ut acie cum hoſte dimicaret: ſatis ſibi eſſe animorũ, ſatis uiriũ ad apertum certamen: defungi ſe cupere ſemel totius belli labore: indignũ eſſe,uaſtari agros ſuos,expugnari arces et oppida ſe intuẽtibus. Quietos eſſe iubet Boleslaus,& ad omnia paratos: ſibi curę fore, quid facto opus ſit. Cæſar magno cum labore & cæde ſuorũ,ægrè in conſpectũ Vuratislauiæ uenit. Eſt circum Vuratislauiã latè patens planicies: Boleslao locus uiſus eſt peropportunus ad dimicationẽ pręlij, & noſtris propter leuẽ armaturã & perniciatẽ equorũ, equitumq; multitudinem, quàm hoſtibus,cõmodior. Itaq; paucis milites cohortatus,adeſſe tempus,quod dudum flagitaſſent: meminiſſent pollicitationum ſuarũ: cogitarent in eo prælio imperiũ, ſalutem & libertatem patriæ uerti: uiri, & maioribus ſuis digni eſſe pergerent: uaſtatos agros,incenſas uillas,capta oppida,in ſeruitutẽ redactos agricolas, ulciſcerentur: gloriã denicq; maiorum ſuorũ, imperatore orbis terrarũ deuicto,illuſtrarent. Deinde maiore,quàm aliâs, ui hoſtes à tergo & ab lateribus laceſsit. Cõuertunt illi acies more ſolito,noſtros repulſuri. Nõ iam refugiebãt noſtri: ſed celeriter ad ſigna et ordines ita ut iuſsi erant,concurrẽtes,præter opinionẽ hoſtium,pugnandi copiã fecere. Prælium fermè exoriente ſole initũ,durauit uſq; ad meridiem. Et inclinabat quidem ad hoſtes uictoria: reprimebant noſtri equites graui illorũ armatura, nec denſas peditum phalanges perrumpere poterãt,ſed quaſi in murũ incurrebant, maiore ſuo quàm hoſtiũ detrimento: iamq; audacius illi uiciſsim ſigna inferebant, nutabant Poloni: uerùm Boleslaus omnia ſollicitè prouidens,ubicunq; deteriori loco rem ſuorũ eſſe animaduertebat,accurrebat,& hortando,orando, ſubſidiarias cohortes ſubmittendo, inſtaurabat pugnam. Ad extremũ cohortes aliquot Sileſiorum,facto cuneo ab apertol atere curriculo in hoſtiles acies inuehi iuſsit. Quod ubi factũ eſt,celeriter inuadentibus noſtris in auerſos & inopinantes,perturbari cœpere hoſtiũ ordines. Noſtri alacriores,mutua ſignificatiõe et clamore ſeſe cohortati,inſtare utrinq; trepidantib. nec ſpaciũ colligendi ſeſe dare. Acrius tamẽ adhuc à fronte noſtrorũ impetũ ſuſtinebant hoſtes: ſed ubi ſuos à tergo cedere noſtris urgẽtibus reſpexere,in fugam ſeſe omnes conĩciunt, in primisq; Cęſar ipſe,nequicquã reuocare fugientes conatus. Iamq; nõ in ancipiti dimicatione, ſed in cæde fugientiũ & impedientiũ ſeſe, noſtri uerſabant. Plurimi mortales interfecti ſunt,permulti uiui in poteſtatẽ uenere: atq; ĩ honeſtè & liberaliter iuſſu Boleſlai habiti & aſſeruati ſunt. Multi etiã ex noſtris ceciderunt: lõgè plures (ut in nudis, autcertè leui armatura tectis euenire neceſſe erat) uulnerati ſunt. Campus,ubi pugnatũ erat,plenus cadauerũ, acerbũ & miſerabile ſpectaculũ exhibebat. Ac noſtri quidem conquiſiti & ſepulti ſunt. Germani uerò inſepulti,canibus & uolucribus eſca iacuere. Inde cũ eò tanta uis canũ conueniſſet,ut difficilem tranſitũ præberet paucis iter facientibus, Caninus cãpus à Polonis atq; Germanis locus ille dictus eſt: & in hodiernum uſq; diem utraque lingua nomen hoc, is qui ibi eſt uicus, retinet.

Boleslai cohortatio.

Prælium Polonorum cũ Germanis.

Boleslai de Hẽrico Cæſare uictoria.

Henrici Cæſaris fuga.

Caninus cãpus.

Abest autem uno à Vuratislauia milliario. H. Mutius longè diuersum ab hoc exitum, diuersaḿq; item causam huius belli memoriæ prodidit. Sic enim is scribit: Post comitia illa Aquisgranen. sequẽti anno iterũ Francofordiæ cõueniunt principes & imperator, deliberant́q; de bello suscipiendo contra Polonos: qui tributũ imperatori debitũ dare recusabant, regeḿq; sibi elegerant, ipsíq; coronam imposuerant: qui tum imperatoris erat summus contemptus. Quare conscripto exercitu, in eos proficiscitur. Rex ante imperatoris aduentũ in castris est: pugnatur aliquoties multo utroruḿq; sanguine: ad extremũ uerò uicit imperator, milite Germano fretus, & potentia sua. Polonis igitur in fidem receptis, tributóq; ueteri aucto propter belli expensas, reuertitur in patriã. Hactenus Mutius: neq; cum Gallo illius temporis scriptore, neq; cum ratione temporũ congruẽter. Neq; enim tunc regem sibi crearunt Poloni: sed ante centũ annos creatum, paulo ante illud tempus habere desierũt. Sed nos cætera persequamur. Boleslaus tam insigni, tametsi non incruenta, uictoria triumphans, q; hyems iam aderat, dimisit exercitum suum, auxiliares uerò Russos & Vngaros pro meritis remuneratus, in hybernia distribuit. Clarius uerò quàm antehac, ea uictoria Boleslai & Polonorum nomen apud Germanos factũ est. Itaq; cũ Henricus Cæsar acceptã à Polonis apud Caninum campum cladem ulcisci insequenti æstate pararet, minus alacres militum animos ad eam expeditionẽ habuit: & res Italicæ præterea eum ab illa cogitatione auertebant. Verebatur autem, ne se in Italiam profecto, Poloni uicinam sibi Germaniã infestis armis inuaderent. Ad hæc sciebat, multos nobiles et egregios tribunos militum, centuriones, turmarũ & alarũ præfectos, quorum pręclara opera in illa Italica expeditione uti posset, captiuos à Polonis detineri. & pacem quidem cum Boleslao facere cupiebat: sed offerre eam ultrò, quam dudũ à se petitam negarat, turpe sibi ducebat. Tandem communes amicos subornauit, qui Boleslao persuaderent, ut ipse eam à Cęsare peteret: ac de uoluntate ipsius illi prolixè pollicerent. Vicit animum suum Boleslaus, ut ipse ad Cæsarem Babenbergam, oppidum id est Franconiæ, splendido apparatu & comitatu proficisceretur. Aduenięs comiter & honorificè acceptus est à Cæsare. Ibi multis inter se sermonibus habitis, & causis offensarum & inimicitiarum discussis atq; sublatis, pacem inter se fecerunt ęquis conditionibus. Renouantur uetera primi Boleslai cum Ottone tertio Imperatore fœdera, nouaq; affinitate sempiterna amicitia inter ipsos principes & posteros ipsorum sancitur et stabilitur. Nam Boleslaus Henrici sororem Adleidam uxorem duxit, & filio suo Vuladislao impuberi adhuc Christinã eiusdem Cæsaris filiam paruulã despondit: captiuos omnes Cæsari liberaliter remisit, & ab eo uicissim oppida capta superiore bello recepit: peractiśq; magna celebritate & summa omniũ lætitia nuptijs, datis & acceptis ultro citróq; magnis munerib. aucto nobilibus Germanis, nouas nuptas deducẽtibus, comitatu, Boleslaus in Poloniã reuertit. Tametsi Radeuicus Phrysingensis in eo libro, quem de rebus gestis Friderici imperatoris scripsit, Gertrudim Leopoldi Marchionis Austriæ filiam, Henrici Cæsaris neptẽ, Vuladislao uxorem fuisse memorat. Post Germanicũ bellũ, quod dudum exposuimus, Boriuoius oblatam Suentopelci fratris interitu, & Ottonis

Boleslaus princeps ad Cæsarẽ profectus pacẽ petit.

Pax & affinitas inter Henricum quintum Cæsarem, & Boleslaũ Polonorũ principem.

Boemicũ bellũ, et Borouoij reductio.

atq;

atq; Vuladislai de Boemię principatu contentione, occasionē non prętermittendā sibi esse ratus, quin principatū, unde à Suentopelco eiectus fuerat, repeteret, impetrat à Boleslao Polono auxilia: & confluentib. certatim ad eū procerib. & equitibus, paruo negocio Pragam & Vissegradū caput Boemiæ, in suā redegit potestatē. Sed euocatus à Cæsare ad cognitionē ac disceptationē causæ pariter cū Vuladislao fratre, qui impar uirib. Cæsaris opē imploraràt, in uincula coniectus est: Vuladislaus uerò Boemorū princeps declaratus. Molestè aūt ferēs Boriuoij circūscriptionē Boleslaus Polonorum princeps, motusq; Sobeslai fratris eius, qui apud se adhuc exulabat, precibus, insequēti anno, cū Henricus Cęsar Romā ad suscipiendū diadema imperatoriū profectus esset, in Boemos duxit exercitū. Præmissis autē legatis, postulat à Vuladislao missionē Boriuoij, et ut se arbitro cōstitui de principatu inter fratres patiatur. Recusat Vuladislaus, et ad arcēdā uim Boleslai sese cōparat. Itaq; desperata pacificatione, noster Boemiæ oram eā quæ cis Albim est, ferro & incendijs uastauit: Boemumq; sua defendentē, cōmisso ad Cidlinā amnē prælio, profligatū, in fugā uertit: et mox cū magna præda & spolijs hostium, propter anni tempus in Poloniā sese recepit. Ad octauū enim Idus Octobris prælium factum erat. Hagecus Polonos uictos, & præda parta exutos, Sobeslaumq; humero saucium Boemia raptim excessisse scribit. Sed neq; Vuladislaus secundis rebus suis tam facilē se ad reconciliandum sibi, reuocandumq; Sobeslaum fratrem adduci passus esset: neq; Boleslaus aduerso prælio debilitatus, Prussos & Pomeranos mox bello persecutus esset. Excurrerant ij prædabundi in Masouiā, uastatisq; raptim agris & pagis permultis, celeriter se cū pręda domū recipiebāt. Præerat tunc Masouiæ Magnus comes, quem à Vuradislauiensi prefectura amotum fuisse, superius in Vuladislao exposuimus. Is tumultuaria manu facta, reuertentes barbaros persecutus, & prima luce inopinātes, & post populationis laborē, largioresq; ex pręda epulas altum dormientes adortus, ad internecionem omnē illā hostilem manum deleuit, nullo de suis desiderato. Hostes aūt sexcenti interfecti sunt, capti mille ducenti. Cæteri qui in proximas syluas effugerāt, sequentibus aliquot dieb. ab agrestibus excepti ac trucidati sunt. Quin à mulieribus quoq; duabus fraga legentib. unus captus, & reuinctis post tergū manibus adductus esse memorat. Atq; hęc uictoria de barbaris, Simoni episcopo Plocēsi, pietate & sanctimonia uitę uenerādo seni refert accepta, q̄ is & animauerit nostros in hostē, & pugnātibus ijs Dei opē implorare nō cessauerit: Moysen populi Dei ducē imitatus, cuius precibus & extensione manuū, magis quàm armis atq; uirib. Amalechitas profligatos esse, sacris Hebręorū literis proditū est. Nō satis aūt pœnarū Pomeranos atq; Prussos dedisse ratus Boleslaus, æstate sequēti expeditionē in Pomeraniā suis indixit, cōuenit exercitus ad Crusuiciā, iamq; mouere castra debebāt: ecce clara die, inspectāte omni exercitu, apparuit in culmine basilicę Crusuiciēsis formosus iuuenis, cādida ueste refulgēs: cūctisq; stupentibus desilijt, & ante signa progressus est. Ibi uniuersus exercitus lætus, euestigiò motis castris, diuinitùs oblatum ducē sequitur, insignem uictoriam ex hoste barbaro sibi pollicens. Vbi ad Naclum Pomeranorum tunc urbem facile principem, natura loci manuq; munitam, uentum est,

Boriuoius à Cæsare captus.

mil. ann. Boleslai expeditio in Boemiam.

Boleslai uictoria de Boemis.

Pomeranorum & Prussorum excursio in Masouiam.

Pomerani profligati à Magno comite.

Simon episcopus Plocensis pius.

In Pomeraniā expeditio Boleslai.

Naclum obsidetur.

iuuenis ille malũ aureum, quod manu gestabat, aduersus oppidum proiecit, subitoq; disparuit. Nostri alacres partim scalis admotis muros scandere, partim portas refringere summa ui cõtendũt: parumq; absuit, quin oppidũ eo die caperet. Sed plenior et illustrior ipsis de perfido hoste uictoria debebatur. Oppidani prima oppugnatione perculsi, quindecim dierũ inducias à Boleslao impetrãt, ea lege, ut ni sibi interea succursum esset, dederẽt sese: circũ suos dimittũt, qui de periculo urbis certiores eos faciãt, & auxiliũ petant. Iam ingentes Pomeranorũ & Prussorũ copiæ conuenerant, ac de ratione belli gerẽdi inter se cõsultabãt: fit fremitus totis castris ad primũ nunciũ Naclensium. Deinde inito cõsilio, respondent Naclensibus, in tempore se affuturos, opemq; obsessis laturos. Quanquã aũt quadraginta, uel ut uult Dlugossus, quinquaginta milliũ armatorũ numerũ excedebant, nõ ausi tamen aperto Marte cum nostris, quorũ uirtutẽ sæpe experti erant, cõgredi, ex insidijs eos aggredi statuunt. Amotisq; equis, ne eorum hinnitu proderent, & quo maiore fiducia, exæquato inter omnes periculo dimicarent, per syluas, quæ à statiuis eorum ad Naclum usq; pertinebant, silenti agmine iter faciunt, ut incautos & inopinãtes nostros opprimerẽt. Nec sanè inanis eorũ conatus fuisset, si statim ex itinere castra Polonorũ adorti essent. Dies erat Laurentio martyri sacra: nostri nihil de hostibus suspicati, et q; inducię cũ oppidanis adhuc durabãt, inermes diuinæ rei uacabãt. & iam sacris peractis diuersi discedebãt, cũ subitò conspicant hostes, agmina è uicinis syluis explicantes. Conclamatur ad arma: tumultu ac trepidatione castra cõplentur. Perturbabat omnes non tam multitudo hostiũ, quàm q; in puncto tẽporis omnia prouidenda & faciẽda erant. Sed hostiũ cunctatio nostris colligendi sese, arma capiendi, & ordines explicandi spaciũ dedit. Nã posteaquã illi cõspectos se à nostris animaduertere, de prima spe deiecti, locũ castris cęperunt, frontẽ & latera sudib. præustis & hastis transuersis in modũ sepis munierunt. Boleslaus metu hostiũ animaduerso, paucis pro tẽpore milites cohortatus, in aciẽ educit, loco se cõtinebãt hostes: et difficilis atq; periculosa nostris futura erat pugna, q; et spes quib. impeditus erat ad hostẽ aditus, conuellendi, & fossæ transeundæ, & densa illorũ iacula sagittæq; declinandę erant. Animaduertit fortè Boleslaus nuda esse terga hostiũ, nec impeditũ ea parte accessum. Itaq; Scarbimiro magistro militię negociũ dat, ut cũ ipse hostẽ à fronte adortus in se cõuerterit, ille cũ parte copiarũ facto circuitu, à tergo in auersos impetũ faciat. Quod ubi factũ est, clamore cędeq; à tergo orta, impellunt ab extremis primi. Summa fit inter hostes trepidatio & cõfusio. perculsis instat etiã à frõte Boleslaus, perrumpit impedimenta. Hostes utrinq; circumuenti, & uallo illo suo ac sepe impediti, fugã non explicabant. Itaq; in medio maxima strage concisi sunt, ita ut cęsorum numerus ad uiginti septẽ millia peruenisse dicatur: lacubus etiam & paludibus multi hausti esse memorantur: capti fuere bis mille. Cadauera comportata, & humo, ne tetro odore aerem inficerent, operta, tumulum instar collis effecere: quem Dlugossus ad sua tempora extitisse scribit, monimentũ tantę uictoriæ. Naclenses desperatis rebus suis, deditionẽ fecere, eorumq; factũ sex alia oppida secuta sunt. Quibus omnib. Boleslaus Suentopelcũ, unum de procerib. & consiliarijs suis præfecit, de Gryphonũ

Pomeranorum exercitus.

Pomeranorum castra expugnata.

Boleslai de Pomeranis et Prussis insignis uictoria.

Captiuorũ numerus.

Naclum per deditionem receptũ à Polonis.

siue

siue Gryphiũ familia, hominẽ non tam opibus aut nataliũ splẽdore, quàm uirtute & sciẽtia rei militaris clarũ. Exarsit deinde rursus Boemicũ bellum, à Boleslao quietis & ocij impatiente conflatũ. Cuius prętextus fuit Sobeslai exulis restitutio. Reuocauerat quidẽ eũ Vuladislaus frater post Poloni cum bellũ, cuius dudũ fecimus mentionẽ, & in gratiã cũ eo redierat, Zatecensemq; tractũ ipsi attribuerat, Suatauæ matris precibus & lachrymis uictus: & uim Boleslai, cui Cęsare absente impar erat, metuẽs. Verùm Sobeslaus aliquanto pòst, cũ non satis placatũ & beneuolũ fratris animũ erga se animaduerteret, & à Vascone primo & intimo cõsiliario incitari eũ in se, siue certo indicio, siue falsa ęmulorum delatione (ut refertę sunt ęmulationi bus, suspicionibus, obtrectationib. & calumnijs aulæ principũ) didicisset, per insidias eũ interfecit: & fratrẽ ob id facinus iratũ fugiẽs, in itinere ab Ekenbergo Cęsareo arcis Donini prefecto dolo captus, in custodia asseruatus est. Vnde, cũ negligẽtius asseruaret, post unũ mensem elapsus, in Poloniã euasit. Huius ergo rogatu Boleslaus Polonorũ princeps, bellũ in Boemos iterũ suscepit. Præmisit aũt legatos ad Vuladislaum, postulans, ultrò ut cũ Sobeslao fratre in gratiã rediret, principatumq; partiret: cui respondit Vuladislaus, Nõ eiectũ à se esse Sobeslaũ, neq; ulla iniuria affectũ: sed ipsum ingratũ & immemorẽ benignitatis suę, fidelissimũ consiliariũ suũ indignè interfecisse, & cõscientia sceleris profugisse. Exulare etiã apud se Sbigneũ Boleslai fratrẽ: eum si Boleslaus in partẽ principatus à patre attributum restituat, neq; se recusaturũ de Sobeslao. Boleslaus cũ nihil impetrasset, Boemiã cum infesto exercitu ingreditur, obuia quæq; uastat & exurit: nequicquã, ne id faceret, orante Sobeslao. Prodit obuiam cum suis copijs Vuladislaus, sua defensurus. Cibina amnis duos exercitus dirimebat, nõ tã altitudine aquarũ, quàm q; limosum solũ habet, uadatu difficilis. Dat optionẽ Boemo Polonus, ut ueli ipse, permittẽte se, amnẽ trajiciat, uel se trãsire patiat. Neutrum Boemus accepit. Fortè nubila dies & procellę tẽpestatesq; ualidę prospectũ ademerãt: ibi Boleslaus paucis ad seruãda castra, & qui clamore atq; strepitu hostẽ à suspicione auerterẽt, relictis, reliquũ exercitũ secundũ amnẽ progressus aliquãtum silenti agmine traducit, haud ita lõgè ab eo loco, ubi Cibina in Albim influit. Cursuq; ad hostilia castra contendẽs, uacua ea reperit. Etenim Boemi, cũ trãsmisisse amnẽ Polonos persensissent, raptim abierant. Vastati deinde sunt à nostris ultra Cibinã agri: Closcũ oppidũ incensum, & in prędã datũ militibus. Deficiẽte porrò, quẽadmodũ scribit Dlugossus, cõmeatu, reduxit Boleslaus alio itinere exercitũ, neq; tamẽ populationes intermisit. Vbi ad syluas, quę Boemiã in modũ coronę ambiũt, peruentũ est, nocte intẽpesta clamor ab uno temerè ortus, tumultu ac trepidatione, quasi adessent hostes, castra cõpleuit. Verùm is tumultus statim, procurrẽte in mediũ Boleslao, qui tũc fortè uigilans in papilione suo precationi uacabat, sedatus est. Postero die ab exploratoribus cognitũ est, Boemos syluas insedisse. Itaq; re diuina facta, procurato q; sacris Christi mysterijs exercitu à sacerdotib. Boleslaus graui ac diserta oratione milites ad cauẽdas insidias, et ad refutandũ hostiũ impetũ, si quẽ in se reuertẽtes, locorũ opportunitate, non uiribus freti facerent, animauit. Primã & extremã aciẽ, ac latera quoq;, robore militũ cõmunit: in medio captiuos, impedimen-

Boemicum bellum.

Sobeslaus captus et elapsus.

Cibina fluuius.

Boemorum fuga.

Closcum excussum.

Boemi repressi à Polonis.

pedimẽta,ac infirmos milites collocat. Ita quadrato agmine progreditur. Et iam ferè ad exitum syluæ peruenerat, cum subitò hostes dato signo è latebris prosiliunt,et quàm tumultuosissimè undiq; in Polonos inuadũt. Sustinent nostri impetũ inuadentium, saluis & integris ordinibus. In primis Boleslaus dux hostẽ,qui fortè ante alios pugnã ciebat, manu sua peremit. huic proximũ Derslaus pocillator: horũ exemplo incensus ardor cæterorum militũ,Boemorũ uim ea parte primùm repressit. Nec minore alacritate alijs quoq; locis nostri, nõ iam sustinebant hostẽ, sed referre pedẽ cogebant: præsertim cum Boleslaum bene rem gerere intellexissent. Ibi signum dat receptui suis Vuladislaus: aderant enim unà cum Sbigneo. Nec nostri eos sese recipientes initiò persecuti sunt, ueriti ne in insidias præcipitarentur. Vallis enim, densitate arborũ obscura, & insidijs apta, in quã Boemi refugiebant, suspicionẽ nostris faciebat, ex cõposito simulari fugã. Verùm ubi ueram illã esse fugã cognouere, fugientes aliquousq; persecuti, extremos tamen nõ paucos hostium partim ceperunt, partim trucidarũt: repetitaq; ueestigiò in Boemiã excursione, quemadmodũ Dlugossus memoriæ prodidit, incolumes cũ ingenti præda in Poloniã reuerterunt. Hagecus Closcum modò à Sobeslao incensum ac direptum hoc anno, qui fuit à Christo nato

1114 ann.

1114, memorat: nihil præterea. Magni per hæc tẽpora fuere motus in Italia

Germaniæ motus.

& Germania, quib. distentus Cæsar, ad res Boemicas animũ aduertere nõ potuit. Etenim Henricus Romã ueniens, Paschalẽ pontif. max. et aliquot

Paschalis pontifex cum Cardinalibus captus à Cæsare.

purpuratos seu Cardinales, ut uocãt, sacerdotes cepit, et abductos in custodia habuit: cumq; hoc modo diadema imperatoriũ, & alia quædã à pontifice extorsisset, diris ab eo deuotus est postea: quæ res plerosq; omnes Germanorum principes ab Henrico alienauit, ita ut intestino bello Germania

Saxones rebellant Henrico Cæsari.

Saxonibus authorib. exagitaretur, & sacra iuxtà ac prophana uexarentur. Ipse uerò Henricus pulso Paschali, aliũ Romanis inuitis dedit pontificem: eoq; celeriter extincto, aliũ ei suffecit: cum Paschali mortuo Gelasius eius nominis secundus à purpuratorũ sacerdotũ collegio, ipso inconsulto, successor electus esset. Sequenti anno cum parari rursus in se à Polonis expe-

Boem. et Polo. principum cõuentus.

ditionẽ Vuladislaus Boemus accepisset, fractus animo, de pace legationẽ ad Boleslaũ mittit, Sobeslao fratri partẽ principatus, & obliuionẽ superiorum offensarũ promittit: constitutoq; loco ac tempore, conueniunt princi-

Pax inter Boemos principes.

pes apud Nyssam fluuiũ: ibi pax inter fratres, et Ottonẽ Marchionẽ Moraui æ patruelẽ, quẽ Vuladislaus paulo antè è carcere dimiserat, authore Polono certis conditionibus atq; iureiurando utrinq; dato, redintegrata est: Sobeslao Gradecẽsis tractus cũ quinq; castellis in Boemia, in Morauia uerò Olomucensis, cuius domini Vdelricus & Litoldus, Conradi filij, per illud ipsum tempus extincti, & continuatis funeribus elati erant, à Vuladislao fratre cõcessus: datisq; & acceptis ultrò citroq; muneribus, & conuentu soluto, principes diuersi discessere. Nec tamen quieuit illo anno Boles-

Prussicũ bellũ.

laus: uerùm hyberno tẽpore cum expeditis copijs Prussiã ingressus, uicos, pagos, et oppida, longè lateq; extẽta populatione, ferro et igni uastauit, & nusquã prodeũte ad dimicationẽ hoste magnã prædã abegit: captiuos, quorũ ingens erat numerus, ad colendos agros in Polonia per diuersa loca distribuit. Extantq; etiamnum nonnulli pagi, qui ex eo tempore Prussorum

nomen

nomen retinent. Sbigneus reliqua ſpe, quam habebat in Boemorũ & Pomeranorũ armis, penitus abiecta, cũ hos quidẽ debellatos à Boleslao accepiſſet, cũ illis aũt pacẽ factã eſſe ſciret, Cęſaris uerò affinitate potentiorẽ etiã Boleslaũ eſſe iudicaret, fratris clementiã & miſericordiã ſupplici legatione rurſus tẽtat. Agnoſcit ac deprecaẽ culpã: fratris fidei atq; poteſtati totũ ſeſe permittit: orat ne inops egẽsq; in exilio uitã finire cogaẽ, ut paululùm quid ſibi in patria præ manu detur, unde uitã ſuſtentare poſsit: quicquid id fuerit, eo ſe contentum: & fratri, quẽ ipſi Deus et uirtus ipſius dominũ conſtituiſſet, obſequentẽ ſemper fore. Emollĩt fregitq; hæc legatio Boleslai animũ, pronũ ſuapte natura ad miſericordiã: reuocatur Sbigneus, nequicquã reclamantib. proceribus. Veniens, nihil de faſtu & uanitate ſua remiſit: ſed quem legati ſupplicẽ ad pedes fratris proſtraturũ ſe eſſe polliciti fuerant, is cum tubis atq; tympanis incedẽs, pręferri ſibi ſtrictũ gladiũ de more principũ iuſsit. Diſsimulauit id quidẽ Boleslaus, & comẽ ſe fratri præbuit: ſed tamen cœpit mox animũ eius ſubire facti pœnitentia, q̃ inſanabile cernebat ingeniũ Sbignei. Alebant eum igniculũ in pectore Boleslai conceptũ proceres, qui Sbigneo infenſi erant, & multis uerbis atq; ſuſpicionibus odium eius inflãmabant. Nunquã eſſe quieturũ illum: eoq; reditũ impetraſſe, ut quẽ aperta ui fruſtra tentatis multis, tollere de medio nequiuiſſet, dolo circumueniret. Anteuerti oportere ſcelus eius, ſi ſibi liberisq; ſuis Boleslaus conſultũ uellet. His dictis eò perpellunt principẽ mitiſsimũ, ut de nece fratris quibuſdã mandaret. Faciunt illi iuſſa: iurgio de induſtria aggreſſi Sbigneũ, fruſtra implorantẽ fratris opem, interfecerunt. Quidã non interfectũ, ſed oculis orbatum eſſe, nec ita multo pòſt animi dolore uita eum deceſsiſſe memorant. Vehementer quidẽ Boleslaum admiſſi facinoris, contaminataq; una illa labe exiſtimationis ſuę pœnituit: multisq; poſtea lachrymis, eleemoſynis & laboribus peregrinationũ ultro ſuſceptarũ id ſcelus eluit, quemadmodũ inferius exponemus. Non multò aũt interiecto tempore, poſt patratum in Sbigneũ facinus illud, Scarbimirũ quoq; palatinũ Cracouienſem cæpit: in carcerẽ cõpegit, excęcauit: ſenatu mouit, & abdicare ſe utroq; magiſtratu coegit: propterea q̃ is elatus rebus ſecundis, & bellis aliquot ſuo ductu proſperè geſtis, omnia ſibi arrogaret, ac de principis laude uirtuteq; detraheret: eumq; propinquorũ, neceſſariorũ, et beneficiario rũ ſuorũ multitudine, & gratia populari fretus, contẽneret, couicijs & maledictis inceſſeret, & iam in apertã rebellionẽ euaſurus eſſe uideret. Erat autem uir magni ingenij, lingua manuq; prõptus, & factioſus, Scarbimirus. Cuius aũt gentis fuerit, nõ reperio. Atq; ex eo tẽpore deinceps Caſtellano Cracouienſi, qui longè inferior fuerat, prior in ſenatu locus datus eſt. Hoc tẽpore Maurus epiſcopus Cracouienſis, patria Romanus, mortuus, Radoſſum Polonũ ſucceſſorẽ accepit. Hoc etiã anno, qui fuit à Chriſto nato 1117, Boriuoius Boemus, Henrico imperatore ab Italica expeditione reuertẽte, è cuſtodia dimiſſus, Boleslai opera & arbitrio cũ Vuladislao fratre reconciliatus eſt: partemq; principatus Boemici ab Albi fluuio ad meridiem uergentẽ, ut ſcribit Dlugoſſus, ſecundũ Hagecum aũt ſeptentrionalẽ, in ditionẽ accepit. Nec diu tamẽ firma fratrũ gratia ſtetit, aſſentatoribus impro bis, ut fit, alterum alteri ſuſpectũ & inuiſum reddentibus. Itaq; non multo

Sbigneus fratris miſericordiam implorat & impetrat.

Sbignei faſtus.

Sbignei cædes.

Scarbimirus Palatinus Cracouienſis excæcatus & magiſtratu motus propter arrogantiam.

Caſtellanus Cracouienſis Palatino prælatus.

Radoſſus epiſcopus Cracouienſis.

1117 ann.

Boriuoius Boemus exul reſtitutus, et rurſum profugus.

pòst Boriuoius à Vuladislao sibi metuens, solum uertit: & ad Polonos primùm, inde mox ad Vngaros se cõtulit, ibíq; diẽ uitæ clausit extremũ. Per

Vngarorũ excursio in Poloniam.

hęc tẽpora memorat Bonfinius, Stephanũ regẽ Vngarorum, qui aliquanto ante Colomanno patri mortuo successerat, exercitũ in Poloniã immisisse, proptera q̃ Poloni ipsi patríq; ipsius sæpe iniurij fuissent, & latrocinijs atq; incẽdijs fines Vngarię uiolassent: eumq; exercitum longè lateq; grassatum, cuncta ferro & igni uastasse, & abacta ingenti pręda domum redijsse. Cuius rei pręter Bonfiniũ nemo facit mentionẽ. Cum Boemis quidẽ ac duce eorum Vuladislao Stephanũ fortuito prælio cõmissum esse, quod idem Bonfinius subiungit, Hagecius quoq; ac Dlugossus noster prodidere, euẽtu tamen diuerso. Sequenti anno Boleslaus pacatis domi rebus, statuerat

1118 ann.

Prussos & Pomeranos, fractos iã atq; debellatos magna ex parte, ad extremũ perdomare. Verùm imbres anni illius perpetui, & ingens aquarũ uis atq; inundatio, quę neq; seri agros, neq; meti passa est: neque id in Polonia modò, sed in uicinis quoq; regionibus, quiescere eũ coegere. Præcesserat aũt eos imbres tale prodigium, q̃ cœlum totas tres horas post occasũm solis ardere uisum est. Per quod tempus Martinus archiepiscopus Gnesnensis, uenerãdus senex, mortuus, successorẽ sacri collegij suffragijs accepit Iacobũ Znenensem municipẽ. Venit hoc anno in Poloniã Iaroslaus Vuladimiriensium dux, Sbislauę reginę frater, Vulodimiri patrui, qui Kiouiensem principatũ post mortẽ Stopolci fratris occuparat, insidias fugiẽs. Acceptus à Boleslao comiter et humanè, quadriennio cũ eo mansit, dũ Prussico & Pomeranico bello Boleslaus defungitur: quod quidẽ sequenti anno persecutus est, sedatis uentis atq; tempestatibus, quæ post imbres superioris anni coortę, uehemẽtes ac diuturnę fuere. Extremam aũt uastitatem timentes Prussi & Pomerani, iuuentutẽ omnem, opificumq; et agrestiũ multitudinem armarunt, & Boleslao cum exercitu aduenienti occurrerunt, ultimã pręlij fortunã tentaturi, & uiã ipsi ad interiora ditionum suarũ corporibus suis pręclusuri. Nec noster cunctatus est, quin mox cum hoste, quãuis numerosiore, manus cõsereret. Pugnatũ à primis est marte dubio: ibi enim robur omne exercitus sui hostes collocarãt. Vbi cedere ij loco cœpere, immittit Boleslaus perculsis nouas aliquot cohortes, quæ mox totã aciẽ conuertêre. Primis enim partim cæsis, partim perturbatis, reliqua multitudo imbellis in fugã effusa est. Parci iussit Boleslaus fugientibus, ne regio cultoribus prorsus uacua redderet. Itaq; multo plures capti, quàm cæsi: reliqui flore omni iuuẽtutis amisso, cũ oppidis & munitionibus, & rebus suis omnibus Boleslao sese dedidere. Restabat Suentopelcus Nacli præfectus, cuius mentionẽ superius fecimus: qui dominãdi cupiditate ductus, minus erat dicto audiẽs Boleslao, & cũ Pomeranis hostibus Polonorũ societatem iniuerat. Hic perfidię suę sibi conscius cum ueniã desperaret, obstinatius in rebellione permanebat, Naclumq; armis, propugnaculis, et cõmeatu bene munierat. Motis igitur castris Boleslaus Naclũ obsidere cœpit, ad sextum Idus Septemb. Tentabat principis animũ Suẽtopelcus per internuncios, culpã deprecabatur, pecuniã & obsides pollicebatur. Sed surda hæc aure Boleslaus accipiebat, eo q̃ pessimi exempli facinus nolebat impunitũ relinquere: & uulnere, sagittę iactu, è mœnibus accepto iritatus erat. Sed cũ

Iacobus archiepiscopus Gnesnensis.

Iaroslaus Russorum dux ad Polonos confugit cum uxore & liberis.

Pomeranicum bellum.

Boleslai uictoria.

Suentopelcus rebellis Boleslao.

paratio-

paratiores quàm initiò crediderat, ad perferendam obsidionem hostes, oppugnationē aūt oppidi, eo præsertim anni tempore, perdifficilem esse animaduerteret: fremeret uerò exercitus, ne hyberno quidē tempore militiæ uacationē sibi cōcedi, nec solū cum hostibus, uerùm etiā cum frigore, procellis, & niuibus se cōflictari: tandē negatam diu ueniā dat Suentopelco & Naclensibus: pecuniā & obsides imperat: fuitq́ꝫ inter obsides Suentopelci filius. His peractis, dimittit Boleslaus exercitū circa Calend. Ianuarij. Verùm ęstate proxima, noua Suentopelci et Naclensiū defectione permotus, non iam cum totis Polonię uiribus, sed cū euocatis haud ita multis raptim in Pomeraniā contēdit. Iam enim domiti pleriq́ꝫ omnes reliqui Pomerani erāt, neq́ꝫ cū Suentopelco sentiebāt. Adueniēs Vissegradū, arcē et oppidū, quod à Suētopelci pręsidio tenebat, sextodecimo die expugnat & capit: & octo dies ibi, ut ęgrotos & saucios reficeret, cōmoratus, ad Naclū duxit. In itinere quędā oppida primo impetu cępit. Naclū post superioris anni obsidionē melius etiā munitum, & cōmeatu refertū erat, et Suentopelci pręsentia & industria magnū momentū oppidanis ad resistendū principi afferebat. Itaq́ꝫ plus ibi negocij, quàm putarat, reperit Boleslaus: eoq́ꝫ maiore studio & conatu ad expugnationē eius cœpit intendere. Turres oppidi mœnibus altiores excitauit, expletisq́ꝫ fossis ad oppidū admouit, defensoresq́ꝫ mœnium balistis, catapultis, & scorpionibus è propugnaculis summouebat. Nec segnius oppidani uim nostrorū sustinebāt, & uel de superiob. locis saxis, aqua, & pice feruenti eos qui propius successerāt, propellebāt: uel apertis portis in eos, operibus & materię cōportandę intētos, erūpebant. Et quidē nō sine magno operęprecio. Obseruata enim nostrorū negligentia, & uenti opportunitate, cōiectaq́ꝫ magna ui sarmentorū, butyri, picis, laridi & olei, ter turres nostrorū exusserunt: cū Boleslaus prioribus conflagratis, maxima celeritate nouas subinde excitaret. Quartę tamen acerrimè defensę ab incendio, & maiore militū cōtentione promotę, nequicquā prohibētibus hostibus, mœnibus adhæsere. Inde nostri cominus hastis atque gladijs rē gerentes, oppidanos è propugnaculis deiecere, & ipsi in oppidū transcēdere cœpere. Obstinatè tamē hostes ad eum locū cōglobati resistebāt, neq́ꝫ cōsistere nostros in mœnibus patiebant. Pacē deinde à Boleslao postulant, ut excedere ipsis oppido et facultates suas omnes efferre liceret. Vbi id negatū est, inducias aliquot dierū petunt: cum ne eæ quidē concederentur, tandē desperatis rebus, uitā modò pacti, oppidū & Suentopelcum ducē dedunt: quē Boleslaus mox perpetuo carceri mancipauit. Naclo recepto, cuncta Pomerania, ut uult Dlugossus, in potestatē Polonorū uenit: religionemq́ꝫ Christianā bis antè susceptā, & bis rursus repudiatam, cū Varcislao duce, tunc demū authore Boleslao Polonorum principe, sicut ab Alberto Crantio memorię proditum est, tertiùm recepit, & hucusq́ꝫ retinet. Boleslaus pacata omni Pomerania, dimissoq́ꝫ exercitu reuersus in Poloniā, sequenti anno nuptias Vuladislao filio, cum Cristina Henrici Imperatoris filia, qui tunc demū ambo puberes facti erāt, maximo apparatu fecit, quib. Stephanus rex Vngarię, Boleslai gener, cū magno procerū Vngarorū comitatu, & Russorum quidam duces interfuere. Interfuit & Boriuoius Boemus: itemq́ꝫ Iaroslaus Vuladimiriensiū dux, affinis Boleslai, uterq́ꝫ fuga salutem

Suentopelci deditio, & noua rebellio.

Vissegradū captum.

Naclum oppugnatum & captum.

Machinæ incensæ à Naclensibus.

Suentopelcus in carcere perijt.

Pomerania citerior subacta à Polonis, & Christiana facta.

Vuladislai ducis Polo. cum Cristina Henrici imperatoris filia nuptiæ.

1122 ann. lutem sibi quærens, quemadmodum paulo antè memorauimus. Exacto aũt post eas nuptias anno, Adleida Boleslai uxor, post decẽ annorum sterilitatem, filiũ Cazimirum peperit. Eodẽ quoq; anno Volodor Præmislien

Cazimirus filius Boleslao natus.

sium dux, cum sępe latrocinantiũ in morẽ prędas è Polonia ageret, nec desisteret, admonitus à nostris apud Vyssokie profligatus, captus, & ad Bole

Volodor Præmisliensiũ dux captus, ac dimissus.

slaum adductus, uicies mille pondo, siue marcis argẽti sese redemit. Fuit etiam eodẽ anno magna caritas annonę, arefactis segetibus perpetuo trium

Annonæ caritas.

mensiũ uernorũ æstu & siccitate. Insequenti anno Vuladislaus Boemorũ et Sobeslaus Morauorũ duces, fratres germani, ad iurgia, testatasq; rursus

Sobeslai Boemi fuga in Poloniam.

uenere inimicitias, cùm propter alias causas, tũ propter Boriuoiũ tertium fratrẽ exulem. Quinetiã coactis utrinq; copijs præliũ inter se cõmisere. In

Ruſsicũ bellũ.

quo uictus Sobeslaus, ad Cæsarẽ: atq; inde, cum nihil æqui ibi impetraret, ad Boleslaum in Poloniã rursus confugit. Et comiter quidẽ eum tunc Bole slaus accepit, & consolatus est: sed auxiliũ tamen distulit, propter Rusicã expeditionẽ, quam Iaroslai affinis sui exulis causa susceperat. Quam cũ pro sequeret, coniunxit se cum eo apud Pręmisliã Colomannus dux, Stephani Vngarorũ regis frater, qui & ipse cum non contẽnendis copijs, reducendi Iaroslai causa ueniebat: itemq; Volodor et Basilius Pręmislienſium duces, et Vuladimirus alterius cuiusdã Volodori filius. Itaq; cõmunibus armis et

Belzum. Ciruenum. Vuladimiria dedita.

cõsilijs à Polonis, Vngaris, & Rusis illud bellũ gerebat. Breuiq; Belzum, Ciruenum & Vuladimiria arces, & quędam alię ignobiles munitiones uel expugnatę, uel deditę, in potestatẽ Iaroslai uenere. Inde ad Kiouiã Rusſorũ metropolim itum est. Præcedebat aũt Iaroslaus exercitũ, cum septẽ millibus equitum ab Vngaris & Polonis attributorũ. Qui ubi Kiouię propinquauit, obuiũ habuit ex urbe hostilẽ exercitum pedestrẽ, cum quo conserta pugna superior esse uidebat: sed summisere suis oppidani subsidiũ: itaq; instauratũ est prælium: Iaroslaus dum inter primos pugnã ciet, confosso ab hostibus equo, in terrã excussus est. Acre circa eum certamẽ fit, hinc Kioui

Iaroslaus Russus interfectus.

ensibus opprimere, inde Polonis & Vngaris eripere eum satagentibus. Cedunt tandẽ Rusi, & in urbẽ se recipiunt. Iaroslaus saucius relatus, paucis dieb. mortuus est. Nihilo tamẽ minus Vngarus & Polonus Kiouiã obsidere pergunt. Sed nõ multo pòst re infecta discessere, pace data Kiouiẽsibus:

Rußis pax data.

orantibus Rusis, qui in castris nostrorũ militabant, & Andrea præfecto arcis Kiouiensis. Nam princeps ipse Vuladimirus iam inde ab initio in ulteriorẽ Rusiã se receperat, neq; mœnibus neq; fidei Kiouiensium sese credens. Aliquanto aliter hęc Vngarorum habent historiæ. Bezen eæ uocant principẽ, cui hæc opera à Stephano rege, qui nullũ fratrẽ habuerit, nauata sit: nec ullã in ea nostrorũ expeditione mentionẽ faciunt. Suos, occiso (quẽadmodũ & nos exposuimus) eo qui reducebat, murmure ac tumultu contra regem concitato, q; magna strage primo illo prędio fusi essent, & cũ periculo expugnare metropolim Russorũ iuberent, conuersis subitò signis, nec ulla re cum hoste cõstituta, in Vngariã reuertisse memorãt. Poloniam quoq; iterũ ab eodem rege per legatos uexatã uastatamq; narrant. Quod nobis non admodũ fit uerisimile, propterea q; necessitudo & affinitas Stephani cum Boleslao, nihil hostile de ipsis inter ipsos opinari sinit. Et ut fuerit tam ferus, & immemor non solũ humanitatis, uerùm etiã necessitudinũ

Stepha-

Stephanus,quàm fuisse fertur:Boleslaus quidē noster tām ignauus & pati ens non fuit,ut impunè sua uexari pateretᵉ, præsertim cum alijs bellis tunc non distineretur:ita ut sequenti anno, qui fuit post Christum 1124,nouā in Danos expeditionē susceperit.Est aūt Dania, siue Dacia(nam & ita appel latur) ea regio, quæ Chersonesum Cimbricā,& adiacentes in sinu Baltheo seu Venedico insulas,ultra mare uerò magnā partē alterius Chersonesi ma ximę,& ueteribus Cosmographis incognitę,quę ad Moschiā siue Mosco uiā angustis faucibus cōtinēti iuncta est,complectit: nam reliquum eiusdē Chersonesi,Suetiam & Noruegiā, duo ampla regna continet,illustrata nu per Olai Gothi,archiepiscopi Vpsalensis(quē nos Romę nuper,cū legatio ne apud Paulū tertium pontif.max.Sigismundi senioris regis nomine fun geremur,cognouimus) descriptione: à quo etiā Gothicam historiā fratris eius Ioannis,qui & ipse Vpsalensis archiepiscopus, post diuturnū exilium Romę mortuus est,expectamus.Sed ad institutū reuertamur. Causa uero expeditionis Danicę Boleslao fuit,Petrus, clara & illustri apud Danos or tus familia:qui cū se iuuenis in aulā Boleslai,quæ tunc longè florebat apud exteros gloria rei bellicæ,contulisset,magna ingenij dexteritate,industria, uirtute,officio & suauitate morū,adhęc cōmendatione regis Danorū,citò se in gratiam & amicitiā Boleslai insinuauit, ita ut postea multis magnisq; possessionib.& in primis comitatu Scrinnēsi,& uxore illustri è genere du cum Russię,quę Sbislauā priorē Boleslai coniugē cognatione attingebat, ab eo cohonestaretᵉ.Perdidicerat aūt linguam Polonicā, & ita se ad mores Polonorū accōmodabat,ut nemo tāta illa bona externo homini inuideret. Pater uerò eius Guilelmus,cui Suētoslao nomē nostri dedere, facilè prin ceps erat procerū Danię,et plurimū ualebat gratia apud Henricū regē Da norum, prefectus ab eo maximis quibusq; regni negocijs. Cum aūt regem Abelus frater occidissetᵉ,regnumq; inuasissetᵉ, habebat in potestate sua the saurū regium ingentē pater Petri.Certiorē is filiū facit rerum Danicarū: ad monet,ut cū aliquanto prędidio militū ueniēs,thesaurū illū auferat, potius quàm ut is ad manus crudelissimi parricidę, et inuisi omnib.suis tyrāni per ueniat.Refert ea de re ad Boleslaū principē Petrus.Polliceᵉtᵉ is nō grauatim opē suā,cùm ut homini de se bene merenti gratificaretur,tū q; ea expeditio ne et opes Polonię augere,& nominis sui gloriā trās mare etiā, & ad extre mos Septēriones proferre & propagare cupiebat. Itaq; classe apud Gda stributoq; in milites donatiuo , cū primùm per anni tēpus rectè potuit,na nes cōscēdit:& cōmoda tēpestate usus,improuisus in primo litore Danię, ad q̄d classis appulerat,nemine prohibente copias exposuit:dimissisq; cir cū proceres et nobiliores Danos nunc̄js,per familiares & ministros Petri ac patris eius,omniū Danorū uoluntates facile sibi ædiūxit:cū profiteretᵉ se ulciscēdi parricidę tyrāni,& uindicādę libertatis Danorū causa adueniss̄e. Tyrānus desertus à suis,profugit.Boleslaus facilè potitus omni Dania,mu nitiones Danis reddidit:regē eos,quē uelint,creare sibi iussit. Confectis & cōstitutis rebus omnib.thesaurū eo oēm Petri cognationē secū auexit:& se cunda nauigatione usus,paucis dieb.in Poloniā reuersus est.Fertur aūt suc cessu tēporis hic Petrus 77.tēpla diuersis in locis in Polonia de secto lapide extruxisse

1124 ann.

Daniæ descriptio.

Olaus & Ioannes Magni, fratres, Archiepiscopi Vpsalenses.

Petrus Dunimus.

In Daniam Boleslai expeditio, & successus eius.

Petri Dunini opera.

extruxiſſe ac dotaſſe, quorum pleraq; adhuc extãt: itemq; duo monaſteria,
Præmonſtratẽſes monachi. iis qui ſe Præmonſtratenſes uocant, qui tunc primùm extiterũt: alterũ quidem puellis in Vuladislauiẽſi diœceſi, in Chalino pago, quod poſtea Strelnũ traſtulit: alterũ uerò uiris, in ſuburbanis Vuratislauiẽſibus, titulo ſancti
Vuratislauienſes monaſteriũ S. Vincentij demoliti. Vincẽtij, quod Vuratislauiẽſes noſtra memoria prætextu metus Turcarũ demoliti ſunt. Florẽt adhuc in Polonia huius ipſius Petri poſteri, cygno in
Labencia familia. rubro ſcuto inſigni utẽtes, indeq; Labenciorũ nomẽ habet ea familia. Interim dũ Boleslaus Danicã expeditionẽ obit, Volodor Præmiſlienſiũ dux,
Ruſsicũ bellũ. cum abeſſe eũ cõperiſſet, immemor fœderũ & iuriſiurandi, quod Boleslao
Biezz oppidũ. Kiouiæ dederat, miſso Volodimiro filio cũ exercitu, uicinã ſibi Poloniam
præſidio uacuã, cædibus & incẽdijs uaſtauit, uſq; ad Biezzũ oppidũ, ingentemq; pecudũ iumentorum & hominũ prædã abegit. Itaq; reuerſus à Danica expeditione Boleslaus, & hyeme illa quieti militũ data, inſequẽti æſtate bellũ Volodoro fecit. Adueniẽti occurrit impigrè Volodor, cũ non cõtemnendis ſuorũ copijs, & aliorũ Ruſſorum principum auxilijs, uaſtitatẽ
Ruſsi uicti à Polonis. ſuarũ ditionum prohibiturus. Cui fecit mox Boleslaus pugnandi copiam, nec ille detrectauit. conſerunt manus: ſed uix primum noſtrorũ impetum Ruſsi ſuſtinuere: mox in fugã acti, nequicquã reuocante Volodoro, diuerſi dilapſi ſunt: caſtra fugientiũ à noſtris direpta. Cecidere de Ruſsis in eo prælio & in fuga multi fortes & inſignes uiri: inter quos præſtabãt, Nauorotnicus et Sazithnicus. Dux Volodor Haliciã fugit, ibi uires reparaturus. Poſt
Cracouia conflagrauit. victoriã Boleslaus liberius hoſtiles regiones diuexauit ac depopulatus eſt, uicemq; Ruſsis cũ fœnore reddidit: citoq; deduxit exercitum, nulla munitionum expugnatione tentata propter urgentem hyemem, quæ ſæuiſsima ac diuturna eo anno fuit. Cracouia urbs eo anno penitus conflagrauit: incertũ, fortuitone incẽdio, an à Boemis clàm ſubornato, propter receptũ Sobeslaũ exulẽ: cui Boemiã eodẽ anno repetenti (propterea q; Vuladislaum fratrẽ rerum Boemicarũ tunc potientẽ, periculoſe ægrotare acceperat) Boleslaus pecuniã et milites liberaliter ſuppeditauit. Et redintegrata quidem
Sobeslaus Boe. princeps. pax eſt inter fratres, Suatana matre interueniẽte. Verùm paucis illis dieb. Vuladislaus extremũ clauſit diẽ: eiq; Sobeslaus in principatu, procerũ & populi fauore ſucceſsit. Quod moleſtè ferens Otto Marchio Morauię, cũ
Lotharius Cæſar. ipſe Sobeslai uiribus impar eſſet, Lotharij Cęſaris, qui Hẽrico quinto paulo antè uita defuncto ſucceſſor deſignatus erat, opem implorauit. Ac dedit
1126 ann. quidẽ Lotharius Saxonibus ſuis negociũ inſequẽti anno, ut eũ in Boemorum principatũ inducerent: uerùm is exercitus apud Chlumeciũ oppidum
Saxones profligati à Boemis Boemię, à Sobeslao profligatus eſt. Vbi Otto etiã cecidit: Sobeslaus uerò cum Cæſare, cui grauius tunc à Conrado Sueuorũ duce, Henrici defuncti ſororis filio, & ipſo ad imperiũ adſpirãte, bellũ imminebat, in gratiã redijt,
Sobeslai crudelitas. & impotẽtius dominari Boemis cœpit. Fratrũ enim filios, & proceres nõ-
Ruſſorum excurſio in Poloniam. nullos in carcerẽ cõiecit. Hoc ipſo aũt anno Volodor Ruſſorũ Præmisliẽſium dux, in medio belli apparatu uita deceſsit. Verùm filij eius Volodimirus & Rocislaus, exercitũ à patre cogi cœptum, nihilo minus ad uaſtãdos Polonorum fines immiſerũt: ſed is pauculis pagis ad Vislocam flumẽ exuſtis, citò ſe domum recepit: non plus habens animorũ, quàm ſui duces, qui ad eam expeditionẽ profecti non erant. Quieuit à bellis eo anno & conſequenti-

quentibus aliquot Boleslaus princeps, cum pleręq; omnes finitimę gentes partim externis alijs, partim ciuilibus bellis distinerentur. Etenim Stephanus Vngarorũ rex cũ Gręcis & affine suo Constantinopolitano imperatore bellum gerebat. Apud Russos Volodimirus et Rocislaus Volodori ducis filij belligerantes inter se, uires eius gẽtis distrahebãt. Ne apud Boemos quidẽ quietæ res erant, quemadmodũ dudũ memorauimus. In Germania uerò & Italia Conradus Sueuus cũ fratre Friderico contra Lothariũ Cæsarem arma sumpserãt, donec uicti ab eo, Bernardi Clareuallensis Abbatis, doctrina, pietate & sanctimonia uitę clari, opera ipsi recõciliati sunt. Rogerius aũt Normannus, Innocentio eius nominis secundo pontifice max. Roma pulso, utriusq; Sicilię regis titulũ primus usurpauit. Quietem igitur nactus Boleslaus, ad religionẽ cultum'q; diuinũ animũ adiecit. Nam basilicã Cracouiensem, humilẽ etiamtum & neglectã, in augustiorẽ formam redegit, excitatis altius muris eius, ac duabus turribus ad latera adiunctis: supellectilẽ quoq; eius ueste preciosa auro'q; & argento facto maiorẽ in modũ auxit. Quin et collegium sacerdotũ siue canonicorũ eius basilicę, uiginti ad ueterẽ numerum adiectis, amplificauit, eis'q; certos pagos & possessiones ipse, Radossus uerò episcopus decimas attribuit: permisit autem pius princeps episcopo ius omne conferendi ea sacerdotia, ipsius arbitratu. Auctus est deinde filio sui nominis Boleslaus: cui quidẽ postea Crispo, à capillorũ figura, cognomentũ fuit. Anno Christi 1128 memorat Dlugossus, Boleslaũ filio suo filiã regis Daniæ cum ampla dote uxorẽ accepisse. Sed qui' nam is filius fuerit, ille nõ meminit, nec nos cõijcere possumus. Nam Vuladislaus quidẽ natu maximus è Sbislaua susceptus, habebat Cristinam uxorẽ superstitem. Cazimirus aũt uix septimũ tunc annum attigerat. Saxo quidẽ Danicę historię scriptor, quẽ sequitur Albertus Crantius, memorię prodidit, Boleslaũ Polonorum principẽ Magno Nicolai regis Danorum filio, filiã suam per internuncios desponsam in matrimoniũ collocasse, eam'q; cum exercitu et classe instructa in Pomeraniã deduxisse: eó dẽ Nicolaũ regem & ipsum naualibus copijs instructũ, occurrisse: coniunctis'q; copijs Iulinũ urbem insignẽ & uetustam eos expugnasse, & Varcislao duci Pomeranorũ cõmuni hosti pacẽ petenti dedisse: inde Nicolaũ sponsam filij secum deduxisse. In Daniã uerò expeditionis Boleslai neuter facit mentionẽ. Post hęc Boleslaus, quãuis magnis in ornatũ templorũ, & in alimenta sacerdotum atq; egenorũ impendijs atq; donationibus, iugi'q; precatiõe & lachrymis, & aspero tenui'q; uictu & cultu corporis, cilicio pro ueste utens, & cinere sese aspergens, ęgrotorum'q; mendicorũ pedes subinde manib. suis abluẽs, admissum in Sbigneum fratrem facinus sedulò expiaret, cum alijs satisfaceret, tamen ipse sibi non satisfaciebat, nisi & laborem longę molestæ'q; peregrinationis adijceret. Itaq; solẽne Christianis quadraginta dierũ ieiunium, pane tantum & aqua gustandis, cilicium indutus cum exegisset, paucis sacerdotibus & alijs pijs hominibus comitatus, ad Ægidij tutelaris diui sui sepulchrum, peregrinationem priuati habitu suscepit, atq; id iter magna ex parte nudis pedibus confecit, nullum templum, nullum monasterium, nullum egentium domicilium, neminem deniq; sacerdotẽ aut mendicum pręteriens, quin liberalitatis & munificentiæ quippiam in eum depromeret.

Vngari regis cum imperatore Cõstant. bellum.

Russorum ducum intestinũ dissidium.

Conradi Sueui bellum contra Cæsarẽ Lotharium.

Siciliæ utriusq; primus rex Rogerius.

Cracouiẽsis basilica à Boleslao exornata.

Canonicatus uiginti Cracouiæ additi à Boleslao.

Boleslaus Crispus natus.

1128 ann.

Danorũ regis affinitas cum Boleslao.

Sax. li. 13. Dan. Crant. lib. 3. ca. 29. Vandal.

Iulinum Pomeraniæ expugnatum.

Boleslaus pœnas de se ipse sumit interfecti fratris.

Peregrinatio Boleslai in Narbonensem prouinciam.

Quinde-

Quindecim dies apud diui ſepulchrū ieiunijs & ſupplicationibus uacans, cōmoratus, cū in Poloniā reuertiſſet, & reliquum illius anni tempus quieti dediſſet, uere proximo in Vngariā ad diui Stephani ſepulchrū alterā peregrinationē inſtituit: eaq; religioſe & pedeſtri itē itinere obita, & quidē nō ſine moleſtia, propterea q; ſplendidè & honorificè contra animi ſui ſententiam, à Stephano rege, genero ſuo, et à primoribus Vngaris acciperetur ac deduceretur. Gneſnam etiam adijt, ad diui Adalberti reliquias, paulo antè Iacobi Archiepiſcopi opera in propatulū prolatas è latebris, in quibus diu poſt captū & uaſtatū à Boemis, exulante Cazimiro rege, id oppidū, paucis conſcijs delituerant: & octoginta pondo auri et multas gēmas in urnā diui contulit. His peractis, non ita multo pòſt Cazimirum filiū immatura morte defunctū amiſit. uerùm eum mœrorē uiri, mox uxor alio filio edito mitigauit, cui Miezislao nomen inditū: ſenisq; cognomen poſtea puero, propter grauitatē morum & prudentiā, additū eſt. Alium item ſequenti anno enixa eſt, qui aui materni & auunculi Cęſarum nomine, Henricus appellatus eſt. Quo quidē anno Boleslaus expeditionē in Vngariā fecit, ut nepotes ſuos, quēadmodū Dlugoſſus memorat, Stephani regis filios, exules cū matre reduceret. Nam obierat Stephanus rex anno ſuperiori, & Vngari Belam cæcum, quem Colomannus rex patruus unà cū Almo patre excæcauerat, regem ſibi, præteritis Stephani liberis, creauerant. Ii ergo paterno regno fruſtrati, & uitę præterea ſuæ à nouo rege, quamuis propinquo, metuentes, in Poloniā ad Boleslaū auum confugerant. Motus eorum precibus & calamitate Boleslaus, cum ualido exercitu, & euocatis ex fœdere Ruſſorum auxilijs, in Vngariā cōtendit. Occurrit ei in Scepuſienſi territorio, cum magnis Vngarorū et Auſtriorū copijs, Albertus, Marchio ſuperioris Pannoniæ, ſiue Auſtriæ, cum quo ſoror Belæ regis nupta erat. Committitur durū prælium. Tandem uirtutē & conſtantia noſtrorū, ac ducis ſolerti diligentia, in fugam agunt aduerſarij: nec longius eos fugientes noſtri perſecuti ſunt. ita enim à principe præceptū erat. Duxit deinde ad Budam metropolim Boleslaus: ſed in itinere certior fit, Sobeslaū Boemū in gratiā Vngarorū, excurſionē in Poloniā feciſſe, & Vuratislauienſem tractum ferro et igni uaſtare. Aduocato caſtrenſi conſilio, conſulitur in mediū, quid facto opus ſit: uicitq; ea ſententia, quæ propria defendēda potius, quàm aliena appetēda eſſe cēſebat. Itaq; intermiſſo in preſens Vngarico bello, Boleslaus magnis itinerib. aduerſus Boemū ſua inuadentē rectà per Morauiā contendit. Verùm Boemus cognito Boleslai aduentu, domū ſe cū præda raptim recepit: nec anni tēpus ſpaciū noſtris dabat, ingratū & perfidū hoſtē ulciſcendi. Quocirca dimiſit tunc exercitū Boleslaus. Cæterùm æſtate quę cōſecuta eſt, parantē eū in Boemos arma, magnis precibus expugnāt exules Vngari, qui ad Stephani liberorū partes multi indies perfugiebāt, ut cœptā potius in Vngariā expeditionē proſequeret. Itaq; Vuratislauienſi conuētu & comitatu omni preſidio ad tutandos fines ſuos aduerſus tūm Boemorū relicto, cum reliquis copijs et auxiliaribus Ruſsis Vngariam ingreditur, & nemine magnopere reſiſtente, atq; adeò cōpluribus Vngaris cum eo ſe cōiungentibus, ad Viſſegradū, quò Bela ſe receperat, contendit. Interim cognoſcit, Boemos maiore ui Sileſiā rurſus, cedentibus ſuis, qui relicti

In Vngariam.

Gneſnam.

S. Adalberti reliquiæ è latebris erutæ.

Donarium Boleslai templo Gneſnen.

Miezislaus filius Boleslao natus.

1132 ann.

Henricus Boleslai filius.

In Vngariā expeditio Boleslai.

Bela cæcus rex Vngarorum.

Albertus Marchio Auſtriæ.

Sileſiam depopulantur Boemi.

Boleslaus ex Vngaria in Sileſiam cum exercitu contendit.

Boleslaus iterū in Vngariā ducit exercitum.

Sileſia iterum uexata à Boemis.

licti erant in præsidio, nec sustinere uim hostiũ ualentibus, crudeliter diuexare. Itaq; omissis iterũ Vngaris, transmissisq; celeriter montibus atq; syluis, qui Morauiã ab Vngaria disterminant, magnã Morauię partẽ, ut par pari referret, depopulatus est: uastatisq; agris, et abacta ingẽti prẽda, in Poloniam reuertit. nec deinceps reductionẽ nepotum & Vngarorũ exulum tẽtauit, ne maiorẽ quàm pro uiribus belli molem in se attraheret: eo quòd accepisset, Lotharium imperatorẽ magnis precibus & munerib. à Bela rege inuitatum, opem suam illi promisisse. Aliter hęc ab Vngaricarum rerũ scriptoribus narrant. Negant illi Stephanum regem ullos liberos reliquisse, nec Polonæ uxoris eius mentionẽ ullam faciunt: sed Borichum ex Russa Colomanni regis uxore natum, siue is uerè Colomanni filius fuerit, siue ex adulterio susceptus, pro Colomanni filio sit habitus: eum inquã, post Stephani mortem à Polonorũ & Russorum principibus adiutũ, quasi hæreditarium regnum Vngarorum armis repetiuisse. Nec tamen Polonos atque Russos eo bello ad prælij dimicationem uenisse. Sed amica Belæ regis legatione & postulatione motos, deserto Boricho, uti notho, populariter domos reuertisse. Paucos uoluntarios, qui cum Boricho manserant, ab aduersarijs profligatos, & in his fratrẽ comitis Cracouiensis (sic enim illi habẽt) captũ esse. Horum utrũ uerius sit, legentiũ esto iudicium. Insequẽti anno Boleslaus iniurias Boemorũ quàm cumulatissimè ultum ire cupiens, ualidis suorũ, & auxiliariorum Russorum copijs Boemiã longè latéq; usq; ad Albim flumen, ferro et incendijs omnia miscẽs, peragrauit. Nam Boemus, quãuis iustum & ipse haberet exercitũ, nusquã tamen cum nostris aperto marte cõgredi ausus est. Verùm ex insidijs in pabulatores Polonos, & qui cunq; ab uniuerso exercitu castrisq; prædabundi excurrerant, impetum faciebat, interim occasionẽ bene gerendę rei captans. Itaq; noster agris, uicis & oppidis hostilib. fœdè uastatis, cum ad pugnã elicere hostem nõ posset, ingenti præda onustum exercitũ reduxit atq; dimisit. Nec multo pòst Boemus citato agmine eam Poloniæ siue Silesiæ oram, quæ ad Odram est, aliquãtisper depopulatus, raptim se inde domũ recepit: ueritus, ne Boleslaus reuocato quem dimiserat exercitu, reditum suũ impediret. Hoc tempore Rutsi cœpere nouas res moliri, eo q; molestè ferrent, assiduo sibi milites et auxilia imperari: & ea fortasis opinione elati, quasi sine se Poloni gerere bella non possent. Author eius consilij Iaropelcus Vuladimiri filius, Kioui ensium princeps erat, qui in cõuentu cęterorũ principum Russię, huiusce modi orationẽ habuisse perhibet. Quàm dura cõditione Polonorũ principi seruiamus, Principes, nõ est necesse pluribus uerbis exponere, nam ut uos, qui ad imperandũ alijs, non ad parendum nati estis, prętream: multitudini quidẽ certè nostrorum hominũ, quę seruituti assueta, sine alieno dominatu rectè uitã degere non potest, tamen quàm acerbus sit istius seruitutis sensus uidetis. Quis autẽ omnino tam patiens est, ut & graue tributum pendere, & in alieno solo procul à patria, nullo suo cõpendio, alieno iussu ductuq; perpetuò militare, & apertis periculis obijci se, aliumq; expertem periculi laborum & uulnerum suorum pręmia tollere, æquo animo ferat? Sed fuerit hoc maiorũ nostrorũ, qui pernicioſa ambitione & intestinis dissidijs hoc malũ sibi accersiuerunt, & florentissimũ imperiũ fœda seruitute

Morauia uastatur à Polonis.

Vngarorum historia.

1134. ann. Boemicum bellum.

Silesiam depopulantur Boemi.

Rutsorum à Polonis defectio.

Iaropelci oratio ad Rutsos suos.

Seruitutis incommoda.

commutarunt, nullum' ne nos quęremus eius mali exitum? Ego uerò honestè mori, quàm turpiter seruire malim, principes: idemq; de uobis iudico. Subdiderunt colla iugo maiores nostri, suis magis quàm Polonorũ armis uicti, cũ ciuili & parricidiali bello mutuò se afflixissent, & alij contra alios Polonorũ opẽ, suo iuxtà ac aduersariorũ malo, imploràssent: hostes experti, quos in auxiliũ aduocarant. Nos cõiuncti & cõcordes id iugũ non excutiemus? Quasi uerò non magis nos, quàm Boemi & Vngari, atq; adeò ipsi impotentes domini nostri Poloni, multitudine & uirib. abũdemus. Quòd si bene ij rem gerunt aduersus Vngaros & Boemos, nostrũ id est totũ: nostris illi uiribus ualent, nõ suis: nostra iuuentus primos et acerrimos hostiũ impetus sustinet, illi sibi cauẽt post principia. Quod si ullũ unquã fuit tempus, quo asserere nos nullo negocio in libertatẽ possemus, nunc certè id nobis fortuna, siue adeò Deus, qui sanctius & rectius à nobis quàm ab illis colitur, obtulit, cum Poloni maximis duob. bellis Vngarico & Boemico distinentur: quorũ neutri sanè pares erũt, si nostra ipsis auxilia detrahamus. tantũ abest, ut nostra pręterea arma sustineãt. Ego uerò, principes, nõ tam ad certam libertatẽ, quàm ad uictoriã & amplissimũ imperium uos uoco, si uiri esse pergitis. Illi nobis seruierint, nobisq; militauerint, quę nos dudũ ipsis pręstitimus, si uos uolueritis. Et habemus sanè cùm ad omnia obsequẽtem, tum odio durę seruitutis & Polonici nominis inflammatã multitudinem. Videte modò, ne studiũ illi uestrũ ductusq; defuisse uideatur. Assensi sunt omnes Iaropelco: obstringunt sese mutuo iureiurando. Consultat de apparatu, & de initio belli faciẽdi. Placuit tandẽ, celari ac dissimulari id cõsilium ad tempus, dum quæ opportuna ac necessaria essent ad tãtum bellũ comparantur. Permanauit fortè ea res, ut sunt Russorũ fluxa & infida ingenia, ad Boleslaũ: conturbabat eum illa alieno suo tempore constituta rebellio: q; ad duo maxima bella tertiũ non minus, nec scio an maius, ipsi accedebat. Cõuocat senatum: exponit de intempestiua Russorũ defectione: dicuntur sententiæ, ibi inter alios proceres Petrus Vuloſtouicius, comes Xanſenſis, uir magni ingenij & consilij, in eam sententiã uerba fecit, ut diceret nõ maximo negocio nascentẽ rebellionem opprimi posse, si caput eius rebellionis Iaropelcus amputetur. Id arte facilius esse factu, quàm apertis armis: nec dedecere, si dolo perfidia uindicetur. ad eamq; rem operam suã pollicetur: cętera quietos esse iubet. Inde paucis fidis comitibus, neq; tamẽ consilij conscijs, assumptis, in Rusiã ad Iaropelcum proficiscitur. Exilium & fugam simulat, Boleslai crudelitatem in se & graues iniurias incusat: fugæ perfugium, tutumq; latibulum à Iaropelco, de cuius humanitate & uirtute multa audiuerit, petit: addit multa de impotentia et sæuitia Boleslai in omne genus hominum, quib. rebus, suis exosus factus sit. Pergratus fuit aduentus Petri Iaropelco, pergrata oratio: gaudebat diuinitùs sibi oblatum consilij sui adstipulatorem & adiutorem: multa de Boleslao, & statu rerũ Polonicarũ quęrit, nonnihil etiam de defectione sua significat. Accommodabat Petrus responsa sua ad illius uoluntatem, approbabat consiliũ. Quibus rebus fidem sibi adstruxit apud eum, et in intimam eius familiaritatem sese insinuauit. Itaq; Iaropelcus communicato cum cęteris principibus cõsilio, maturare rebellionẽ statuit. Rus fortè secesserat cum paruo comitatu:

secutus

Rusſi quomodo ſubacti à Polonis.

Ruſſorũ uires.

Occaſio recuperandæ libertatis.

Ruſſorum ingenium.

Petri Vuloſtouicij conſiliũ.

secutus erat & Petrus: qui obseruata bene gerendæ rei occasione, Iaropelcum cum paucis prandentem, signo dato comitibus suis, cõprehendit, cõstringit: & equo impositũ celeriter, dispositis prius per loca equis & nauibus, auehit, & incolumis ad Boleslauũ perduxit. Collaudauit fidem, studiũ & operã Petri Boleslaus, & peramplis eum muneribus ornauit, Iaropelcũ uerò custodiæ tradidit. Vnde intra uertentẽ annũ, maximo auri & argenti pondere à Basilisco, siue Vasilco, fratris sui filio redemptus, ad principatũ suum data Boleslao fide reuersus est: in qua tamen fallenda, patrio indulsit ingenio. Nam cum aperta ui imparem se esse Boleslao cerneret, ad dolos animum conuertit, ut par pari referret. Vngarum quempiam, hominẽ non ignobilem, cæterũ uafrum atq; callidũ, subornauit, qui pro perfuga ob defensas Stephani liberorũ partes, ad Boleslaum delatus, captata occasione, uel uitam eius peteret, uel insigni aliqua clade Polonos afficeret. Qui quidem industria sua & eloquentia, & bene assimulatis ad tempus officijs, ita se in amicitiã credulí principis breui tempore insinuauit, ut ad consilia, quę habebantur de repub. adhiberetur, ac præfectura Vislicíensi donaretur. Cum sedatos penitus Russicos motus Boleslaus existimaret, maiore apparatu ad Boemicum bellum sese accingebat. Hoc agentem, legati Lotharij Cæsaris Rom. conueniunt: postulant, ut iudicio siue arbitrio Cæsaris potius quàm armis, cum Boemo de iniurijs disceptet: illum Cæsaris esse tributarium: à Cæsare ad æqua omnia coactũ iri, si legatos ad Cęsarem cum summa potestate Boleslaus mitteret: aut si ipse eò proficisci dignaretur, quod quidem futurum esset Cæsari gratissimum. Hoc eo faciebat Lotharius, q̃ in Italiam festinabat, nec uolebat Boemum Polonico bello distineri, quo minus auxilia ex fœdere sibi mitteret. Proficiscitur Boleslaus ipse Bamberg am ad Cæsarem perquàm splendido comitatu. Venerat eodem & Boemus. Tentatur pax inter dissidentes principes: quæ cum coire non posset, tamen ne magis irritatis animis discederent, trium annorũ inducias, instante maximè & orante Cæsare, inter se paciscuntur. Quæ priusquam finitæ sunt, pax perpetua inter Polonos & Boemos, sed post Halicíensem demũ cladem, de qua paulo inferius dicemus, interuenientib. utriusq; gentis proceribus firmata est. Nugatur hic more suo Venceslaus Hagecus, dum hæc non multò aliter enarrat. Cæterùm H. Mutius magis ociosum, quàm tunc fuit, fingit Lotharium. Non tam comiter enim, neq; per legatos eum egisse cum Polonis, sed bellum in eos comparasse: idq; non ut Boemis commodaret, sed q̃ rebellabant Poloni, tributumq; Rom. Imperatori debitum à duodecim annis non pendebant. Eos uerò bellum timentes, ducem suum cum magnis muneribus imperatori obuiã misisse: atq; eum in Saxonia occurrentem, ad Lotharium admissum non esse, nisi prius tributa debita solueret, & iusiurandum daret, se Romano imperatori deinceps dicto audientem fore. Id utrunq; cum ille fecisset, magnaq; insuper dona dedisset, pacem ei datam esse. Huius aũt narrationis penes authorem fides esto. Multum sanè interfuit Lotharij, huiusce modi rumores tunc in uulgus spargi. Ac noster quoq; Dlugossus scribit, Lotharium a Boleslao tributũ Pomeraniæ Rugiæq; nomine, tanquam ad Romanum imperium pertinentium,

Petri Vuloſtouicij audax facinus.

Iaropelcus captus, ac dimissus.

Vngarus perfugam se simulat.

Vngarus præfectus Vislicíensis.

Lotharij Cæsaris legatio ad Boleslaum.

Boleslaus ad Lotharĩ Cæsarẽ profectus.

Polonorũ cum Boemis inducíæ.

Hagecus.

popoſciſſe: uerùm illum negaſſe, quòd eas ſuas prouincias eſſe affirmaret. Ita conſtitutis rebus cum Cæſare, ad Italicam expeditionẽ, pontificemq; reducendum, ac diadema imperiale ab eo accipiendum ſpectante & feſtinante, Boleslaus in Poloniam reuertit. Dum autem is hac de cauſa abeſt à Polonia, Vngarus ille, cuius dudum meminimus, commodã proditionis occaſionem nactus, celeri nuncio Iaropelcum euocat: ad ſextum Idus Februarij ad Viſliciam adeſſe cum expeditis copijs iubet. Eſt autem Viſlicia oppidum nono à Cracouia milliario, in rupe, quam Nidæ amnis reſtagnatio inſulam facit, ſitum: ad quod non niſi per aggerem, nec eum latiſsimum, & pontes ſublicios aditus eſt. Eratq; tunc temporis frequens & populoſum id oppidum, quãquam ne nunc quidem deſertum eſt. Eò igitur Vngarus, de aduentu Ruſſorum certior factus, commigrare uiciniam omnem cum liberis, uxoribus, & facultatibus ſuis iubet. Libenter facit iuſſa plebs pariter & nobilitas, ut ſe ſuaq; loco munito ab hoſtium armis defendat. Adſunt ad condictum tempus Ruſsi: intromittuntur ab Vngaro clàm in oppidum intempeſta nocte: ingentem uulgi, nullo neq; ſexus neq; ætatis diſcrimine aut miſericordia, cædem edunt: oppidum ſuccendunt: nobiliores ac ditiores cum reliqua præda, pecudum in modum curſim abigunt. Proditori Iaropelcus princeps præmij loco linguam præcidit, oculos effodit, genitalia membra abſcidit. Sic ille perfidus dignam ſceleris ſui mercedem tulit. Oderunt enim ferè proditorem principes atque reges, quamuis proditionem ament. Reuerſus autem è Germania Boleslaus, cum de Viſlicienſi excidio, & Iaropelci perfidia didiciſſet, ingentes aduerſus Iaropelcum & Ruſsos iras concipit: cumq; primùm per anni tempus res geri potuere, nõ modò ex nobilitate, uerùm etiam ex oppidanis & agreſtibus magnum cõparauit exercitum: & Ruſsiam fremens, perinde ac leenæ uel urſæ rapto fœtu ſolent, ingreditur. Cum autem nemo ipſi prodiret obuiam (nam Iaropelcus peccati ſimul & uirium ſuarum ſibi conſcius, procul in paludes atque ſyluas ſeſe abdiderat) Vuladimirienſi regione omni & proximis quibuſq; crudeliſsimè uaſtatis, afflictis, & exuſtis, cum ingenti præda reuertit in Poloniam. Irritatus magis quàm fractus ea ſuorum clade & calamitate Iaropelcus, & cæteri Ruſſorum principes, de ratione belli cum Polonis gerendi conſultabant: & in eam ueniebant ſententiam, ut dolis aggrederentur eos, quibus uirtute pares non eſſent. Fortè fortuna optatam eis occaſionem obtulit. Etenim cum comperiſſent Iaroslaum Halicienſium ducem cum Polonis ſentire, & ab eo conſilia ſua prodi, principatu eum eiecere. Itaque in Poloniam is ad Boleslaum confugit. Nec ambigebant Ruſsi, eum à Polonis reductum, & ſe ultum iri: anteuertendos & fallendos ſibi eos eſſe iudicant, ut pacato agmine tanquam in tranquillis rebus uenientes, ex improuiſo opprimerent potius, quàm aperta ui non ſine periculo graue bellum repellerent. Halicienſes ſubornant, ut ſimulato principis ſui deſiderio, à Boleslao petant, ut eum primo quoque tempore reducat: affirment, pœnitere Ruſſos, quòd eum eieciſſent: quippe qui offenſum Boleslaum uehementer metuant: quieturoſq; eos eſſe, & culpam deprecaturos. Faciunt iuſſa Halicienſes; eadem penè confirmant nobiles quidam Vngari,

Viſlicia oppidum.

Viſlicia direpta à Ruſſis, et incenſa.

Proditionis præmium.

Ruſſicũ bellũ.

Vuladimirienſis ora uaſtata.

Iaroslai Halicienſium ducis fuga ad Polonos.

Ruſſorũ fraus.

gari, Halicienſibus finitimi, ab ijſdem principibus ad aſtruendam & perficiendam inſtitutam fraudem conducti & ſummiſsi. Habuit dictis fidem Boleslaus, ut erat natura credulus & apertus. Itaque iuſto quidem, ſed minori tamen, quàm pro belli magnitudine & clandeſtino apparatu Ruſſorum, exercitu Iaroslaum reducit, nihil hoſtile ſuſpicatus. Appropinquanti Haliciæ, quod oppidum ad radices Sarmaticorum montium, Vngariam à Ruſsia diuidentium, ſitum, ſalinas habet, primæ Vngarorum turbæ inſtructæ gratulabundæ occurrunt: & præteruectæ noſtros, extremum agmen claudunt: ſubſecuti deinde Halicienſes, idem & ipſi faciunt. Suſpecta ea res eſſe Boleslao cœpit. Accitoq; Vuſeborio palatino Cracouienſi, & magiſtro militiæ, ſuſpicionem ſuam cum eo communicat. Dum hæc illi inter ſe conferunt, ac de euitando periculo & inſidijs conſultant, ecce apparent procul à fronte inſtructæ Ruſſorum acies, quas Iaropelcus citato curſu ducebat. Sublata erat omnis dubitatio. Prę cipitatū ſe in inſidias, et in medio hoſtium concluſum Boleslaus uidebat: & quanquam longè imparem ſe numero hoſtium animaduertebat, tamen qui ſemper ſolitus eſſet uincere, ſatius eſſe ducebat, honeſtè occumbere, quàm fugiendo uictoriam ultrò hoſti concedere. Itaq; inſtructis pro tempore contra utrunq; hoſtem acie- bus, & paucis cohortatus milites, ſigno dato primus in imminentē à fronte hoſtem impetum facit. concurrunt infeſtæ acies: extollitur ad cœlos clamor uirorum, clangor tubarum, & armorum ſtrepitus. Contendunt noſtri de ſalute, Ruſsi de uictoria. Iamq; noſtrorum res, ueterani exercitus uirtute et peritia, meliore loco eſſe incipiebat: ea maximè parte, qua Boleslaus militis pariter & imperatoris officio fungebatur, magnamq; in hoſtibus ſtragem edebat: cum ſubitò perturbatis ordinibus, & fugæ initio à palatino quodam, cuius nomen non memoratur, orto, ſequētibus eum qui proximi ſteterant, magna pars exercitus Polonici in fugam cōiecta eſt. Pugnabat nihilo minus cum paucis, & ijs quidē partim ſaucijs, partim laſsis, Boleslaus: & cum fugere turpe ſibi duceret, nolebat tamen inultus mortem oppetere. Fortè equus cui inſidebat, multis uulneribus confectus atque debilitatus concidit. Ibi miles quidam gregarius, obſcurus, & originarius, ut ait Vincentius, ſubleuatum eum equo ſuo impoſuit, & ut patriæ magis quàm gloriæ ſuæ rationem duceret, fugaq; melioribus ſe rebus ſeruaret, orauit. Sic ille tunc quadragies ſepties uictor princeps (tot enim ſecundis prælijs dimicaſſe memoratur) nobiliſsimi uiri fuga proditus, gregarij militis opera præſenti ſe morti eripuit. Reuerſus in Poloniam, palatino quidem illi fugę principi leporis pellē, colū, & fuſum dono miſit, meticuloſitatē eius & muliebrē animū notans. qua ignominia ille ad uoluntariū ſuſpendiū adactus eſt: militem uerò ſalutis ſuæ authorem (nam & is fortè ſaluus è prælio euaſerat) inſignibus nobilitatis, luculēta pecunia & poſſeſsionibus remuneratus, etiā ad honores amplos & magiſtratus euexit, poſteritatēq; eius omnē nobilitauit. Deinde fiſcū ſuū in redemptionem captiuorum, qui permulti erāt, effudit. Nec tamē omnes redimi potuere: multi barbaris uēditi, in fœda ſeruitute conſenuerunt. Et uehementer quidē angebat animo Boleslaus, ut ſolēt ij qui perpetuò ſecūdis reb. uſi, aduerſo aliquo caſu affliguntur:

Boleslaus credulus.

Haliciæ ſitus.

Ruſſorum cum Polonis prælium.

Boleslai uirtus.

Palatini fuga.

Gregarij militis præclarum facinus.

Boleslai uictoriæ.

Fugæ merces.

Virtutis præmium.

Boleslai excelſus animus.

guntur: pudebatq; & pigebat eum sui ipsius, quòd tantæ illius cladis culpam in se agnoscebat, quippe qui credulus nimium & incircumspectus fuisset. Sed tamen de labe illa delenda, & ulciscendis perfidis Rutsis atque Vngaris, sedulò etiam atque etiam cogitabat. Et quo liberius id faceret, cum Sobeslao Boemorum principe Closci cõuentum egit, pacemq; fecit, arbitris utriusq; populi proceribus. Pudore autem ac dolore stimulantibus, conspectum hominũ & colloquia uitabat. Quę res ei maturauit mortem. Nam ex mœrore illo et anxietate animi, in languorẽ corporis & morbum incidit: qui sensim ingraescens, omnem medicinam renuentem, toto anno lecto affixum, magnopere debilitauit. Nec angorem ac morbum eius natus filius Cazimirus leuauit. Vbi mortem appropinquare sibi sensit, conuocatis proceribus, qui officij causa undique conuenerant, & quatuor filijs adstantibus, de concordia apud eos uerba fecit: partitusq; omnia quæ tunc erant Polonicæ ditionis, inter quatuor filios, principatum & summã rerum penes Vuladislaum natu maximum constituit, cæteros eius authoritatem sequi iussit. In partitione quintum filium, qui superiori anno natus erat, præterierat. Id eũ proceres obliuione fecisse existimabãt. Itaq; admonent, ut ne illum exortem patrimonij relinquat. Respondit princeps; Iam illi quoq; portionem suam esse designatã. Admirantibus cunctis: Non aduertitis, inquit, in curru inter quatuor rotas quintam esse eam partem currus, cui homines insident, & onera imponunt, quæ quidem à rotis sustentatur atque portatur. Eum igitur locum inter quatuor fratres quintus obtinebit, illisq; suo tempore succedet. Diuinitús ne id quod futurum erat, præsciuerit, an ut solent homines ferè instante morte alienati mente diuina re, an uerò discerpere in plures partes principatum noluerit, dicere non habemus. Nec ita multo pòst sacris Christianorum mysterijs ritè procuratus, uita excessit, maximo totius Poloniæ desiderio: cum regnasset post patrem annos triginta sex, uixisset quinquaginta tres. Funus Ploscum solenni pompa elatum, & iuxta patrem conditum est. Fuit autem Boleslaus hic, habitudine corporis satis firma, uegeta, & laborum patiente, colore fusco, statura mediocri: oculi carbunculus morbus ab ineunte adolescentia distorserat, atq; inde Criuousti cognomentum habuit. Animo uerò excelso fuit, & periculorum contemptore: iusti & æqui obseruantissimus: ad iram, gratiam, misericordiam ex æquo pronus: ad credendum perfacilis, quæ res ei multarum aduersitatum, & ad extremum exitij causa fuit. Ad beneficentiam & liberalitatem cùm in omnes, tum præsertim in eos qui in re militari præstabant, promptus: modestia & clementia singulari: laudis & gloriæ cupidus: pacis artium non penitus expers, uerùm belli studijs longè præstantior: ad quæ à teneris, quod aiunt, unguiculis toto animo ferebatur. Hinc omnem ferè principatum suum bella gerendò exegit: miles strenuus & audax: dux prouidus, solers, animosus & felix, excepto ultimo illo Halicensi prælio. Obijt autem anno Christi nati 1139, cum eũ Lotharius imperator uno anno anteuertisset: cui Germanorũ principes Conradum ducem Sueuorũ, cuius mentionem superius fecimus, suffecere. Sed nos exitu Boleslai Criousti claudamus hunc librũ: sequẽtes quinq;, secto ac discerpto monstro-

Polonorum fœdus cum Boemis.

Cazimirus filius Boleslao natus.

Polonia diuisa inter Boleslai filios.

Vaticinium Boleslai.

Boleslai mors.

Anni uitæ & regni Boleslai.

Boleslai figura, ingenium, & studia.

Criousti unde dictus.

1139 ann. Lotharij imp. mors.

Conradus Cæsar.

monstrosè in plures principatus imperio, bellisq; ciuilibus dicaturi. Ex his autem proximus, Boleslai filiorum res gestas complectetur.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEXTVS.

VVLADISLAVS SECVNDVS, PRINCEPS.

MORTVO Boleslao, torpor quidam animos hominum occupauit, futurorum malorũ omine, propter sectionem regni, quam testamento Boleslai nucupatam, filij eius flagitabant. Videbant enim omnes, se, qui dudum sub unius imperio florentes & formidabiles cũctis in circuitu uicinis populis fuissent, deinceps discerptis uiribus atq; studijs, quorumuis iniurijæ fore obnoxios. Necq; enim diu cõcordiam inter fratres, constitutionemq; paternam ualere posse, cum infida ferè sit omnis regni societas: neq; contentos illos fore suis sortibus, degustata semel regnandi dulcedine: sed iniustè aliena inuadentes, & uim atq; iniuriam uicissim propulsantes, ciuilibus & parricidialibus armis inter se concursuros esse: quibus necesse esset tam amplam ac florentem dudum rempub. euerti. Itaque aliquandiu triste silentium omnes tenuere, promiscueq; à fratribus imperabat, donec ij diuersa iubendo perturbare omnia cœpere. Tum demum conuentu apud Cracouiam acto, cum flagitatio fratrum, studiaq; & factiones comparatæ, ad unum deferri uniuersam rerum summam non paterentur, nec rectius quicquam in mentem cuiquam ueniret: necessariò Boleslai constitutio approbatur, ut iuuenes certis ac definitis à patre finibus dominarentur: principatus uerò & summa belli, pacisq; authoritas penes natu maximum esset. Partitione regni secundum descriptionem patris facta, Vuladislao quidem natu maximo Cracouiensis, Siradiensis & Lencicensis tractus, itemq; Silesia obtigêre: Boleslao, qui Crispus appellatus est, Masouia & Cuiauia, Culmensisq; ac Dobrinensis tractus: Miezislao Gnesnensis, Posnaniensis, Calisiensis & Pomerania: Henrico Sendomiriensis atq; Lublinensis. Cazimirus uerò infans exors, quemadmodum pater uoluerat, à Vuladislao curandus atque educandus susceptus est. Ita ad suas quisq; ditiones & quasi satrapias discessere, ut Vuladislaum tamen principem agnoscerent, eiusq; maiestatem comiter conseruarent: qui iam sextum ac tricesimum agebat annũ. Nam hæc anno Christi 1140 acta sunt. Extincto uictore ac terrore gentiũ Boleslao Criuousto, mutataq;, uti dixi mus, forma reipubl. non diu uicinorum arma quieuere. Primus omnium Sobeslaus Boemorũ dux, immemor fœderũ, quæ cum eo principe & uniuersa Polonia iurisiurandi religione interposita dudum icerat, nondũ exacto à morte Boleslai anno, Silesiã infesto exercitu longè lateq; populatus est: nec ea prẹda, quamuis magna, contentus, ad subigendam omnẽ eam oram animum adiecit: & quo facilius id faciat, locum opportunum apud uicum Coscenũ inter lacus & paludes munitione & prẹsidio firmare adorit.

Principatus multorũ pernicioſus reip.

Comitia Cracouiæ.

Diuiſio regni Polonici.

Vuladislao ſumma rerum permiſſa.

1140 anno.

Sileſia uexata à Boemis.

Sed

Sed hoc molientẽ uindicta diuina, iusta uiolati fœderis & iurisiurandi ultione perculit. Nam ualida febre correptus, incœpto desistere coactus est: relatusq; Pragã, non multo pòst, inualescente morbo, extinctus est. Ita bellum exoriens repentè inter initia, unius morte sedatũ est. Necq; enim Vuladislaus, Vuladislai regis filius, qui Sobeslao patruo, filijs eius prẽteritis, apud Boemos in principatu succesit, et bello uacare potuit, domesticis motibus prohibitus: nec noster acceptas iniurias, uastationemq; ditionis suæ ulciscì perrexit, ad inferendã, quàm ad propulsandã iniuriã magis spectãs, & inuadendis alienis potius quàm suis defendendis inhians, propterea quòd molestè ferret accisum & mutilatũ principatũ, sibiq; erepta esse duceret ea quæ fratribus patris uoluntate cunctęq; Poloniæ cõsensu cesserant. Ægrum sua sponte eius animũ uxor Cristina, superba, auara & ambitiosa mulier, & quæ Polonos omnes in porcorũ loco habebat: nec eos ad ministerium, ac uix ad conspectũ suum admittebat, Germanis suis impẽdiò delectata, magis etiam inflammauit, q̃ eum præter mores iuraq; gentium ad quartam modò partem principatus detrusum esse dictitaret, qui in uniuersum principatum patri, utpote natu maximus, succedere debuisset: se Cæsaris filiam, Cæsaris neptẽ, ex inclyta familia, cum amplissima dote in spem uniuersi principatus ipsi nupsisse: nunc uerò ad exiguam sortem cum liberis cõmunibus redigi, qui quidem post patris mortẽ ad egestatem, indignã suo genere et ipsorum ordine, redituri essent. Quòd si ille uir esse pergeret, nec à moribus & uirtute paterna degeneraret, breui se uisuram esse domi totum regnum. Patrem eius non tulisse unum fratrem participẽ imperij: ipsum tres ferre? Quartum quoq;, ubi adoleuerit, si sapiat, portionẽ suã repetiturum esse. Summum illud ius & authoritatem monarchiæ umbratilẽ esse: neminẽ ipsi obsecundaturum. Quid si quis reliquorũ fratrum ad summum illum principatum adspiret? Quid si omnes inter se contra unum cõspirent? Tunc uerò nullam ipsi fore spem salutis, nisi in fuga & exilio. Præstare ergo anteuertere, quàm anteuerti. Hæc eadem identidem iterando, querendo, lachrymando, fremẽdo & obiurgando, tandem ad maturandũ impium facinus uirum impulit. Sed ut sub honesto prętextu latẽret scelus: & quo facilius uel adiuuante, uel certè non aduersante multitudine suorũ, cogitata perficeret, senatum conuocat: queritur, Pernicioſam & exitialem esse reipub. partitionem principatus à patre suo institutã, propterea quòd multitudo principum cùm hostes ad inuadendum audaciores, tum ciues ad resistendum infirmiores redderet. cuius rei aliquem iam gustum paruo temporis spacio ipsi fecissent, uexati impunè à Boemis: qui non modò cõmouere se, dum penes unum patrem suum fuit imperium, ausi non essent, uerùmetiam pacis conditiones ab eo accepissent. Necq; uerò diu quietã esse posse ab intestinis discordijs atq; ciuilibus bellis eam rempub. quę à pluribus exæquato dominatu, non certis legibus, sed arbitrio cuiusq; gubernetur. Nec diu maiestatem unius cuiuspiam ab ijs conseruari solere, qui non modò genere, sed uiribus etiam & potentia uni illi pares sẽ esse sentirent. Exemplo esse recenti penè hominum memoria Sbigneũ, qui licet genere impar, tamen q̃ pater eum fratri ex iusta uxore suscepto exæquasset, tantis malis, cladibusq; rempub. inuoluerit, ut eam euersurus omnino fuerit, nisi

Sobeslaus Boemus extinctus.

Vuladislaus Boemorũ princeps.

Vualadislai Polonorum principis ambitio.

Cristina ingenium et mores.

Cristinæ maritum in fratres incitat

Vuladislai principis oratio in senatu.

iusta

iusta fratris indignatio aliquando tamẽ eum de medio sustulisset. Boemos quoq; et Russos uicinos suos nullam aliam ob causam ciuilibus bellis inter se ad excidium penè collidi, quàm q; in multos partita sint eorum imperia. Quocirca uellent, iuberent, ut penes unum se, quem primogeniti prærogatiua cęteris fratribus prętulisset, uerè esset regnũ. Attributurum se esse fratribus aut definitos è fisco suo reditus, aut uerò agros nonnullos & territoria, in quib. illi uitam honestè sustentare queant, nec tamen calcitrandi materiã aut occasionẽ habeant. Multo esse pręstabilius, paucos quosdã incõmodo ac detrimento affici, quàm uniuersos perire. His addit Cristina (aderat enim in senatu, quo minus liberè eius intuitu sentẽtiæ dicerentur) cùm alia quę uidebantur, tum, sic in sua Germania, sic apud alias gentes, quę cultu uitę, ingenijs, & sapientia præcellerent, moribus atq; legibus receptum esse, ut maximus natu in bona paterna succedat, cæteris fratribus paululũ aliquid prę manibus det, unde uiuant: hac spe se Vuladislao nuptui datam esse. Deinde sententias rogati senatores, cũ stupefacti rei nouitate aliquandiu silentium tenuissent, tandem omnes, paucis à Cristina subornatis exceptis, impium & crudele principis consiliũ detestari: orare, monere, ne patris ultimã uoluntatẽ irritam faciat, ne uniuersę Poloniæ consensum aspernetur, ne leges naturę labefaciat. Valde esse dissimile, quod de Sbigneo cõmemoratum sit: illum nothũ fuisse, nec ullo more aut iure in partem principatus admitti debuisse: hos legitima uxore, et quidem Cęsaris filia ortos, exortes paterni dominatus fieri rectè non posse. Illum improbum, impudẽtem, & iam inde ab initio in patrẽ impiũ, extitisse: hos liberalibus ingenijs, honestissimè educatos, summo esse pudore & modestia: æquissimisq; animis ferre, & laturos porrò esse maximi natu fratris principatum. Magis autem consultum esse reip. si plurium ea consilijs & armis coniunctis defendatur, quàm si ex unius iudicio & propugnatione depẽdeat. Non posse cõmodè unum omnia prospicere, nec ad omnes regni partes suis opem ferentem pariter accurrere, nec omnia per se munia principatus obire. Quòd si uicaria cuiusquam opera utendum sit, magis fidum, magisq; beneuolentem esse fratri fratrẽ, quàm extraneũ. His & alijs dictis propemodum ad sanitatẽ reuocata erat mens principis, nisi uiolentior uxoris amor, nocturnęq; eius persuasiões & blanditię, quę plurimũ apud uxorios uiros ualent, tantoq; pestilentiores sunt, quanto plus potest is quẽ superant, prę cipitem eum egissent. Deliberato scelere, tributum siue subsidium pecuniarium fratribus & fraternis ditionibus primùm imperat, ut eorum tentaret patientiã: & si renuerent, iustũ haberet belli ipsis inferẽdi prætextum. Vbi paritum est, deinceps ad intercipienda quæ eorum ditionis essent, animũ conuertit. nec tamen Polonorum, quib. iam suspectus & exosus esse cœperat, quosq; alienos à cupiditate sua esse nouerat, ministerio & militia uti ad eam rem ausus est: sed Russorum, cum quibus materno genere coniungebatur, auxilia clàm acciet, cum his apertè iam in fraternas ditiones grassatur: edicit, ne cuiquam Poloni, præter se, obediant: contumaces aut uinculis, aut uerberibus coercet, aut bonis multat. Nonnullas iam fratrum munitiones & oppida cum pagis adiacentibus, partim per Russos occuparat,

Cristina in se natu.

Primogenitorũ ius apud multas gentes.

Libertas senatus Polonici.

Vxorum suasiones efficaces.

Vuladislaus princeps pecuniam fratribus imperat.

Vuladislaus fratrum possessiones inuadit.

partim in deditionem acceperat, ad florentiorem fortunam uel metu, uel
» (ut est uulgus ferè nouarum rerum, nouorumq; dominorum auidum) de-
fluentibus passim hominibus. Ibi iuuenes impio fratris proposito perspe-
cto, quid faciant porrò cum suis consultant. Animaduertunt à bello ciuili
animos populariũ suorum abhorrere: nec ipsi satis animorũ ad uim fratris
propulsandã habebant, propterea q; & uiribus minus ualebant, & quan-
tum cuiq; fidendũ esset nesciebant. Itaq; ad misericordiã procerum confu-
giunt, paternorũ meritorum, paternę uoluntatis, publicíq; omniũ ordinũ
consensus de partiẽdo imperio ipsos admonent, ipsorũ fidei & protectio-
ni se suaq; cõmendant. Ad fratrẽ etiam proficiscuntur: & quoniã caput illo-
rum consiliorũ Cristinam glotem suam esse senserant, ad mulieris pedes se-
se prosternunt: clementiam eius supplices implorant. Verùm ea surdis au-
» ribus leuirorũ preces accipiebat, et salutẽ reip. quę omni necessitudini prę-
ponenda esset, causificabatur. Cõmouit ea res multos ex primoribus, cùm
iuuenum misericordia, tum metu exorientis tyrannidis: cuius argumentũ
erat, q; Vuladislaus externũ militem in suos immitebat: tum aũt auarę im-
portunęq; mulieris odio, quę pręter hanc in fratres mariti sui inclementiã,
nouis etiam exactionibus animos multorũ offenderat. Etenim ea, cùm alia
quędã auarè & crudeliter instituerat, tum uerò illud excogitauit, ut homi-
nes oppidani & rusticani statis et solennibus ferijs honoraria quędã mune
ra, nempe pullos gallinaceos, anseres, oua, mel, auenã, porcos, triticũ in cel-
lam principis inferrent. Quod cum semel atq; iterum ac tertiũ in gratiam
principis non inuiti fecissent, lege uiri, ut id perpetuũ deinceps esset, sanci-
uit. Itaq; impensius iam et apertius nonnulli iuuenibus fauebant. In primis
aũt Vuseborius palatinus Sendomiriẽsis, & magister militię, et Petrus Da-
nus comes Scrinnẽsis, quorũ ille nonnunquã Russos ex insidijs paruis prę-
lijs fundebat, Petrus uerò monendo & obiurgando principẽ ab instituto
auocabat: quę res ei, si non exitiosa, calamitosa quidẽ certè fuit. Nam Vula-
dislaus, ut omnib. de rebus cum uxore cõmunicabat, ita de Petri quoq; cõ-
silio ac studio ipsi narrauit. Excanduit subitò in hominẽ iracunda mulier,
alioqui etiã ipsi infensa, ex huiusmodi causa. Venatum fortè Vuladislaus
princeps & Petrus hic in remotas syluas ierant: ibi totum diẽ inuestigãdis
& persequendis feris defatigati, ad uesperũ ad focum constructa è cespite
mensa, cũ se pane & ferina carne, & aqua fontana utcunq; refecissent, & hu-
mi stratis penulis cubituri essent, Vuladislaus domesticarũ lautitiarum, &
molliũ stratorũ recordatus, ioco Petrũ appellans: Mollius, inquit, nũc Pe-
tre uxor tua cum Abbate Scrinnensi siue Suleouiensi cubat, quàm nos. Pe-
trus cõtrà, ut iocum ioco retunderet: Fortasse, inquit, et tua cum Dobesso.
Erat aũt Dobessius iuuenis ex equestri ordine non inelegans, quo familia-
rius Cristina utebatur; ita ut musitaret uulgò, eum cum illa clàm consue-
uisse. Tetigit id dictũ principis animũ, & sermonibus quidẽ tunc iocisq; fi-
nem fecit: uultu uerò ne postea quidẽ satis dissimulauit siue dolorẽ, siue sol-
licitudinẽ: incertum, liberiorí ne dicto Petri offensus, an de crimine uxoris
ex uerbis Petri, & superioris temporis coniecturis, quas non tã scrupulo-
se ad eã diẽ notarat, suspiciones colligens. Cristina ubi tristiorẽ cogitabun-
umq;

Boleslai filij deprecãtur fratris iniuriam.

Procerum alie natio à Vuladislao.

Exactiones nouæ institutæ.

Honoraria.

Petrus Danus dolo Cristinæ petitus.

Iocus pernicio sus.

Dobessus de adulterio reginæ suspectus.

dumq; pręter morē uirum reuersum animaduertit, sciscitatur causam: dissimulat aliquandiu Vuladislaus: ad extremū uictus blāditijs & importunitate uxoris, detegit ei uulnus animi sui. Inde grauiores ea in Petrū iras concœperat, occasionemq; ulciscendi eius quærebat: quam cum fortuna percommodam attulisse uideretur, in eo q; Petrus apertè cupiditati principis aduersabatur, ibi uerò instare uiolēta mulier apud maritū noctesq; diesq;, ut Petrus de medio tolleretur. Eo uiuo, nunquā animi compotē futurum Vuladislaum. Erat enim uir ingenti spiritu Petrus, summaq; potentia prædituſ: quippe qui pręter priuatas opes & facultates amplis. Calisiensem Crusuicienſemq; tractum omnē, Boleslai Criuousti nomine, administrasset. Subornat tandē Dobessum Cristina, partim probri infamia iritatū, partim pollicitatione bonorū Petri illectū, ut eū quouis modo uel caperet, uel interficeret. Non est tamē ausus Dobessus hominem aperta ui aggredi: sed obseruabat tēpus, quo per fraudē eum incautū opprimeret. Fortè Petrus nuptias filiæ, quam laxę Serborū siue Vinidarum duci in matrimoniū collocabat, Vuratislauiæ insigni pompa atq; celebritate apparabat: eò se Dobessus quoq; magno comitatu confert, securumq; & nihil eiusmodi suspicantē Petrum, solum fortè conspicatus, dum ministri circa apparandas nuptias, & hospites comiter accipiendos satagunt, correptū, celeriter paratis & dispositis ad hoc equis asportat, & ad principē adducit. Diu, quid eo faceret Vuladislaus, animi dubius fuit. Reuerebatur hominis dignitatē, gratiamq; populare: reminiscebatur, quo is honore apud patrem suū fuisset. Cōtrà suggerebat Cristina, si incolumis Petrus dimittatur, acerbiorē eum capitalemq; hostem fore principi, iniuria illa exacerbatū. Vbi cunctari uirum uidet, minatur se ab eo discessurā, ubi impunè probro prostitutæ pudicitiæ afficeretur. Vicit tandem, perfecitq;, ut indicta causa lingua Petro præcideretur, atq; oculi effoderētur. Sic ei, & sępe multis, liberior cū principe iocus malè cesit. Vixit tamē post eam calamitatem Petrus quinq; annos. Mortuus, apud Vuratislauiā in sancti Vincentij, quod templū & monasterium ipse cōdiderat, honorificè sepultus est. Vnde fit mihi ueriſimile, Vuratislauiensem etiam præfecturā eum tenuisse. Ferunt nonnulli, quemadmodum Dlugossus memorat, ei postea propter pietatem, qua summa erat, uisum, & sermonis usum diuinitùs restitutum fuisse. Per hæc tempora Bela cæco Vngarorū rege uita defuncto, Geisa filius eius de quatuor natu maximus, regno paterno suscepto, Henricū Austriorū ducē cum totius ferè Germaniæ auxilijs Vngariā inuadentē, cruento pręlio superauit. Petro tam crudeliter, quemadmodū dictū est, excarnificato, minus ausi sunt cæteri proceres uolūntati tyranni aduersari: creuerunt tamen omniū in eū odia, quę secundo fortunæ flatu occultata, postea afflictis reb. eius in apertum erupere. Minus aūt dissimulanter is iam agere, & fratres ditionibus ipsorum pellere, magnis Russorū fretus auxilijs, quib. Suatoslaus, Vsseuolodi Kiouiensiū principis filius, Izaslaus Dauidis, & Vsselodimirus Halicienſium duces pręfuere. Iamq; Henricum Sendomiria, et Boleslaum Plosco, omniq; Masouia propulerat. Restabat Miezislaus, ad quem cæteri fratres confugerant. Ad eos igitur Vuladislaus in maiorem Poloniam cum

Petri Dani opes & præfecturæ.

Petri Dani calamitas.

Miraculum.

Geisa rex Vngarorum Austrios uicit.

Vuladislaus princeps fratres uiolat cum Russis.

Ciuile bellum inter fratres.

exercitu magnis itineribus contendit, in celeritate plenam uictoriæ spem
Posnania obsessa. reponens. Veniens Posnaniã, quæ ipsi portas clauserat, cum primo impetu capere non potuisset, obsidione cinxit. Vastabãt interim Russi agros liberioribus excursionibus, exurebant uicos & pagos, captiuos uiros ac mulieres in seruitutem abducebant, diripiebãt fana, uimq; honestis puellis ac
Iacobus Archiepiscopus principẽ obiurgat, ac diris deuouet. matronis inferebant, ne à pueris quidem abstinebant. Viuebat adhuc Iacobus archiepiscopus Gnesnensis, plebeius quidem, sed uenerabilis & pius senex, excelsiq; animi. Is igitur cupiditatem et crudelitatem Vuladislai perosus, & cùm optimi principis Boleslai Criuousti filiorum, tum patriæ indignam et calamitosam sortem miseratus, sacro pontificum cultu et infula, quo augustiorem speciem principi exhiberet, indutus, et carpẽto in castra, & usq; ad ipsum Vuladislai tentorium inuectus, comiter principem nefarij cœpti admonet: negat esse boni principis, patriam, à qua in lucẽ editus,
» indulgenter educatus, & ad summum honorem euectus sit, externis armis
» hostilem in modum impetere, uexare, ac diripere: negat esse Christiani ho-
» minis, fratres coniunctissimos & obsequentissimos, quos tuendos susceperit, oppugnare: & non modò attributis à patre & uniuersa repub. ditioni-
» bus exuere, sed uitam etiam & sanguinem eorum sitire. Desisteret ergo cœptis: moderaretur diræ & insatiabili cupiditati suæ: & cum optimis fratribus in gratiam rediret: præstare, ut eorũ fideli ope & opera, aduersus quoslibet externos hostes uteretur, quàm ut infidis & sitientibus Poloni sanguinis Russorũ armis illos iret perditum, & quasi in sua ipse uiscera sæuiret. Si
» homines non reuereretur, at Deum metueret, acerrimum scelerum omnium, & maximè uiolatæ humanę coniunctionis & societatis ultorem. Non commouit hęc Archiepiscopi oratio, quãuis grauis & prudens, Vuladislaum, nec ab instituto deterruit. Quod cum uir diuinus animaduerteret, quasi numine afflatus, è sella assurgens: Quãdo, inquit, humana simul ac diuina iura superbè contẽnis, & paterna mea monita obstinatè respuis, Dei omnipotentis, cuius uices gero, authoritate, sacris & Christianorum hominum societate tibi interdico, caputq; tuum & omnium adiutorum & asseclarum tuorum diris deuoueo. Deinde multa in eum & in exercitum eius
Omen malum. execratus, recedebat. Fortè dum imprudentius auriga carpentum conuertit, in columnam, quę tentorium principis sustentabat, extremo axe impingens, mota loco columna, tentoriũ solo prostrauit. Mali ominis ea res cunctis uisa est. Tenuit tamen irã Vuladislaus, nec acerbius quicquã in Archiepiscopum aut fecit, aut dixit: ita ut mirarentur omnes patientiã eius. Commouerat nonnullos de proceribus, qui in castris Vuladislai erant, Iacobi archiepiscopi authoritas & execratio. Itaq; deducerè & ipsi à proposito
Castrensis negligentia. principem instituêre, sed nullo operę precio. Nam is diligentius etiam omnia ad expugnationẽ Posnaniæ administrare perrexit. Tamen cum nullus hostilis subesset metus, nec magnopere è paruo oppido eruptio timeretur, securius agebant Russi, quàm ratio castrorum exigit: & uel ad prædas agendas quoquouersus discurrebant, uel genialibus epulis & compotationibus, ludisq; & lusibus indulgebant, uel his rebus grauati & fatigati altũ stertebant: in stationibus rari, nec ij satis sobrij excubabant. Delitescebant

in ab-

in abdito Boleslaus, Miezislaus & Henricus, cum modico militum præsidio, occasionem bene gerendæ rei captantes: ij postea quàm uel ex transfugis, uel è captiuis per insidias, dum incautius pabulantur, exceptis certò didicere de negligentia & securitate aduersariorum, silenti agmine ad castra propius accedunt. Oppidani è turribus procul suos conspicati, nec ignari quid in subiectis oppido castris ageretur, proposito uexillo signum dant suis faciendi in hostem impetus tempestiui. Animaduertêre id uexillum præter morem extẽsum Russorum duces, qui tunc fortè cum Vuladislao conuiuabantur: rogant, quid nam rei sit, & quid sibi uelit uexillũ illud? Respondet Vuladislaus, deditionis esse signum. parcendum esse Russi censent supplicibus: negat Vuladislaus ullum fore ijs qui tam obstinatè obsidionẽ sustinuissent, misericordiæ locum. Nec multo pòst, exauditur ab extremis castris ingens clamor atque strepitus, iam intra uallum, & in cæde uersantium hostium. Erumpunt eodem tempore & oppidani, & turribus ac cæteris operibus, tugurijsq; militum, è stipula stramentisq; factis, celeriter ignem subijciunt. Fit trepidatio & discursatio totis castris, perculsis re subita & inopinata omnibus: nec quid agerent, aut quò se uerterent, ac ne fugæ quidem consilium explicantibus. Nec à uero abhorret, diuinitùs formidinem illam tanto exercitui meritò iniectam fuisse. Nec fuit, qui se uictoribus opponeret, fusis nullo negocio, qui ad primum tumultum pauci & inordinati occurrerant. Nam cæteri uel ad ducum tentoria, uel ad corripienda arma, uel ad sternendos equos, uel ad efferenda quæ quisq; charissima habebat, festinabant, uel attoniti denicq; amentium more huc atq; illuc discursabant. Ad extremũ grassante latè undique ferro & incendio, effundunt sese castris, qua quisque exitum inueniebat. Fugientes partim trucidantur ab equitibus, partim in Vartham et Glorunam fluuios, qui non ita procul à castris erant, compulsi merguntur. Vuladislaus cum Russis ducibus, & paucis quibusdam euadens, effuso cursu Cracouiam contendit. Inde quoque Russi non multum morati, nudi penè & inermes, & omnium rerum egeni, domos sese recepere. Direpta sunt copiosa & opulenta Vuladislai Russorum'que castra. Dlugossus aliquanto aliter hæc exponit. Ait enim, Boleslaum, Miezislaum & Henricum, primo Vuladislai aduentu Posnaniæ se cum paruo præsidio tenuisse, diuturnam'que obsidionem in magna commeatus inopia toleraſſe: & clementiam atque misericordiam fratris per internuncios imploraſſe. Cum autem is inexorabilem se ipsis præberet, nec aliter ueniam daret, nisi sese & sua omnia ei dederent, dura hæc, ita ut erant sanè, uisa esse iuuenibus: & in magna salutis desperatione, decreuisse eos, honestè mori potius, quàm crudelis uictoris, & apud quem nihil sancti esset, fidei sese committere. Erupisse deinde aliquoties ex oppido, & nonnulla stragè in hostibus edita, repulsos tamen esse. Deinde cum quieuissent aliquandiu, quasi abiecta iam erumpendi cogitatione, & securiores negligẽtioresq; reddidissent eos qui in stationibus & ad opera excubabant, captato tempore, armatisq; omnibus, qui arma ferre poterant in ciuitate, erupisse in inopinantes, eo proposito, ut aut uincerent, aut non inulti occumberent: & clarissima illa uicto-

Vuladislaus uincitur & fugatur.

Dlugossus.

ria, de qua iam diximus, potitos esse. Annus quo hæc acta sunt, fuit à Chri-
1145 ann. sto nato millesimus cẽtesimus quadragesimus quintus. Parsum est aũt ciui-
bus iussu iuuenum, quoad in summa illa perturbatione & confusione fieri
Defectio Polonorum à Vuladislao. potuit. Magna fit statim ea uictoria rerum commutatio. Defluebant om-
nes passim à uicto ad uictores, & augebant eorum exercitum: arces & mu-
nitiones interceptę, in fidẽ & potestatẽ pristinorum dominorum ultrò re-
dibant. Non contenti aũt uictores iuuenes eo, quòd fratrem se oppugnan
tem profligassent, suáq; omnia recuperassent, exterminare eum etiã uicis-
sim propriis ditionibus, & principatu eijcere instituunt, rati nunquã eum
ad sanitatem et modestiam rediturum esse: uerùm Russorum auxilijs fretũ,
bellum renouaturum. Itaq; æstate sequenti, cum eo quem ad manum habe
bant exercitu, ualidiori iam aliquanto, quàm fuerat initio, Cracouiã cõten-
Vuladislaus principatu pulsus. dunt. Quod cum Vuladislao nunciatum esset, diffisus munitioni arcis, suo
rumq; studijs & uoluntatibus, & fratrum desperata misericordia, quippe
quos ipse supplices nulla misericordia dignatus esset, relicta Cracouię uxo
re ac tribus filijs, per Silesiam in Germaniam profugit, Conradi tertij Cęsa
Cracouia in potestatem fratrũ iuniorũ uenit. ris, uxoris suę sobrini, opem imploraturus. Cracouienses cum primùm ad-
ueniente Boleslao, Miezislao & Henrico portas clausissent, cognita prin-
cipis longiore fuga, & consensu totius Poloniæ, aperuere: nec multo pòst
arx etiam deditur. In qua recipiẽda, summa animorum moderatione iuue-
nes usi sunt. Liberos & uxorem Vuladislai, quamuis infestam sibi, & quæ
Moderatio iuuenum uictorum. origo malorum illorum fuerat, ab omni iniuria & contumelia iratorũ mili
tum atq; procerum defenderunt: & cum omni supellectili in Germaniam,
aut quò uellent, additis præsidij causa, qui abeuntes deducerent, dimiserũt.
" Sic infelix Vuladislaus, qui suasu uxoris iniustè aliena concupiuerat, sua iu
" stè amisit: & qui in amplissima fortuna principatusq; prærogatiua non ac-
" quieuerat, in exilio cum mala consultrice uxore miser contabuit: quemad-
" modum inferius exponemus. Obtinuit autem principatum Poloniæ
Vuladislaus, non totos septem annos. Sub ipsum principatus eius ini-
tium Ianicus, qui postea Vuratislauiensis episcopus, ac deinde archiepi-
scopus Gnesnensis fuit, Ianislaus que dictus est, & Clemens, fratres ger-
Andreouiense monasterium. mani, equestri Gryphium siue Gryffonum, ut uulgò uocant, familia or-
ti, monasterium Andreouiense condiderunt: eiq; oppidum ipsum An-
dreouum, & septem pagos de bonis suis attribuerunt, atque in eo Cister-
Androuiensis monasterij tributum. ciensis sectæ monachos, à Bernardo abbate sancto conditos, è Morimun-
densi Burgundiæ monasterio euocatos, collocarunt. Imposuerunt autem
conditores illi tributum perenne oppidanis, addictis monasterio: ut cor-
da cæsarum pecudum, & paucula haleca sibi posteris que suis memoriæ
sempiternæ gratia penderent. Verùm id tributum postea Abbas nescio
qui redemit. Addiderũt etiam Radossus & Gedeon episcopi Cracouien-
ses, decimas quasdam eidem monasterio: item que Ianicus, posteaquam
Gnesnensis archiepiscopus factus est, non modò decimis, ue-
rùm etiam duodecim pagis ad superiores adiectis,
id locupletauit.

Boleslaus

BOLESLAVS CRISPVS.

EXACTO cum uxore & liberis Vuladislao principe, concordi fratrum iuxtà ac procerum nobilitatisq; sententia ad Boleslaũ, qui Vuladislao natu proximus erat, principatus & summa rerum defertur, & quæcunq; in ditione Vuladislai fuerant: Cazimirus etiã natu minimus frater, eius curæ commendatus est. Et moderatè is clementerq; regnauit: fratres magna beneuolentia & charitate complexus, beneficentia etiam & liberalitate maiorem in modum sibi deuinxit. Nonnulla enim bona & possessiones, quæ ipsius iuris fuerant, ipsis ultro donauit & addixit: eoq; summa ij fide summoq; studio uicissim eum defenderunt, nihil neque Russorum, neque Boemorum, neque Germanorum & Conradi Cæsaris minis deterriti, aut precibus emolliti. Nam instabat Vuladislaus assiduò, tum apud Vuladislaũ ducem Boemorum, ad quem ea de re adierat, tum apud Cæsarem, ut eorum uel authoritate in paternum principatum restitueretur, uel armis reduceretur. Sollicitabat & Russos legationibus. Verùm hi nondum se satis è clade Posnanensi refocillarant, & nolebant consentientem Poloniam iritare, à cuius exigua quadam parte uicti profligatiq; nuper essent. Cæsar uerò & Boemus prolixè promittebant: uerùm hic domesticis motibus, ille Asiatica expeditione, impediti, præstare commodè promissa non potuere. Rebus enim Normannorum in Syria Saracenorum Turcarumq; ui inclinatis, Edessaq; nobili & uetusta urbe Mesopotamiæ, quæ tunc à Gallis tenebatur, expugnata, & magno terrore Christianis in Asia militantibus iniecto, Cæsar & rex Gallorum Ludouicus cum compluribus principibus uiris & episcopis à Bernardo Abbate Clarevallis concitati, expeditionem in Syriam susceperunt. Ne tamen Vuladislai causam penitus deseruisse uideretur Cæsar, misit legationem ad Boleslaum, cæteros q; fratres, ut Vuladislao ademptas ditiones & principatum sua sponte redderent, potius quàm arma sua experirentur. Neque enim se rectè & affini, & calami toso ac supplici principi deesse posse. Cui legationi Boleslaus princeps de sententia fratrum & procerum ita respondit: Nulla à se fratribusq; suis iniuria affectum esse Vuladislaum, se nequicquam deprecantes impio bello ab eo petitos, & attributis à patre & ab uniuersa rep. ditionibus & principatibus iam penè exutos, cum pacem tamẽ nullis æquis conditionibus impetrare possent, uitam defendisse suam: illumq; omnis diuini & humani iuris uiolatorem, fratres insontes & obsequẽtissimos eijcientem, intolerabilem in liberos populos dominatum usurpantem, non tam ipsorum uiribus, quàm diuina ultione euidenter perculsum: fugientemque, magno uniuersæ Poloniæ consensu sempiterno exilio damnatum esse. Recipere eum talem, tamq; iustè consensu publico pulsum, neque sibi tutum esse, neque Polonis expedire. Ne ergo Cæsar id à se postularet, néue ab inuitis extorquere pergeret, quod sine periculo, & sine magno malo reipublicæ facere non possent. Esse quidem tanti principis atque Cæsaris, afflictis subuenire: sed ijs demum, qui immeritò afflicti essent. Cæterùm ad uim & iniuriam faciendam, nemini opem eius patêre debere: quippe qui ab innocentia contra scelus,

Boleslai Crispi benignitas.

Vuladislai exulis solicitudo.

Conradi Cæs. & Ludouici Gall. regis expeditio in Syriam.

Bernardus abbas Claræ uallis.

Conradi Cæsaris legatio ad Polonos.

Boleslai Crispi responsum.

« *Principis*
« *officium.*
«

» scelus,ab officio contra improbitatem,à modestia contra audaciam,à iusti
» tia contra iniustitiam, denicp à pietate contra parricidiũ stare debeat. Esse
Vuladislaum affinem Cæsaris, se uerò cognatos etiam: auxilium se ab eo
sperare,non bellum expectare, cuius nullam neque dedissent,neque daturi
essent occasionem. Habere se illi eum honorem, quem & cognato &
maximo principi haberi par esset: libenter que in alijs rebus authoritati
eius obsecundaturos, in una illa re id fieri non posse. Libentius se cum
quouis capitali hoste,quàm cum illo tali fratre in gratiam redituros esse:&
» quiduis potius passuros,quàm commissuros,ut suo sibi iumento,quod di-
» citur,malam rem adsciuisse,& rempub.quæ in fidem suam confugerit,pro
didisse uiderentur.Fregit ea responsio Conradi animum, ita ut multum de
studio suo in Vuladislaum deinceps remitteret, præsertim quòd ad expe-
ditionem Asiaticam totus spectabat, quãuis à proceribus suis & Boemo,
Remense concilium. quos sedulò unà cum liberis & uxore prensabat Vuladislaus, in Polonos
incitaretur. Porrò in concilio Remensi, quod Eugenius tertius pontifex
max.initio pontificatus sui coegerat,Henricus Bauarorum dux, Cristinæ
propinquus,de principibus & episcopis Polonorum per legatos questus
est,quòd illi quidem fratrem,hi uerò dominum suum contra fidem et iusiu
randum paterno principatu pepulissent.Sed quid effecerit, nõ comperio.
Conradi Cæsaris expeditio in Asiam. Conradus uerò Cæsar expeditionem illam suam cum maturasset,per Polo
niam,quemadmodum scribit Dlugossus, statuit iter facere: quòd & com-
pendiosior ea uia esset, & minus periculorũ haberet: simul cp non diffide-
Boemorũ principes in Asiam militatum profecti. ret,se Vuladislaũ cum fratribus coràm reconciliaturum esse. Et acceptus
quidem est à Boleslao cæterisqp fratribus perquàm honorificè & liberali-
ter, unà cum Vuladislao Boemorũ principe, & fratribus eius Henrico &
Spicigneuo, omnicp Germano.um & Boemorũ exercitu, & usqp ad pon-
tum Euxinum deductus: cæterũ de reconciliatione nihil tunc aliud impe-
trauit,nisi cp pollicitus est Boleslaus cum fratribus,se, cum reuertisset ab il
la expeditione Cæsar,quę is uellet,facturum esse. Multi uerò uoluntarij è
Polonis militię illi nomina dedere,& cũ Cęsare profecti sunt. Alij,per Vn-
gariam eum non satis cõposito agmine profectũ esse in Thraciam, uolunt.
Vincentius uerò crebrioribus legationibus eum de restitutione Vuladis-
1147 ann. lai cum Polonis egisse memorat. Sub hyemẽ eiusdem anni,duxit Boles-
Russicũ bellũ. laus cum Henrico fratre exercitum in Russiam, Izaslai Kiouiensium prin-
cipis, conspiratione cæterorum principum principatu eiecti, precibus &
muneribus inuitatus:castrisqp apud Cemerinũ positis, totã hyemẽ ibi con
sumpsit:& nulla re memorabili gesta, propter ignauiã Izaslai, & non satis
certam fidem Russorũ,in Poloniã rediit.Izaslaus uerò post discessionẽ au-
xiliorum,Lusci obsessus ab hostibus,pacem tandem ab eis impetrauit.Per
hoc tempus Iacobus Archiepiscopus Gnesnensis mortuus, Ianicũ siue Ia-
Ianislaus Archiepiscopus. nislaum,cuius paulo antè mentionẽ fecimus,è Vuratislauiensi episcopa e-
uocatum.Boleslai principis studio adiutũ, successorem accepit. huic uerò
Vuratislauiensis basilica, & ritus eius. Valterus equestri Zadoreorum ortus familia,successit:qui basilicã Vura-
tislauiensem,ligneã ad id tempus, muro exædificauit, ritusqp Lugdunen-
1149 ann. sis basilicę in eam induxit. Anno uno interiecto,reuersus ab Asiatica ex-

peditio-

peditione Conradus, cum non multum ibi operę precij feciſſet, magnamq; copiarū ſuarum partē partim Turcico prelio, partim dolo Emanuelis Cōſtantinopolitani imperatoris amiſiſſet, bellum Polonis intulit, ut per uim Vuladislaum exulem in principatū reſtitueret: cum Boleslaus cęteriq; fratres promiſſorū admoniti, tergiuerſarentur, q; dicerent, Vuladislao reducto, ſe nouos motus, noua pericula, ſummamq; reip. perturbationē reformidare. Verùm id bellum in ſpeciem ingens & formidabile, Boleslai principis humanitas & ſapientia inter ipſa initia reſtinxit. Nam ut Cæſar cū uallidis Germanorum, Boemorum & Morauorum copijs Poloniæ fines attigit, non deſtitit Boleslaus cum expeditis turmis, quas de ſuis tumultuariè coegerat, omnib. locis opportunis hoſtilia itinera, pabulationes, frumentationes & aquationes ex inſidijs obſeruare, & in incautos hoſtes impetum facere, interdumq; totum exercitū reficientem ſe aut quieſcentē, ſubitò tumultu, & ad caſtra adequitantis exercitus oſtentatione exagitare & perterrefacere. Illis uerò ad arma conclamātibus, ad impedita loca raptim ſe cum ſuis recipiebat, nec unquam rem fortunæ & uniuerſę dimicationi cōmittebat. Cum aūt ad Odram ſubſtitiſſet & caſtra metatus eſſet Cæſar, eo quòd aquę eius fluminis tunc fortè excreuerant, & noſtri ulteriores ripas obſeruantes, difficilē traiectionem ipſi effecerāt: ſimul aūt è Germania noui quidam motus ipſi afferebantur, quib. ad rerum domeſticarū curam reuocabatur: accepta fide Boleslaus in caſtra ad eum uenit, factaq; publica audientia, Vuladislai fratris facinora & peccata omnia, in ſe ac cæteros fratres, & in omnes ordines reip. Polonæ luculenta oratione expoſuit: neceſſariā expulſionem, iuſtamq; reſtituendi eius recuſationem ſuā & uniuerſæ reip. excuſauit: neceſsitudinem ſuam cum Conrado maiorem, quàm Vuladislai cōmemorauit: ſtudia & officia ſua nonnulla in Cæſarem & Germanos modeſtè refricauit: ne cognatum & Chriſtianum ſanguinem ſitirent, neu ſe ad extrema adigerent, orauit. Munera etiam nō contemnenda Cæſari & nonnullis principibus, maximeq; ijs quos gratia plurimùm ualere apud Cęſarē didicerat, priuatim miſit. Ita poſcente Boleslao, ſuadentibus primoribus, ad ſua defendenda feſtinantibus militibus, ipſo Cæſare ductum iri diutius opinione ſua bellum animaduertente, & ad componendas res domeſticas feſtinante, bellum illud ſtatim ſolutū eſt: dimiſſuſq; poſtridie exercitus, ne quicquam reclamante Vuladislao exule: & item Boemorum principe, nō tam exulis rem agente, quàm Polonis inimico. Hagecus hic neſcio quid de Tartaris & Saracenis unà cum Ruſsis à Vuladislao exule contra Polonos ductis, & à Boleslao uictis pulſisq;: qui utriq; populi procul tunc aberant à Polonia. Pace cum Cæſare facta, aut uerius bello in aliud tempus dilato, Boleslaus & Miezislaus uxores duxere ſorores germanas, Vſeuolodimiri Halicienſium principis filias: Boleslaus quidem Anaſtaſiam, Miezislaus uerò Eudoxiam. uerùm is, hac non ita multo pòſt mortua, nondū exacto à primis nuptijs biennio, aliam duxit, Gertrudim Geiſæ regis Vngarorum ſororem, Belæ cæci filiam. Cæterum Henricus cœlibem uitam ſecutus, ad Hieroſolymitanam militiam cum non contēnendo comitatu profectus eſt, principatū ſuo Boleslai fratris fidei ac tutelæ cōmendato: cumq;

Conradi Cæſ. expeditio in Poloniam.

Polonorum cū Germanis belli gerendi ratio.

Boleslaus ad Cæſarem in caſtra uenit, & bellum ſuſtulit.

Boleslai et Miezislai uxores.

Henricus dux ad Hieroſolymitanam militiam profectus.

t totum

totum̃ annum ibi commoratus, non uulgare uirtutis ſuæ ſpecimen aduerſus barbaros Sarracenos edidiſſet, ſoſpes reuerſus eſt. Reuertens autem, in Zagoſce pago ad Nidam amnẽ paroeciam ac domicilium Templariorũ ſodalitati, quę tunc bonam in bello Aſiatico Chriſtianis nauabat operam, condidit, & luculentis reditibus inſtruxit. Cum hoc Henrico crediderim profectum Iaxam, nobilem & locupletem equitem de familia Gryphium, ut fama eſt: qui cum in Aſia aliquandiu militaſſet, reuertens, unum de canonicis ſepulchri Chriſti domini noſtri, diui Auguſtini inſtituto uiuentibus, & geminam crucem rubram in toga inſigne profeſſionis ſuæ geſtantibus, ſecum deduxit, eamq; ſodalitatem in Polonia propagauit, condito templo ac domicilio in pago ſuo Mechouo, quod nũc oppidũ eſt, quinto à Cracouia milliario: eoq;, & duob. item pagis ſodalitati attributo: cui etiã Gedeõ epiſcopus Cracouienſis decimas quaſdã poſterius adiunxit. Condidit idẽ Iaxa, dotauitq; etiam monaſterium uirginibus profeſſionis Prẽmonſtratẽſis, ut uocant, in ſuburbano ſuo Cracouienſi, quod Zuerinecium, quaſi tu dicas uiuarium, dicitur. Impetrauit aũt utriq; loco ſubiectis hominibus à Boleslao Criſpo principe, omnium onerum, munerum atq; penſionũ, quę ad principem ac remp. pertinerent, ſempiternam immunitatẽ. Sed ad inſtitutum reuertamur. Vuladislaus exul, quamuis deſiderio & ſpe ſua fruſtratus iterũ atq; iterum, pergebat tamen moleſtus eſſe Cæſari de reductione ſua: & commouebat quidem Cæſarem, cùm aſsidua flagitatione & querimonia, tum aſpectu ipſo miſerabili, ac tãta fortunę commutatione: pudor etiam cum indignatione mixtus, Cæſarem ſtimulabat, q̃ contemni & poſtulata & minas ſuas, nec promiſſa prẽſtari à Polonis principibus, maieſtate ſua indignum iudicaret. Sed tamen exulem reducere non potuit, partim aduerſa ualetudine ac diuturno morbo impeditus, partim etiam proprijs & neceſſarijs negocijs, & nõnulla imperij perturbatione diſtẽtus. Verùm quo leuius interea Vuladislaus ferret exilium, poſſeſsiones quaſdam ei dedit utendas fruendas, unde ſe & uxorẽ liberoſq; ſuſtentaret: adiungit exiguas equitũ peditumq; copias, cum quib. ille crebris excurſionibus Vuratislauienſem tractum & uiciniã illam omnẽ, extructis in confinio duabus arcibus Nemcio & Grothecio, quò ſe tutò recipiebat, infeſtauit. Nõ tulit hoc Boleslaus. Nam coacto exercitu, ad prędatores illos perſequendos, & arces euertendas profectus eſt. Id ubi cognouit Vuladislaus, munitis præſidio militum arcibus, in Germaniam ſe recepit, ſiue metu, ſiue auxiliorum petendorum gratia. Qui in præſidijs relicti erant Germani ſiue Boemi, ſuſtinuerunt aliquandiu impetum & obſidionem Polonorum: tandem deficiente annona, & morbis inualeſcentibus, ac deſperatis auxilijs, deditionẽ fecere. Nec ita multo pòſt, nempe anno Chriſti nati 1153. Conradus Cæſar mortuus, antequã imperatoris diadema adeptus eſſet, ſollicitudine & metu grauis belli noſtros liberauit. Quieuitq; tunc Polonia annis aliquot, donec Fridericus cognomento Barbaroſſa, Friderici Sueuorum ducis filius, qui Conrado patruo in imperio ſucceſsit, petendo imperiali diademate, pacandisq;, ſeu potius turbandis rebus Italiæ & Galliæ Ciſalpinæ, quæ nunc Langobardia dicitur, ac pontificibus maximis arbitratu ſuo creandis

Templarij in Poloniam deducti.

Iaxa Gryphius.

Canonici ſepulchri Chriſti.

Miechouienſe cœnobium.

Zuerinecenſe cœnobium.

Vuladislaus exul infeſtat Poloniam.

Nemcii et Grothecium arces infeſtia conſtructæ, & Polonorum principi deditæ.

1153 ann. Conradus Cæſar mortuus.

Fridericus Barbaroſſa Cæſar.

atq;

atq; deijciendis, occupatus fuit. Reuersum autem in Germaniam, & conuentū totius Germaniæ agentem Virceburgi, siue Herbipoli, supplex adit Vuladislaus, orat de reductione sua: & quo magis eum ad misericordiam flecteret, tres filios iuuenes pedibus propinqui imperatoris admouit, idē pro eo petijt Vuladislaus princeps Boemorum, fastum Polonorum et cōtemptionem Cæsareæ maiestatis & authoritatis exaggerans: idem plærisq; Germanorum principes atque duces, quibus iam Vuladislaus exul diuturna consuetudine familiaris factus erat, quosq; ea de re prehensauerat. Quanquam autem rebellarant imperatori Mediolanenses cum socijs suis, tamen exoratus Fridericus, priorem in Polonos expeditionem de amplissimi senatus sententia decreuit. Ac legatos quidem statim ex illis comitijs ad Boleslaum principem & fratres eius misit, qui ipsis, nisi reciperēt Vuladislaum, aut nisi ipsi tributum, quod fortasse pollicebatur Vuladislaus, imperatori Romano penderent, bellum denuncient: ipse uerò hyemem illam in apparatu belli consumpsit. Reuersi Cracouia legati, non dissimile eius, quod Conrado olim datum erat, responsum retulerunt: cuius ea uis erat, ut quiduis potius passuri Poloni principes, qui ea de re Cracouiam ad Boleslaum conuenerant, quàm aut tam immanem ac turbulētum fratrem recepturi, aut tributum cuiquam daturi esse uiderentur. Itaque æstate anni sequentis, qui fuit à Christo nato 1158, Fridericus imperator cum maximis Germanorum omnium atque Boemorum copijs, per Saxoniam in Polonorum fines ingreditur, & ad undecimum Calendas Septembris Odram amnem nemine prohibente uado transiuit. Nam Poloni principes, etsi non contemnendam & ipsi manum habebant, nusquam tamen ausi sunt apertè eum tanto ac tam ualido exercitui opponere: sed munera inter se copiasq; partiti, quòd equitatu abundarent, & leui armatura uterentur, partim in prædatores & pabulatores ex insidijs uim faciebant: partim uillas & oppida sua, quà iter facturum esse imperatorem suspicabantur, ipsi comburebant: partim etiam munitiones deijciebant, ita ut neque progredi rectè imperator propter pabuli & commeatus inopiam, neque uestigium ponere firmo aliquo & munito loco posset. Eo nostrorum incendio tunc Bythomia, cuius etiam superius mentio facta est, atque Glogouia, nō obscura oppida, conflagrarūt. Erat in magna difficultate res Germanorū: quippe quibus neque frumentum, neque pecudes ad uescendum, neq; uinum aut cereuisia ad bibēdum suppetebat, omnia itinera nostris obsidentibus. Itaq; intestinorum dolore laborari uulgò cœptum, quo morbo multi mortales absumpti sunt: iamq; non mussitabant milites, sed apertis conuicijs & maledictis imperatorem incessebant, quòd ab eo ad inauspicatum bellum ob rem alienam educti essent. Quibus rebus permotus Fridericus, simul quòd res Italicæ discessu eius turbatæ, eum ad se reuocabant, de reducendo exercitu cogitare cœpit: uerùm metuebat, si nulla pace facta retrocederet, ut satis tutò id facere posset: quòd non dubitabat nostros terga reuertentium pressuros, & aliquam Germaniæ oram dimisso à se exercitu uicissim inuasuros ac deuastaturos esse: sin pacis mentionem prior fecisset, pro uicto se habitum atque contemptum iri: utrumque autem non ex di-

Legatio Friderici imperatoris ad Polonos.

1158 ann. Friderici imp. expeditio in Poloniam.

Bythomia & Glogouia exustæ ab ipsis Polonis.

Friderici consultatio.

» gnitate imperatoria fore. Etenim ex æquo turpe & ignominiosum est, eum
» qui bellum alteri intulerit, aut pacẽ ultro offerre, aut rebus infectis retro-
» cedere. Eum sensum imperatoris cum probè calleret Boemorũ princeps,
siue iussus, siue pertæsus & ipse belli, agit cum Polonis, ut de pace ad impe-
ratorem mittant, aut ipsi ueniant: sperare se, ac recipere, æquis conditioni-
bus eam iri compositam. Placabiliorem enim ipsis Fridericum se reddidis-
se. Amplectuntur nostri eius consiliũ, petita acceptaq; fide, ad hostem pro
ficiscuntur: ibi multis ultro citroq; habitis sermonibus, pax tandẽ his legi-
bus constituitur, ut Vuladislaus ad Silesiæ domínatum modò restituatur,
cæteris se abstineat: & ut Boleslaus unà cum fratribus trecẽtos hastatos e-
quites Friderico in auxilium ad Mediolanense, siue Langobardicum bellũ
mittat. Et quo firmior hęc pax sit, Adleidam imperatoris sororis filiã Mie-
cislaus tertiam uxorem ducit. Nam alterã, quæ fuit Vngara, haud ita mul-
to antè amiserat, susceptis ex ea duobus filijs, Ottone & Stephano. Quan-
quam quod ad restitutionem Vuladislai attinet, perplexus est Dlugossus.
Nam cum restitutionem illã, quam postea Fridericus uelut sanctè promis-
sam, mortuo Vuladislao liberis eius efflagitauit, in pactis fuisse memoras-
set, paulo pòst subijcit, Boleslaum recepisse imperatori, se ad natalem Chri
sti Dei nostri Magdeburgum uenturũ esse, & Polonis Boemisq; discepta-
toribus & arbitris de expulsione & restitutione Vuladislai fratris, usurũ:
quod tamẽ non pręstiterit. Paulo aliter de hoc bello Radeuicus in supple
mento eius libri, quem Otto episcopus Frisingensis, illius temporis, de ge-
stis huius Friderici imperatoris conscripsit, memoriæ prodidit. Et causam
quidem belli eandẽ, quam nos exposuimus, fuisse memorat: successum ue-
rò & exitum aliquanto diuersum. Ait enim, posteaquàm imperator in Po-
loniam (arte scilicet & natura permunitam) penetrauit, & Odram flumen
copias transduxit, Polonos, quamuis magna haberent Russorum, Partho-
rum, Prussorum & Pomeranorum auxilia; in fuga tamen spem uitę consti
tuisse: ac desperatione adductos, non certo consilio, munitiones, oppida,
pagosq; suos uastasse. Ad extremũ aũt peruastata ab hostibus Vuratisla-
uiensi & Posnaniensi ora, Boleslaum ducẽ supplicẽ, & imperata se facturũ
recipientem, prouolutum ad pedes imperatoris, ueniã impetrasse, cum ius-
iurandum dedisset non ad contumeliam Rom. imperij fratrẽ à se suisq; pul
sum esse: promisissetq; imperatori, præter auxilia ad bellum Italicum, duo
millia marcarũ, principibus mille, aulico eius comitatui ducentas marcas
argẽti: Augustę uerò, siue imperatrici uiginti marcas auri, & obsides Cazi
mirũ fratrem cum alijs quibusdam nobilibus dedisset. De Vuladislai uerò
iniuria rem ad arbitrium Boemorũ et Polonorum Magdeburgum, ut nos
quoq; è Dlugosso retulimus, reiectam esse. Neq; tamen stetisse ulla ex par-
te promissis & iureiurando Boleslaum. Tributi Radeuicus hic nullam fa
cit mentionẽ: quod neq; imperator exigere, si prius pensitatum esset, neq;
Radeuicus cõmemorare, si tunc exactum esset, omisisset. Pace facta cũ Po-
lonis, deduxit imperator exercitum, et anno sequenti expeditionem in Ita-
liam prosecutus est, Boemorum & Polonorum auxilijs adiutus. In ipso au
tem procinctu Vuladislao Boemorum principi Ratisponæ diadema im-
posuit,

Pax inter imperatorem & Polonos.

Silesia Vuladislao attributa.

Polonorum auxilia imperatori ad Italicum bellum.

Miezislai tertia uxor filia sororis Friderici imp.

Radeuicus historicus.

Vuladislaus rex Boemorũ factus.

posuit, regemq; eum appellauit: quo nomine post Vuratislaum sexaginta annis amplius nemo principum Boemorum usus erat. Fames deinde Poloniam afflixit, frumento belli tempore partim non demesso, partim ab hostibus consumpto, partim uerò à nostris, quemadmodum diximus, corrupto. Mortua est eo anno Anastasia Boleslai Crispi uxor, ex dolore partus, cum Lescum alterum filium peperisset. nam biennio antè Boleslaum pepererat. Duxit postea Boleslaus alteram uxorem Helenam, Roscislai Premislienſium principis filiam, suasu fratrum, cum ad Adleidę Miezislai uxoris puerperium conuenissent. Apparabat iam Vuladislaus reditum in patriam, opera & beneficio Friderici imperatoris impetratũ, post tredecim annorum exiliũ. uerùm in ipso apparatu extinctus, et Aldenburgij in Holsacia, quę urbs à Slauis condita, Starigradum olim dicta fuit, sepultus est: ita ut non irrita ceciderit Iacobi archiepiscopi deuotio, nec potuerint humani conatus diuinam sententiam, & iustam fratrum & patriæ uiolatoris ultionem immutare. Tametsi proditũ est à nonnullis, ut refert Dlugossus, eum ad constitutum cum fratribus colloquium uenientem, Plodeci clàm ueneno sublatũ esse. Vixit autem Vuladislaus quinquaginta quinq;, præfuit Polonis non totos sex annos. Liberos reliquit masculos tres, Boleslaum, Miezislaum & Conradũ, cui Lanscronogo, propter gracilitatem crurum, cognomen fuit: quem quidem Conradus imperator Fuldensi abbati educandum dederat. Cristina uerò Vuladislai uxor, Aldenburgi in exilio consenuit, & uitam cum morte commutauit. Nam filij non ausi absente imperatore Silesię principatum ex fœdere patri promissum repetere, quarto demum anno post mortem patris, nempe anno post Christũ natum 1163 instante precibus atq; minis apud Boleslaũ Friderico, cum is ab Italica expeditione capto euersoq; Mediolano reuertisset, reuocati, Silesiam omnẽ, quæ continentibus syluis à reliqua Polonia dirimitur, usq; ad Boemorum Saxonumq; fines in ditionem suã acceperũt, ea quidem lege, ut maiestatẽ summi principis Polonorũ comiter conseruarent, neue patris tyrannidẽ imitarentur. Silesiæ uerò nomẽ à cõfluxu multorũ populorũ inditum esse uidetur, siue tunc, siue aliquanto prius, nempe posteaquam Sbigneus nothus Vuladislai primi principis filius, cum Boemis & Saxonibus eam oram inuasit, ita ut Silesij, siue Slezaci, quasi conuenæ dicantur lingua Slauica. Eam igitur partem Poloniæ Vuladislai mortui filij ex pacto obtinuerunt. Atque hinc ferè omnes Silesiorum duces propagati sunt. Vt autem omnis dissidiorum materia inter fratres deinceps tolleretur, patrui inter eos ditiones partiti sunt, ita ut Boleslao, qui Procerus siue altus cognominatus est, Vratislauiensis tractus: Miezislao Ratiborienſis & Oppolienſis, Conrado uerò Glogouiensis & Crosnensis obtingeret. Ex his Miezislaus insano mulierculæ cuiusdam amore captus, Opauiam ipsi sempiterno iure donauit. Fuit autem restitutio illa Vuladislai filiorum curæ Friderico imperatori, cùm ob misericordiam cognatorum exulum, & ut perficeret, quod se authore cœptum atque constitutum fuerat: tum in primis Boleslai ex ijs natu maximi gratia, qui præclarum uirtutis suæ specimen in exercitu ipsius apud Mediolanum ediderat. Nam

Fames in Polonia.

Boleslai Crispi filij.

Boleslaus alteram uxorem duxit.

Vuladislai mors.

Plodecz.

Vuladislai filij.

Cristinæ mors.

1163 ann.

Mediolanum euersum.

Silesiæ ducum origo.

Silesiæ fines et nomen.

Slezaci.

Silesiæ diuisio.

Oppauia dotata amicæ.

Boleslai proceri uirtus.

cum eques quispiam uasto corpore & gigantea statura Mediolano prodiens, identidem Cæsarianos contumeliosis uerbis ad singulare certamen prouocaret, nec prodiret quisquam, prodijt hic Boleslaus inconsulto imperatore, & insciis omnibus, non ferens uniuersi exercitus ignominiam: cumq; infestis hastis concurrissent, effuso ad spectaculum omni exercitu, obsessis quoq; de mœnibus prospectantibus, & utrisq; euentum pugnæ expectantibus, primo impetu deiecit noster hostem, humiq; prostratum celeriter de equo desiliens confecit, & cum opimis spoliis uictor in castra reuersus est, acclamante & applaudente uniuerso exercitu, & Boleslai uirtutem ad sidera efferente. Ex eo autem tempore magno in honore iuuenem apud se imperator habuit: & cùm alia amoris sui documenta ei præbuit, tum in restitutionis eius, fratrum q; curam maiore studio, sicut iam commemorauimus, cõfecto Mediolanensi bello incubuit. Restitutis Vuladislai filijs, sublatoq; omni metu belli, Boleslaus Crispus princeps Polonorum, ex fratrum et fratris filiorum, consilijq; totius sententia, Prussis, qui iam inde à Boleslai Criuousti morte à fide principum Poloniæ, & à religione Christiana desciuerant, bellum fecit: transducto q; Ossam amnem exercitu, tripartito agmine ad interiora ipsorum penetrauit: ferro & incendijs omnia miscens, & magnas prædas agens. Ea uastatione moti Prussorum primores, cum uires suas impares tanto bello sustinendo esse animaduerterent, quippe qui non plus decem millibus peditum, & sexdecim equitum facere possent, pacẽ supplices à Boleslao petunt, imperata se facturos pollicentur. Negat is pacem se eis daturum, ni stulta & uana multorum deorum superstitione sese abdicent, & Christianam religionem populariter recipiant. Durius hoc Prussis uidebatur: sed tamen præsentibus iuxtà ac impendentibus malis adacti, accipiunt conditionem: demoliuntur fana & simulacra falsorum deorum: uni uero Deo, quem nos colimus, deiecta aut desolata pridem instaurant: liberos post desertam religionem sibi natos, ritu Christianorum initiant. Et quo celerius religio Christiana in tota Prussia coalescat, tributum quidem exiguum Boleslaus genti impo suit: edixit autem, Quicunque ad certũ tempus Christiani facti non essent, ut in seruitutem abducerentur, & sub hasta uenundarẽtur. Et certatim quidem omnes nomina dabant Christo, sed magis deuitandi presentis periculi metu, quàm ex animo: & lingua quidem iurat, quemadmodum inquit poeta quidam, mens iniurata manet. Itaque ergo deducto exercitu, & amoto metu, citò ad ingenium redière. Neque enim firmam atque stabilem sedem habere potest religio, ui & metu expressa: quæ, quamlibet foris necessitati seruiat, intus quidem in animo liberrima est. Vixdum circumacto anno, Prussi in pristinum errorẽ apertè relabuntur: ritus Christianos explodunt: sacerdotes, cæterosq; qui cõstantius Christianam religionem retinebant, eijciunt: templa profanant. Veriti autem, ne extrema quæq; pro his quæ patrarant paterentur, ad Boleslaum principem legatos mittunt cum donis magni precij: profitentur se in fide eius permanere, cæteraq; omnia iussa eius facturos esse, religionis modo Christianæ necessitatem ut sibi remitteret: multitudinem patrias & auitas religiones neutiquam

Prußicum bellum.

Prußi religionem Christianam recipiũt, & mox rursus abijciunt.

uelle

uelle aut posse abijcere, & omnia prius malle perpeti, quàm ab inueteratis tempore & consuetudine ritibus ad nouos transire. Leuius quàm par erat Christiano principi, uiolatam & neglectam ab ipsis religionem Boleslaus ferre uisus est, cum ij de fide erga ipsum sua nihil mutarent. itaque sic tunc legatos eorum dimisit, ut factum eorum approbasse uideretur, pluris faciens suam quàm Dei maiestatem: siue adeò muneribus, quæ sapientum quoque mentibus caliginem offundunt, delinitus, neque cogitabat, non habere modum, neq; finem, temeritatem, cui semel habenæ impunitate relaxatæ sint. Offendunt autem plerunq; homines in eo, quod causæ Dei præposuerint: ut tunc accidit. Nam Prussi uidentes impunè sibi cessisse prima ausa, sublatis animis haud ita multo post exactores principis propellunt: factaq; manu ualida è promiscua hominum multitudine, Culmensem tractum & Masouiam nec opinãtibus nostris ingressi, crudeliter uastarunt ac diripuerunt, ingentesq; pecudum & hominum prædas abegerunt. Qua de re certior factus Boleslaus, nihil sibi fecit reliqui ad celeritatẽ: quin cum paucis, quos circũ se habebat, & quos proficiscens sibi adiungere potuit, militibus, auxilio suis accurreret. Sed iam barbari abierãt, nec eos longius ille cum paucis cursu defatigatis persequi ausus est. Verùm fremens, & sibi ipse ob superiorem conniuentiam displicens, tunc quidẽ ditionis suæ fines qualiquali præsidio aduersus repentinas barbarorum excursiones muniuit: cæterùm anno sequẽti, qui fuit post Christum natum 1167, maiore ui & apparatu expeditionem in eos fecit. Aderant & fratres cum instructis suorum copijs. Barbari sceleris & perfidiæ suæ sibi conscij, desperabant ueniam, nec satis uirium ad sustinendos Polonos habere se iudicabant. itaque in remotas syluas & inuias paludes se cum gregibus & armentis abdunt: nihilo minus exquirunt, quomodo nostros dolis & insidijs circumueniant. Erant apud Boleslaum in castris Prussi quatuor perfugæ, non ignobiles, qui sic iam probarant fidem suam Boleslao, ut ijs ducibus & consultoribus in expeditione illa maximè uteretur: erant enim periti regionum, & rerum Prussicarum. Eos Prussi clàm per certos homines, qui & ipsi transfugas se simularant, magnis donis, maioribus promissis, ad proditionem pellexerunt: tempus & ratio proditionis constituitur. Magnam iam Prussiæ partem nostri depopulati, ad syluestria quædam, palustria, & uliginosa loca peruenerant, quæ in speciem herbida et compascua, limosos abscessus & uoragines occultabant: circum hæc, uti conuenerat, latebat Prussorum exercitus. Ibi transfugæ magnum numerum pecoris ad ea loca compulsum esse, magnamq; multitudinem hominum cum rebus et facultatibus suis se recepisse affirmant, persuadentq; principi, ne prædam illam contemnat. Vbi primũ agmen, quod Henricus Sendomirienſis dux Boleslai frater ducebat, ægrè aliquantũ progressum est, dictitãtibus transfugis perbreuem esse eam difficultatem: ibi signo dato subitò Prussi pedites undiq; è latebris prosiliunt, & sagittas ac omnis generis tela eminus in impeditos conijciunt. nostri neque progredi iam, aut consistere ex aduerso hostiũ, neq; regredi poterãt, terra abscedente, et equites ac pedites armatos deuorãte: & à fronte quidẽ & ab latere, acriter instabãt hostes, à tergo uerò

Religionis contemptus nõ negligendus principibus.

Prussorum defectio et excursio in Culmensem & Masouiam.

1167 anno. Polonorũ expeditio contrà Prussos.

Proditio Prussorum.

Poloni profligati à Prussis.

uerò nostri extremi primorum receptum implicabant, ita ut nihil omninò uirtuti loci esset, neq; submitti subsidia laborãtibus possent: quin ut quisq; suis opem laturus, aut hostem exultantem in cęde ulturus procurrerat, ita & ipse se, & illos quib. succurrebat, magis etiã impediebat. Eratq; miserabile spectaculum, cum nostri sine ordinibus progressi, & inopinato hostiũ occursu aut impulsi, aut perterrefacti, terga uertebant, seq; inuicem proterebant & proculcabant. Multi ibi mortales cęsi, longè plures uoraginibus absorpti sunt. Pauci per cæterorũ corpora salui ad extremum agmẽ, quod firmiori loco subsisterat, sese recepere. Ibi Henricus dux inter primos pugnans, fortiter occubuit: ibi omne penè robur Polonorũ afflictũ atq; debilitatum est. Reliquas copias Boleslaus princeps cum Miezislao fratre nihil cunctati in Poloniam tumultuariè reduxere, ne Henrici quidem fratris corpore recepto, aut perquisito. Prussi mortuorũ spolijs potiti, dijs ea suis, quib. uictoriam illã acceptam referebant, consecrarũt. Sub finem eiusdem anni edixit comitia Cracouiã Boleslaus cùm alijs de rebus, tum de Sendomiriensi atq; Lublinensi ditione, Henrico sine liberis extincto, quid fieri oporteret. Post longam consultationẽ placuit, ut Cazimiro minimo de filijs Boleslai Criuousti, qui ad eam usq; diẽ exors patrimonij fuerat, principatus ille mandaret. tametsi Sendomiriensis urbs cum territorio & alijs quibusdam proximis oppidis, consentiente Cazimiro, Boleslao Crispo concessa est, quoad uiueret, quo cõmodius onera principatus posset sustinere. Nec multo post duxit Cazimirus uxorẽ, Helenã Vuseuolodi Belzensium ducis filiã. Displicuerat id, quod factũ erat de Sendomiriensi ac Lublinensi ditione, filijs Vuladislai: existimabãtq; ij, partẽ eius aliquã post patrui mortem agnationis iure ad se pertinere. Et iam antè alienioribus erant animis à Boleslao patruo, q̃ is munitiones quasdã in Silesia, cum eam ipsis traderet, in potestate sua retinuisset. Residebant etiam in animis eorum irę ueteres, & dolor exilij, ereptiq; summi principatus, et Cracouiẽsis ditionis, quę utraq; hęreditario iure secundũ patrem sibi arrogabant. Hęc omnia percõmodam repetendi occasionem oblatã sibi esse arbitrabãtur, quòd inuisum esse offensione illa & re malè atq; inconsideratè gesta imperium nomenq; Boleslai proceribus ac equitibus plerisq; animaduertebant. Fortasse non deerant etiã, qui eos in spem recuperãdi illa uel omnia, uel pleraq;, clàm uocarent, & operã studiumq; suum pollicerentur. Itaq; apertè querebãtur de iniurijs Bolaslai principis: arma bellumq; ciuile non dissimulanter parabant: è Germania auxilia & mercenarios milites accersebant. Id ubi Boleslaus cognouit, uiriũ suarũ & offensionis popularis sibi conscius, ac ueritus ne latius incendium illud diffunderetur, neu certa finitimarum gentiũ fiducia rem illam iuuenes inceptarent, per proceres & consiliarios communes de cõponẽdis rebus agit, ijsdemq; arbitris de summo quidẽ principatu, ac de Cracouiensi, itemq; Sendomiriensi et Lublinensi ditione postulata filiorum fratris modestè refutauit, q̃ Cracouiensem ditionẽ cum summo principatu totius Polonię consensu coniunctã esse diceret: principatũ aũt iustè eiecto patre eorũ, summa omniũ uoluntate ad se delatũ, & alioqui illo è uiuis sublato, ad se qui illi esset natu proximus, nõ immeritò attinere. Porrò

Henricus dux interfectus.

Cazimirus Sendomiriensium dux creatur.

Cazimiri uxor.

Silesiorum duces in Boleslaũ principem concitantur.

Cracouiensis ditio principatui addicta.

Sendo-

Sendomirienſem ac Lublinenſem ditionem rectè fratri Cazimiro datã, quem non oporteret exortem eſſe patrimonij. Et eam fuiſſe mentem patris, ut is cęteris fratribus abſcę liberis decedẽtibus ſuccederet. De Sẽdomirienſi nonnihil ſe uoluntate eius detraxiſſe, quo rectius onera ac dignitatem principatus ſuſtineret. Idem ſe feciſſe in Sileſia, cùm fratribus cæteris, tum ſenatu uniuerſo aſſentiente. Sed tamen liberaliter ſe eis remittere & condonare, quæ ad eam uſque diem in Sileſia retinuiſſet, quo maiorem in ſe patrui benignitatem agnoſcerent. Quo iuniores illi eſſent, hoc impenſius ſe, qui ſenior & uſu rerum peritior ſit, rebus eorum conſulere æquum eſſe, ne temeritate ſua, aut prauis aliorum conſilijs ſeducti, eant præcipites. Ita deliniti iuuenes Boleslai commoditate & facilitate, procerumcę perſuaſione conquieuerunt, & naſcens etiamdum pernicioſum bellum ſuppreſſum eſt. Non ceſſarunt tamen ſeditioſi quidam è Cracoui enſi ditione homines equeſtris ordinis res nouare. Etenim conſpiratione facta, cuius capita fuêre, laxa, cuius ſuperius mentionẽ fecimus, et Suẽtoslaus, potentes & factioſi homines, ad Cazimirũ Sendomirienſem ac Lublinenſem ducem, ętate & gratia populari florentẽ, ſummũ principatum deferebant: Boleslaũ peroſi, cp ignauum & imbellem, et ineptiorem ad obeunda principatus munera eſſe dicerent: ſimul ut Miezislao, qui ętatis beneficio Boleslao ſuccedere debebat, uiam pręcluderẽt, de quo nõ optimè ſentiebant. Et egit quidẽ ipſis gratias Cazimirus de ſtudio ac iudicio: cæterùm principatũ delatum modeſtè recuſauit, quòd negaret ſuũ eſſe, fratri maiori et optimè de ſe merito principatum eripere, quẽ omni ope defenſum & adiutum ire deberet. Illos quocę non ęquum facere, qui tot annos clementi & moderato illius imperio uſi, ad extremum quaſi ueterem canem eum expellerent: & quidem bene merentẽ, & ęquitate animi prudentiacę ſua potius, quàm armis exorientia bella amolientẽ. Nam cladem Pruſsicam, qua maximè offenderentur, non tam temeritate eius, quàm diuino permiſſu acceptam eſſe. Neminem necę tam felicẽ eſſe, necę tam omnibus horis ſapere, quin offendat aliquando: perturbari etiam interdum diuinitùs conſilia principũ, & bene conſulta malè cadere, propter peccata populi. Quòd ſi deterius etiam aliquanto principatum adminiſtraſſet, quàm adminiſtrarit Boleslaus, ferri tamen eum conueniret; propter patris Boleslai optimi et maximi principis memoriam: in quem ingratiſsimi futuri eſſent, ſi progeniem eius, tolerabiliter tamen imperãtem, de principatu, quem ille maiorem in modum auxiſſet, ornaſſetcę, dejjcerent. Se quidem non modò non fore ſocium eius conſilij & periurij, uerùm etiam ſummo conatu fratri coniunctiſsimo & beneficentiſsimo opitulaturum eſſe. Ita rurſus gliſcens ciuile diſsidium Cazimiri grauitate & conſtantia ſopitum eſt. Pręerat tunc quartum decimũ annum Plocenſi eccleſię epiſcopus Vernerus, equeſtri Roſarum familia, integritate & ſanctimonia uitæ clarus, & eleganter eruditus: ei per uim & iniuriam Boleſta uir potens & uiolentus, ex ea familia ortus, quę ſoleam equi cum cruce altrinſecus ſuperpoſita inſignie gerit, Carſcũ pagũ adimebat. Erat autem is caſtellanus Viznenſis, & oram illam Pruſsis finitimã pro Bo-

Pacificatio inter cognatos duces.

Cracouiẽſis nobilitatis motus contra Boleslaum principẽ.

Cazimiri moderatio & ſapientia.

Vernerus epiſcopus Plocenſis Boleſtæ fraude occiſus.

Boleſta familia.

Ieslao Crispo administrabat. Eũ igitur comiter & blandè Vernerus per se & per amicos orat & admonet, ne uim faciat ecclesiæ. Vbi nihil proficit, in ius uocat: causam obtinet: in possessionẽ reponitur. Molestissimè id ferebat Bolesta, multaq; maledicta in mansuetum episcopũ ingerebat, & necem ei machinari cœpit. Erat ei non modica cum uicinis Prussis cõsuetudo: qui cum non pauci fortè ad eum uel ius petituri, uel compotaturi conuenissent, acceptos lautè, & bene potos, promissis etiam oneratos, noctu ad obtruncandum Vernerum, qui tunc fortè ad Biscupice uillam suam uenerat, cum Benasso fratre suo germano misit. Peragunt illi iussa: effractisq; portis, in cubiculo dormientẽ episcopum cum fratre Benedicto, monacho Benedictensis sectę, trucidant. Delituerat per eum tumultum sub lecto episcopi puer cubicularius: is igitur authores sceleris prodidit. Re cognita, archiepiscopus Gnesnẽsis Petrus, familia Szenauius, qui Ianico non multo antè successerat, de consilio & uoluntate cæterorũ episcoporum toti prouincię suę sacris interdixit. Motus & atrocitate facinoris, & interdicto Archiepiscopi Boleslaus princeps, cõprehendi Boleslaũ, & ex uinculis causam dicere apud se, condẽnatumq; in foro Gnesnensi, ubi hęc agebant, extructo rogo cremari iussit. Benassus uero post patratum illud scelus nusquã postea cõparuit: creditumq; est uulgò, eum terræ hiatu absorptũ, meritum sancto episcopo supplicium expendisse. Verneri corpus Ploscũ delatum, honorificè sepultum est. Nec ita multo pòst uarijs et salutiferis hominũ generi miraculis cœpit sepulchrũ eius celebrari: cui Lupus gente Gozembius custos eius ipsius basilicę successit. Aliquot deinde annis, quib. uixit Boleslaus Crispus, quietæ fuerunt res in Polonia, neq; memoratu dignũ quicquam gestum est. Postea moritur Boleslaus, & Cracouię sepelitur, anno Christi 1173, cum principatum Polonię annos 27 tenuisset, uixisset sex & quadraginta, relicto uno filio Lesco, cui posterius Albi cognomẽ inditum est. Nam maior natu Boleslaus paulo ante patrem obierat. Moriens tutelam filij Cazimiro fratri cõmendauit, eumq; hęredem filio substituit. Supellectilem autem omnem inter eundem fratrem, filium & uxorem partitus est. Quo quidem anno etiã Stephanus tertius Geisæ filius Vngarorum rex uita excessit, continuato ferè funere cum duob. patruis Ladislao & Stephano, qui alter post alterum infeliciter regnum eius inuaserant. Huic autẽ frater germanus Bela tertius successit. Porrò sequenti anno cum Vuladislaus rex Boemorũ senio confectus, Fridericum filium natu maximum inconsulto Friderico imperatore pro se regnum administrare iussisset, successorem ab imperatore accepit Sobeslaum, Sobeslai filium, patruelem suum, quem aliquandiu in uinculis asseruarat. A' quo cum sibi metueret, solum uertit cum uxore & liberis, & infra quartum mensem in Germania diem clausit supremum. Sobeslaus autẽ regio nomine abstinens, principatum paucos annos gessit: ac totus tunc ferè orbis Christianus mutuis bellis collidebat. Veneti quidẽ cum Vngaris & oriẽtis imperatore Emanuele de Dalmatię dominatu decertabãt. Idẽ aũt Emanuel ab Alexãdro pontif. max. nõ ignarus inimicitiarũ eius cum Friderico Barbarossa, magnis pollicitationibus

Petrus archiepiscopus Gnesnensis.

Interdictũ archiepiscopi.

Bolesta parricida uiuus exustus.

Miracula ad Verneri sepulchrum.

Lupus episcopus Plocensis.

Boleslai mors.

1173 ann.

Lescus Boleslai filius.

Stephanus rex Vng. mortuus.

Bela rex Vng.

Vuladislaus rex Boemorũ regno motus.

Sobeslaus dux Boemis datus ab imperatore.

Veneti cum Vngaris & Græcis bellũ gerũt.

Emanuel ambit occidentale imperium.

nibus ac donis occidentis imperium ambiebat. In Anglia Henricus rex Thomã Canthuarienſem archiepiſcopũ, uirum ſanctum, libertatẽ & immunitatẽ eccleſiaſticã defendentẽ, cum occidiſſet, à filio regno pellebat. Porrò Fridericus Imp. Langobardiam & Italiam uexabat, Germaniæq; motus ab Henrico Saxonũ duce concitatos compeſcebat. Verùm nos à noſtris ne lõgius recedamus. Ante obitum Boleslai Criſpi, Gedeon gẽte Gryphius, poſt Matthæum, hominẽ guloſum & helluonẽ, qui Roberto, uiro bono pioq;, Radoſsi ſucceſſori ſucceſſerat, epiſcopus Cracouienſis factus eſt: & ab Archiepiſcopo Gneſnẽſi Petro, ut tunc moris erat, aſſentiente Boleslao, confirmatus. Qui poſtea Kelce oppidum in remotis ſyluis cõdidit, in eoq; templum ſecto lapide exędificauit, & collegium ſacerdotum primariorum, quos Prælatos et canonicos uocant, iuxtà ac uicariorũ ibi inſtituit, cum eis pagos ac decimas attribuiſſet. De Matthæo uerò illud memoratũ, eum Boleslai principis nunciũ, ſubſidiũ in ſumptus belli poſtulantẽ, ad latrinam duxiſſe, & ſpurcè ibi facultates ſuas recõditas eſſe dictitaſſe. Per eadem ferè tempora Cruſuicienſis cathedra Vuladislauiam translata eſt ab Honoldo Italo, eius orę epiſcopo.

Thomæ Canthuarien. archiepiſcopi cædes.
Angliæ rex regno pulſus.
Friderici imp. acta.
Gedeon epiſcopus Cracouienſis.
Epiſcoporũ cõfirmatio ab Archiepiſcopo.
Kelcenſe oppidũ & collegiũ à Gedeone epiſcopo conditũ.
Matthæi epiſcopi Cracouien. ingluuies.
Vuladislauiam translata ſedes epiſcopi.

MIEZISLAVS SENEX.

BOLESLAI Criſpi funebribus exequijs peractis, conuentus Cracouiæ à fratribus eius, fratriſq; Vuladislai filijs, & proceribus cunctis, de creando nouo principe inſtituitur. Et quanquam omnis eius orę, quę minor Polonia dicitur, procerũ & equitũ ſtudia in Cazimirũ inclinabãt: uicit tamen maior pars, quę Miezislaũ, qui maiori Poloniæ & Pomeranię præerat, utpote natu maiorẽ, nequaquã prętereundum eſſe cenſebat. Verùm is, qui puer ob grauitatem morum & prudentiam, ſenis cognomen adeptus erat, ſuſcepto principatu, prouecta iam ætate, ſpes hominũ fefellit. Nam conſultore malo Henrico Ketlicio utens, initio ſtatim aſpero, & auaro dominatu, hominum uoluntates offendit: noua onera, noua uectigalia, & uarias exactiones equitibus iuxtà ac plebeis imponens: & leuibus de cauſis, uelut ob cæſum urſum aut ceruum, captam ue dorcam, bonorum confiſcatione multans. Solius enim tunc principis erant in Polonia omnes ubiq; uenationes. Ad hæc, præfectos etiam ſuos & miniſtros aulicos in poſſeſsiones & facultates aliorum graſſari aut iubebat, aut certè permittebat: neq; afflictorum querimonias audiebat, ſed eos inclemẽtioribus dictis à conſpectu ſuo repellebat. Iudicia et alia munera publica queſtuoſe mandabat: ita ut mirum non eſſet, plura peccari ab huiuſmodi magiſtratibus, quàm ab ipſo principe. Vendebant enim liberè, quæ ipſi emerant. Audiebantur uulgò ſuſpiria, gemitus, & querelæ calamitoſorũ hominum: quibus permotus Gedeõ Cracouienſis epiſcopus, uir magni animi & conſtantiæ, Miezislaum ſemotis arbitris adit: mixtiſq; cum grauitate blanditijs, orat & admonet placidè & benignè, more maiorum ut regnet: contentuſq; uſitatis uectigalibus, & operis hominũ, ne quid præterea à libero populo exigat. abhorrere enim uehementer animos popularium à nouis oneribus, quamuis leuibus. Magiſtratus ritè atq; ordine

Miezislaus mutauit mores.
Miezislai aſper dominatus.
Venationes principis erant in Polonia.
Magiſtratuum peccata.
Gedeon epiſcopus corripit principem.

» dignis hominibus mandet, neu quid iniuste aut crudeliter ab eis fieri pa-
» tiatur. Eius enim periculo omnes eius uicarios & ministros peccare: cõ-
Miezislai contumacia. memorabat nonnulla exempla domestica, uetustiora & recentia, quibus eum ab instituto deterrebat. Sed nihil planè profecit, nisi quòd infensum eum sibi reddidit. & ita dimissus est, ut sua curaret: illa ad ipsum nihil pertinere. Addiditq; princeps: non ad cuiusquam præscriptum, sed suo arbitratu se gesturum esse principatum. Tam superbè & procaciter reiectus Gedeon, haud remisit tamen sollicitudinem subueniendi afflictæ patriæ, atq; emendandi tyranni. Cum autem apertis monitis suis præclusum esse aditum ad aures eius intelligeret, callidè comminiscitur, quomodo suo
Sapiens cõmentum. eum sibi iudicio reuincat. mulierem subornat, quæ sordido & miserabili habitu assumpto, ubi in conspectum principis uenit, lamentabili uoce & eiulatu emẽtito opem eius implorat. Motus eius lachrymis et importuno clamore Miezislaus, accitam quid queratur, quidúe sibi uelit, rogat. Ibi illa: gregem se ouium numerosum habuisse, & filio commendasse, illũ porrò mediastinis pascendum commisisse: eorum negligentia gregem à lupis dilaniatum, secq; ad extremam inopiam inde redactam esse: rogare, ut cuius culpa damnum datum esset, ab eo præstaretur. Citati mediastini, qui pariter subornati uenerant, negant sua negligentia damnum datum esse: uerùm adolescentis, qui priuignus, non filius esset eius mulieris, culpa. Eum enim uenationi deditũ, feros canes alere: qui soluti, partim ipsi gregem laniarint, partim disiectum ac dissipatum lupis in prædam dederint. eum igitur damnum præstare oportere: se neque canes abigere, neque dispersis ouibus succurrere potuisse. Aderat & adolescẽs, crimen que in mediastinos referebat: se præsidio gregi canes alere: neq; tamen satis illorum dicta refellebat. Cognita causa Miezislaus, cum nonnihil cogitasset, condemnat matri sue nouercæ adolescentem damni infecti. Approbant, qui tum aderant senatores, principis iudicium.
Gedeonis oratio liberior ad principem. ibi tum Gedeon: Iustè, inquit, & sapienter iudicasti, princeps inclyte. Adolescens certè maternæ calamitatis & laniati gregis culpam sustinet, quippe qui eiusmodi canes apud gregem habuerit: & relaxarit: qui non modò presidio gregi aduersus lupos non fuerunt, uerùm ipsi uel concerpserunt, uel certè dissiparunt, quo magis luporũ morsibus esset obnoxius. Verùm tunc demum iusti & ueri iudicis functus eris officio, si iudicatum ipse facias: & quæ in alios statuis, primus ipse in te præstes. In te ipse nunc iustam tulisti sententiam: te ipse condemnasti. Tu filius es huius amplissimæ & florentissimæ dudum reipub. Sed tu te priuignum eius dici mauis. Tametsi non tam tua culpa hæc est, quàm aliorum. Te illa in lucem editum, ac tenerè educatum, ad hoc honoris fastigium extulit: tibi gregem suum, secq; ipsam curandam atque tuendam commendauit.
Numarij iudices. Tu porrò gregem eum numarijs iudicibus & magistratibus tradis: tu feros canes, hoc est, acerbos & crudeles exactores & præfectos facultatibus & sanguine innocentium hominum saginas: quorum cæca cupiditate & asperitate fit, tenuiores ut à potentioribus, perinde quasi à lupis
» impunè diripiantur & opprimantur. Hæc damna omnia ac incommo-

da rei-

da reipublicæ tibi præstanda sunt, quemadmodum ipse iudicasti, si non humano, at diuino quidem certè iudicio: quod nemo, quamuis magnus, quamuis potens, quamuis sapiens recusare potest, aut effugere. Quanquam autem te uolente ac iubente ista fieri, uita abs te antè acta, cuius meritò senis cognomen iam inde à puero meruisti, credere uetat, in te tamen omnis culpa hæret. tu mali occasionem das, dum canes illos tuos non coerces, dum lupos non persequeris, dum denique precio magistratus addicis. Resipisce igitur, & miseram sordidatam que matrem, afflictam rempublicam, quam florentem accepisti, respice: ne eas perditum, quàm seruare debes. Si præstare præterita non uis, aut non potes, at in posterum ne quid loci querelis hominum relinquas. Ita autem existimato, per me tibi nunc uniuersam rempublicam ad genua tua accidentem supplicare. Quod si preces eius repudias, illa quidem fortasse diuinitùs salutem & præsidium nacta fuerit: at tu ultorem Deum experiere, seueriorem fortasse, quàm cognominis tuus Miezislaus rex, quàm Boleslaus eius nominis secundus, maiores tui, quàm Vuladislaus frater; quàm denique omnes, quicunque usquam auarè & crudeliter dominati sunt: quando quidem eorum exemplis & exitu non commoueris. Incensus hac oratione episcopi Miezislaus, fremens è senatu se proripuit: multa Gedeoni, multa cæteris senatoribus, qui Gedeonis dicta approbare uidebantur, minitans: & plusculum iræ & odio suo indulgens, grauior etiam deinceps hominibus esse pergit. Fortè is in maiorem Poloniam proficiscebatur: eam occasionem nacti primores, cum auctam etiam esse monendo acerbitatem principis uiderent, & minas atq; sæuitiam eius cũ animis suis reputarent, conueniunt certo loco, & secretò inter se de salute sua & reipublicæ consultant. Princeps Gedeon, amouendum esse principatu Miezislaum, tam præfractum & impotenter dominantem, censet. Eius sententiam sequuntur cæteri: sed unus omnes premebat scrupulus, quem ei successorem darent. Ibi Stephanus palatinus Cracouiensis, Cazimirum Sendomirienſium ducem nominat: grauitatem eius, humanitatem, facilitatem, iustitiam, solertiam, uigilantiam, & animi moderationem prædicat, iudicium ac diligentiam in mandandis iudicijs & magistratibus, liberalitatem in remunerandis rectè factis, seueritatem in puniendis sceleribus & flagitijs etiam suorum ministrorum, in primis laudat. Quàm sit fratris dissimilis, uel uno facto eius posse recognosci. Accidisse aliquando, ut cum aulico quodam suo equite, Ioanne Conario, alea luderet animi oblectandi gratia. Incensum utrunque uincendi studio, in profundam noctem ludum produxisse: pertæsos deinde ludi & uigiliarum, uno iactu summam reliqui lusisse: uincentem que Cazimirum, & quod lucratus erat argentum non modicum auferentem, palma manus in faciem à Conario ictum esse: illum que noctis beneficio elapsum, postridie inuentum, & ad Cazimirum adductum. Clamantibus autem cunctis, eum capitis pœnam commeruisse, qui principis maiestatẽ imminuisset: Minimè gentium, inquit Cazimirus, eum occidi oportere, qui dolore grandis iacturæ incogitans

Miezislai contumacia.

Procerum de principe consultatio.

Cazimiri Sendomirienſiũ ducis laus.

Iustitiæ & moderationis insigne exemplũ.

gitans deliquisset: & cum fortunam, à qua damno affectus erat, ulcisci
» non posset, in se fortunæ alumnum commotus esset: se magis in culpa
» esse, qui conditionis suæ ac dignitatis oblitus, eum ad ludendum pro-
» uocasset. Non modò igitur se illum absoluere, uerùm etiam gratias ipsi
» agere, & se ictu illo admonuisset, ne quid indignum principe in se admit-
» teret, neu se ludo, aut ulli rei leui ac inhonestę deinceps daret. Sic igitur il
lum principē, seueriorem in sese quàm in alios iudicem, homini à quo læ-
sus erat, omnium iudicijs damnato, indulsisse. Quin & argentum omne
quod ludo quęsierat, ipsi reddidisse. Ad eum igitur deferēdum esse prin-
cipatum: eum iure & more Miezislao succedere debere: eum fama uirtu
tum suarum & gratia plurimùm ualere apud omnes ordines, ita ut ei ni-
hil negocij futurum sit: uim Miezislai, si is principatum repetat, repelle-
re. Si recuset, consensu suo & authoritate reip. cuius ipsi personam susti-
neant, uel inuitum cogendum esse, ut causam publicā suscipiat. Huic sen-
tentię cum omnes assensi essent, indidem ad Cazimirum rectà contende
runt: eum recusantem, & pietatem suam, ætatis que fraternæ prærogati-
uam causantem, & repudiatum à se prius eundem principatum comme-
morantem, excipiunt illi & refellunt: quòd dicerent, longè diuersam esse
rationem huius temporis à superiori: quòd tunc quidem priuatorū quo
rundam consilio & conspiratione delatum principatum non sine iusta
fugillatione uiolati officij in optimè de se meritum, & iustè imperantem
fratrem Boleslaum, accepturus fuerit. Nunc uerò Miezislai mores atq;
tyrannidem publicè perosis omnibus, neque diutius tolerare ualētibus,
à publico eum consilio rogari & flagitari, ut afflictæ & oppressæ patriæ
subueniat. Si persistat recusando, uideat, ne ingratus et impius in patriā
iudicetur, neue ea aliunde opem sibi petere necesse habeat. His atq; alijs
dictis uix tandem eum, ut postulatis suis annueret, impulerunt. Sic Mie
zislaus cum non multum supra quatuor annos asperè & impotenter do
minatus esset, absens principatu deiectus est, anno post Christum na-
tum 1177. Quo quidem anno cum Alexander tertius pontifex max. Fri-
derici imperatoris uim metuens, ad Venetos confugisset, & Otto impe-
peratoris filius cum classe pontificem repetens, à Venetis uictus & ca-
ptus esset, pax Italiæ reddita est. In Asia uerò Emanuel Orientis impera-
tor in prælio quodam captus à Turcis, mox ex pacto dimissus, paulo
pòst obijt, Alexium filium puerum adhuc hæredem relinquens. Quem
cum breui Andronicus, tutor à patre datus, extinxisset, imperiū uacans
occupauit. Ad nostra reuertamur.

Cazimirus reluctās ad principatum uocatur.

Miezislaus quandiu principatum obtinuerit.

1177 ann.

Alexāder papa tertius fugit ad Venetos.

Otto Fri. imp. filius captus.

Emanuel Const. imperator captus & mortuus.

CAZIMIRVS.

CAZIMIRVS igitur ad ineundum principatum, redigendum que in suam ditionem Cracouiensem tractum, qui principatui peculiariter attributus erat, paruo comitatu profectus est: ne nō accitus, sed uelut inuasor alieni, uenire uideretur. Venienti magna cum lætitia & gratulatione obuiam prodijt ingens omnis generis atque ordinis multitudo, liberatorem & seruatorem eum salutans. Cracouiensis quoque urbis

atq;

atq; arcis portę ei apertę sunt, et breui nemine aduersante rerum potitus est. Certior aũt de exclusione sua factus Miezislaus, cũ intelligeret summo totius conuentus Cracouiensis consensu Cazimirũ fratrem receptũ esse, & ita se comparare, ut nihil domesticas ipsius uires atq; potentiã reformidaret, ad externa sibi auxilia confugiendũ existimauit. Habebat magnas cum finitimis principibus necessitudines, pleraſq; affinitatibus cõstitutas. nam generi eius erant Sobeslaus Boemorũ princeps, Saxonum item atq; Lotariorũ siue Lotoringorum duces, quemadmodũ uult Dlugossus. Ac apud Saxonas quidẽ Henricũ, cuius mentionẽ superius fecimus, tunc dominatum esse, eundemq; Norico prefuisse reperio. De Lotoringo uerò nihil constat: nec eum, aut quenquã alium pręter hos duos Miezislao generũ tunc fuisse Vincentius memorat, quorũ is opẽ implorarit. Hi uerò rogati, nihil tunc opis socero attulerũt, partim domesticis dissensionibus atq; bellis, partim auxilijs imperatori mittendis in Italiã & Asiam, quemadmodum Dlugossus scribit, impediti. Sobeslaus quidẽ Boemus à Friderico Vuladislai defuncti regis filio graui bello premebatur: à quo etiam ad extremum uictus, & principatu eiectus est. Saxonum uerò dux Henricus cum Fridericum imperatorẽ in Langobardia bellũ gerentem deseruisset, & Germanos in eum concitaret, absens in comitijs Germanorũ dãnatus ab imperatore, dominatu ferè omni exutus est: ut scribit H. Mutius. Nam Asiatica expeditio posterius à Friderico comparata est. Deiectum autẽ de spe externorum auxiliorum Miezislaum, ac de recuperãdo principatu sollicitum, grauior etiam casus perculit. Otto enim filius eius natu maximus, procerũ quorundã fauore & ope fretus, maiorẽ etiam Poloniã, quæ in fide Miezislai adhuc erat, occupatis nonnullis arcibus & munitionibus, ipse eripuit, missisq; ad Cazimirum legatis, in potestate eius fore se, & imperata facturum recepit: iratus patri, cui is pręcipua quæq; ditionis suę natu minoribus filijs, è tertia uxore susceptis, destinabat. Lubens hoc accepit Cazimirus, & potiri paternę ditionis Ottonem facile passus est: Gnesnam modò, propter ueterem loci dignitatem, quippe quę metropolis Polonię fuisset, in potestatem suam redegit. Exemplũ Ottonis Pomerani quoq; proceres secuti sunt, & in Cazimiri fidem se contulerunt. Atq; is citeriori quidem Pomeraniæ, cuius Gdanum, siue Dãtiscum caput est, Samborium comitẽ Ziræ, quẽ Lesco puero fratris filio curatorem dederat, filium, ut uult Vincentius: ulteriori uerò, quę Slupensis, & corrupto nomine Stolpensis dicitur, Boguslaũ siue ducẽ siue comitẽ gente Gryphiũ præfecit. Quorũ uterq; posteriori tẽpore non pro prefecto, sed pro domino atq; principe gerere se cœpit, conciliatis sibi populariũ et uicinorũ studijs. Quanquã perplexi hic sunt nostri scriptores, quod ad res Pomeranicas attinet. Nam qui hic Pomeraniã omnem à Miezislao ad Cazimirũ deficientẽ, duob. prefectis gubernandã mandatã esse scribunt, ijdẽ alibi ante hęc tẽpora Sobeslaũ, et filios eius Mesciugũ & Samboriũ duces Pomeranorũ memorãt: Boguslaũ etiã à Criuousto Boleslao Pomeranis & Cassubijs ducẽ datũ esse testantẽ. Ad hęc Boguslaũ patrẽ & filiũ duces maritimæ oræ, generos Miezislai;

Miezislai cõnatus ad recuperãdum principatum.

Miezislai affines.

Boemici motus.

Sobeslaus principatu eiectus.

Henricus Saxo dominatu pulsus.

Miezislaus senex ab Ottone filio pulsus.

Gnesna Cazimiro conceditur.

Pomerani à Miezislao ad Cazimirum deficiunt.

Pomeraniæ præfecti.

Pome-

Pomeranorum uerò & Rugianorũ ducum filias cum eiuſdem Miezislai filijs nuptas fuiſſe produnt. Poſterius aũt Leſcum principẽ, Pomeranorum precibus exoratum, ꝙ ij quererent nimis longè ſe à principe, Craco uię ferè degente, ius petere, Suentopelco Meſciugi ducis filio pręfecturã Pomeranię cum ſumma poteſtate mandaſſe, & Gdanenſem Suecẽſeḿꝙ palatinos ei parêre iuſsiſſe: atꝙ eum ipſum deniꝙ Suentopelcum principatum Pomeranię arripuiſſe. Nos hanc difficultatẽ ſic explicabimus. Pomeranię nomẽ longè lateꝙ patuit, atꝙ etiam nũc patet, in eo tractu, qui eſt ſecundum mare Sarmaticum, unde etiam nomẽ habet. Eam à ſuis ducibus longè ante hęc tẽpora gubernatã fuiſſe, teſtes ſunt Saxo Grammaticus Danicę hiſtorię ſcriptor, & Albertus Crantius, et nos etiã ſuperius aliquoties indicauimus. E' quibus Varcislaũ, de Popeli fortaſſe poſteris ortum, Boleslai Criuouſti opera cum gẽte ſua ad religionem Chriſtianã conuerſum fuiſſe illi memorãt. Nos etiã è Dlugoſſo et Vincentio magnã Pomeraniæ partem ab eodem Boleslao detractam: reliquæ Boguslaum (Varcislai illius, ni fallimur, filium) ducem datũ, ſeu uerius relictũ eſſe retulimus. Hic aũt Boguslaus cum à Friderico incitatus Danos bello prouocaſſet, ut ſcribit Crãtius, ab eis uictus fractuśꝙ, Vologoſtum, Iulinũ, Oſnam, Camenũ urbes, et alia nonnulla minora oppida à Danis capta, amiſit. Cętera, ut uidetur, reitnuit, cum ſe ad Polonorũ opes cõtuliſſet: in quorũ fide et cliẽtela metu Danorũ deinceps etiã manſit. Atꝙ hęc eſt Pomerania Slupenſis, ſiue Stolpenſis, à Polonis remotior. Citerior uerò à Boleslao Criouſto ſubacta, à pręfectis eius, ac deinde filij eius Miezislai cognomento ſenis adminiſtrata, cũ ad Cazimirũ, uti dudum oſtẽdimus, defeciſſet, ab eo Samboriũ ſatrapam ſiue pręfectũ accepit: qui & ipſe poſtea pro principe ſe geſsit, & Oliuenſe monaſteriũ uno ab urbe Gdano milliario Ciſtercienſibus monachis cõdidit. Leſcus deinde Cazimiri huius filius, Polonię principatũ adeptus, Suẽtopelcũ Meſciugi (ſiue is Sãborij frater, ſiue alioqui prępotẽs in ea gẽte uir fuit) filiũ, orę illi pręfecit: ad quẽ ij Pomerani, qui à Danis ſubacti erant, defecerunt: quo ſucceſſu ille auctus & elatus, contemptis Polonorũ uirib. & imperio, principatũ arripuit, aut certè à patruo patreꝙ ſuo, diſsimulanter tamen, uſurpatum, apertè et ex profeſſo ſibi uendicare & gerere cœpit, et ad poſteros tranſmiſit. Fieri autẽ poteſt, ut librariorũ errore, Meſciugi & Samborij pater Sobeslaus pro Ziroslao, qui idẽ eſt Zira, apud Vincẽtiũ ac Dlugoſſum legatur. Nec inuſitatũ eſt Dlugoſſo temporũ rationẽ peruertere, et nonnullos non ſuis titulis appellare: quod hic quoꝙ accidere ei potuit: nempe ut ante hęc tempora ducũ nominib. appellauerit eos qui poſterius ea uſurparunt: & generos affineſ́ꝙ Miezislai uocarit, qui poſtea facti ſunt, uel etiã nunquã fuerunt. Vincentius quidem Meſciugum duntaxat quæſtorẽ & generũ fuiſſe Miczislai memorat. Recuperauere deinde Poloni magnã Pomeranię citerioris partẽ, id quod ſuo loco narrabitur. Vlteriorem uerò partim cùm ab alijs uicinis, tũ à Marchionib. Brandenburgenſibus acciſam, partim citerioris detrimentis auctam, duces etiamnum retinent: ſed ſtirpis Germanicæ, & Romano imperatori obnoxij. Tametſi

Gdanenſis & Suecenſis palatini.

Pomeraniæ deſcriptio, & nomen.

Pomeraniæ ulterioris duces.

Varcislaus dux Pomer. Chriſtianus.

Boguslaus dux Pomeranorum à Danis uictus.

Boguslaus in cliemtela Polonorum.

Stolpenſis.

Pomeraniæ citerioris ducum origo.

Samborius ſatrapa.

Oliuenſe monaſteriũ conditũ.

Suentopelcus præfectus Pomeran. principatum arripuit.

Dlugoſſi incuria.

Meſciugus quæſtor & gener Miezislai.

Pomerania ditionis Polonicæ.

Pomeraniæ fines mutati.

Pomeraniæ duces clientes imperat. è Polon.

ijdem

ijdem Bythouię arcis,& Lẽburgi urbis nomine beneficiarij sunt,& clientes regum Polonorum. Sed nos ad historiam cursum reflectamus. Pulsus & exclusus omni suo dominatu Miezislaus, Ratiboriam cum uxore & liberis se recepit. Inde ad Fridericum imperatorẽ affinem suum profectus,cũ nequicquã opẽ eius imploraſſet, propterea quòd is & Italicis rebus distinebatur,& in Asiã expeditionem parabat:reuersus,& omni auxilio destitutus,ad fratris misericordiã per internuncios cõfugit. nec sanè durũ se et inexorabilẽ Cazimirus fratri calamitoso,& supplici,& summo principatu sese abdicanti, suamq; modò portionẽ petenti, præbuit. Indignum enim iudicabat, fratrẽ nihil malè unquã de se meritum,filij sceIere omnib.fortunis exutum,exulare & egere:cõmouebat etiam eum ingens illa in fratre fortunę mutatio, & inconstans humanarum rerum cõditio. Itaq; ad senatum de reuocando Miezislao, & ad dominatum suũ restituendo refert.Grauiter cunctus senatus,& nõ obscuro murmure eã orationẽ principis excepit: petitoq; seorsum ab ipso colloquendi & consultandi spacio,obiurgat principem,q; priuatum officium publicæ saluti atq; tranquillitati anteferret,presentemq; pestem optimè de se merenti patrię,ac sibi ipsi quoq; uellet accersere. Illum nunquã conquieturum, neq; ullam recuperandi summi principatus occasionẽ prætermissurum esse:nihil de moribus & crudelitate sua mutaturum,electionis suæ recordatione. Desineret itaque restitutionis illius mentionem facere, aut ipse quoq; sibi ab infensa Miezislao multitudine caueret. Hoc responso senatus deterritus Cazimirus, gratias agere singulis de tam constanti erga se uoluntate,neq; quicquam deinceps apertè de reuocando Miezislao mouere:clàm tamen,uincente misericordia & pietate,impensius ipsi fauere, & ut sibi aliqua ratione prospiceret,monere: non aduersante se id facturum esse.Habebat Miezislaus filiam nuptam cum Mesciugo, cuius mentionem paulo antè fecimus, siue is oræ maritimæ princeps fuit, ut uult Dlugossus:siue satrapa & quæstor Miezislai in Pomerania,quemadmodum Vincentius prodidit, qui eum Miezislao in illa demum aduersa ipsius fortuna generum factum esse indicat. Florebat autem is opibus & gratia populari inter Pomeranos.Eius igitur opera reconciliatis sibi Pomeranis,& collecta aliquanta manu, inopinantibus omnibus Gnesnam intercepit: nec mora,complures alias munitiones partim ui, partim per deditionem recepit,non ignaro,uerum conniuente Cazimiro. Quibus rebus consternatus Otto, petita & impetrata uenia, patris protestati sese omniaq; permisit. Sic Miezislaus post biennium rursus omni dominatu suo à patre attributo potitus est. Cazimirus uerò initio statim principatus sui,uectigalia illa & labores,cęteraq; onera,quibus instituendis & exigendis Miezislaus offenderat,sustulit: iudicia correxit: magistratuũ licentiam coercuit, infinitam que potestatem circumscripsit: calumniatores uel exilio multauit, uel inusta fronte aut facie notauit. Ad maiora deinde animum intendit. Inoleuerat superiorum principũ negligẽtia & conniuentia prauus & barbarus mos apud proceres & equites Polonos,ut iter facientes,quotiescunq; & ubicunq; collibitũ esset,agros atq;

Miezislai exilium.

Cazimiri pietas.

Senatus principi aduersatur.

Miezislaus Pomeranorum opę ditionẽ suã recuperat.

Otto Miezislao patri recõciliatus.

Cazimiri studia digna principe.

Barbara procerum immanitas lege abrogata.

prata agrestium & oppidanorum depascerentur, ac non modò pabulũ, sed etiam uictum omnem ipsis imperarent, siue adeò ipsi effractis horreis atq; cellis per uim auferrent: neq; contenti quantum libuisset absumpsisse, reliquum etiam malicioſe profundebant, dissipabant, & corrumpebant, iumenta è pascuis & stabulis, atq; etiam iuncta curribus & aratris, utenda, uel potius ad cursum abutenda abducebant: eaq; uel defatigata & enecta dimittebant, uel si fortè placuissent, retinebant, & usurpabant. Ad hæc in possessiones & facultates morientium episcoporum, ac cæterorum sacerdotum inuadebant, easq; crudeliter diripiebant. Quin & prefecti principis idem faciebãt, & principis horrea, prædia, fiscumq; bonis cultus diuini ministris & egentibus addictis, augebãt. Hęc quãuis iniqua, iniusta, crudelia, et impia, quãuis acerba miseris hominibus et intolerabilia: tamen quia longa consuetudine inueterauerant, legisq; uim propemodum obtinebant, et à proceribus, quibus erant utilia, defendebantur, perdifficile erat abrogare. Sed tamen anno Christi 1180 comitijs apud Lenciciam habitis, omni cura studioq; contendit & perfecit Cazimirus, & legem pertulit, qua barbari illi, & indigni Christiano populo mores & abusus omnino sublati sunt. Ac ne quando resumerentur, octo episcopi, qui in ijs comitijs aderant, de synodi eam ob rem institutæ sententia, graui anathemate, audiente & assentiente uniuerso conuentu execrati sunt, dirisq; deuouerunt, quicunq; in posterum agricolę cuipiã pabulum, annonam, obsonium, iumentumue ui aut arte aliqua, præterquã ad hostium aduentum denunciãdum, rapuisset, rapiue iussisset: item qui in bona episcoporum & sacerdotum decidentium inuasisset, aut inuasorem recepisset, adiuuisset, defendisset, quocunq; is tandẽ esset genere, honore ac dignitate, etiam summa, præditus. Fuêre uerò episcopi qui hæc decreuerunt, Zdislaus archiepiscopus Gnesnensis, qui non multo antè Petro defuncto succesſerat, Gedeon Cracouiensis episcopus, Ziroslaus Vuratislauiensis, Onoldus Vuladislauiensis, Cherubim Posnaniensis, Lupus Plocensis, Conradus Camenensis, Gaudẽtius Lubussensis. Interfuerunt etiam ijs comitijs Otto Posnaniensis, Boleslaus Vuratislauiensis, & Lescus Masouiensis, duces. Deinde legati ex eo conuentu ad pontificem maximum, de confirmando salutari illo & pio decreto simul & constitutione missi, facilè, quod petebant, ab Alexandro tertio impetrarũt. Domesticos quoq; motus quosdã per ea tẽpora excitatos, optimus princeps placidè & sine bello composuit, ita ut nulla non pars reip. curata, ac melius quàm dudũ constituta esse uideret. Obtinebant Silesiæ dominatũ certis ac distinctis finibus Vuladislai filij, quẽadmodũ superius exposuimus. ex his Miezislaus sorte sua nõ cõtentus, Vuratislauiã Boleslao ademerat: uerum Cazimirus inter eos pacem fecit, & Boleslao quidem Vuratislauiam restituit, Miezislao uerò, quo equiori animo conquiesceret, Osuencimense territoriũ de suo largitus est: filiũq; tũc ei natũ, è sacro fonte susceþit, ac de suo nomine Cazimirũ appellauit. Nam quod Dlugossus etiã Bythoniense territoriũ Miezislao tũc à Cazimiro donatũ esse scribit, nõ placet. Iam inde enim ab initio ille id adeptus erat, sicuti

Ecclesiastica bona uexati.

1180 ann. Comitia Lenciciæ.

Synodus Lenciciæ.

Execratio uim facientium bonis ecclesiasticis, et agrestiũ.

Episcopi Poloni. Zdislaus archiepiscopus.

Silesiorum duces recõciliati.

Osuencimense territoriũ Silesiæ additũ.

nos

nos ex eiusdem Dlugossi sententia suprà memorauimus. Subdit idem Dlugossus, Brestensem, Drohicinensem, Vuladimiriensem & Pręmisliensem oram omnem, quę non parua est pars Russiæ, tunc à Cazimiro in potestatem redactã esse. Ac Brestensem quidẽ, cum à Polonis defecisset, à Cazimiro mox receptam esse, etiam Vincentius, quo uiuente hæc acta sunt, memorię prodidit: de cęteris nullam facit mentionẽ. Verùm Drohicinensem non incredibile est pariter in potestatem Polonorũ uenisse, quippe quę Brestensi proxima sit: Pręmisliensem, necessariũ etiam, si ad hostes reciderat. Neq; enim penetrare ad Haliciam cum exercitu Cazimirus potuit, ut statim exponemus, nisi per Præmisliensem terram. Cæterùm Vuladimiriensem tractum, Belzensi & Chelmensi, qui intermedij sunt, saluis & intactis receptum, aut adeò aditum esse, minus uerisimile est. Nisi fortè posterius uictis prælio Russis, Vuladimiriensium dux Romanus in fidem Polonorum se cum suis tradidit. Adfuit quidem Cazimiri filio Lesco, quod suo loco indicabitur, ex fœdere euocatus. Addit Dlugossus, Cazimirum Breste oppido intra duodecimum, posteaquam id oppugnare cœpit, diem, potitum esse: authores defectionis, capitis pœna affecisse: arcem supra oppidum extruxisse, eiq; præsidium imposuisse: atque hæc anno Christi 1182 acta esse. Inde porrò ad Haliciam duxisse exercitum, Mescislaum ducem quasi nothum à fratribus pulsum, reducentem. Molestè ferebant eam expeditionem plerique proceres, fortassis recordatione cladis apud illud oppidum Criuousto Boleslao regnante acceptæ: mussitabant'que, se ad externum & iniustum bellum pro notho contra iustos duces & hæredes, procul domo educi. Hæc ad Cazimirum cum perferrentur, dissimulauit, & in proposito perstitit. Ad Haliciam uentum erat, cum nunciatur, Vuseuolodum Belzensium, & Volodimirum Haliciensium ducem, Mescislai exulis fratrem cum magnis copijs, ac cæterorum Russorum auxilijs appropinquare. Tunc uerò apertè nostri fremere in principem, & in Nicolaum palatinum Cracouiensem, ductorem exercitus, uelut authorem illius expeditionis: queri, se planè prodi hostibus. Contrà Russi alacres, & pleni bonæ spei ex responsis sagarum, magorum & aruspicum, quibus ea gens, quamuis Christiana, apprimè dedita est, prospera omnia suis pollicentium, conuitijs nostros lacessebant. Nihil his commotus Cazimirus, paucis pro tempore milites ad pręlium capessendum cohortatur: eosdem esse hostes, quos ipsi cùm aliàs sępenumero, tum superioribus aliquot annis apud Posnaniam, fratribus suis ducibus, pauci multos uicissent atque profligassent: alacritatem illam inconsultæ temeritatis, conuicia uerò mulierositatis esse argumentum. Ipsi qui se uiros semper, quàm mulieres esse maluissent, manu ferroq; maledicas linguas ulciscerentur: se'que indignos esse illis maledictis, dignos maioribus suis Russiæ domitoribus ostenderent: & manibus partim patrũ, partim propinquorũ suorũ, qui ijs ipsis in locis, non uirtute, sed dolo ac proditione uicti cecidissent, sanguine perfidorũ hostium parentarent. His animatos in aciem educit: ac sinistro quidẽ cornu Palatinũ Cracouiensem pręficit,

Russiæ pars recuperata Polonis.

Breste Lituaniens. receptum à Polonis.

1182 ann.

Haliciense bellum.

Polonorum fremitus.

Russi magis & sagis dediti.

Cazimiri oratio ad milites.

ipſe uerò dextrum adminiſtrat: nec mora, ſignis, canere iuſsis, pugnandi poteſtatem facit. explicant & Ruſsi ſuas acies: concurrit infeſtis animis, ac durum prælium committitur. Premebantur noſtri in ſiniſtro cornu à ſagittarijs, nec iam ſatis ſeruabant ordines. Ibi Cazimirus re intellecta, ſubſidium ſuis laborantibus ſubmittit: ſiue adeò ipſe ſatagens, ut ſcribit Vincentius, magno uitæ ſuæ periculo ſuccurrit, & inclinatam aciem uix reſtituit. Reprimuntur deinde feroces Ruſsi, & mox cõmutata fortuna, pedem referre incipiunt. Inſtant noſtri acrius turbatis ac trepidantibus: & cohortati ſeſe mutuò, in fugã eos cõijciunt. Quo animaduerſo cæteri, qui dextrũ noſtrorũ cornu adhuc ſuſtinebãt, terga uertunt & ipſi: perſequunt noſtri: maiorẽ longè in fugiẽtibus, quàm dudũ in reſiſtẽtibus, ſtragẽ edunt: permultos uiuos capiũt: duces hoſtiũ cõmutandis equis euaſere. Deinde reuerſi noſtri, caſtra opulenta diripiunt: Halicienſes mox deditionem fecere. Quibus Cazimirus Meſcislaum ducem præfecit, accepto ab eo iureiurando, quòd ſemper in fide & clientela principum Poloniæ futurus eſſet. Aliquanto aliter hæc prodit Vincentius. Nempe ſtatim poſt receptum Breſte Cazimirum de aduentu hoſtium certiorem factum, diſsipatis ſuis, cum parua manu ferociter & animoſè in multos & inſtructos impetum feciſſe, & per hoſtilem aciem cum uictrice aquila penetraſſe. Id conſpicatos cæteros Polonos, & ipſos perturbatis hoſtibus inſtitiſſe: atque ita parta uictoria, fugatis que hoſtium ducibus, Cazimirum ad Haliciam contendiſſe, eiuſ que dominatum Meſcislao ſororis ſuæ filio tradidiſſe. Dum hæc in Ruſsia geruntur, Miezislaus ſenex, iam antè ad omnem recuperandi ſummi principatus occaſionem intentus, & multa ſæpe apud ſuos de Cazimiro fratre queſtus, conatuſ que clàm procerum animos ab eo alienare, ac ſibi adiungere, tunc uerò abſente Cazimiro magis etiam curam atque cogitationem ſuam omnem in id ſtudium intendit: Leſcum Boleslai fratris filium blanditijs captabat, Ziram que comitem, qui curator Leſco à Cazimiro datus, Maſouiam atque Cuiauiam omnem, & Leſci conſilia gubernabat, muneribus & ingentibus promiſsis, & fallacibus dictis induxit, ut ipſe à Leſco, qui lento morbo conſumebatur, hæres ſcriberetur, tutor que reiecto Cazimiro nuncuparetur. Videbat enim permultum rebus atque uiribus ſuis acceſſurum eſſe, ſi Maſouiam & Cuiauiam ſibi adiunxiſſet. Et expugnata quidem eſt adoleſcentis conſtantia, curatoris perſuaſione, quòd is uerebatur, ne paulo pòſt à curatione illa Miezislai authoritate amoueretur. Aſſeuerabat enim Miezislaus, conueniſſe ſibi ſecreto cum Cazimiro fratre, ut pro interuerſo principatu ius ſuccedendi Leſco haberet. Igitur cum à Ruſsica expeditione Maſouij & Cuiauij reuertiſſent, iurant omnes in uerba Miezislai, iubente Leſco. Id cum accepiſſet Cazimirus, nihil temerè & præcipitanter agere, uerùm tacitus apud ſe, quid nam facto opus eſſet, cogitare. A ciuili quidem bello uehementer abhorrebat: inſultare ipſi plericq proceres, & intempeſtiua lenitate ſua & miſericordia eò redactus eſſet, ut hoſtem experiretur, cui ipſe impenſius indulſiſſet, quemcq meritò pulſum exulem pati nequiuiſſet. Fere

bat

Cazimiri uictoria de Ruſsis.

Meſcislaus in Halicienſem principatũ reſtitutus, in fide & clientela Polonorum principum ſe fore promittit.

Miezislaus Maſouia & Cuiauia potitur.

Zira curator Leſci.

Miezislaus hæres à Leſco, tutorq; ſcriptus.

Cazimiri lenitas & manſuetudo.

bat tamen hæc æquo animo Cazimirus, & quauis ratione, quàm armis, fratrem, & alterius fratris filium sanare, & ius suum recuperare malebat. Et citò sanè mansuetudini & lenitati eius fortuna respõdit. Nam ut Miezislaus curationem Lesci, ac dominatus eius administrationẽ iniit, amouit ueteres prefectos & magistratus in Masouia & Cuiauia, nouosq; arbitratu suo instituit, ac pro domino, non pro curatore gerere se cœpit. Molestè ferebat Lescus, negligi se, uiuentemq; dominatu suo penè excludi: Zira uerò authoritate sua excidisse se, & ad extremùm contemptũ spretumque iri animaduertebat. Vtrunque pœnitebat præcipitis consilij, quo se ab optimo & benignissimo principe Cazimiro alienassent, & ultimam patris uoluntatem temerè immutassent. Ad hæc, quo magis insignem illam iniuriam dissimulabat Cazimirus, hoc magis iram & potẽtiam eius reformidabant. Itaque optimum factu rati, malè consulta emendare, ad Cazimirum cum primoribus Masouijs & Cuiauijs proficiscuntur. Fatentur peccatum: excusant imprudenter uerius, quàm malicioſè factum: deceptos se esse, & in fraudem inductos à Miezislao, quòd ei credidissent affirmanti, ita sibi cum Cazimiro constitutum esse, ut ipse Lesco hæres esset, procidunt: errati ueniam petunt: orant, & obsecrant lachrymantes, ut se in gratiam fidemque recipiat: deierant fore se deinceps semper in potestate eius, & Miezislaum cum magistratibus eius propulsaturos. Ignoscit Cazimirus supplicibus, comiter prius castigatis: & quòd resipuissent, collaudatis. inde Lescum amplexatus, osculatus, & ampliter muneratus, flens dimittit, & ad recipienda sua reuerti iubet. Atque ita ille fecit: & uix biennium postea uixit. Cum autem diurno ac perpetuo morbo exhaustus, destitui se uiribus & uitali uigore sentiret, Cazimirum ad se accersijt, & se uiuente Masouiæ & Cuiauiæ possessionem adire iussit, ne quid postea Miezislaus turbaret. Mortuus, Plosci à Cazimiro honorificè sepultus est. Ex eo tempore Masouia semper, Cuiauia etiam aliquandiu deinceps in ditione Cazimiri, & posterorum eius permansit. Ægrè successionẽ illam Cazimiri tulit Miezislaus, quòd diceret, iure se quoque è semisse fratris filio hæredem esse. Sed tamen gratiam & potentiam Cazimiri reueritus, quieuit. Anno deinde post Christum natum millesimo centesimo octogesimo quinto, bellum Russicum, & ex eo natum Vngaricum, Cazimirum excepit, ex huiusmodi causa. Mescislaus ad Halicienſem principatum à Cazimiro, quemadmodum superius exposuimus, reductus, uix exacto triennio propter impotentem dominatum, & quòd Polonos milites circum se præsidij causa habebat, in eos que erat propensior, parum fidei suis habens, ueneno sublatus est: & reuocatus Volodimirus ex Vngaria, quò se ex aduerso illo Halicienſi prælio receperat. Atque is quòd audierat Romanum Vuladimirienſium ducẽ, fratris sui filium, à Cazimiro Polonorum principe missum Haliciam contendere, cõmeatum, auxilia & reductionem à Bela rege Vngarorũ petijt. Sed non modò non impetrauit, uerùm etiam in uincula coniectus est: missusque celeriter cum non contemnenda manu à Bela Andreas filius, qui

Lesci pœnitentia.

Cazimirus Masouiam & Cuiauiã redigit in potestatẽ suã.

Lescus mortuus.

1185 ann.

Mescislaus dux Halicienſium ueneno ſublatus à ſuis.

Volodimirus à Bela rege Vngar. captus.

Vngari Halicíam interuertunt.

Haliciam in ditionem ſuam redigeret. Venienti Andreę magno cũ plau ſu Halicienſes portas arcis aperiunt, rati Volodimiri eum, nõ ſuam rem agere, pręſertim affirmante illo, Volodimirum ponè ſe ſequi. Occupata arce, profitetur id quod erat, non Volodimiro, ſed ſibi ſe dominatũ quæ ſiuiſſe. Deinde iurare omnes in uerba ſua cogit. Renuentes, aut cunctantes modò, capit: cęteros arce excludit, magiſtratibus amouet, ac per ſuos Vngaros omnia adminiſtrat. Cæterùm Volodimirus tam apertè circumſcriptus à Bela, cum biennium ferè in cuſtodia aſſeruatus eſſet, corruptis cuſtodibus effugit, iiſdemq; ducibus atque comitibus Haliciam peruenit: ſed arce tamen potiri non potuit, tenentibus eam ac defendentibus Vngaris. Confluxere mox ad eum Ruſsi, cum quibus uiciniam omnem latrociniis infeſtare cœpit, ingentesq; que prædas hominum, pecudum & iumentorum etiam è Premislienſi tractu, qui tunc in ditione Cazimiri & Polonorum erat, egit. Non tulit id Cazimirus: uerùm miſſo cum expeditis copiis Nicolao Cracouienſi palatino, prædatores illos perſecutus, in remotiores ſyluas ac montes, quibus Polonia et Ruſsia ab Vngaria diſiungitur, propulit. Cum autem in anguſto res ſuas poſitas eſſe Volodimirus ſecum perpenderet, iamq; non tam de recuperanda Halicia, quàm de ſalute ſua cogeretur eſſe ſollicitus, damnabat ipſe conſilium ſuum, quòd Ruſſos atque Polonos, à quibus auxilium ſperare debuerat, parui compendij cauſa in ſe prouocaſſet. Reſpicere deinde ad Cazimiri clementiam cœpit: ad quem cum petita per internuncios fide ueniſſet, facilè nõ modò ueniam, ſed etiam auxilium impetrauit, dato iure iurando, ſe in fide & poteſtate Polonorum ſemper fore. Mittitur ad eũ reducendum cum ualido exercitu Nicolaus palatinus, mirantibus cunctis tantam in Cazimiro uel facilitatem, uel lenitatem animi, atque temeritatem, quòd hoſtem adiutum iret: amicumq; regem, & quidem potentiſsimum bellõ laceſſeret. Verùm Cazimirus non tam miſericordia exulis & ſupplicis Volodimiri commouebatur, quàm quòd ſibi ſurreptam eſſe Halicienſem ditionem, per iniuriã atque fraudem, doleret: cuius recuperandæ primam occaſionem Ruſsis ipſis, qui Vngarorum dominatum iam oderant, inuitantibus & fauentibus, non amittendum ſibi eſſe iudicabat. Coniungunt ſe cum noſtris Ruſsi, pariterq; corona Haliciam obſident: foſsisq; & caſtellis circummuniunt, ne quid ad obſeſſos importaretur, quos nouerant breui difficilli annona uſuros eſſe. Alacres initiò obſidionem, atque omnia incommoda ferebant Vngari, qui arcem tuebantur, quòd propediem Belam regem cum magnis copiis ad liberandũ filiũ affore ſperabant. Sed cum is moraretur, nec iam alimenta obſeſſis ſuppeterent, dedicionẽ fecere, pacti cũ Nicolao palatino, ut ipſis unà cũ rebus ſuis ſaluis diſcedere liceret: excedentibus adiunxit Palatinus præſidiũ militũ uſq; ad fines Vngariæ, ne quid hoſtile paterẽtur. Arx et dominatus Volodimiro tradita ſunt. Magnã ea uictoria et reſtitutione Volodimiri laudem atq; gloriam apud exteras gentes, & maximè apud Ruſſos Cazimirus adeptus eſt: quòd quem Bela hoſpitem uiolarat, ipſe hoſtẽ, deuicto ac eiecto maximi regis filio, in paterna ſede collocaſ-

Volodimirus elapſus principatum Halicienſem repetit.

Cazimirus Ruſſos latrocinantes reprimit.

Volodimirus à Cazimiro reducitur.

Halicia obſeſſa à Volodimiro.

Vngari Halicia cijciuntur à Polonis.

collocaſſet. Hoc anno, qui fuit à natali Chriſti 1188, Hieroſolyma à Saladino & Saracenis capta ſunt, poſt octauum & octogeſimum annũ, poſteaquam in Chriſtianorũ poteſtatem redacta fuerãt. Eam ob rem Clemens tertius pontif. max. de recuperanda ea urbe ſollicitus, cum omnem, qꝑ dicitur, moueret lapidem, Poloniæ quoqꝫ totius eccleſijs, epiſcopis & ſacerdotibus decimã, miſſo ad id legato, imperauit. At Bela rex non ferens contumeliam oppugnati, obſeſſi & eiecti filij, ereptéqꝫ Haliciæ, quereba tur uiolata à Cazimiro fœdera, quæ Vngari cum Polonis ex multo tempore ſanxiſſent, & ad illud uſque tempus ſeruaſſent: & iuſtum quidem in Polonos bellum maiore ui moliebatur. Tunc autem miſſo, quem ad manum habebat, exercitu, Poloniæ fines depopulatus eſt. Idem fecerunt noſtri uiciſsim in Vngaria: uaſtabantur utrinque agri, exurebantur uillæ, diripiebantur uici & oppida, miſeri agricolæ & mercatores in ſeruitutem abducebantur, greges & armenta abigebantur. Grauiter id ferre noſtri, fremere contra principem, uiolatam ab eo cum Vngaris pacem & amicitiam, exuſcitatumqꝫ minimè neceſſarium bellum perfidi hoſtis gratia, quem non adiutum ac reſtitutũ, ſed ſupplicio, propter temeritatem uexatamque Poloniam, affectum eſſe oportuerit. Ne Vngaris quidem bellum illud placebat. Et deſtinebantur ij tunc bello Dalmatico cum Venetis gerendo. Quod tamen ipſum quoque Clementis pontificis max. opera duorum annorum induciis interceptum eſt. Concitabat enim tunc is pontifex omnes Chriſtianos principes atque ciuitates ad recuperanda Hieroſolyma, ferendamque rebus Chriſtianorum in Aſia afflictis opem: effecitque, ut Veneti & Piſani claſſes ſuas in Aſiam mitterent: Fridericus uerò imperator, Philippus Gallorum, Guilelmus Siciliæ, & Ricardus Anglorum reges, Otto dux Burgundiæ, & plurimi præterea principes uiri & epiſcopi, ipſi per ſe cum magnis copijs eò proficiſcerentur. Sed ea quoque expeditione non multum operæprecij factum eſt. Nam plurimi mortales de exercitu Chriſtiano morbis, peſte, fameque abſumpti ſunt, multi à barbaris trucidati. Fridericus uerò in Armenia minore, dum ſe in flumine quodam abluit, ui & fluminis & uortice correptus, extinctus eſt anno Chriſti milleſimo centeſimo nonageſimo. Porrò Gallus cum Anglo, & Veneti cum Piſanis ex eo tempore poſtea diuturnis & grauibus bellis inter ſe conflictati ſunt. Sed unde digreſsi ſumus, reuertamur. Igitur Vngaris iuxtà ac Polonis à mutuo bello abhorrentibus, agitur de pace per proceres utriuſque gentis. Quę cum difficilius coiret, quòd utrique ab alteris iniuria ſe affectos eſſe aſſeuerarent, tandem triennes inducię fiunt, ut interim de pace per ocium conſtitueretur. Collegerat permultum odij Cazimirus apud pleroſque proceres atque equites illa Volodimiri reſtitutione, & bello Vngarico. Igitur cum is fortè in Ruſsiam controuerſiarum quarundam de finibus inter Vſeuolodum Belſenſium, & Romanum Vuladimirienſium duces componendarum cauſa profectus eſſet, celeriter conſpirarunt contra eum proceres. Miezislaum accerſunt ad recipiendum amiſſum pridem principatum: & quo magis ſtudia populi in eum inclinent,

1188 ann. Hieroſolymà à Saracenis capta.

Decima imperata eccleſiaſticis à pontifice. Vngaricum bellum.

Vngari cũ Venetis de Dalmatia bellum gerunt.

Chriſtianorũ expeditio in Syriam.

Friderici imp. mors.

1190 ann. Gallorum cum Anglis, & Venetorum cũ Piſanis belli origo.

Inducię cũ Vngaris.

Miezislaus ſenex à minoribus Polonis ad principatum reuocatur.

fingunt

fingunt Cazimirum in Ruſsia ueneno extinctum eſſe. Accurrit properè Miezislaus, recipitur à proceribus, præfectis, & cætera multitudine.

Cracouia arx clauditur Miezislao.

Cracouiam uenienti, portæ urbis aperiuntur: arcis uerò aditu arcetur à Fulcone epiſcopo & Nicolao palatino fratribus, familia Vulpijs, qui à cõſpiratione illa alieni, firmo eam militum & clientum ſuorũ præſidio tenebant. Nec mora; aliam ex aduerſo illius arcẽ in oppido excitauit Miezislaus, è materia duroq; robore. Bochnæ item aliã, de quarũ munitionibus aduerſariorum & Cazimiri conatus reprimeret, ac ipſe uiciſsim rebelles impeteret. At Cazimirus certior factus de defectiõe ſuorũ, auxilia

Cazimirus principatum recuperat Ruſſorum auxilio.

Volodimiro, Romano & Vuſeuolodo imperat, ipſosq; duces proficiſci ſecum iubet: præterea quantum poteſt, uoluntariorum et mercenariorũ militum cogit. Cum his copijs Cracouiam contendit: coniungit ſe cum eo Nicolaus palatinus, cum non cõtemnenda manu. Miezislaus, ubi appropinquare Cazimirum cum ualido exercitu cognouit, Boleslaum filiũ cum Henrico Ketlicio, qui ipſi cùm aliorum conſiliorum, tum repetendi principatum ſemper author fuerat, in præſidio nouæ arcis relinquit: ipſe in maiorem Poloniã, maioris exercitus comparandi cauſa, magnis itineribus cõtendit. Verùm antequam ille ueniret ſuis ſuppetias, Cazimirus

Clementia Cazimiri.

ſumma ope adniſus, nouam arcem uel expugnauit (nam uariè traditur) uel per deditionem accepit & exuſsit. Fratris quidem filio & pleriſq; omnibus aduerſę partis militibus non modò uitam & libertatem conceſsit, uerùm etiam ampla munera largitus eſt: qua indulgẽtia & clementia ſua ita ſibi cùm omnium, tum in primis Miezislai fratris animum deuinxit, ut nunquã is deinceps, quoad uixit Cazimirus, de repetendo principatu

H. Ketlicius malus conſultor in exilium miſſus.

cogitarit. Cæterùm Ketlicius, cum culpã illius belli ſolus ſuſtineret, ſupplicioq; deſtinatum ſe eſſe intelligeret, in penetralia primarij templi, quod Trinitatis appellatur, Cracouiæ ſeſe abdiderat. Sed Ruſsis uictoriæ fiducia & innata auaritia ad diripiendum templum irruentibus, in turbam ſe immiſcuit, ut ignotus effugeret. Verùm tumultu Ruſſorum interuentu Cazimiri ſedato, defenſoq; theſauro templi, Ketlicius in turba agnitus & comprehenſus, Romano duci à Cazimiro traditus eſt in exilium

Pax & conſenſus regis Vngari cum duce Polono.

deportandus. Ruſsi præmijs affecti domos remiſsi ſunt. Cum Vngaris deinde certa pax conſtituta, ſiue adeò innouata eſt, & principum ipſorum congreſſu apud antiquum pagum in Scepuſienſi territorio confirmata, ea lege, ut obliteratis utrinque iniurijs, & condonatis inuicem ofenſis rex Vngarorum Halicienſi ditione & Ruſsia omni ſe abſtineret:

Vngari Ruſsiæ dominatu ſeſe abdicarunt.

communes amicos, cõmunesq; hoſtes Vngari & Poloni haberẽt: ad extremum proceres & principes ipſi donis inter ſe certarunt, cõuentumq; amicè ſoluerunt. Pacatis domi rebus, Cazimirus Pruſsis ijs quos Poleſsianos uocant, ſicut ſcribit Vincentius, bellum intulit, ut cladem ſub Boleslao Criſpo acceptam, fratriſq; Henrici mortem ulciſceretur, &

Pruſsicũ bellũ.

gentem barbaram atque rebellem domaret. Secuti ſunt ipſum ad eam expeditionem Boleslaus Miezislai, Boleslaus altus, & Miezislaus Vuladislai, fratrum filij. Vbi ad fines barbarorum uentum eſt, cautius exercitum ducere Cazimirus, inſtructaq; acie & exploratis itineribus pro-

gredi

gredi, pabulatum & frumentatum non nisi cum armatorum præsidio mittere: omnia denique circumspicere, ne quid detrimenti per insidias à uafro hoste acciperet. Nec sanè cassa fuit ea cura atque diligentia. Obseruabant enim nostros ex insidijs barbari, ad omnem occasionem bene gerendæ rei attenti. Sed in irritum ipsis cadebant omnes conatus atque doli. Nostri quacunque proficiscebantur, incendijs atque cædibus omnia uastabant, nec ulli ætati aut sexui parcebant, iusta ira & memoria cæsorum suorum animos omnium extimulante. Quibus malis uicti Prussi, pacem supplices à Cazimiro petiuerunt: parci reliquijs suis flagitarunt: superiorum annorum tributa persoluerunt: imperata omnia in posterum se facturos sanctè promiserunt, obsides centum dederunt primorum filios: captiuos Polonos dimiseruut: signa superiori bello de nostris capta reddiderunt. Nam ad religionem Christianam, quam abiecerant, reduci se passi non sunt. His legibus pacem impetrarunt. Deducto è Prussia exercitu, bellis omnibus uel armis, uel benignitate, sapientia & felicitate Cazimiri extinctis, pacis artibus, hoc est arcibus & oppidis instaurandis, moribus que & legibus ciuium emendandis, reliquum ætatis tempus Cazimirus transmittere cogitabat: & magnam sibi uirtutis & sapientiæ opinionem apud exteros iuxtà atque suos conciliauerat: ita ut felix, & admirabilis, & omnibus suis charus, deinceps regnaturus esse uideretur, cum subitus eum casus humi prostrauit. Impetrarat à pontifice maximo Lucio, eius nominis tertio, reliquias Floriani martyris: eas que ab Ægidio Mutinensi episcopo allatas, ad septimum milliarium à Cracouia cum ingenti omnis generis hominum caterua, & solenni sacerdotum pompa obuiam progressus, reuerenter exceperat: & in suburbano Cracouiæ Septentrionali, quod post in formam oppidi redactum, Cleparia nunc dicitur, extructo magnifico templo, collocarat: id que templum splendida supellectili dotauerat, & collegium sacerdotum canonicorum in eo instituerat, attributo ijs censu luculento, tum de sua, tum de Gedeonis episcopi beneficentia: peculiariter autem Præposito maximam partem redituum parœciæ diui Michaelis Rupensis detractam, addixerat, & summa ueneratione nouum hospitem & patronum prosequebatur. Fortè dies martyris memoriæ sacra, quæ ad quartum Nonas Maij anniuersaria instituta est, aduenerat. Ibi Cazimirus totum eum diem rei diuinæ in æde diui, & piæ in egenos & afflictos largitioni dedit. Quod ferè omnibus festis diebus facere consueuerat: neque temerè eos lusibus & conuiuijs contaminabat. Insequenti die grande conuiuium instruxit: proceres omnes, qui tunc aderant, inuitauit. Feruente conuiuio, exhilaratis conuiuis, & multa de præteritis bellis atque periculis inter se conferentibus, & principis res gestas & felicitatem celebrantibus, ipse nonnulla de immortalitate animi, atque cœlitum beatitudine non inepta, in medium proposuit. Erat enim ab ineunte pueritia non pessimè educatus & institutus. Deinde hausto mediocri poculo, subitò concidit, & paucis horis

Prussis pax data.

D. Floriani martyris reliquiæ Cracouiã apportatæ.

Cleparienſe oppidum, templũ & collegium ſacerum.

Cazimiri pietas.

Cazimiri mors.

animam exhalauit. Subitúsne morbus eum inuaserit, an uenenum à mu-
Mores & studia. liercula, in quam deperibat, præparatum hauserit, incertum est. nam & hoc sermone hominum diuulgatum est. Nec sanè immunis & in-
Fulco episcopus Cracouiensis. corruptus ab illicitis amoribus & adulteriis, de quibus etiam aliquando à Fulcone episcopo admonitus & obiurgatus sit, uixisse fertur. Cæterà moderatus, candidus, frugi & abstinens, seuerus iuxtà atque clemens, bello pacé que clarus, & laude dignus princeps. In fratres uerò & fratrum filios ita pius & indulgens, ut multa detrimenta, incommoda & pericula, eorum gratia subiret. Diuini cultus perquàm studiosus, multa ad ornatum templorum contulit.
Suleouiense monasterium. Monasterium Suleouiense in Gnesnensi diœcesi, Cistercienſi sodalitati, antequam summum principatum adeptus esset, in uilla Ruslai comitis, qui decedens absque liberis, Christum hæredem instituerat, ad Pilciam amnem condidit & locupletauit: cui monasterio postea Petrus archiepiscopus etiam complures decimas eius rogatu adiecit. In principatu uerò & Floriano martyri ædem atque collegium, ut iam commemorauimus, in-
Copriuunicense. stituit, & Copriunicense monasterium eidem Cistercienſi sodalitati excitauit. Quod amplius etiam deinde nobiles Bogorij & Habdanci lo-
» cupletarunt, principis exemplum secuti. Fit enim plerunque, ut ad prin-
» cipis sui studia cæteri homines libenter sese accommodent. Itaque sub Cazimiri principatu etiam alij alia quædam monasteria condidere, ue-
Vanchocense. Buscense. Vitouiense. Plocense. Oliuense. lut Gedeon Cracouiensis episcopus Vanchocense in sua diœcesi ijsdem Cistercienſibus: Vitus uerò Plocensis episcopus, gente Ianinus, Buscense in Cracouiensi diœcesi, Vitouiense in Gnesnensi, & Plocense, partim uiris, partim puellis Præmonstratensis sectæ. Oliuense quoque Cistercienſibus item monachis, in Vuladislauiensi diœcesi, eodem tempore à Samborio conditum esse, nos è Dlugosso superius retulimus. Regnauit autem Cazimirus annos septemdecim propemodum, uixit sex & quin-
Liberi Cazimiri. quaginta. Reliquit que duos filios impuberes, Lescum, cui albo, à colore capillorum, cognomen fuit: & Conradum: & filiam Adleidam, quæ septimodecimo post patrem anno mortua est, cum castè religioſé que uixisset. Nam Boleslaum puerum admodum, uiperæ morsu extinctum, uiuens Cazimirus amisit. Fuit autem is annus, quo mortuus
1194. ann. est Cazimirus, post Christum natum milleſimus centeſimus nonageſimus quartus. Quarto uerò post mortem die in basilica Cracouiensi sepultus est, magna uxoris, filiorum, & omnium ordinum comploratione.

MARTI-

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER SEPTIMVS.

LESCVS ALBVS CVM HELENA MATRE.

VNEBRIBVS iustis Cazimiro peractis, non existimarũt proceres cessandum sibi esse, quin primo quoq; tempore nouum principem crearent, ne qui nouus motus domi forisue, præbente occasionem interregno, excitaretur. Itaque Cracouiæ ut frequentes proceres iuxtà ac equites ad funus Cazimiri conuenerant, comitia instituũt. Ibi dies aliquot uarijs studijs atq; sententijs certatum est. Et Fulco quidem episcopus Cracouiensis, qui Gedeoni successit, ob memoriam Cazimiri meritorum, censebat ad filium eius Lescum natu maiorem deferendum esse principatum, & quidem priusquàm Miezislaus senex aut Vuladislai filij moliri aliquid possent. Negabat enim omnino ex re atque dignitate Cracouiensis & Sendomirien sis conuentus fore, aliunde principem sibi adsciscere. Atque huic sententiæ Nicolaus palatinus Cracouiensis, Fulconis frater, & magna pars conuentus adstipulabatur. Alij contrà, stultum & periculosum esse affirmabant, puero tanti imperij habenas committere: cauendum esse, ne hæreditarium principatum facerent, quem liberis suffragijs, cui uellent, mandare more maiorum possent. Quod si ualere quicquam deberet sanguis & successio, Miezislaum senem unum de filijs Boleslai Criuousti superesse: ei deberi principatum, cæteris fratribus extinctis, iure & more gentium. Sin crudelitatem eius pristinam & impotentem dominatum perhorrescerent, esse proximos gradu Silesiæ duces, Vuladislai principis, qui maximus liberorum Criuousti fuerit, filios. Ex his Miezislaum Oppolien sium & Ratiborien sium ducem, & uicinum sibi esse, & armis prudentia'que multum ualere: eum, si princeps renunciatus sit, & Miezislai senis conatus, quem uerisimile sit non esse quieturum, reprimere, & tributarios principes atque populos, si qui fortè ad res nouas adspirent, in officio posse continere. Quanquam autem non est proditum, qui'nam huius sententiæ author fuerit, non iniquis tamen auribus ea accepta est: uicisset'que adeò, ni Fulco eam refellisset, quòd diceret, referendam esse hanc gratiam optimo principi Cazimiro, ne eius filij posthabeantur. Potentiores autem eos esse paternis meritis, clientelis, amicitijs, atque dominatu hæreditario, quam utrunque Miezislaum. Nam quòd ætatem eorum & infirmitatem consilij quis caussificetur, nihil esse. Esse iam pubertati propinquum Lescum: nec obstare quicquam, quin ei, dum adolescit, curatores & moderatores consiliorum de senatu dentur. His graui ter & copiosè dictis, assentiuntur tandem Fulconi omnes, & Lescum

Comitia Cracouiæ de creando principe.

Lescus Albus princeps creatur.

Curatores principis.

Cazimiri filium natu maiorem, principem renunciant. Sed interim dum is adolescit, penes matrem eius Helenam imperiū omne, & summi principis authoritatē esse iubent: ea quidē lege, ne quid illā sine cōsilio episcopi & palatini Cracouiensis, qui curatores puero & gubernatores principatus dati sunt, faceret. Ibi Nicolaus palatinus facta audientia, gratias agit cunctis de gratitudine erga defunctū principem suū, ac de studio erga filium eius Lescum, primusq; in uerba eius iurat: & quoniā se cum fratre curatorē eius esse uoluissent, eiuscemodi iusiurandum ab omnib. exigit, mobilitatem & leuitatem multitudinis, & quorundam propensa in Miezislaos senē & Oppoliensem studia suspecta habens. Nec mora iurant cuncti, semper se Lesco principi fideles & obsequentes fore. Hæc ubi Miezislao seni ita ut acta erant, nunciata sunt, excanduit maiorem in modū, non modò q̄ præteritus esset, sed q̄ temporis etiā puncto excluderetur, ne adesse sibi in comitijs posset. Itaq; cōparare ipse arma ad persequēdam iniuriā: et suos, atq; etiā Silesios iritare, q̄ ad creandū cōmunē principem, quem communi totius Poloniæ iudicio eligi & creari oporteret, neq; uocati, neq; expectati essent. Facile aūt persuasit Silesiorū ducibus, ut secū consilia armaq; in cōmuni causa coniungerēt, quippe quos idem stimularet dolor, surrepti quasi per fraudē principatus, quem ad se maximos natu Criuousti Boleslai nepotes, magis quàm ad Lescū puerū, eius quē Boleslaus pater exortē & exheredem esse uoluisset, filium, pertinere asserebant, & in cuius adipiscendi spē nonnullā Miezislaus Oppolienſis iā uenerat. A' Mesciugo quoq; genero, Pomeranorū siue duce, siue satrapa, auxilia Miezislaus senex corrogauit: & è suis quantū potuit maximū exercitū coegit, & magna celeritate Cracouiā contendit, sperans terrore solo exercitus, absq; ulla prælij dimicatione se aduersarios & principatū ipsum in potestatē suam redacturū esse. Sed eum spes fefellit. Nam Cracouiensis palatinus cognito hostili aduentu, nō contemnendas et ipse copias ex omnib. regionibus, quę in ditione Cazimiri fuerant, collegit, & Romanus Vuladimirienſiū siue Luscenſiū dux euocatus, nō paruā Russorum manū in auxiliū Lesci adduxit. Iam in Cracouiensis oræ fines Miezislaus senex inuaserat, & apud Mosgauā amnē septimo à Cracouia miliario statiua habebat, cū hostes adesse prius propemodū uidit, quàm audiuit. Nondū ei Silesiorum auxilia conuenerant: id cum scirent aduersarij, anteuertendū sibi esse prelio existimarunt, dū pares hostibus esse possent, quib. uniuersis, si se coniungerēt, impares futuri erant. Itaq; instruunt acies, & pugnandi copiā faciunt. Nihil cunctatus Miezislaus, educit & ipse suos: concurrit infestis animis: magno ardore utrinq; pugnatur: cerneres miserabile spectaculū, notorum, amicorū, affinium, gentilium, propinquorū, atq; fratrum, deuoto odio, nullaq; misericordia aut respectu pietatis inter se confligentiū: cadebant multi utrinq;: nemo referebat pedē: & magis ferire hostē, quàm declinare ictū omnes studebant. Boleslaus Miezislai senis filius inter primos fortiter pugnans, in cōspectu patris hasta traiectus occubuit. Romanus pluribus uulnerib. acceptis, Russis suis partim cęsis, partim disiectis, prælio excesit semianimis. Miezislaus

Iusiurandū in uerba principis.

Miezislaus iterum ad principatū adspirat.

Bellum ciuile inter Polonos.

Mosgaua fl.

Prælium ad Mosgauam.

Boleslaus Miezislai filius occisus.

Romanus Vuladimirienſium dux uulneratus.

laus ipse sauciatus, cũ sese qui'nã esset detracta casside prodidisset, & supplex uitam peteret, seruatus, & ex acie clàm eductus, fuga sibi consuluit. Tunc demũ maiores Poloni ad paucos redacti, amissis ducibus (nam & Miezislaũ cecidisse putabant) pugnandi pertinaciã remisere. Nec minores cedẽtibus institere, lassi et ipsi, debilitati'q; uehementer, & q̃ satis sibi esse ducebant in funesto ciuili'q; bello, belli authores sustulisse. Et ipsi enim credebant Miezislaũ in acie inter cõfertos milites prẹliantẽ perisse. Ita ex acie quasi ex cõposito utrinq; discessum est, cum dubio ferè marte à mane usq; ad uesperã propemodũ pugnatum esset. Nec multo pòst, Lescianis cẹsos recognoscentibus, et spolia legentibus, superuenere Miezislaus Oppoliensiũ & Ratiboriensiũ dux, & Iaroslaus Boleslai alti Vuratislauiensiũ ducis filius, cũ recẽtibus copijs: ad quos se recollegere dispersi exercitus maiorũ Polonorũ & Pomeranorũ reliquiẹ: fixis'q; signis quasi uictores, haud longè à loco certaminis cõsedere, cum ij qui ex aduerso erant, perterriti atq; diffugientes, pugnandi copiã facturi nõ esse uiderentur. Sed non tulerunt ij intempestiuã Silesiorũ exultationẽ cum ignominia sua coniunctam: uerùm celeriter à Gouoricio gente Rauita, palatino Sendomiriensi, cuius agmen in subsidijs superiori prælio collocatũ, erat integrius, recollecti, & in ordines redacti, in aciẽ processere. Nec Silesij feroces pugnã detrectarunt. Certatũ est collatis signis, ab his quidẽ, ut rẽ sua mora perditã restituerent: ab illis uerò, ut uictoriã partã retinerent. Cum ingẽs utrinq; cẹdes fieret, Gouoricius ab hostibus captus est. Quo facto minores Poloni perturbati terga uertêre: sed nox tamẽ fugiẽtes texit. Postero die Silesij, cum Miezislaũ senẽ saucium lectica domum referri cognouissent, et à maioribus Polonis atq; Pomeranis ducẽ suũ sequentibus deseri se uiderent, nec usq; adeò fractos profligatos'q; minores Polonos esse animaduerterẽt, quin ij recollectis animis atq; uiribus præliũ instaurare, aut alioqui negociũ facessere uictorib. paucis, & non incruenta uictoria usis, domi prẹsertim possent, trophẹis erectis, & abductis captiuis nõ paucis ex nobilitate, domũ reuerterunt. Erat Fulco siue Pelca episcopus in uilla sua Dersanzina, uarios'q; de exitu prẹlij rumores accipiebat: & quanquã nõ erant secundẹ res Lescianorũ, tristiores tamẽ etiã aliquãto, ut fit ferè, afferebant. Itaq; anxius et pendẽs animi, misso uno de sacerdotibus administris suis ad locũ prẹlij, qui duobus tantũ aberat milliaribus, rem omnẽ certò cognoscit: et q̃ uerebat, ne Miezislaus senex reparato exercitu mox ad expugnandã Cracouiã & occupandũ principatum rediret, conscenso equo Romanum Vuladimiriensium ducem fugientem curriculo insequitur: quem cum nocte altera consecutus esset, orat, ut memor beneficiorum Cazimiri, liberos eius in rebus maximè dubijs ne deserat. Excusat ille debilitatem suam è uulneribus, & partim cẹsos, partim dissipatos suos: nec retineri se ullis precibus passus est. Inde reuertens Fulco, cum fratrem suum Nicolaum palatinum ex fuga non contemnendas copias collegisse, & persequi hostes, acceptam'que ignominiam detergere uelle accepisset, ad eum se contulit, & ut Cracouiam potius alias'q; arces opportunas præsidijs muniret, persuasit: dubiã esse

Miezislaus uulneratus.

Prælium renouatur.

Gouoricius palatinus captus.

Silesij uincunt.

Fulconis episcopi studium.

Fulconis consilium.

Martis aleam, hostes diuersos abijsse: metuendum esse, ne, dum alteros insequeretur, alteri ipsum à tergo adorirentur, aut sanè uacuas defensoribus munitiones inuaderent: deinde parum esse animorum & roboris in militibus, aduerso prælio dudum perculsis: tum autem incertum esse, quantum sit fidei in singulis præfectis arcium, atque etiam in oppidanis. » Solere plerunque homines aduersis principum suorum rebus nutare, » atq; adeò mutare fidem. Hæc ubi ambobus iuxtà placuere, distributis in cæteras munitiones pro necessitate & ratione locorum militibus, ipsi cum maiore parte Cracouiam tenuere, ubi uxor & liberi Cazimiri sese continebant. Quieuere tamen permultum tempus tam Silesij, quàm Miezislaus senex, cùm quòd non satis prosperè primi conatus ipsis cesserant, tum quòd Cracouiensibus & socijs eorum, quamuis malè affectis Mosgauiensi prælio, neque animos, neque uires, neque constantiam ad defendendum Lesci principatum deesse intelligebant. Dum in hoc statu est respubl. Polona, uenit in Poloniam Petrus diaconus Cardinalis, cognomento Capuanus, legatus à pontifice maximo Cælestino eius nominis tertio: habitis que synodis cum alia quædam, quæ aduersa religioni Christianæ & constitutionibus ecclesiasticis in sacro pariter & profano ordine inoleuerãt, correxit: tum sacerdotibus imperauit, ut cõcubinas & uxores, quibus tunc passim liberè utebantur, à se abdicarent. Quod Poloni quidem non grauatè amplexi sunt. In Boemia uerò cum idem legatus hoc ipsum ageret, parum abfuit, quin à sacerdotibus occideretur. Non adscripsissemus de uxoribus, cum non ignoremus longè antè decretis synodorum & pontificum in toto Occidente matrimonio interdictum fuisse presbyteris, diaconis, & hypodiaconis: nisi à Dlugosso, uiro graui, memoriæ proditum esset: nisi que Lampertus Saffinburgensis, uir pius, idem à Gregorio, eius nominis septimo pontifice maximo, ante centum annos ætate sua in Germania tentatum esse scriberet: & eodem quidem ferè successu, quo in Boemia Dlugossus memorat. Constituit idem legatus, ut profani homines publicè in templis matrimonio coniungerentur. Annus, quo hęc acta sunt, fuit 1197, à Christo nato. Insequenti anno Volodimirus Halicienſium dux mortuus, nouæ expeditioni occasionem Polonis prębuit. Ambiebant dominatum Halicienſium nõnulli Russorũ duces: & in his facilè princeps Romanus dux Vuladimirienſiũ, suo quodã iure sibi eum deposcebat, q; & Volodimiri fratris filius esset, & bene meritũ de Polonis & Lesco principe ciuili illo bello se esse diceret. Poloni cupiebãt Haliciã in formã prouincię redigere. Sed eos respectus ciuilis belli nondũ extincti mouebat, ut eã Romano traderẽt, tributo cõstituto, quod ille Polonorũ principi quotãnis pẽderet. Verebãtur enim, ne si nulli eã Russorũ cõcessissent, omnes eos penitus à se alienarẽt. Quanquã aũt non satis consultũ esse uidebatur reip. Polonę, Romani potentiã, quę nõ minima iã tũ erat in Russis, accessione illa Halicię magis etiam augere: tamen offendere eum repulsa, alieno suo tempore, minus tutum iudicabãt: quippe qui repulsam passus, nõ modò auxilia negaturus, uerùm etiã ultrò bellum nostris illaturus esse uideret.

Legatus pontificis max. uenit in Poloniam.

Sacerdotibus uxores adẽptæ.

Legati apostolici periculũ in Boemia.

1197 ann.

Halicienſium dux Volodimirus mortuus.

Itaq;

Itaq; decreuit frequens senatus, ut Romanum Nicolaus palatinus cum exercitu in Halicienſem principatum induceret. Abhorrebant enim à Romano Halicienſes, crudelitatem eius ueriti. Ibi Leſcus orare, ut ſibi cum exercitu illo proficiſci liceret. Pertæſum ſe iam eſſe mollis & ocioſæ uitæ, quam hactenus inter cœtus muliebres apud matrem exegiſſet. Cupere ſe deinceps armatum inter armatos uiros uerſari, & quæ principis eſſent munera, uſu condiſcere. Si adhuc nequiret alium, tamen eum ſe uſum in exercitu præſtiturum, quem ſigna ſua præſtarent. Quod ſi nõ impetraret, tamen uel cum uno comite ſe caſtra ſecuturum eſſe. Itaque approbante ſenatu, & indolem dignam principe, & neutiquam degenerem à maioribus ipſius certatim extollẽte, cum exercitu proficiſcitur, palatini Cracouienſis cuſtodiæ commendatus. Vbi in Halicienſem agrũ uentum eſt, occurrunt Halicienſes armati & inſtructi: præſenſerãt enim, Romano ſe addictum iri. excipiunt Poloni eorum impetum, & minimo negocio eos in fugam conijciunt. Pulſi fuſi'que, uentam petunt, auri & argenti, gemmarum, ueſtium & equorum magnam uim Leſco pollicentur, ſi ipſe eos in ditione ſua teneat, nec Romanum ipſis dominum imponat. Poſteaquam id non impetrarunt, imperata omnia ſe facturos promiſerunt: portas arcis aperuerunt: iuſſi'que Romano ſacramentum publicè dixerunt. is porrò Leſco & Poloniæ principibus fidem ſuam obſtrinxit: Halicienſibus autem iuſtè & clementer ſe dominaturum eſſe ſanctè promiſit: quod tamen poſtea non præſtitit. His peractis, dimiſſo'q; exercitu, Leſcus Cracouiam rediit.

Halicienſis principatus Romano duci conceſſus.

Leſci principis indoles.

Ruſſi à Leſco profligati.

Romanus dux iurat in uerba Leſci.

MIEZISLAVS SENEX ITERVM.

MIEZISLAVS uerò ſenex, quamuis poſt Moſgauienſe prælium ad malè tentata prius arma eſſet ſegnior, animo tamen haudquaquam conquieſcebat: neque cogitationem recuperandi iniuſtè præreptri ſibi, quemadmodum ipſe exiſtimabat, principatus deponebat. Sed cum aperta ui peruenire ſe ad eum poſſe diffideret, ad dolos conuerſus eſt. Ac primùm quidem Cuiauienſem oram, quæ in poteſtate Cazimiri liberorum erat, ditioni ſuæ finitimam, per fraudẽ quarto poſtquam apud Moſgauam malè pugnauerat anno intercepit. Quod facinus eius cum armis uindicatum non eſſet, propter ætatem puerorum, atque diſſenſionem palatinorum Cracouienſis & Sendomirienſis, quæ ab æmulatione & obtrectatione orta, eò uſque progreſſa eſt, ut Gouoricij ciuis ſolum uertere cogeretur, maiora deinde moliri Miezislaus cœpit. Epiſcopum Cracouienſem, & palatinum fratrẽ eius, donis & ingẽtibus pollicitationibus ad proditionẽ ſollicitat. Quod ubi non ſucceſſit, mulierẽ ſexum credulum, atq; deceptioni propter infirmitatẽ conſilij obnoxium, blandis dolis adoritur. Ad Helenam Leſci matrẽ, penes quam tũc erat ſumma rerum, allegat: negat Leſcum ritè principem creatum eſſe, neq; ſe inuito certum ſtabilemq; principatum obtinere poſſe: quem ipſe bis ſibi præreptum, omni ratione repetiturus atque uindicaturus eſſet. Non deeſſe ſibi conſilia, non uires domeſticas, non auxilia externa:

Cuiauia ſubacta à Miezislao ſene.

Diſſenſio palatinorum.

Gouoricij fuga.

Miezislai conatus.

Leſcum

Leſcum uerò puerum eſſe, curatores eius inuidia laborare, bonam nobilitatis partem clàm ſecum ſentire, ſenatū in duas factiones diuiſum inter ſe diſſidere. Hæc omnia pro ſe, & contra puerum facere. Nuper id adeò rem ipſam declaraſſe, cum Cuiauienſem terram impunè occupaſſet. Verùm ſi ſibi ea principatū concedat, redditurū ſe eſſe filijs eius Cuiauiam, cincturumq; ipſos militari baltheo, & in filiorum locū adoptaturū, certosq; ſibi ſucceſſores in principatum ipſos deſignaturum. Et ſanè ſenem ſe eſſe, nec diu uiuere & regnare poſſe: interim dum Leſcus aptus fieret principatui, rectius atq; conuenientius eum à ſe, qui tamen de regia ſtirpe, & patruus Leſci eſſet, quàm ab alienis ac ſeruis ſuis adminiſtrari. Dedignaturos eſſe Polonos equites atq; proceres ęqualium ſuorum dominatum, quo illi ad ſtabiliendam potentiam ſuam abutantur: ſe uerò & cęteros duces minimè laturos inferioris ordinis hominum imperium: atq; ita principatum Leſci unà cum ditionibus paternis in diſcrimen uenturum eſſe. Eius rei non obſcurum argumentum eſſe Gouoricij cum Nicolao diſſenſionem: quem, quamuis in præſens potentiori Nicolao ceſſerit, credibile ſit, non eſſe quieturum, cùm familię & factionis ſuę uiribus, tum Boemorum, ad quos confugerit, & à quib. comiter acceptus ſit, auxilijs fretum. Hæc omnia authoritate ſua ſi princeps factus ſit, ſedatū pacatumq; iri, tranquillumq; & florentem principatū maturè ſe eſſe Leſco relicturum. His inducta & perſuaſa credula mulier, nequicquam aduerſantibus curatoribus, ac cæteris proceribus, annuit Miezislai poſtulatis, modò ut is iuriſiurandi religione promiſſa ſtabiliat. Quod ille cum ſe facturum recepiſſet, condicta die, quę diui Bartholomęi memorię conſecrata eſt, Cracouiam cum ſplendido procerum ſuorum comitatu ueniens, haud grauatim fecit. Iurarūt & proceres utriuſq; partis, ſe ea omnia, quemadmodum pacta conuenta eſſent, rata firmaq; habituros eſſe. Epiſcopi uerò, authore Henrico archiepiſcopo Gneſnenſi, qui Zdislao defuncto, Miezislai contentione, non liberis ſuffragijs ſucceſſerat, diris caput eius deuouerunt, quiſquis aliquis aliquid eorū non ſeruaſſet. Ita rurſus Miezislaus principatu potitus eſt. Helena uerò cum filijs Sendomiriam commigrauit. Nec multo pòſt Gouoricius amicorum literis reuocatus, quòd iam nihil commune cum Nicolao habiturus eſſet, è Boemia redijt. Hoc anno, qui fuit à Chriſto nato 1200, ad quintum Nonarū Maij, terrę motus uehemēs meridiano tēpore excitatus, aliquot dieb. cō ſequentibus permulta ædificia in Polonia, & in uicinia eius cōquaſſauit. Quę res inaudita propemodū in his regiōibus, prodigij loco habita eſt. Eodē anno, Cōſtātinopoli à Gallis & Venetis capta, imperator Cōſtantinopolitanus Alexius pulſus, Halicią ad Romanū cōfugit: cui cū Alexius puer à uictorib. ſuffectus, & paulo pòſt interfectus à ſuis eſſet, Baldui nus Gallus ſucceſsit, Orientēq; ſublato ſchiſmate Rom. eccleſię recōcilia uit & ſubdidit. In Aſia uerò Chriſtianorū res per id tēpus in deterius lapſę, nec multo pòſt euerſę ſunt. Quin Betica etiā ſiue Granata à Saracenis ſubacta eſt. Anglia et Hibernia inſulę Rom. pontif. uectigales factę ſunt. In Germania uerò Henricus imp. Friderici filius & ſucceſſor, cū regnum Siciliæ

Miezislai iuſiurandum.

Henricus archiepiſcopus Gneſnenſis.

Miezislaus principatū recuperauit.

1200 ann.

Terræ motus.

Conſtantinopolis à Gallis & Venetis capta.

Orientales cōiuncti cum Romana eccleſia.

Granata à Saracenis ſubacta.

Anglia & Hibernia Romano pont. uectigales.

Siciliæ uxoris Conſtantiæ nomine recepiſſet, ac Fridericum filium trimulum Cæſarem ſiue regem Romanorum renũciaſſet, moriens longam litem & controuerſiam de imperio reliquit. Philippus enim dux Sueuorum, patruus ac tutor pueri Cæſaris, nõ pro tutore, ſed pro Cęſare ſe geſſit, inunctuſq; & coronatus eſt ritu ſolenni Maguntiæ. Id uerò moleſtè ferentes nonnulli principes, æmulum ei excitarunt Ottonem Saxonum ducem: quem Innocentius tertius pontifex max. Philippo diris deuoto confirmauit. Inde ſtudijs partium creſcentibus, Germania inteſtino bello aliquandiu colliſa eſt: donec Philippo interfecto, & Ottone defuncto, Fridericus iam adultus imperio ſuſcepto, pacem reſtituit. Ab hoc autem Philippo Prȩmislus, ſiue Ottocarus Boemorum princeps regium diadema, à proximis principibus bello ciuili diſtentis neglectum, ſuſcepit, & ſucceſſoribus ſuis reliquit. In Vngaria uerò per idem tempus Emericus poſt Belæ patris mortem cum paruo tempore, nec ſine impedimẽto Andreæ fratris regnaſſet, Ladislaum filium, & eo ſtatim extincto, Andream ſucceſſorem reliquit. Sed ad noſtra redeamus. Annũ totum nequicquã Helena Miezislaum ſenem literis atq; legationibus crebris de promiſsis admonuerat, nunc occupationes publicas, nunc aduerſam ualetudinem cauſantem: ad extremũ ipſa eum Cracouiæ adit, eadem illa quę in pactis conuenerant, coràm orat & flagitat. Blandis ille eam uerbis & pollicitationibus ducebat. Inſtare illa importunius, fidemq; datam requirere, & iuriſiurandi religionem uiolatam queri. Ibi ille nihil iam diſsimulans: iniquis pactis & iureiurando, contra ius gentium atq; ipſius naturę exacto, ſe non teneri: habere ſe iure gentium & naturæ certos & ſuos hæredes, filios ex iuſta uxore ſuſceptos, & quidem iam adultos, atq; maturos principatui: eos pactis ullis aut priuilegio à ſucceſsione ſibi debita excludi nefas eſſe: & adultis filijs præteritis, alienis pueris tantum principatum tradi non oportere. Ita dimiſſa atq; reiecta Helena, ingenti animi ſui dolore damnare ipſa credulitatem ſuam & præceps conſilium: ſerò procerum dicta & conſulta, quibus in tempore non obtemperaſſet, probare. Necq; tamen ſollicitudinem pro filijs remiſit. Reuerſa Sendomiriam, dimiſsis circum proceres Cracouienſes, quorum prius conſilia contempſerat, & apud quos gratam Cazimiri mariti ſui memoriam reſidere iudicabat, literis atq; nuncijs, de iniuria & perfidia Miezislai queritur: eorum fidem implorat: Cazimiri merita publicè priuatimq; extantia commemorat: liberorum eius pupillorum ſolicitudinem, & indignam deiectionem Miezislai fraude & ſua ſtulticia factam deplorat: quæ à ſe malè cõſulta eſſent, ab eis corrigi petit, quippe qui iureiurando ſuo ſe inauſpicatis illis pactis cum Miezislao ſtaturos eſſe promiſiſſent. Promiſſa etiam non leuia addit: adhæc odium Miezislai exaggerat. Et offenderat is iam ſanè non leuiter animos procerum atque equitum, propterea quòd nonnullos poſſeſsionibus certis & antiquis deturbarat, easq; poſſeſsiones ſuis quibuſdam è maiore Polonia aſſeclis & miniſtris donarat: & quòd eiſdem magiſtratus mandabat, indigenas præteriens.

Henricus Imperator Rom.

Germanici motus.

Fridericus ſecundus Cæſar.

Præmislus. Ottocarus rex Boemorum.

Emericus rex Vngarorum.

Ladislaus & Andreas reges Vng.

Miezislaus promiſſa non ſeruat.

Helena pro filijs ſolicita.

Miezislai odium.

LESCVS ALBVS CVM HELENA matre iterum.

Lescus Cracouia potitur.

TAQVE quasi sublato signo plerique omnes proceres Cracouiēses in Miezislaū conspirarunt: quorū princeps Nicolaus palatinus Cracouiēsis idoneam, absente tunc forte Miezislao, occasionē nactus, Cracouiā occupauit, Helenamq; cum Lesco filio celeriter accersitos intromisit. Reliquas deinde arces atq; munitiones Cracouiensis ditionis nullo negocio recepit, cedentib. ultrò, qui eas pro Miezislao tenebāt, cum totius Cracouiensis conuentus consensum & conspirationem uiderent. Bythomia modò, ut ait Dlugossus, in potestate Miezislai mansit: quam arcem ille duodecimo à Cracouia milliario, in confinio Silesiorū, iam inde ab initio in eiusmodi casus mœnib. & præsidio munierat. Sed quomodo ea in potestatem eius uenerit, cum in Oppoliensis ducis ditione prius fuisset, non reperio. Inde postea excursiones crebræ in subiectos agros pagosq; factæ sunt. Hoc anno Boleslaus procerus, siue altus, Vuladislai filius, dux Vuratislauiensium, amissis intra breue spacium temporis quatuor filijs mortuus, solum Henricum Barbatum heredem reliquit. Hic pro Benedictinis monachis Cistercienses in Lubensi monasterio collocauit, de Portensi monasterio euocatos: qui delicatorū malorum genus, quæ etiamnum Deporta siue daporta uocantur, in Polonia propagarūt. Filius uerò eius de quatuor natu maximus, Iaroslaus, episcopus Vuratislauiensis, Nyssam urbem cum territorio à patre sibi datam, Vuratislauiensi episcopæ sempiterno iure adiunxit. Tertiū deiectus principatu Miezislaus, non destitit tamen rursus ad eum adspirare: nec eum conatus fefellit, & quidem ijsdem quibus prius artibus grassantem. Bello enim repetere amissum principatū, perdificile sibi esse ducebat. sed Helenam iterū blanditijs atq; dolis aggreditur: affirmat, nō per se stetisse, quo minus pactis satisfaceret: uerū per proceres Cracouienses, & in primis per Nicolaum Palatinum. Eos non siuisse se promissa implere: eamq; electionis suæ causam esse, quòd obnixius contra eorum sententiam filios Cazimiri fratris adoptare pertenderet. Se paratum esse fidem suam liberare, & absq; ulla procrastinatione Cuiauiensem tractum ipsi & filijs eius redditurum. De cæteris quoq; quæ in pactis essent, quibus illa uellet modis & monimentis cauturum esse. Quibus cum eam emolliuisset, monet ut clam proceribus omnia faciat: Nicolaum autem ante omnia à se amoueat & releget, si sibi liberisq; suis bene consultum uelit: illum seditiosum esse hominem, & pro libidine sua principes instituere ac destituere, ut ipse alieno nomine dominetur. Probè enim intelligebat Miezislaus, unum illum, cuius authoritatem reliquus cōuentus Cracouiensis sequebatur, sibi ad recuperandum principatum obstare. Nec difficulter persuasit mulieri omnia timenti, & omnia credenti. Nec deerant inuidi quidā & maleuoli, qui muliebrem animum in Nicolaū magis ac magis iritarēt. Fit enim ferè, ut rectè geri summi magistratus absque offensione multorum non possint. Tametsi ipsis quoq; secundis rebus, atq; etiā rectè factis necessarius propemodum

Bythomia retenta à Miezislao.

Boleslaus Vuratislauiensium dux mortuus.

Henricus Barbatus.

Lubense monasterium.

Daporta mala.

Nyssa episcopæ Vuratislauiensi donata.

Helena à Miezislao decepta.

Nicolaus Palatinus Cracouiensis obex conatuum Miezislai.

pemodum comes est inuidia. Neq; Gouoriciũ tantam ulciscendi inimici occasionem neglexisse credibile est. Factus aũt certior de mulieris consilio Nicolaus, adit ad Helenam & filios eius, merita sua & studium in illos cõmemorat: orat, ne se, famam, caputq; suum æmulis & inimicis suis prodant: quos quidẽ inimicos cępisset, dũ ipsis fidelis esse studet, dumq; caput suum pro eorum salute & imperio multis periculis obijcit. Non priuato cuiusquã odio se oppugnari, sed uelut obstantem uafris Miezislai conatibus, & Cazimiri optimi ac de se bene meriti principis filiorum partes enixius defendentẽ, summa cum contumelia remoueri: propterea quòd se incolumi circumscribi illi, & à principatu excludi nõ possent. Sic canes à lupis peti, quo liberius in gregẽ, aut in pecudes desæuiant: ni resipiscerent, in ipsorum capita citò hoc malum esse redundaturum. Vbi uidet non commoueri precibus suis implacabilem mulierem, Rosnaniam ad Miezislaum, quamuis infensum sibi hostẽ, contendit, saluti & incolumitati suæ prospecturus: simul & inimicos, ingratamq; mulierẽ ulturus. Non ferunt contumeliam magni & illustres uiri: sæpeq; iritati, impotentia animi ad multa se indigna impelluntur, atque adeò in perniciem patriæ nonnunquam feruntur præcipites. Existimabat autem, non ingratam Miezislao transitionem suam fore Nicolaus: quippe qui sciret, quantum in se uno momenti esset ad assequendum & obtinendum principatum. Nec eum spes fefellit. Ab eo igitur ueniam præteritarum offensarum petit, & in posterum ei studium suum defert: qua fide erga Cazimirum & liberos eius eousq; fuisset, eadem se erga ipsum fore: quantumq; dudum obfuisset, tantum breui profuturum. Accepit eum comiter & honorificè Miezislaus, benigneq; & liberaliter habitum, & magnis promissis oneratum, dimisit. Ac per eũ nullo negocio Cracouiensem omnem regionem in ditionem suam redegit. Tanta erat authoritate & gratia apud omnes ordines Nicolaus.

Nicolaus palatinus ad Miezislaũ transijt.

Cracouiensem principatũ Nicolaus palatinus reddit Miezislao.

MIEZISLAVS SENEX TERTIVM.

ATQVE inde iam apertè profiteri Helenæ Miezislaus, se pactis & iureiurando non teneri, quòd nõ ipsius concessione aut ex pacto, sed Nicolai opera principatum adeptus esset. Nec satis habuit, non reddere fratris filijs Cuiauiensem tractum: quin & Vislicienſe territorium, & tria præterea castella de Sendomirienſi ditione ipsis ademit: sua illa esse, & ad principatum pertinere asseuerans. Hæc angentem, ac de redintegratione uniuersi principatus atque regni Poloni cogitantem, mors inopinata oppressit, septuagesimum tertium uitæ annum agentem, anno Christi 1202. Sepultus est Calissiæ in templo Pauli apostoli memoriæ dicato, quod ipse condiderat, & collegio sacerdotum canonicorum instituto ornauerat. Verùm oppido temploq; in alium locum postea translato, sepulchrum eius sub diuo relictum est. Contulit autem is & alibi non parum ad amplificandum cultum diuinum. Nam Landense & Vangrouecense monasteria iam inde à pulso fratre

Miezislaus patrorum immemor.

Miezislai mors. 1202 ann. Calißiense collegiũ conditũ. Landense & Vangrouecẽse monasteria Teuthonibus attributa.

Vuladislao condidit,& locupletauit:& in ambobus Teuthonas Ciſtercienſis ſodalitatis ex monaſterio ueteris montis tertio à Colonia milliario deductos,collocauit:edictoq; perpetuo ſanxit,ut non niſi Colonienſes ad ea monaſteria cooptarentur & reciperentur, propterea quòd honorificè à Colonienſibus habitus eſſet,cum eò adoleſcens religionis cauſa ueniſſet. Extruit etiam Ptochodochium,ſiue hoſpitale, ut uocant,recipiendis & ſuſtentandis egenis Poſnaniæ apud diui Michaelis, & compluribus pagis dotauit,eiusq; curam hoſpitalarijs fratribus Hieroſolymitanis mandauit. Coſciolenſe quoq; monaſteriū Benedictinorū in ſuburbano Caliſienſi,eius opus eſſe Dlugoſſus ſcribit:itēq; Lubenſe,ad Odram amnē in diœceſi Vuratislauiēſi. Tametſi quod ad Coſciolēſe attinet,nō conuenit ratio tēporis. nam octauo demū anno poſt Miezislai mortem cōditum id eſſe memorat. Niſi fortè uiuente eo inchoatū, tunc demum à liberis eius perfectum,uel ex teſtamento ædificatū eſt. De Lubenſi aūt uariat idem ſcriptor: quod ex ijs quæ ſuperius commemorata ſunt,deprehēdi poteſt. Sed Lubinenſe opinor dicere uoluit, ſupra Vartam flumen in diœceſi Poſnanienſi ſitū. Reliquit aūt Miezislaus ſenex hæredes,Ottonē & Vuladislaum filios,nā cæteri iam obierant. Quin & Otto nō ita multo pòſt patrem ſecutus eſt,relicto Vuladislao item filio impubere:cui ſputatori poſtea,propter crebræ ſputationis uiciū, cognomen fuit. Cuius tutelam Vuladislaus patruus,qui Magnus,& Laſconogus etiam à gracilitate crurum dictus eſt,aliquandiu geſsit.

Hoſpitale Poſnanienſe.

Coſciolēſe monaſterium.

Lubinenſe monaſterium.

Miezislai ſenis filij.

Vuladislaus Sputator.

VVLADISLAVS LASCONOGVS.

MIEZISLAVS ſene defuncto, in Leſcum album rurſus uniuerſi ferè cōuentus Cracouienſis ſtudia prona erāt: negabantq; locum eſſe creando principi, uiuēte Leſco, qui iuſtus princeps eſſet omniū ſuffragijs creatus, ſed fraude doloq; Miezislai bis principatu ſummotus eſſet. Eius aūt principatum diuino quoq; iudicio comprobatum eſſe, inuaſore Miezislao iuſta numinis uindicta tam citò de medio ſublato. Aduerſabatur huic ſententiæ Nicolaus palatinus,cum Fulcone fratre epiſcopo,quorum magna tūc erat authoritas & potentia, propter ſplendorem familiæ,magnasq; neceſsitudines & clientelas, ita ut perdifficile eſſet in conuentu quippiam ijs inuitis ſtatuere. Erat autē Nicolaus infenſus Helenę Leſci matri,ob ſuperiorem iniuriam. Adhæc ſciebat Gouoricium, cum quo capitales gerebat inimicitias, principem in conſilio atq; in amicitia Leſci & Helenæ locū obtinere. Ceſſere tamen & ipſi conſentienti multitudini:illud uerò peruicere, ut ea demū lege Leſcus principatum reciperet,ſi Gouoricium relegaret. Miſsi ad Leſcum legati,mandata conuentus exponunt. Dubius animi Leſcus, ob adiectam de Gouoricio conditionem,quid faceret,deliberabat. Stultū,aut certè damnoſum
» eſſe uidebatur,principatum ultrò oblatum refutare: & ſubeſſe alteri mal
» le,omnibus præeſſe cum poſſet. Sed eijcere per ſummam iniuriam charum ſibi fidum'que conſiliarium, ac de ſe bene merentem nolebat: indignumq; iudicabat,tam duras & iniuſtas leges ſibi dici. Cunctantem Gouoricius

Comitia de creando principe.

Nicolai palatini Cracouienſis implacabilis iracundia.

uoricius ultro hortatur, ne sua causa tanta commoda negligat. Malè uerò sibi suisq; posteris Lescum consulturum esse, si propter se unum seniculum, & pauculos, atq; eos incertos, dies uitę suæ, in aliam familiã transferri principatum sinat. Libenter se pro eius commodis atq; honore in exilium abiturum, pro quo uitam quoq; ponere deberet, atq; cuperet. Felix ac sempiterna posteritatis memoria glorioſum exilium illud ſuum fore, ſuſceptum pro dignitate & amplitudine optimi principis. Commouit Leſcum ea Gouoricij oratio, & inſignis beneuolẽtia cum animi magnitudine cõiuncta: in eam quidẽ partem, ut is illico negaret, tãti ſe facere principatum, ut eius adipiſcẽdi gratia tam fidum conſiliariũ proderet, immerentemq; magiſtratu ſimul & patria eijceret. Principatũ quidem duplici nomine ad ſe pertinere, quòd & hæres Cazimiri eſſet, & à cõuentu pridẽ electus & expetitus, nunquã ſe eo abdicaſſet. Verùm tyrannicã illam uocem, Si ius uiolandum ſit, regnandi cauſa uiolandum eſſe, nõ placere ſibi, qui iuſto & legitimo imperio ſuos regere, à patre & à maioribus ſuis didiciſſet. Proinde alium ſibi Cracouienſes proceres iſtis legibus quærerent: ſe in paterna ditione ſua acquieturum eſſe potius, quàm per ſcelus principatu potiturum. Et cum his mandatis legatos dimiſit mœſtos, & palatini ſui faſtũ, arrogantiam, & impotentẽ iracundiam deteſtantes. Cognita Leſci ſententia, denuò cõſultatur in cõuentu Cracouienſi de principatu. Diſplicebat multis iniquitas & acerbitas decreti ſuperioris de relegãdo Gouoricio: admirabantur Leſci uirtutem, & excelſum uereq; regiũ ſpiritum, qui carere principatu mallet, quàm inſontem conſiliarium iniuria afficere. Nicolao ſuccenſebant: neq; tamẽ mutare decretũ illud poterant, refragante eo, & reſponſum Leſci quaſi ſuperbum & plenum contemptus cauillante. Nam quo clarius dederat Leſcus propenſæ in Gouoricium uoluntatis documentum, eo magis potentiam eius Nicolaus reformidabat: cõtendebatq; ſummo ſtudio, ut cuiuis potius quàm Leſco principatus mandaretur: perfecitq; tandẽ, ut Vuladislaus Laſconogus Miezislai ſenis filius, quaſi iuſtus hæres abſens princeps renunciaretur. Miſſi ad eum legati, uix, ut oblatum principatum ſuſciperet, ei perſuaſerũt: nec aliter tamẽ, quàm ſi Leſcus eum omnino refutaſſet. Verebatur enim eius potentiam, memineratq; patrem ſuum ſemel atq; iterum in gratiam eius à Cracouienſibus uel deiectũ, uel eiectum. Itaque ad Leſcum mittit: poſtulata Cracouienſis conuentus, & quid ipſe reſponderit, exponit: negat ſe prorſus quippiam aduerſus ſententiam Leſci facturum, ad quem longè antè delatum eſſe principatum ſciret, quemq; inimicum capere nollet: nec ſe tam cupidum eſſe, ut principatus cauſa ius ſanguinis uiolaret. Reſpondet Leſcus: ea lege, quæ ſibi à Cracouienſibus proceribus diceretur, principatum ſe accipere noluiſſe, nollecq;: nec aduerſus animi ſui ſententiam facturum eſſe Vuladislaum, ſi eum delatum accipiat. Hoc ubi reſponſum à Leſco Vuladislaus accepit, tum demum poſtulatis Cracouienſium legatorum annuit, & Cracouiam profectus principatum iniit: magnaq; facilitate, humanitate & iuſticia, atq; liberalitate etiam, ſtudia & uolũtates hominum adiungere ſibi cœpit. At Romanus

Gouoricij palatini Sendomirienſis pictas in principem.

Leſci albi iuſticia, & animi magnitudo.

Vuladislaus Laſconogus princeps creatur.

Vuladislai æquitas & modeſtia.

Romani Vuladimirienſiũ ducis tyrannis & ſuperbia.

Prouerbium.

Vuladimirienſium & Halicienſium dux immemor iuriſiurandi ſui, inaudita crudelitate nobilitatem ferè omnem Halicienſem, nullo non ſupplicij genere uſus, extirpauerat: dictum illud ſubinde uſurpans, Melle nemine, niſi interfectis apibus, ſecurè ueſci poſſe. Interfectorum autem & proſcriptorum, ac metu tyrannidis diffugientium bona confiſcarat, magnas'que diuitias conflarat. unde potens effectus, finitimis quoque ducibus erat formidabilis, ita ut nonnullos faceret ſibi tributarios, & alios eijceret, alios inſtitueret. His rebus elatus, ubi Leſcum principatu excidiſſe accepit, contemnere animi eius anguſtiam, ut ipſe interpretabatur, & ætatem: maiora'q; moliri cœpit. Ac primùm clandeſtinis excurſionibus in Leſci ditionem ſuæ finitimam, deinde negociatorum Polonorum, in Ruſsia rationes habentium, direptione, patientiam Leſci tentauit. Deinde legatis eius amicè res repetentibus, durius ac ſuperbius reſpondit, ac Lublinenſem tractum ultro à Leſco & Conrado popoſcit mercedis nomine, ob ſtipendia facta aduerſus Miezislaum, & ob detrimenta in prælio Moſgauienſi accepta. Sed cum poſtulata eius Leſcus & Conradus refutaſſent, quòd dicerent, deſertori, & ei qui ex acie profugiſſet, nihil ſe debere: accenſus ira, apertè iam Lublinenſem oram latrocinio & populatione agrorum infeſtabat. Cohibebant uerò Sendomirienſes liberiores eius excurſiones, & ex eius ditionibus uiciſsim prædas agebant. Maiore deinde ui Romanus bellum gerere inſtituit: coacto'q; ualido exercitu, non modò Poloniam omnem animo & ſpe complexus, uerùm etiam Latinorum literis atque religioni (ſic enim Ruſsi nos, qui rectè in religione Chriſtiana ſentimus, & principatum Romani pontificis agnoſcimus, appellant) exitiũ ſuperbè minitans, Poloniæ fines ingreditur, ac Lublinenſem arcẽ toto menſe obſedit. Sed certior factus, Leſcum & Conradũ copias contra ſe comparare, ſoluta obſidione ad eos magna fiducia uirium ſuarũ ad interiora Poloniæ contendit, immaniter & contumelioſe in omnem ſexum, ætatem, ſtatum'q;, & maximè in ſacerdotes, atq; etiam in innoxia tecta ſęuiens: legatos Polonorũ æqua omnia pollicentes, cuius legationis princeps erat Vitus Plocenſis epiſcopus, (nam de Fulcone Dlugoſſo non aſſentior, quippe qui alienus tunc eſſet à Leſco) cũ incerto reſponſo dimittit. Tranſmiſſo'q; partim nauibus, partim uado flumine Viſtula, apud Zauichoſtum oppidum in ripa Viſtulę caſtra locat, altero à Sendomiria milliario. Ibi cognoſcit noſtros appropinquare: neq; tamẽ credebat pugnãdi copiã facturos eſſe. Vbi ſe opinione ſua falſum eſſe, & Polonos inſtructis acieb. adeſſe uidet, cõſternari ac trepidare cœpit, quòd imparato ſibi prętер opinionem dimicandũ eſſet. Neq; rectè explicare ordines poterat, noſtris perpetuo curſu & magna cũ uociferatione irruẽtibus, cũ ira & indignitas belli à ſocio ac tributario duce, ac de quo Leſcus optimè eſſet meritus, illati, animos ipſis ſuppeditaret. Pręerat aũt noſtris Criſtinus comes, gente Goſdouius, cuius lilium inſigne eſt, palatinus Plocẽſis, uir acer, & rei militaris peritus. nã Leſcus & Conradus adoleſcentes aberant de conſilij ſententia, cum aliquanta manu præſidij cauſa, à longè euentum pręlij expectantes, ut ſi qui durior caſus

Rußicum bellum.

Minæ Romani.

Lublini obſidio.

Prælium apud Zauichoſtum.

Criſtinus comes palatinus Plocenſis.

Goſdouia familia.

casus exercitum afflixisset, recipere se commodè ad tutiora loca possent. Romanus uerò in acie inter primos uersabatur, boni ac strenui ducis fungens officio, ne manus quidē à nostris abstinens. Feruente aliquandiu pugna, & multis utrinq; cadētibus, cum nostris ira uirtusq; suffragarentur, hostes uerò abundarēt multitudine, & dux ipse cohortatione eos animaret, debilitatos confirmaret, & pedem referre incipientes sisteret, conspicati id nostri, globo facto impetū in eum faciunt. Nec segnius ille resistit, donec strage suorū, confossoq; multis uulneribus equo, fugæ præsidium mandare coactus est, equā effœtam nactus: qua uectus cum Vistulā iam tranasset, immixtus multitudini suorum fugientiū, à Polonis instantibus in turba interfectus est. Exercitus autem hostilis partim pugnās, partim fugiens, ad internecionem ferè deletus est. Nam Poloni longius, & propè Vuladimiriam usq;, ut uult Dlugossus, fugientes persecuti sunt. Multi in agris & in syluis latitantes, à rusticis hominibus cōquisiti ac trucidati: multo maxima pars flumine demersa periit, fugam præcipitans, & in angusto uado se impediens, & ruinam faciente ripa ulteriori pressa pondere multitudinis, quæ prima fugiens tranato flumine conuersa & conglobata constiterat. Reuertentes nostri, castra copiosa & opulenta diripuere. Cadauer Romani repertū, Sendomiriæ iusto honore tumularūt. Verùm postea id effossum Lescus, Russis flagitantibus, & captiuos omnes dimittentibus, ac mille pondo argenti appendentibus, reddidit, ut Vuladimiriæ in sepulchro maiorum suorum sepeliretur. Fertur autem Romanus expeditionē illam in Poloniam facturus, missis muneribus petiuisse à Vuladimirienſi episcopo, quē Russi Vuladicā uocant, ut se exercitumq; suum solenni precatione & omine, siue benedictione, ut uulgo dicimus, dignaretur. Quod cum ille recusasset, affirmans nefas esse, Christianos Christianis iniustum bellum inferentes eo honore dignari: indignatum Romanum, mortem ei minatum esse, cum ex eo bello uictor domum reuertisset. illum uerò constanter respōdisse, se mortem pro uerita te neutiquam reformidare: nescire aūt Romanum, an ex eo bello reuersurus sit. Vnde postea episcopus ille sanctitatis opinionem apud uulgus nactus est, quasi diuinitùs futurum belli euentū præsciuisset. Fertur item idem Romanus nocte ea, quam prælium consecutum est, somniasse: magnam multitudinem passerum à longe minori numero achantidū ab ea parte, quæ ad Sendomiriam uergit, aduolantium, dilaniatā esse. Idq; somnium, cum amicis manè narraret, senioribus atq; prudentioribus triste & mali ominis uisum esse. Fuit aūt hic dies, quo apud Zauichostū pugnatū est, ad tertium decimum Calendas Iulij: annus uerò post Christum natum 1205. Et quoniam dies ille Geruasio & Prothasio Christi martyribus dicatus est, aram eis postea Lescus in basilica Cracouiensi dicauit. Sed eius aræ prouentus uberes, uehementer accisos esse successu temporum, Dlugossus memorat. Per hoc tempus Lituani, gens fera, syluestris & obscura, Russorum agros prędis agendis infestare cœpere. A' quibus cruēto prælio uicti, subera, restes & fasces frondeos, quib. ea gēs in balneis sudorē prouocare solet, tributi nomine deinceps pendere iussi sunt.

Romani fuga, & interitus.

Russi profligati.

Episcopi integritas.

Vuladica episcopus apud Russos.

Somnium.

1205. ann.

Lituani à Russis uicti, & uectigales facti.

Apud

Liuones ad religionem Christianã adducti.

Apud Liuones uerò, cum Meinardus episcopus, & post eum Albertus, Christianam religionem paulo antè propagare cœpissent: Albertus alter, quo facilius barbariem inde extirparet, ordinem siue societatem, quę militiæ Christi dicta est, instituit, ac tertiam partem redituum Rigensis episcopæ ipsi attribuit.

Ordo militiæ Christi in Liuonia.

LESCVS ALBVS TERTIVM.

MAGNAM è Russica uictoria uirtutis & felicitatis opinionem Lescus apud suos pariter atq; exteros consecutus est, eoq; maius sui desiderium in animis Cracouiensis conuentus accendit. Summis eum laudibus passim omnes efferebant, Vuladislaumq; suum præ eo contemnebant. Patrum etiam utriusq; merita inter se comparabant. Et reiectum à se temerè & iniustè optimi principis Cazimiri optimum filium dolebant. Fortè autem per id tempus, nondum circumacto anno à Zauichostensi prælio, Nicolaus Palatinus Cracouiensis uita defunctus est. Itaq; summoto iam eo obice, qui solus Lesco ad principatũ obstiterat, summo consensu conspirant, ut excluso Vuladislao, Lescum ueluti iustum principẽ accersant. Acto conuentu, cui & Fulco episcopus interfuit, legatos cum decreto ad Lescum mittunt. Nec ille, cum uniuersi conuentus consensum uideret, cunctatus est, quin postulatis eorum annueret: ueniensq;, Cracouiam, & omnes quæ ad principatum pertinebant munitiones, nemine repugnante, in potestatem suam redigeret. Nam Vuladislaus, uir modestus & quietis amans, cognito consensu conuentus, cessit, & Posnaniam se recepit, nec ulla re postea Lesco molestus fuit. Annus autem quo hæc acta sunt, fuit post Christum natum 1206. Insequenti anno Fulco quoque, siue Pelca, Cracouiensis episcopus, Palatini frater uita excessit: qui sibi & successoribus suis prærogatiuam loci & suffragij secundum Archiepiscopum in Gnesnensi prouincia, ab Innocentio tertio Pontifice max. impetrauit. Successit autem ei magister Vincentius, cognomento Cadlubcus, præpositus Sendomirienſis, gente Roseus, uir doctus, ut tunc ferebant tempora, & pius: qui primus Polonorum, historiam gentis suæ conscripsit: liberis collegij sacri suffragijs creatus & expetitus, quamuis ipse in eo collegio non esset. Perfecerat enim id collegium per Ioannem archidiaconum, ut libera sibi deinceps esset electio episcopi, in quam se principes peruerso more etiam tunc ingerebant. In Russia deinde Lescus princeps per legatos res quasdam uario marte gessit, siue excursionibus eius gentis in Poloniam prouocatus, siue ad ferendam Colomanno Vngarorum regis filio opem inuitatus, siue utrunque. Neque enim constat hic sibi Dlugossus: & Vngarorũ annales totum id bellũ præterierunt. ne Vincentius quidem attigit. Sic autem, secundũ Dugloſſum, res habuit. Post Romani mortẽ, Russorũ ducibus, qui in magnũ iam numerum excreuerant, dissidentib. inter se, & alijs alios pellẽtibus, debilioribusq; cõtra potentiorem aliquẽ, patronũ atq; defensorẽ sibi accersentibus, cum à Polonico nomine propter proximã superioris tẽporis cladem abhorrerent,

Leſcus ad principatum reuocatur.

Vuladislai Lasconogi modestia.

1206 ann.

Cracouiensis episcopi prærogatiua.

Vincẽtius Cadlubcus episcopus Cracouiẽ.

Episcopi libera electio.

Russorum duces multi ac dissidẽtes inter se.

Colomanus,

Colomannus, Andreæ regis Vngarorum filius, Halicienſem principatū adeptus eſt, à Ruſsis expetitus. Veniens autem Haliciam cum magnis copijs, ab epiſcopis, quos in comitatu ſuo habebat, ſolenni pompa inunctus, coronatus, & rex Galatię ſiue Haliciæ appellatus eſt: quod iam inde ab initio de ſententia Andreæ patris conſtitutum erat. Inſcientibus autem Ruſsis hæc acta ſunt. Itaq; confeſtim eorum animos à Colomanno alienarunt, ſic ut nō diuturna illi eſſet principatus illius & regni poſſeſsio. Non multo enim pòſt, cum ille pacata omnia ſibi eſſe crederet, partemq; exercitus in Vngariam remiſiſſet, conſpirant cōtra eum Ruſsi, authore Meſcislao, Meſcislai illius opinor, qui à Cazimiro principe reductus, Halicienſiū Dux fuit, filio uiro forti & magnanimo, ita ut & ipſe Chrobri cognomentum adeptus ſit: qui ante aduentum Colomanni Halicienſem dominatum ſibi uendicabat. Is igitur ex Ruſsis & Polouucis ualida manu facta, Colomānum eiecit cum ſuis omnibus. inter quos Vincentius, Cracouienſis epiſcopus, & Iuo Sauli Comitis filius, gente Odrouāſius, Cācellarius Polonię, qui poſtea fuit Cracouienſis epiſcopus, fuiſſe memorantur. Nos, quid ibi duo iſti tunc egerint, aut cur potiſsimum à Cracouienſi epiſcopo Colomannus unctus, ac regio diademate cinctus ſit, non intelligimus. Neq; credimus tam patientes, ne dicam ignauos, tunc fuiſſe Polonos, ut nō modò prępipi ſibi Halicienſem dominatum, quem armis ſuum fecerant, ab Vngaro paterentur, uerumetiam conſilio ad id ipſi auxilioq; ſuo accommodarent. Itaq; exiſtimamus, Colomānum nō à Ruſsis expetitum eſſe: ſed uxore ducta Salomea, Leſci Albi ſorore, Halicienſem dominatum controuerſum in dotem, concedentibus Poloniſ: accepiſſe: eoq; nouam nuptam ab epiſcopo Cracouienſi, & à Cancellario ad conſtitutum locum deductam, & poſſeſsionem Haliciæ Colomanno traditam eſſe. Quod cum diſpliceret Ruſsis, externi dominatus inſolētibus, & ueritis ne cum principe religionem pariter, cuius tenaciſsimi ſunt, mutare cogerentur, libenter eos cum Meſcislao, qui Haliciam iure hæreditario repetebat, aduerſus Vngaros & Polonos conſpiraſſe. Nec nobis fit ueriſimile, Colomannum Galatiæ, ſiue Haliciæ potius, quàm Ruſsiæ principem atq; regem ſe dici paſſurum fuiſſe, ſi Ruſſorum conſenſu atq; decreto cōmuni accitus fuiſſet. Longè enim clarius atq; ſplendidius Ruſsiæ totius, quàm unius ciuitatis Halicię, nomen erat. Nec planè diſſentit ab hac noſtra ſententia Dlugoſſus. Mox enim poſt eiectionem Colomāni, ſubdit, eodem anno Salomeā ipſi nupſiſſe. Quàm aptè uerò cum ſtrage ac turpi fuga cohęreant nuptiæ, Dlugoſſus uiderit. Sed ut ut eſt, ſequenti quidem anno Leſcus Colomanno cum exercitu Haliciam repetenti, non contemnenda miſit auxilia. Colligebat & Meſcislaus ingentes copias. coniungebant enim ſe cum eo Volodimirus Rurici, Roſcislaus Dauidis, et alter Roſcislaus Meſcislai, Ducum filij. Educebat & ualida Poluuciorū auxilia: qui proprium etiā dolorem interfecti ſuperiori anno Ducis ſui ulciſci in Vngaris cupiebāt. Primo aduentu recepere Vngari et Poloni Haliciam: cōmunitaq; diligentius arce, & Colomāno cum uxore & imbelli multitudine in ea relicto, hoſtibus aduentantibus obuiam progreſsi, prælium commiſerunt. Nec difficulter Poloni

Colomannus Halicię rex factus.

Meſcislaus Dux.

Colomannus Halicia pellitur.

Colomannus coronatus ab epiſcopo Cracouienſi.

Colomanni uxor Salomea, Leſci ſoror.

Polonorum auxilia Colomanno cōtra Ruſſos miſſa.

Russorum victoria de Polonis & Vngaris.

loni,qui dextrum tenebant cornu, Russos loco mouerunt, fugientesq; longius persecuti sunt. Quin in altero cornu iam ad Vngaros inclinabat victoria:ibi Mescislaus cum Polouucijs eos à tergo adortus,facilè securos dissipauit, & magna strage profligauit. Maiorem etiam in Polonis sine ordine reuertentibus stragem edidit, cum uexillum eorum captum erexisset. Accurrentes enim ad id, à Polouucijs pariter & Rusis conuersis excipiebantur & trucidabantur. Ita totus ferè ille exercitus ad internecionem deletus

Colomānus captus cum uxore.

est.Colomānus autem à uictoribus in arce diu obsessus,tandem fame & siti adactus,deditionem fecit,et annum ferè totum unà cum uxore Salomea in

Colomannus Haliciā recuperauit.

custodia asseruatus est à Mescislao. Deinde Andrea patre satagēte per legatos,dimissus est:cōuenitq; inter regem & Mescislaum, ut Maria Mescislai filia,Belæ filio eius natu maiori nuberet: post triennium autem Mescislaus Haliciam Colomanno redderet. Quod cum ille fecisset,non multo pòst Colomannus à Daniele Romani filio rursus exactus, & à patre longè pòst,ab Asiatica,ut uidetur,expeditione reuerso,restitutus,cum uix triennium pacatum regnū obtinuisset,incertū uenenóne an morbo extinctus,uacuam Ha-

Vngari Halicia exciderunt.

liciæ possessionem,& belli materiam Rusis reliquit.Ex eo tempore Vngari reges Rusia prorsus exciderunt:nihilo tamen minus Galatiæ & Lodo-

Galatiæ & Lodomeriæ regnū cur Vngari sibi uendicant.

merię(Vuladimiriā fortasis corruptè sic uocantes)reges deinceps appellari uoluerunt.Elati uictoria illa tam insigni Rusi,adiunctis etiam Lituanis, crebris excursionibus Poloniam uexarunt & afflixerunt.Quare motus Lescus,Sulislaum Castellanum Sendomirienſem cum expeditis copijs ad uastandam uicissim Rusiam misit. Cui cum occurrissent Rusi, magna clade

Russi à Polonis profligati.

profligati sunt: cæsi multi,capti non pauciores:inter quos quinq; fuere duces, Suētoslaus Mescislai, eius opinor qui cum Vuseuolodo Romani patre

Russorum duces capti.

& uiro sororis suę de Vuladimirienſi principatu bellum gessit,filius:Georgius, Iaroslaus,Volodimirus, & Constantinus:qui ad Lescum adducti,& ab eo aliquandiu in uinculis habiti, possea dimissi sunt. Poloni uerò magnam prędam tunc è Rusia retulerunt. Fuit autem hic annus à Christo nato 1211. Quo cometes decem & octo diebus mensis Maij coma in orientem

1211 ann. Cometes.

obuersa apparuit, futurorū malorum, quæ statim Sarmatiam utranq; afflixerūt,prodigiū. Aliquādiu postea tacito quasi consensu pax fuit inter Polonos atq; Russos. Cuius et illa nō minima causa fuit,quòd Rusi anno sequēti nouū dirūq; hostem nacti sunt, qui uires eorū deinceps penitus attriuit,

Pax inter Polonos & Russos.

& multas alias Christiani orbis gentes magnis & acerbis calamitatibus atq; cladib. inuoluit,ac penè funditus euertit. Tattari enim, siue, ut usus obtinuit,Tartari,Scythica gens,siue à fluuio,siue à multitudine nomen habens cum antè ultra Caspium mare, & intra Imaum montem ad orientem solem

Tattari seu Tartari.

obscuri ignotiq; græcis iuxtà ac latinis habitassent, circa annū Christi 1202. uel ut alij uolunt, 1188. finibus suis egressi, deuicto & interfecto Indorum rege,cui seruierant,Asiam penè omnem uictores longè lateq; peruagati,& Rha siue Volga flumine transmisso,ad occidentē progressi,uicinis Russorū

Polouucij

Polouucijs, quos nōnulli recētiores Gotos, nōnulli Chunos siue Cumanos esse uolunt,cāpestria ad Tanaim & Męotim paludē loca habitantib. indeq;

ut no-

ut noſtra fert opinio, finitimorum Ruſſorum lingua non ualde diuerſum à Polonis nomen ſortitis, bellum intulerunt. Quamuis autem perpetui Ruſſorum hoſtes eſſent Polouucĩ, neceſsitate tamen adacti opem eorũ implorarunt. Nec defuere Ruſsi rogantibus in communi periculo. Quin legatos Tartarorum monentes, ne ſeſe eo bello implicarent, contra ius gentium inte remere. Cõmiſſo prælio uictores Tartari magna ſtrage Polouucios & Ruſſos fudere & fugauere. Fugientes autem Ruſſos, ipſi etiam Polouucĩ excepere, & ſpoliatos trucidauere. Munitiones dein Polouuciorum expugnatę: ipſi deleti, & omnis illa circa Tanaim & Mæotim ora cum Taurica Cherſoneſo à Tartaris habitari cœpta. Deinde Ruſsi debellati & ſubacti ſunt, ita ut nõ modò tributa ipſis penderent, & iuſſa facerẽt, ſed etiã ſeruis antè ſuis Lituanis prædæ eſſent. Quod ſuo fortaſſis loco attingemus. Nunc noſtra perſequamur. Nullum deinde Leſcus quoad uixit bellũ geſsit, pace & ocio impenſius delectatus. In pace uerò iuſtè, clementer, & moderatè principatũ adminiſtrauit: ædificia partim collapſa inſtaurauit, partim noua excitauit. Obibat autem cunctas regiones ditioni ſuę ſubiectas, cauſasq; & cõtrouerſias hominũ omnib. in locis ipſe per ſe cognoſcebat & iudicabat: inſontes, & maximè in ſycophãtas ſiue calũniatores animaduertebat oppreſſospotentiorũ iniurijs uindicabatIn. Pomeraniã uerò cũ ueniſſet, atq; eadẽ illa quę alibi ageret, rogatus à Pomeranis q; lõgius ĩ ſe ius à principe nõſine magno incõmodo atq; impẽdio petere quererẽt, quẽadmodũ Suẽtopelcũ ſuperius attigimus, uniuerſæ Pomeranię prę fecit, & ampliſsimã poteſtatẽ atq; iuriſdictionẽ etiã in Palatinos, qui tunc duo erãt, nẽpe Gdanenſis et Suecẽſis, & in cęteros magiſtratus ipſi cõceſsit. De reditib. aũt totius Pomeranię mille pondo ſiue marcas argenti quotannis fiſco principis Polonorum ut penderet conſtituit, & iureiurando in ſua poſterorumq; ſuorũ principũ Polonię uerba eum adegit. Quam tamen ille fidẽ nõ diu ſeruauit, quemadmodũ poſterius exponemus. Maſouiã uerò & Cuiauiã Leſcus dẽ cõſilĩ cõuentus q; ſententia Cõrado fratri minori in ſortẽ patrimonĩ cõceſsit, comitijs eã potiſsimũ ob rem Sendomiriæ habitis. Deinde duodetrigeſimũ agẽs annũ, rogatu procerum uxorem duxit Grimiſlauam Iaroslai unius de Ruſſorum ducibus, quem captiuũ habuerat, filiam, anno Chriſti 1220. Ex qua anno ſequenti Boleslaũ filiũ, qui poſtea Pudicus appellatus eſt, ſuſcepit, in arce Corcinenſi ædituũ: deinde filiam Salomeam. Nec; memorabile quicquam præterea eſt in principatu Leſci huius quamuis diuturno, pręter mortẽ eius: quam priuſquam perſequamur, nõnulla quę regnante eo acciderunt in Polonia, nõ indigna memoratu, breuiter exponemus. Henricus Barbatus dux Vuratisla uienſiũ ex Heduigi uxore, filia Bertholdi ducis Morauię te Carinthię, fœmina lectiſsima, Henricũ et Conradũ, cui Coiſpo cognomẽ fuit, filios habebat. Et maiorẽ quidẽ mater, minorẽ pater plus diligebat. Sed tamẽ partitus inter eos dominatũ pater, uxoris ſuaſu minori quidẽ Luſaciã et Lubuſſenſem tractum, Henrico uerò maiori reliqua omnia cum Vuratislauia aſsignauerat. In qua partitione cum Conradus non acquieſceret, bellum fratri fecit, ne quicq; diſuadentibus ac deprecantibus parentibus. Nec Henricus iunior

Polouucij et Ruſsi à Tartaris uicti.

Tartarorũ ſedes. Ruſsi Tartaris uectigales.

Leſcus ſtudia pacis amplexus.

Iudicia principis.

Calumniatores coerciti.

Pomeraniæ præfectus Suentopelcus.

Pomeraniæ uectigal.

Leſcus fratri Maſouia & Cuiauia ceſsit.

Grimislaua Leſci uxor.

1220 ann.

Boleslaus Pudicus.

Henricus Barbatus diuidit principatũ inter filios.

Luſacia & Lubuſſenſis in ditione Polonorum.

Bellum inter fratres.

sibi defuit. Sed coacto et ipse tumultuarie exercitu, obuiã fratri ꝓdiit. Pugna cõmissa in loco cui nomẽ Studnicia, inter Legniciã & Goltibergã, Hẽricus uictor extitit. Cõradus cũ se ex fuga Glogouiã ad patrẽ recepisset, salutẽ cõ secutus est. Verũ non ita multo pòst, in Tarnauiensi saltu uenationi uacans, & ferã agitãs, lapso equo ceruices fregit. Fertur aũt Heduigis diuinitùs filij interitũ præsciuisse. Tam enim religiosa & pia fuit ea mulier, & sanctimonia uitæ prẽstans, ut ꝓphetico spiritu à Deo dignaret. Huius rogatu Henricus Barbatus Trebnicìense monasteriũ tertio à Vuratislauia milliario maximis sumptib. exẽdificauit, & puellis Cistercìensis sectę attribuit. Addixit aũt Heduigis, indulgente uiro, illi monasterio oppidũ ipsum Trebniciã, & cõplures pagos suos dotales, ita ut in mille hominũ alimenta reditus eius suffecturi esse uiderent. Quod exemplũ secutus Nicolaus Henrichouius, uir nobilis et locuples, qui Hẽrico Barbato à secretis fuit, et ipse patrimoniũ suũ omne Cistercìensib. monachis, assentiente Henrico Barbato, donauit: extructoq; eis monasterio in pago suo Hẽrichouo, ipse q̃q; ibi religionẽ professus, uitã peregit. Tantũ uerò tunc pacatis rebus uigebat in Polonis religionis amplificandę studiũ, ut eo potissimũ inter se certarent. Nã & Miezislaus Vuladislai filius dux Oppolìensis & Ratiborìensis Ribnicense monasteriũ Prẽmõstratẽsis sectę puellis cõdidit ac dotauit: q̃d postea filius eius Caximirus, quẽ unicũ reliquit, Zarnouãsum trãstulit: et Vincẽtius Cracouiẽsis episcopus, cũ basilicę Cracouiẽsi, cuius supellex uniuersa, tacto de cœlo ærario cõflagarat, multa cõtulisset, decimasq; nõnullas collegio eiusdem basilicæ in distributiones quotidianas, et in lucernã, quę perpetua in tẽplo arderet, addixisset, episcopatu se abdicauit, nequicq̃ aduersante principe, ac dissuadẽte collegio sacerdotũ: et in Androuiẽsi monasterio reliquos quinq; uitę annos religiosè exegit, cũ 10 annis episcopus fuisset. Huic uerò Vincentio qui successit, Iuo Sauli filius, cuius etiã superius mẽtionẽ fecimus, Romã ꝓfectus, ac Dominici Calaguritnia, q tũc nouę sectę et sodalitatis, quã à studio cõcionãdi Prędicatorũ uocãt, autor florebat, doctrinã uitamq; admiratus, laciũ siue Iacinctũ gẽtilẽ suũ de territorio Oppoliẽsi, canonicũ Cracouiensem (qui pòst mortẽ multis annis ꝓpter sanctimoniã uitæ actæ et miracula, in numerũ diuorũ relatus est) atq; tres alios de comitib. suis, à Dominico institutũ uitę illius edoctos atq; ꝓfessos, Cracouiã secũ reduxit, nouęq; sodalitati primariũ in urbe Cracouiẽsi tẽplũ, q̃d Trinitatis nomine appellat, attribuit, et copiosam supellectilẽ templo dicauit, uictũ uestitũq; sodalib. suppeditauit: Parœciã uerò inde in tẽplũ uirgini matri Dei Marię dicatũ, ob id tũc à se cõstructũ, trãstulit. Cõplura deinde eidem sodalitati cœnobia in Polonia cõdita sunt. Quin Kiouiã q̃q; & Haliciã ꝛa paulo pòst colonias suas deduxit. Sed nõ potuit eã diu ferre Kiouiæ dux Volodimirus, ueritus ne ab ea Russi sui à schismate et ritib. Græcorũ abstraherent. Idem Iuo Cracicense etiã monasterium Cistercìensib. monachis condidit: nec multo pòst Mogilã supra Vistulã uno à Cracouia miliario, locũ à Vendę reginę tumulo dictũ id trãstulit, & magnificè locupletauit. Pręterea egenis, et morbo ac senio debilitatis ptochodochium, siue hospitale, ut uulgò uocãt, suburbano

Cõradi interitus.
Heduigis sanctimonia.
Trebnicìense monasterium conditum.
Trebniciẽsis prouentus.
Henrichouiense monasterium.
Ribnicense monasterium.
Cracouiensi basilicæ supellex & decimæ à Vincentio episcopo donatæ.
Vincentius abdicauit se episcopatu.
Iuo episcopus Cracouiensis.
Dominicanorum sodaliũ secta Cracouiam inducta.
Iacinctus in diuos relatus.
S. Trinitatis monasterium.
S. Mariæ templũ Cracouiæ.
Mogilense monasterium.

ſuo Cracouienſi,Prādinico dicto exædificauit,pagoſq; ac decimas quaſdā in alimēta attribuit, eiusq; hoſpitalis curā et adminiſtrationē hoſpitalarijs fratrib.q ſe de Saxia uocāt,mādauit.Poſterius aūt incōmoditatē loci,ab urbe et frequētia hominū remoti,cū animo ſuo perpendēs,Cracouiā id trāſtulit,extructis nouis ędib.atq; tēplo,q̄d Spiritui ſācto dedicauit.Quo tēpore etiā parœciā uicinā,ſanctę Crucis dictā,in urbe,& alterā in pago ſuoBiſcupicēſi, altero ab urbe miliario, illis ipſis hoſpitalarijs iure ſempiterno addixit. Sendomiriæ quoq; idem epiſcopus Dominicanis fratribus ſiue prædicatoribus monaſterium erexit.tametſi uariat Dlugoſſus. Nam et ab Adleida Leſci ſorore monaſteriū illud conditū eſſe,alibi memorat. Quę tamē aliquāto ante inuectā eā ſectā in Poloniā,ut ipſe uult,obijt. Niſi fortèpecuniā eius teſtamento relictā,Iuonē in ędificationē monaſterij impendiſſe exiſtimandū eſt,ita ut ambo,hic opera, illa ſumptu cōditores illius monaſterij fuiſſe uideātur. Idē Iuo etiā Meſtouienſe atq; Dlubnenſe monaſterium,& Derſanſnēſem,Vuauurinzicenſem,Daleſſicēſem,& S.Pauli apud Sēdomiriam parœcias condidit. Iā Henricus Archiepiſcopus Gneſnēſis,Theodorici ducis Bernēſis ex Eudoxia Polona,filius,bonā & ipſe in hoc pietatis ſtadio nauauit operā.Perfecit eīm diligentia & autoritate ſua,ut principis atq; omniū ducum procerūq; Polonorū conſenſu,& uniuerſi cōuentus cōſtitutione,ſacer & eccleſiaſticus ordo omnis cū adſcripticijs etiā & ſubditis ſuis ab omniū profanorū iudicū etiā ducum, atq; ipſius ſummi principis iuriſdictione prorſus liber eſſet,ita ut ne per exceptionē ullā quidē,aut recōuentionē pertrahi ad ullū profanū,ſiue laicū,ut uocāt,forū poſſent.Eamq; conſtitutionē pont. max. & ſedis apoſtolicæ autoritate cōfirmauit.Sacerdotes uerò omnes ex decreto ſynodi à ſe cōuocatę,uxores & cōcubinas, quas retinebāt adhuc plericq; poſt edictū legati pōtificij,abdicare coegit,iureiurādo ab eis exacto.Hic etiā obtinuit à ſede apoſtolica Archiepiſcopis Gneſnēſibus perpetuę legationis munus.Mortuus deinde eſt anno Chriſti 1219. cū decem & nouē annis eccleſię illi prę fuiſſet. Cui Vincentius ſucceſſit. Biennio pòſt denſi atq; cōtinentes per totam ętatē imbres,ingenti aquarū inundatione uehementer Poloniā afflixere, plurimos pagos atq; uicos euertère atq; abripuère.Segetes hybernas uaſtauêre,uernā ſementem fieri paſſi non ſunt.Cōſecuta mox eſt hyems acris et horrida.Inde fames & peſtis , poſtea totū trienniū ſęuientes,maximā uim pecudū, iumentorū, atq; hominū abſumpſere.In his tātis malis,Iuonis epiſcopi beneficētia egentib. paſsim expoſita,permultis ſaluti fuit.Et ſanè mirū eſt tūc lōgè minores, q̄ nunc ſunt, reditus epiſcopę ſuffeciſſe tn pio & benefico epiſcopo in tot tantosq; ſumptus , in cultū diuinū,& ſubleuationē egentiū,ut par fuit,collatos. Verū diuinę benignitatis fuit,ut liberaliter ſeminanti uber meſsis ,pueniret: moderati uerò ac temperātis epiſcopi, ut paruo contentus, diſpenſatorē, nō dominū ſe eſſe meminiſſet. Sed inſtitutū noſtrū urgeamus. Maſouię,Cuiauiæ, ac Dobrini dominatū Leſcus Cōrado fratri,quemadmodū iam antè diximus, cōceſſerat. Sed quoniā is iuuenis admodum erat,& ocio,deſidiæ,uoluptatibus q̄ deditus , Criſtini palatini Plocenſis , grauiſſimi & clariſſimi uiri,

Hoſpitalarij.

S. Spiritus ptochodochium Cracouiæ.

S. Crucis parœcia.

Sendomiriēſe monaſteriū Domin.

Meſtouienſe & Dlubnenſe monaſteria.

Parœciæ quæ dā. Henrici Archiepiſcopi opera.

Eccleſiaſtici ordinis exemptio à iuriſdictione iudicum profanorū.

Sacerdotibus uxores ademptæ.

Legatio nata.

Vincentius archiepiſcopus.

Inundatio, fames, & peſtis in Polonia.

Iuonis epiſcopi beneficentia.

Cōradi nequitia.

cuius etiã ſuperius meminimus, nutu & arbitrio pleraq; omnia adminiſtrabat. Et rectè is ſanè ſe gerere, domi ſcelera ſeuerè coercere, foris Pruſſis, et Lithuanis finitimis formidabilis eſſe, ita ut uulgo iã ab exteris magnus Maſouiç palatinus uocitaretur. Inuidêre ipſi eam gloriam atq; authoritatem multi, atq; in his Ioannes Zapha, Scholaſticus Plocẽſis, & Cancellarius ducis, cęteris impenſius. Itaq; is ſedulò Criſtino apud Conradum obtrectabat, & inuidiam odium'que omni ratione conflabat. Admonebat crebrò Conradum Criſtinus officij ſui: & cum remiſſiorem & nequiorem indies fieri animaduerteret, in frequenti quoq; ſenatu fortè acrius obiurgarat. Eam igitur occaſionem exoptatam æmuli eius cupidè arripuere, iratumq; ſua ſpõte Criſtino Conradum, magis etiam iritarunt, multis falſis criminibus in eum confictis, & in primis quòd is ad dominatum Maſouiæ aſpiraret, & Conradi uitæ inſidiaretur. His incitatus Conradus, Criſtinum in uincula coniecit, deinde excæcauit, poſtremò necauit, & liberos eius proſcripſit: optimè merentem peſſimè remuneratus. Verùm non nouum neque inuſitatum hoc eſt apud Principes, apud quos plus ferè loci eſt perditis palponib. & aſſentatoribus, atq; calumniatoribus, quàm recta monentibus. Verùm non impunè id ſcelus Conradus abſtulit. Nam ubi ſublatum de medio Criſtinum, quem Deum uocabant, Pruſſi accepere, reſumptis animis in ditionem Cõradi incurſarunt: & Chelmenſis quidem ſiue Culmenſis tractus magnam partem, palatini eius loci, cum is puellæ cuiuſdam Pruſſæ amore captus eſſet, proditione in poteſtatem ſuam redegerunt. In Maſouiam uerò progreſſi, maximis eam affecere incommodis, ferro et igni longè lateq; graſſantes, ita ut Ploſcum etiam oppidum, Maſouiæ caput, exurerent. Nam baſilica Plocenſis in arce ſita iam antè fortuito conflagrarat incendio, quo ſupellex baſilicæ ſanè quàm ſplendida abſumpta eſt. Ad quę incommoda illud etiam acceſſit Maſouiæ, quòd cathedra Plocenſis poſt mortem Goslai, biennium epiſcopò caruit, cum plures pariter à collegio electi eſſent. Quibus malis adactus Conradus, cum Pruſſorum excurſionibus cohibendis per ſe ipſe par non eſſet, Cruce ſignatos in auxilium contra barbaros Chriſtiani monachi ſectæ Ciſtercienſis opera undequaq; euocauit. Inter quos facilè principes erant Henricus dux Sileſiæ, Vuratislauienſisq;, & Lubuſſenſis epiſcopi, & multi è nobilitate Polonica. Quorum ope cum Chelmenſem ſiue Culmenſem & Lubauienſem tractum in poteſtatem ſuam redegiſſet, Chriſtianum ibi primum epiſcopum conſtituit, quo per eum barbari ad religionem Chriſtianam adducerentur, eiq; & ſucceſſoribus eius epiſcopis Pruſſiæ ſiue Culmenſibus, partem tractus Chelmenſis, in quo fuerunt arces, Grudentum, Vapſcum, Coprinum, Villiſazum, Colnum, Ruch, Riſſinum, profundum Turnum, Pinum, & Plochum, cum omnibus uillis & prædijs, ac centum præterea pagis iure ſempiterno donauit. De cæteris uerò agris, quos ipſe retinebat, decimam omnium frugum ipſi addixit. Adiecit etiam Gedeon epiſcopus Plocenſis aſſentiente toto collegio ſacerdotum Tarnouiã, quæ fortaſſis Torunia eſt, & Papouiã, cum omnib. item pagis ac prædijs adiũctis, itẽq; ius omne eccleſiaſticũ, q̃d habebat in ditione Chelmenſi.

Inuidia et calũnia in aulis principũ regnant.

Criſtini palatini cædes.

Pruſſi Chelmẽſem tractum in poteſtatem ſuam redegere, & Maſouiam uaſtauere.

Ploſcum incẽſum à Pruſſis.

Plocenſis epiſcopatus biẽnium uacauit.

Cruce ſignati in Pruſſos immiſſi.

Chriſtianus epiſcopus Culmenſis.

Culmenſis epiſcopæ bona & reditus.

Tarnouia in Culmenſi.

Papouia.

Chelmensi. Id adeò anno Christi 1222. actum est, uti uidere est ex diplo- 1222 ann.
mate à Conrado & Gedeone suprà memoratis, pariterq; à Lesco Poloniæ,
& Henrico Silesiæ ducibus, Vincentio Archiepiscopo Gnesnensi, Craco-
uiensi, Posnaniensi, Vuratislauiensi, Lubusensi, et Cuiauiensi episcopis consi
gnato. Cuius exemplum extat in archiuio regio. Vnde licet colligere, Ar-
chiepiscopum quoq; ac cæteros episcopos Conrado contra barbaros ad-
fuisse. Nec tamen ab illo Cruce signato exercitu perdomari Prussi potue-
rũt. Itaq; inito cõsilio, et missa ad Albertũ Archiepiscopũ Rigensem legatio *Liuonienses milites Christi contra Prussos euocati.*
ne, sodales siue fratres militiam Christi professos, qui rubrum ensem cum
cruce in pallio insutum gestant, è Liuonia euocauit: eisq; Dobrinensem tra- *Dobrinensis tractus.*
ctum inter Camenizam & Culmenizam riuos attribuit, ut sibi contra Prus- *Liuonienses milites deleti à Prussis.*
sos prælio essent. Verùm ij quoq; uno prælio, quod biduo durasse memora
tur, obtriti a Prussis ac deleti sunt, ita ut quinq; soli euaderent: qui & ipsi,
Dobrino repudiato, in Liuoniam sese receperunt. Dum hæc ita geruntur,
Lesco principi nouus hostis exortus est, ex huiusmodi causa. Suppetias is
Cõrado fratri cõtra Prussos siue miserat, siue ipse iuerat. In eo exercitu et bel
lo Ioannes Clementis filius, gente Gryphius, equestri, nec sanè obscuro loco *Ioãnes Gryphius ignominia notatus.*
natus, & nõnulli alij, quorum nomina non memorant, cum aliter, q̃ ipsis &
genere eorum dignum erat, se gessissent, cæteriq; fuga eorum proditi occu
buissent, reuersi, ignominia notati, & magistratibus amoti sunt à Lesco,
Iuonis episcopi & Hostasij Comitis, Odrouansiorum, aduersæ factionis,
suasu & consilio. Permolestè tulit eam notam familiæ suæ inustam Marcus
Palatinus Cracouiensis, (Nam Gryphius & ipse erat.) item'que Andreas
magister & canonicus Cracouiensis, suprà memorati Ioannis frater. Itaq; *Henricus Barbatus ad interuertẽdum principatũ concitatur.*
cum clàm contrà principem cum cæteris suæ factionis conspirassent, Mar-
cus Palatinus ad Henricum Barbatum profectus, persuasit homini, ut ad
principatũ, iure optimo ad se pertinentem, quippe qui natu maximus tunc
esset in familia Ciuousti Boleslai monarchę, sibi uendicandum adspiraret:
operam ad id studium'que suum, & maximè partis procerum equitum'que
Cracouiensis conuentus, quibus exosus sit Lesci dominatus, prolixè ipsi
deferens, ita ut eum nullo negocio uoti compotem fore affirmaret. Hen-
ricus, ut est ingenium hominum, quod opes, honores, & eminentiam atti- ‘‘
net, insatiabile, & facile sperat credit'que quod optat, passus est sibi per- ‘‘
suaderi ab homine, quem illustri familia ortum, ac summo honore fungen-
tem, gratia & authoritate plurimum ualere in conuentu Cracouiensi noue-
rat. Itaque facta de suis manu satis ualida, spei plenus, frustra reclamante *Henrici Barbati expeditio in Cracouiensem principatum.*
uxore Heduigi, Cracouiam contendit. Neque Lescum molimina Marci,
& apparatus Henrici ducis fefellere. Itaque exercitum quantum potest
maximum contrà comparat, & à Conrado fratre auxilia accersit. Iam ad
Dlubnam amnem uno à Cracouia milliario Henricus cum suis copijs per- *Dlubna fl.*
uenerat, cum de apparatu & exercitu Lesci, maiore quàm suo, cognoscit:
& maiorem longè quàm Marcus pollicitabatur, difficultatem adipiscendi
principatus reperit. Nec ausus rem prælij periculo committere, propter nõ
obscurum pauorem suorum ad Lescum misit, tempus locumq;, & modum

collo-

Pax & fœdus inter cognatos principes.

colloquij petens. Non abnuit Leſcus, pacis et ipſe amans. Conuenit utrinq; pari numero procerũ & ſtipatorum, erecto inter caſtra tentorio. Aderat autem et Conradus. Ibi multis ultrò citroq; ſermonibus habitis, tandem Iuonis epiſcopi opera maximè pax componit inter Duces. Henricus iure ſuo, ſi quod haberet ad principatum, ſeſe abdicat. Vtriq; uerò, nunquam ſe alterorum bonis & poſſeſſionibus inhiaturos, ſed commoda honoremq; alterorum inuicem curaturos defenſurosq; eſſe paciſcuntur. Deinde inuitatus Cracouiam à Leſco Henricus, octo dies ſplendidè & honorificè acceptus atq; habitus, qui hoſtis uenerat, amiciſſimus diſceſſit. De Marco Palatino nihil memorię proditum eſt, quid factũ ſit. Sed ueriſimile eſt, ei Leſcũ Henrici opera reconciliatum eſſe. Nam poſt Leſci mortem, in eo conuentu, qui de eligendo principe nouo habitus eſt, interfuit, & uxori filioq; Leſci non defuit. Eodem tẽpore maior quoq; Polonia non immunis fuit ab inteſtinis

Vuladislaus Sputator Caliſiam intercepit.

diſſidijs & ciuilibus bellis. Nam Vuladislaus, Ottonis filius, cui Sputatori cognomen fuit, nondum egreſſus ex ephebis, æqualium ſuorum ſuaſu & conſilio, dimitti ex tutela à patruo Vuladislao magno, ſiue Laſconogo, & partiri cum eo dominatum flagitabat. Cum non impetraret, coacta clam aliquanta manu, Caliſſiam arcem intercepit. Qua de re certior factus Laſconogus, celeriter cum tumultuarijs copijs nobiliũ iuxtà ac ruſticanorum accurrit: arcem obſidet, non inſtructam ad longam obſidionem perferendam. Quintumdecimum diem iam durabat obſidio, cum cõmeatus obſeſſos deficere cœpit. Quocirca qui in præſidio erant, uitam & incolumitatem pacti, arcem Laſconogo dedidere. Porrò Vuladislaus Sputator, per noctẽ cum ſeptem tantũ comitibus effugit, & ad Leſcum Principem Cracouiam, deinde in Vngariam ſe recepit: & ab Andrea rege humanè & benignè acceptus, nouem fermè annos apud eum metu patrui exulauit. Sed hęc aliquãto antè acciderant. Poſt hæc Vuladislaus, idem Sputator, ſocietate & affinitate clàm per internuncios cum Suentopelco Pomeraniæ præfecto inita, ei filiam eius Helingam ſiue Helenam uxorem ducebat, monachi habitu clàm

Vſce arx à Vuladislao Sputatore intercepta.

in Poloniam redijt: et Suentopelci ope Vſce arcem cum duorum fluminum Noteſi & Guidæ allapſu & ambitu, tum manu quoq; munitiſſimam intercepit, indeq; ſubiectas ac uicinas oras uexare cœpit: prædia patrui, & Mogilnenſe monaſterium diripuit: complures nobiles, qui cum Laſconogo ſentiebant, interfecit: Alberto & Laurentio, Ioannis filijs, non obſcuris iuuenibus, inprimis adiutoribus utens. Hæc ubi accepit Laſconogus, ualidum ex omni dominatu ſuo conſcribit exercitum. arcem Vſce, cum difficilis eſſet expugnatu, obſidione cingit, caſtella pluribus in locis extruit: unde diſpoſiti in ſtationibus milites, obſeruarent ne quid ad obſeſſos importaretur, néue iterum Vuladislaus Sputator manus ſuas effugeret. Vineas, turres, & alia opera ad mœnia agit, et machinis murum nequicquam quatit. Vbi hac nõ proficit, diuturna obſidione et fame ad deditionem obſeſſos adigere ſtatuit. Cumque ad medium menſis Iulij à primo uere duraret obſidio, nec obſeſſi è munitione prodirent, negligentius omnia cœpere agi in exercitu. Rari, atque ij inermes ferè, atque ebrij quoque, in ſtationibus apparere.

Noteſus fl.
Guida fl.

Vſce arcis obſidio

In ca-

In castris etiam pauci ac dissoluti obuersari. Hoc animaduerso, hi qui obsidebantur, alere etiam ipsi data opera simulato metu obsidentium negligentiam. Die quadam cum infrequentes admodum stationes & infrequentia castra supernè conspexisset Vuladislaus Sputator, celeriter instructis in arce ordinibus, cohortatusq; paucis milites, apertis portis erumpit: deiectaq; nullo negocio statione hostium, ad castra curriculo contendit. Ibi permagnam in inermibus, & inopinata re perturbatis stragem ædidit, donec Lasconogus retractis & animatis suis, globoque facto, in cæde exultantes repressit, & in arcem compulit. Multos ibi nobiles & fortes milites, & Palatinum Posnaniensem Dobrogostium Lasconogus amisit. Quo incommodo consternatus, postero die obsidionem soluit. Discedentem Sputator magna iam fiducia suarum uirium secutus est, et multi ad eum à Lasconogo, accepta fama prælij, quæ deteriorem etiam quàm erat rem Lasconogi fecerat, deficiebant. Posnania quoq; & Calissia primaria oppida non grauatè sese ei uenienti dedidere. His tam secundis generi sui rebus Suentopelcus Pomeranorum præfectus, cum alioqui magnis opibus & facultatibus terra mariq; partis, & gratia populari tumeret, insolentior factus, à Lesco Principe magnopere contendit, ut se Ducis siue Principis Pomeraniæ nomine & honore dignaretur, & sempiternum id sibi posterisque suis esse iuberet, ut ij tamen summo Polonorum Principi obtemperarent. Concessisse id auum eius Criuoustum Boleslaum in inferiore Pomerania et Cassubia Boguslao gentili suo. Refutauit postulata Suentopelci Lescus. Qua repulsa ille accensus, ad defectionem spectare cœpit: neque pensionem annuam de more Lesco misit. Lescus igitur cum consilium eius non modò hominum sermonibus, uerumetiam re ipsa deprehendisset, communicato cum Henrico Barbato consilio, Gansauam, quæ uilla est Tremesnensis monasterij prope Znenam in maiore Polonia sita, uniuersę Poloniæ comitia ad tertium Idus Nouembris, quæ dies diui Martini sancti episcopi memoriæ dicata est, indicit, quasi de republica, ac de componendis intestinis Ducum maioris Polonię dissidijs. Re uera autem, ut Suentopelcum prætextu comitiorum euocatum, sine armis & bello opprimeret. Subolfecit id Suentopelcus, & ultrò in Principem insidias intendit unà cum Vuladislao genero, quòd eius quoq; iuxtà ac suã rem agi, nec minus illius quàm suo periculo comitia illa instituì diceret, & ad spem summi principatus adipiscendi eum incitaret. Conuenere ad præstitutum locum atque diem Lescus princeps, Henricus Barbatus, Conradus, Vuladislai duo, Lasconogus et Sputator Duces, Archiepiscopus Gnesnẽsis, Cracouiẽsis, Vratislauiensis, Vuladislauiensis, Posnaniensis, & Lubussensis episcopi, & electus nuper Plocensis, magnusq; procerum numerus. Porrò Suentopelcus nectebat moras: missisque subinde per speciem excusandæ suæ moræ hominibus, statum omnem comitiorum cognoscebat, et occasionem peragendi cogitati facinoris captabat. Cum triduo de pace inter Vuladislaos actũ atq; tractatũ esset, ac Suentopelci aduentus requireretur, propterea quòd totius conuẽtus sentẽtię eò inclinabãt, ut ipse & Pomerani maiorib.

Dobrogostius Pal. Posn. occisus. Vuladislaus Lasconogus uictus.

Vuladislaus Sputator maiorem Poloniam occupat.

Guentopelci præfecti Pomeraniæ ambitio.

Suentopelci defectio.

Comitia apud Gãsauam.

Polonis de damnis ac detrimentis cum Sputatore illatis satisfacerẽt, quartaq́ dies curandis corporibus data esset, ad balneum se Lescus & Henricus contulêre. Ibi Suentopelcus cum expedita suorum manu adest: propè enim delituerat, & opportunitatem rei peragendæ didicerat: & in diuersoria ac tentoria proxima irrumpens, obuios quosq́, rei nouitate attonitos, facile aut remouet, aut obtruncat: Lescũ quærit: ad balneũ, ubi eum esse acceperat, cõtendit. Interim exaudito tumultu certior factus Lescus de hostili aduentu Suentopelci, exilit: & equum nactus, cum paucis fugere cœpit. Fugientem Suentopelcus cum plerisque suis persequitur: illum unum se potissimum petere, in uno illo capite omnia sibi posita esse dictitans. Vbi effugere Lescus insequentium & prementium se manus non potuit, conuerso equo, & reuocatis fugæ comitibus, cum aliquandiu multis & bene armatis nudus penè cum paucis restitisset, fortiter dimicans apud Marcincouum pagum occubuit. At qui ad perscrutandum in balneo Principem descenderant, in Henricum, qui ætate grauis fugam desperauerat, impetum faciunt. Sed eum aliquot uulneribus debilitatum prostratumq́, Peregrinus Veisemburgius unus de aulico ipsius comitatu, corporis sui obiectu protexit: confossus que & concisus deficiente uita super iacentis domini sui corpus se proiecit. Percussores rati utrumque exanimem, discessere, & recolligendi sui spacium Henrico concessere: qui raptim furtim que Vuratislauiam lectica delatus à suis, haud ita multo pòst sanitati pristinæ restitutus, & posteros Peregrini liberatoris sui magnis muneribus & honoribus prosecutus est. Annus quo hæc acta sunt, fuit à Christo nato 1226. secundum Vincentium, uel ut uult Dlugossus 1227. Ex eo tempore Suentopelcus pro duce ac domino Pomeraniæ gerere se cœpit. Lesci uerò corpus Cracouiam elatum, in basilica magna omnium comploratione sepultum est. Regnauit autem Lescus à morte patris annos triginta tres propemodum, cum puer admodum ad principatũ euectus esset. Sed in his triginta tribus annis Miezislaus quidem duos ferè, Vuladislaus uerò filius eius tres annos, quibus summoto Lesco principatum obtinuere, sibi uendicant. Per hoc tempus Prussis Masouiam uehementer uexantibus & uastantibus, inops consilij Conradus dux, habito conuentu suorum, tandem Christiano episcopo suggerente & suadente, fratres siue sodales Teuthonicos, et ipsos piam contra barbaros militiam sub titulo S. Mariæ professos, qui paulo antè à Saracenis è Syria eiecti fuerant, per eum ipsum Christianum Roma acciuit: Chelmensemq́ tractũ, et quicquid terræ est inter Vistulam, Mocrã, atq́ Deruanciã flumina, eis tradidit: his legibus, ut contra Prussos sedulò & summis uiribus bellum gererent. Vbi uerò eos domuissent, Chelmensem quidem dicionem reddèrent: cætera uerò quæcunq́ de barbaris cæpissent, arbitrio bonorum uirorum ex æquo secum, seu cum posteris suis partirentur: Polonis ne quam uim aut iniuriam facerent, néue hostes eorum receptarent, aut ullo fauore prosequerentur: contra barbaros autem, & à religione Christiana alienos, ut ipsis, cum opus fuerit, præstò essent. Si quid horum trãsgrederentur, pœnę, quę contra ingratos est ex iure gentium, sub

iacerent.

Lescus interfectus à Suentopelco.

Henricus Barbatus à Peregrino Veisemburgio protectus & seruatus.

1227. ann.

Suentopelcus dux Pomeraniæ citerioris.

Teuthonicorũ S. Mariæ ordo.

Chelmensis tractus Teuthonibus concessus iure hospitij.

Pacta Conradi cũ Teuthonibus fratribus.

iacerent, hoc est, beneficia accepta amitterent. Hęc ita inter Conradum & su prà memoratos fratres Cruciferos, quorum tunc Hermannus de Salza sum mus magister erat (sic illi ducem suum appellant) conuenère, & à Grego rio nono pontifice max. approbata est, confirmata sunt. Quæ nos è libro uetusto Germanica lingua scripto, qui in arce Lubauiẽsi asseruatur, uiri pie tate iuxtà ac doctrina & integritate summa præditi Stanislai Hosij dudum Culmensis, nunc iam Varmiensis episcopi beneficio eruta & subministrata bona fide hic inseruimus. Nam pacta ipsa publicis literarum monumentis consignata, partim iniuria temporum & negligentia nostrorum amissa, par tim fortassis etiam studio Crucigerorũ suppressa periere. Friderici quidem secundi Imperatoris diploma sub bulla aurea diligentius ijdem Cruciferi asseruarunt: quo ille cõfirmauit ipsis possessionem terrę Culmensis, & quic quid ij de Prussis postea cæperint, item que ditionem quam eis Conradus dux Masouiæ deinceps adhuc donaturus esset, inter Prussiam & nouam Marchiam: quasi uerò imperium aliquod atq; iurisdictionem Imperator in illis oris haberet, aut habuisset unquam. Ac ditionem quidem illam, quæ est inter Prussiam & nouam Marchiam, siue ea Cuiauia, siue Pomera nia est, Conradus eis non donauit. Cæterùm Dobrinum, quod Culmensem tractum & Masouiã attingit, iure hęreditario eis, filijs & uxore assentienti bus, concessit. Vxor autem eius fuit Agaphia Russa, siue ea est Agapja, siue Agatia potius. Etenim Russi θ gręcũ, hoc est th, quasi ph siue f pronunciant, ut est uidere in Theodoro, quem illi Phedorũ dicunt, & alijs similib. Off cam nostri uocarũt: quæ filia fuit Suentoslai ducis, cuius mentionẽ superius fecimus: Adiecit etiã militib. ilis Cruciferis, Guntherus episcopus Plocensis Gedeoni paulo antè mortuo suffectus, uillã cũ insula magna in eo ipso terri torio, itemq; decimas ad episcopã suam pertinentes: uerũ ex ijs modò agris quos Germani agricolæ colerent. Quin & collegium Vuladislauiense ius suum omne in uilla Vissin eis concessit, accepta à duce Conrado compen satione. Atq; hæc ferè suprà memorato anno Christi 1228 acta sunt. Libet autem hic adscribere nomina & ordinem testium, quibus præsentibus supra ripam Vistulæ ex aduerso Plosci hæc confecta, ac diploma consigna tum est. Michael episcopus Cuiauiensis: Mikul Archidiaconus, magister Ioannes Dobroslaus, magister Petrus Canonici Plocensis ecclesiæ, Gotar dus Cancellarius: Gregorius succancellarius: Ioannes Abbas beati Alber ti Plocensis: Venceslaus abbas, Gerardus prępositus, Petrus prior Zerue nensis ecclesiæ: Bogussa palatinus Masouiæ: Comes Arnoldus, Cethegus iudex, Abraam pincerna, Martinus dapifer, Vitus Castellanus de Plonsk, Matthęus Castellanus de Raciass, Seguta dapifer, Barta succamerarius, Adal bertus Castellanus antiquæ Vuladislauiæ. Biennio porrò interiecto Nes souiam arcem cum tribus pagis in ditione Cuiauiensi Conradus ipsis addi dit: Christianus uerò episcopus omnia, quæ ab eodem Conrado in tractu Chelmensi acceperat, præter ducentos aratores, & quinque prædia eis concessit. modium tritici, & alterum siliginis de singulis aratris in omni agro Chelmensi sibi & posteris suis episcopis quotannis dari pactus. Pau

Hermãnus de Salza primus Magister Teuthon. in Prussia.

Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis.

Friderici secundi Imperatoris diploma.

Dobrinum donatum Cruciferis.

θ quomodo Russi pronuncient.

Cruciferis donata.

1228 ann.

Nessouia Cruciferis donata.

Culmensis episcopus sua donauit Teuthonibus Cruciferis.

lo aliter hæc à Dlugosso memoriæ prodita sunt: sed nos uetusta scripta ac diplomata, quæ post Dlugossum nostra memoria in archiuium regium è Prussia relata sunt, secuti sumus. Ita Cruciferi Teuthones fixis primùm Dobrini domicilijs, Conrado Landisbergio duce, quem Hermannus de Salza ipsis præfecit, magistrumq́ appellauit, Masouiorum & Polonorum defendendorum, & Prussiæ barbaris eripiendæ prouinciam suscepere, & mox primam in terra Culmensi munitionem in ripa Vistulæ excitarunt, eamq́ Fogelsangum dixere. Inde uerò Masouijs adiuuantibus, & uoluntarijs multis undiq́ pietatis ergô accurrentibus, barbarorum excursiones reprimere, & ipsorum agros pagosq́ uicissim infestare cœperunt. Toruniam deinde & Quizinum, quod ipsi Marieuerderum uocauere, & Elbingam arces & urbes non ignobiles paucis annis in ripa Vistulæ munierunt. Rogouiam uerò quòd Rogosnum est, nisi fallimur, & Culmam, & alias quasdam à barbaris munitas siue interceptas in potestatem suam redegerunt, & paruo tempore magna in illis oris incrementa fecerunt. Per hoc ipsum uerò tempus Fridericus Imperator sublatis æmulis, post uexatam Italiam, uix ad actus à Gregorio nono pontifice maximo expeditionem in Syriam suscepit. Sed nihil memorabile ibi gessit, nisi quòd Hierosolyma à Sultano ex pacto recepit, regemq́ eius urbis ritu solēni appellari se curauit. Mox reuersum Italici motus excepere: quos ille quidem placidè composuit. Sed Hierosolyma non multo pòst amisit. Titulum tamen eius regni etiam posteri & successores eius retinuere. Sed nos ad nostra.

Fogelsang castellum.

Torunia.

Quizinus seu Marieuerder.

Elbing.

Rogosno.

Cumasiue Chelm.

Friderici 2. Imp. expeditio in Syriam.

Frider. Imp. rex Hierosolymorū.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER OCTAVVS.

BOLESLAVS PVDICVS.

Monarchia elanguit.

NVllam quidem propemodum uim et authoritatem Lesci Albi principatus inter cæteros duces Polonorum habuit, nec ferè is in quenquam, nisi in suæ ditionis homines, perinde atq́ cæteri illi potestatem suam exercebat, suáne id ignauia et angustia animi, an illorum contumacia, an uerò utroq́, non disputamus. Cæterùm post mortem eius, maior etiam confusio et perturbatio consecuta est, ita ut uix aliquod summiprincipatus, & communis reipublicæ uestigium in Polonia extaret. Nam cum Boleslaus Lesci filius puer admodum esset, necdum aptus administrando per se principatui, excludi eum quidem à principatu non placuit, sed de eius tutela ac de summa rerum nihil constitui publico consilio potuit, cum proceres inter se dissentirent, & nonnulli Conrado, Lesci fratri, fauerent, & iure patruum pupilli tutorem esse debere

De tutela Boleslai et administratione principatus controuersia.

debere asseuerarent: alij uerò, quorum multo maxima pars erat, unà cũ Grimislaua Boleslai matre, & Marco Cracouiensi, atq; Pacoslao Sendomiriensi palatinis, profligatos Conradi mores perosi, atq; sæuitiam reformidantes, ad Henricum Barbatum ducem Vuratislauiensiũ tutelam pueri, & administrationem principatus deferrent. Neque uerò illi liberis comitiorum suffragijs rem permisere, sed armis ac per uim, quasi oblatã fortuitu prędam, dominatum pro se uterq; usurpare aggressi sunt. Itaq; comparatis uterque magnis utribus, in Cracouiensem ditionem inuasere. Et arcem quidem Cracouiensem Grimislaua cum liberis obtinebat: Henricus uerò maiore quàm Conradus celeritate usus, & procerum fauore fretus, duas ex tempore munitiones nouas excitauit, alteram prope Scalam oppidũ in colle, quem Prandinicus amnis alluit, alteram ad Meziboslum: easq; ualidis militum præsidijs munierat, ut inde aduersariorum conatus retunderet, tractumq; illum omnem in potestate sua teneret, nec facilè intercludi à sua ditione posset. Porrò Conradus re cum Teuthonicis Cruciferis, uti modò exposuimus, constituta, omnia sibi in eo posita esse existimabat, si nouas munitiones & pręsidia Henrici deijceret, q; eorum fiducia Cracouienses sibi resisterent: itaq; ad Scalensem munitionem oppugnandã contendit. Occurrit ei Henricus: durum pręliũ cõmittitur. In quo multis utrinq; cadentibus, Pręmislus quoq; Conradi filius inter primos pugnans interficitur. Quo aduerso casu fractus Conradus, receptui canere iussit, & pro uicto abijt. Nec multo pòst ad alteram munitionem duxit, quasi mutaturus cum loco fortunam, & acceptam ignominiam deleturus. Verùm ibi quoque, cum eum Henricus consecutus esset, apud Vurociriſum pagum, eodem quo prius ac deteriore etiam euentu pugnauit. Profligatus autem in syluas & montes proximos, inde uerò in Masouiam ad redintegrandum exercitum se recepit. Henricus uerò debellatum iam credens, & quòd hyems instabat, ut tempori agricolæ sementem facere possent, dimisit exercitum. Ipse uerò sine ullo metu cum paucis comitibus in Cracouiensi tractu uersabatur. De quo certior factus Conradus à sui studiosis, improuisus cum expedita manu aduolat: Henricumque in Spitcouicensi uilla diuinę rei uacantem capit, & in Masouiam asportat. Hoc posteaquam accepit Henrici filius Henricus, raptim quantum potest maximum conscribit exercitum ad liberandum patrem. At Heduigis pia, quæ ab initio futuri, ut credibile est, præscia, uiri consilium illud de principatu adipiscendo non probarat, tunc quoque dubios euentus belli secum reputans, & sanguinis Christiani atq; cognati profusionem, quę q; bellum consequi solent calamitates, & nefanda scelera perhorrescens, iuncto curru in Masouiam ad Cõradum, expeditionem filij anteuertens, excurrit, & oriens detestandi atque parricidialis belli incendiũ sapientia sua restinxit. Eius enim precibus atq; suasu motus & placatus Conradus, Henricum & cæteros captiuos omnes dimisit: duasq; neptes Henrici ex Henrico filio, filijs suis Cazimiro & Boleslao uxores despondit. Henricus autem tutela Boleslai & administratione principatus, iureiurando interposito se abdicauit. Exinde Conradus nec quicquam renitente Grimislaua

Bellum ciuile inter Henricum & Conradũ duces.

Prænislus Conradi filius occisus. Conradus bis uictus ab Henrico.

Henricus Barbatus captus à Conrado.

Heduigis Henricum uirũ liberat, & pacem inter cognatos duces componit.

Affinitas inter Masouios & Silesios duces.

Boleslai nomine principatum apud minores Polonos administrare cœpit. Per quod tempus Præmislus siue Ottocarus rex Boëmorũ uita defunctus, Venceslaum filium, quem uiuens designauerat, ac diademate cinxerat, successorem reliquit. Nec in maiore Polonia quietæ res per id tempus fuere. Nam Vuladislaus Lasconogus post solutam illam Vscensis arcis obsidionem, de qua superius meminimus, similemq; fugæ receptum, coadunatis nouis copijs, & uicinorum auxilijs, recuperare amissa, & ulcisci fratris filium statuit. Nec ille quamuis inferior tunc uiribus, quippe qui soceri auxilia dimisisset, ad resistendum patruo segnior occurrit: & superioris temporis successu confisus, temerè magis quàm animose pugnandi copiam fecit: commissoq; prælio fusus, uiuus in patrui potestatem uenit. Verùm aliquanto pòst, custodum fauore elapsus, ad Suentopelcum socerum profugit. Quem non modò armis atq; copijs instruxit Suentopelcus, uerùm etiam ipse prosecutus est. Ad primum autem aduentum eorum Lasconogus suis diffisus, quos propensiores in Sputatorẽ esse animaduertebat, nõ tẽtata belli fortuna (tametsi superatum prælio nõnulli uolunt) cessit, & Ratiboriã ad Cazimirum ducem se recepit. Vbi cum in quartum annum exulasset, multiq; è maiore Polonia, quos uel Sputatoris tædium cæperat, uel es alienum, scelerisue conscientia, & iudiciorum metus premebat, ad eum conuenissent, aut per internuncios sua ei studia significassent, magna spe rursus ad recuperandum dominatum adspirare cœpit. Sed eum fortuna in ipso cursu destituit. Facta enim aliquanta manu, Gnesnam, cum ea uenienti portas clausisset, oppugnare adortus est, sperans non illos modò oppidanos, sed & plerosq; alios, atque etiam nobilitatem ad se defecturam. Verùm ubi frustra duos menses in obsidione Gnesnæ contriuit, neq; quisquã omnino per id tempus ad eum desciuit, & Vuladislaum Sputatorem cum Suentopelco & magnis copijs aduentare nunciatum est, soluta obsidione mœstus abijt: nec multo pòst mœrore confectus, Srodæ uitam cum morte commutauit, & in Lubinensi monasterio, uel, ut alij uolunt, Ratiboriæ sepultus est, uir propter libidines & fœdos mores suis exosus. Hic autem Vuladislaus Slupensem ditionem in Pomerania incuria sua, uel sanè domestico bello implicatus amisit, ab Eduardo Danorum rege, qui maternum genus ad principes Poloniæ referebat, ui subiugatam. Ita quidem Dlugossus inconuenienter, ut uidetur, ijs quæ alibi scripsit. Nos uerò quid ex alijs scriptoribus ea de re acceperimus, superius in Cazimiro attigimus. Cæterùm per hoc tempus illa ipsa Pomeranię pars superbã & iniustam externi regis dominationem indignè ferens, ad Suentopelcum Pomeranorum dominum siue ducem defecit. Nullos autẽ Vuladislaus hic reliquit liberos. Itaq; eius morte uniuersa maior Polonia in ditionẽ Vuladislai Sputatoris recidit. Reperio tamen Boleslaũ Lesci filium à Vuladislao (sed Lasconogone an Sputatore, incertum est) anno Christi 1228 adoptatum esse. Cuius adoptionis diploma sub ipsius Vuladislai signo ac titulo extat in basilica Cracouiensi. Sputator uerò Dei benignitati successus suos acceptos referens, ut aliquod grati animi documentum in propagando cultu diuino ederet,

Olobe-

Venceslaus rex Boem.

Vuladislaus Sputator pellitur.

Vulad. Lasconogus eijcitur.

Gnesna obsessa.

Vulad. Lasconogi mors. Pomerania Slupensis siue Stolpensis amissa, & à Suentopelco recepta.

Boleslaus Pudicus à Vuladislao adoptatus.

Olobocenſe monaſteriū Ciſtercienſibus uirginibus condidit,& locupleta-
uit. Quanquam Virbenta quoq; eques Clementis filius nonnihil contulit.
Donauit item hic ipſe Vuladislaus,quemadmodum Dlugoſſus memorat,
eccleſias Gneſnenſem & Poſnanienſem, & oppida pagosq; earum : etiam
quos in poſterum eccleſiæ illæ acquiſituræ eſſent,uacatione omnium labo-
rum atq; munerū, & immunitate penſionum,quæ principibus ducibus'ue
præſtantur : ad hæc ab omni quorumuis profanorum iudicum, præfecto-
rum, palatinorum,atq; adeò ipſorum principum iuriſdictione omnes, qui-
cunq; in ditione illarum eccleſiarū eſſent, liberauit. Quanquam hoc prius
iam in uniuerſa Polonia Henrici Archiepiſcopi opera in cōuentu effectum
eſſe diximus. Fecit etiā idem Vuladislaus poteſtatem Archiepiſcopo Gne-
ſnenſi,& epiſcopo Poſnanienſi,monetam cudendi,& uenandi in ſyluis atq;
bonis ſuarum eccleſiarū,quod antea nemini præter principem licebat. Cro-
biam quoq; amplum & locupletem pagum,Sulcouam prius dictum, nunc
oppidum Poſnanienſi epiſcopo donauit. Quæ quidem largitiones,inuidi-
am ipſi, iniuſtus uerò & ſuperbus dominatus, odium etiam apud pleroſq;
omnes proceres conflarunt, ita ut in eius expulſionem coniurarent : & Hen
rico Barbato, quem propter Ganſauienſem proditionem et uulnera hoſtem
Vuladislao eſſe ſenſerāt, accito,ſe dominatumq; omnem dederent. Nec au-
ſus eſt Vuladislaus Henrico cū ualido exercitu uenienti ſeſe opponere,dif-
fiſus uiribus ſuis,& uoluntantibus militum.Sed Bnino atq; Sremo arcibus,
quòd non ſatis munitæ eſſent,crematis,Gneſna uerò firmo præſidio muni-
ta, ad Suentopelcum ſocerum confugit. Henricus uerò munitionibus ple-
riſq; omnibus atq; oppidis facilè potitus , Bninum quoq; & Sremum refe-
cit,& præſidia opportunis locis impoſuit,eisq; Boriuoium nepotem ſuum
ex filia Adleda Dipoldi Marchionis Morauię filium prefecit.Ipſe reliquas
copias domum reduxit,domeſticone aliquo bello reuocatus,an uindicādæ
tutelæ Boleslai pueri,& adminiſtrationis principatus gratia, non conſtat.
Vindicauit quidem certè utrumq; priuſquam ad ſubiuganda reliqua, quæ
in fide Vuladislai perſtiterant,reuerteretur.Nam ut Conradus dux Maſo-
uię,cōcedente & abdicante ſe Henrico,quemadmodū ſuperius narrauimus,
p tutore & principe gerere ſe cœpit,Iuo epiſcopus Cracouienſis,ſiue Hen-
rici uoluntate,ſiue ſua ſponte,& metu odioq; Cōradi,cui aduerſatus erat ſe-
dulò,profectus ad pontificē max.Gregoriū eius nominis nonū,cū quo ado
leſcens in Academia Pariſienſi cōiunctè & familiariter uixerat, acceptusq;
ab eo Peruſij honorificè,relaxationē per uim exacti iuriſiurādi Henrico im
petrarat.Et,pximus iā erat pubertati Boleslaus,et à Cōrado patruo alienus,
in Henricū prono ſtudio pariter cū matre ferebat, ſiue adeò ſui iā iuris eſſe
cupiebat.Hæc ubi nō obſcuris indicijs aeq; ſignis intellexit,Cōradus,Bole
ſlaū unà cū matre per ſpeciē colloquij euocatum capit:Circūq;,quę arx eſt
in Maſouia,aſportat, ac de necādo puero cogitabat.Deinde mutata ſentētia,
ſuaſu Vuladislai Sputatoris,& Marci Palatini Cracouienſis opera, in Sece
chouiēſe monaſteriū q̄d,in tractu Sendomirienſi ſupra Viſtulā ſitū eſt, eos
trāſtulit,et aſſeruari iuſsit.Ipſe uerò cū nōnullis ducib.finitimis et cū nouis
hoſpi-

Olobocēſe monaſterium.

Gneſnenſis & Poſnanēſis eccleſiarum immunitas & prærogatiuæ

Monetæ cudēdæ & uenandi ius.

Crobia epiſcopo Poſnan donata.

Polonia maior ad Henricum Barbatum defecit.

Bninum & Sremū arces incenſæ & refectæ.

Boriuoius nepos Henrici duris.

Poloniæ mineris motus.

Iuo epiſcopus ad pontificem profectus.

Abſolutio à iureiurando.

Boleslaus Pudicus captus à Conrado, & elapſus. Circum arx.

Prussia uastata à Masouijs & Cruciferis.

hospitibus ac defensoribus Cruciferis expeditionem in Prussiam fecit, hostilemq; regionem longè & latè igni ferroq; uastauit. Dum autem Conradus eo bello distinetur, interim Boleslaus cū Grimislaua matre, opera Abbatis Nicolai Franci, partim corruptis, partim inebriatis & sopitis custodibus, intēpestę noctis silentio dispositis clàm equis effugit: Zauichostoq; & Sēdomiria potitus, nō ausus est tamen usquā in sua ditione consistere, propterea quòd pręcipuis arcibus Conradus Masouios suos pręfecerat: sed in Silesiam ad Henricum profectus est. Venientem humanissimè, ut par erat, Henricus accepit, et consolatus est: comparabatq; exercitum, quo cum reduceret, Cōradumq; eijceret. At Cracouiensis conuentus plericq; omnes ordines, cognita Boleslai fuga, & apparatu Henrici, non obscurè illis fauere, & in Cōradum conspirare. Erat in Sendomirienſi ditione Boleslaus Conradi filius, siue à patre, ad Prussicum bellum proficiscente, cum imperio, ne quid fortè se absente nouaretur, relictus, siue tunc primùm, accepto de fuga Boleslai Pudici (iam enim sic eū appellemus, quo dilucidior fiat historia) ac demotu Sendomirienſium atq; Cracouiensiū nuncio, aduolarat: nihil enim de eo certi habemus. Is igitur facta manu suorū, crudeliter in eos, quos aduersę factionis esse didicerat, imò uerò promiscuè, nulloq; amici & inimici discrimine, cędibus & incendijs debacchabatur: & Vislicię belli sede constituta, in Cracouiensem oram populabundus excurrebat. Porrò aduersarij Vislicienſe territorium uicissim infestabant. Venit tandem cum ualido exercitu Henricus, Boleslaum Pudicum secum ducens: ac decedentibus metu Masouijs, magno omnium ordinum consensu atq; alacritate susceptus est: & Cracouiensem, Sendomiriēsem, atq; Lublinensem oram omnem facilè in suam redegit potestatem. Et quoniam permagnos sumptus fecerat, paternus autem Boleslai thesaurus à Conrado direptus erat, Cracouiensem quidē ditionē unà cū principatu summo, permittēte Boleslao, Hēricus sibi retinuit, Sendomirienſē uerò atq; Lublinēsem ei cōcessit. Cū aūt is nō satis tutò se in uicinia Cōradi esse existimaret, Scalā Præginensem arcē cum suo territorio, in Cracouiensi tractu, ab Henrico, ubi cum matre uitam degeret, impetrauit, & quinquennium fermè ibi usq; ad Henrici obitum exegit. Atq; eo quidem anno, qui fuit post Christum natum 1234. Conradus à Prussica expeditione reuertens, satis habuit exortum domi inopinatū bellum propulsare. Siquidem Misnensis Marchio, cum ipse quoq; pię aduersus barbaros Russos militiæ nomen dedisset, Ploscum arcem Conradi interceperat, incertum cupiditatè ne ductus, an iniuria prouocatus. Sed eum Conradus cum filijs mox eiecit, multis de exercitu eius cæsis, multisq; cum basilica in quam confugerant, crematis. Insequenti uerò ęstate, anno Christi 1235 Conradus in Henricum arma mouit: & proceres Cracouienses atq; Sendomirienses nequicquam ad defectionem sollicitauit. Cum autem omnes à se alienos esse animaduerteret, admouens exercitū propius Cracouiā, Scarbimirienſe et Prandocinense templa, & monasterium Andreouiense communiuit, præsidijsq; firmauit. Deinde Cracouiam oppugnare adortus, in radice montis cui arx imposita est, & ad mœnia urbis castra metatus est: tēplumq; diui Andreæ, quod

Cracouiensis nobilitas aliena à Conrado.

Boleslai Masouij crudelitas.

Henrici Barbati expeditio in minorem Pol.

Henricus principatum obtinet.

Scala Præginensis arx.

1234. ann.

Ploscum à Marchione Misnēsi interceptum & recuperatum.

Cōradi expeditio in Cracouiensem oram.

Cracouia obsidetur.

quod tunc ſuburbanum erat,caſtelli loco communiuit,primus Polonorum auſus Deo conſecrata templa impijs armis profanare. Habebat quidem Henricus magnas copias,ſed tamen uniuerſæ dimicationis diſcrimini rem non committebat.facilius & minori incommodo bellum ducendo debellari poſſe Conradum exiſtimans,propterea quòd ſibi domi bellum gerenti rerum omnium copia ſuppetebat. Hoſtibus cum longius frumentari & pabulari,aut domo ſupportare commeatum non ſine periculo neceſſe eſſet, diſpoſitæ ab Henrico turmæ ex inſidijs in pabulatores & frumẽtatores impetum faciebant. Qui uerò in præſidio Cracouiæ erant,omnes oppugnantium conatus fruſtrabantur. Itaq; Conradus his difficultatibus implicatus, uaſtatis agris,incenſis pagis & uillis, non modico etiam uiciſsim detrimento accepto, in Maſouiam redit. Necq; tamen præſidia de quatuor, quibus dixim⁹,locis deduxit. Verùm ea pòſt Henricus,extructis & munitis è regione caſtellis,in anguſtũ redegit. Illud uerò quod in templo diui Andreæ erat,longa obſidione ad deditionem cõpulit,& aduerſarios incolumes decedere permiſit. Agi deinde à proceribus de pace cœptum, conuẽtumq; ut Henricus iuxtà atq; Conradus tutela & principatus gubernatione ſe abdicarent,ac Boleslai Pudici,qui iam pubeſcebat, arbitrio permitterent,utrum ipſe ſibi curatorem ſumeret,cuius conſilijs in adminiſtrando principatu niteretur. Facta poteſtate eueſtigio is patruo præterito,Henricum ſibi delegit. Moleſtè id tulit Conradus,uerùm tamen præſidia ex pacto deduxit. Et deſponſas pridem filijs ſuis Henrici neptes, Conſtatiam quidem natu maiori Boleslao, Gertrudim uerò Cazimiro uxores accepit, partitus inter eos, ac tertium Zemouitum, dominatũ ſuum,quibus quiſq; finibus poſt ſe dominaretur,ne quid diſsidij ſe defuncto inter eos oriretur. Ipſe uerò quoad uixit, nihilominus omnia adminiſtrauit. Hoc tempore Cazimirus dux Oppolienſiũ & Raborienſiũ, Miezislai filius,uita exceſsit,et Miezislaũ atq; Vladislaum filios ex Venceslaua uxore ſuſceptos reliquit. Quorũ Miezislaus cum Iuditham Cõradi Maſouij filiam uxorẽ duxiſſet, ſine liberis decedens, fratrem habuit ſucceſſorẽ. In Vngaria uerò Bela eius nominis quartus, Andreæ patri in regno ſucceſsit. Facta pace cum Conrado Henricus, quamuis principis ac ducis Cracouienſis & Sendomirienſis titulo abſtineret, tamen ſuo nutu eas regiones gubernabat, & magnam redituum partem non inuito Boleslao accipiebat, ut ſumptus in bellum factos compenſaret. Et recte utiliterq; multa de conſilij ſententia conſtituit: leges quaſdam improbas & peſtilentes,quæ auxiliares,uirginales, & uiduales dicebantur, ſuſtulit: meliores nonnullas ſanxit: eccleſiarum immunitates confirmauit. Magiſtratus bonis & induſtrijs uijs mandauit: in maleficos & calumniatores ſeuerè animaduertit. Opatouiam uerò oppidum cum ſexdecim pagis, amotis inde templarijs, in quorũ ditione fuerat, Lubuſſenſi epiſcopo iure ſempiterno ad iunxit & addixit, aſſentiente Boleslao. Quin et in Sileſia Borcum oppidum & territoriũ, et in maiore Polonia poſtea Cazimiriã cum quatuordecim pagis atq; decimis eidẽ epiſcopo donauit. Quod quidẽ ille miſeratione epiſcopi feciſſe uideri poteſt, propterea q; ei Landigrauius neſcio quis aliquãto

Conradus rebus infectis diſceßit

Pax inter duces.

Cazimiri Oppolienſis mors & filij.

Bela quartus rex Vngariæ.

Henrici Barbati acta.

Leges malæ abrogatæ ab Henrico.

Opatouia Lubuſſenſi epiſcopo donata.

Borcum & Cazimiria eidem donata.

prius arcẽ Lubuſſenſem cum oppido intercepiſſet, quemadmodũ Dlugoſſus memorat. Idem autẽ non multo pòſt prodit, à Villebrando Magdeburgenſi Archiepiſcopo eam ipſam munitionem expugnatam eſſe, propterea quòd is ab Henrico quarto Imperatore Romano, olim cum Criuouſto Boleslao bellum gerente eam captam, & eccleſiæ ſuę donatam eſſe diceret. Verùm ab Henrico Pio poſtea, cum is patri Barbato ſucceſsiſſet, recuperatam eſſe. Quæ quidem nõ ſatis inter ſe congruũt, niſi hanc Archiepiſcopi Magdeburgẽſis inuaſionem in Lubuſſum ad ſuperius tempus retrahamus, eandemq; eſſe putemus cum illa Landigrauiana, qui Archiepiſcopo eam munitionem quæſiuiſſe, uel ſibi quæſitam illi ex pacto tradere potuit: aut uerò poſt priorem illam interuerſionem, ab Henrico Barbato recuperatam fuiſſe exiſtimemus, & pro ea Henricum illa, quæ dudum cõmemorauimus, epiſcopo Lubuſſenſi in compenſationem dediſſe, ſtatimq; eam rurſus amiſiſſe. Nunc quidem oppidum id eſt in ditione Marchionis Brandeburgenſis. Fieri autem potuit uel librariorum, uel ipſius Dlugoſſi errore, ut Landigrauium ſcriberet pro Marchione, quem Germani Margrauiũ uocant. Cæterùm illud longè etiam inconuenientius, quod idem Dlugoſſus uigintiſex annis ante illa Landigrauij tempora Boleslaum huius Henrici filium prodigum & luxu perditum Marchioni Brandeburgenſi illud ipſum territorium uendidiſſe, & ex eo tempore à Polonia alienatũ fuiſſe ſcribit. Quo quidem tempore necdum Henricus patri ſucceſſerat, nec ſcio an iam tum uxorem habuerit. Quin unicum is filium reliquit moriens, Henricum, non Boleslaum. Sed non unum hoc eſt Dlugoſſi peccatum, in huius temporis hiſtoria. Sic enim ferè, homo alioqui diligens, hic omnia confudit & implicauit, ut in ueritate & ordine rerum explicando Delio, quod in prouerbio, dicitur natatore opus ſit. Niſi fortè librariorum ea culpa eſt. Verùm de Lubuſſi alienatione nos inferius, ex eodem Dlugoſſo, ſuo loco referemus. Nunc ad curriculum reuertamur: ſi pauca prius de Iuone epiſcopo prætermiſſa reſumpſerimus. Is igitur cum in contentionem de loco cum Laurentio Vuratislauienſi epiſcopo (qui poſtea ex roſarum odore deceſsit) in ſynodo prouinciali ueniſſet, nec ei quamuis probanti prærogatiuam ſuam ſedis apoſtolicæ diplomate Vuratislauienſis cederet, profectus iterũ ad põtificem max. quo tempore Conradus dux Maſouię principatũ adminiſtrare cœpit, quẽadmodum ſuperius attigimus, metropoliticam dignitatem Cracouienſi eccleſię, quam Lampertus Zula epiſcopus ante centum quinquaginta annos negligẽtia ſua amiſerat, recuperauit. Verùm cũ Romã religionis ergò Peruſio profectus eſſet, reuertens ęſtate media, ęſtu & itineris labore cõfectus, in morbũ incidit: ex quo non multo poſt prope Mutinã deceſsit, cũ duodecim annis epiſcopus fuiſſet. Cuius corpus poſtea Cracouiã à Dominicanis fratrib. relatũ, & in ipſorũ templo conditũ eſt. Nec poſtea curę fuit ſucceſſoribus eius epiſcopis, ut metropoliticũ honorẽ reſumerẽt. Vacauit autem eo mortuo cathedra Cracouiẽſis biennio, ppterea q; Vislaus Coſcelecius canonicus, gẽte Zabauius, et magiſter Andreas Gryphius Scholaſticus, Marci palatini Cracouienſis filius, q; cũ Iuone in Italiã pfectus erat, de ea litigarẽt, hic qui

Laurentius epiſcopus roſarũ odore extinctus.

Cracouienſi epiſcopo metropolitica dignitas reddita, nec tamẽ retenta.

Iuonis epiſcopi Cracouienſis mors.

De Cracouienſi epiſcopalis.

hic quidem prouisione pontificis max. ille uerò legitima electione nixus. Ad extremum peruicit Henricus Barbatus, ut Vislao eam pontifex adiudicaret, Andreas uerò postea post Petrum Plocensis episcopus factus est. In interregno autem illo, ut ita dicamus, basilica Cracouiensis fortuito incendio in turri, quę ex testamento Iuonis plumbo tegebatur, excitato cõflagrauit. Quam Vislaus postea instaurauit, & alteram turrim excitauit. Nunc iam ad maiorem Poloniam reuertamur. Dum Henricus de tutela Boleslai & principatu cum Conrado belligeratur, Boriuoius qui cum præsidijs in maiore Polonia relictus erat, cœpit abuti potestate sua. Etenim cum fines bonorum episcopi & ecclesiæ Posnanensis inuaderet, nec alijs iniurijs abstineret, ac Paulus episcopus Posnanensis ex condicto Sremum ad eum uenisset, ut certorum hominum arbitrio rjs de rebus cum eo trãsigeret, captus ab eo, & in uinculis habitus est. Verùm non impunè ei cessit uiolasse sacrosanctam episcopi maiestatẽ. Nam & episcopus cum fortè euasisset, è cœtu Christianorum eum eiecit, & Vuladislaus cum prędatoria manu, qua agros aduersariorum & oppida uexabat, noctu à custodibus in arcem Sremensem intromissus, ipsum cum Sendiuoio nobili & potenti equite, multisq; alijs militibus, qui ad primum tumultum non diffugerant, obtruncauit: arcemq;, ne receptaculum deinceps hostibus suis esset, exusit. Tametsi Dlugossus uelle uidetur, alium ab illo, cuius superius mentionem fecimus, hunc fuisse Boriuoium, Polonum, equestri familia ortum. Henricus cognitis rjs quę in maiore Polonia gerebantur, à Cracouiensibus rebus eò conuersus, ut Vuladislaum reprimeret, neq; ullam ei munitionẽ, ex qua bellum renouare posset, reliquam faceret, exercitum conscribit: & ad Gnesnam, quę adhuc Vuladislai præsidio tenebatur, ducit. Materia ferè & roboribus arx Gnesnensis munita erat antiquitùs, sed egregiè tamen à militibus Vuladislai defendebatur: multiq; oppugnantium, cum sub mœnia successissent, saxis atq; alijs telis, aut contis etiam supernè ictti cadebant. Erumpendo item sępius obsessi obsidentes magnis incommodis afficiebant, ita ut iam segnius munia sua obirent, & machinæ quædam ad expugnationem excitatæ (quas tamen bombardas fuisse, quæ posterius inuentæ sunt, credere non libet) suone uitio collapsæ, an hostium ui disiectæ, ruinam fecere. Quibus incommodis permotus Henricus, & ad Silesicę suę ditionis res componendas reuocatus, soluit obsidionem: & ad extremas ditionis suæ Silesicę oras contendens, in itinere apud Crosnam grauiter ægrotare cœpit: nec multò post, ritè sacris mysterijs procuratus, diem clausit extremum anno Christi 1238. Cuius corpus ad Trebnicense monasterium ab Henrico filio, cui Pio cognomen datũ est, relatum, honorificè sepultum est. Nam Heduigis uxor in illo ipso monasterio degens, neq; ægrotum uisere, neq; mortui funus deducere, aut obuiã ei prodire uoluit, ne quo rerum humanarum commercio animus eius à diuinis auocaretur. Quin etiam cęteris, uiris iuxtà ac mulieribus plagentibus & lamentantibus, sola moderatè coniunctissimi mariti mortem tulit: impium esse, uoluntati diuinæ aduersari, dictitans. Ac ne uiuentem quidem illum sæpe adijt, nisi fortè ut egenis & iniuria affectis opitularetur. Cõmuni

Vislaus episcopus Cracouiensis.

Cracouiensis basilica arsit.

Poloniæ maioris motus.

Boriuoij impotentia & cædes.

Paulus episcopus Posnanensis captus.

Vulad. Stutator Sremẽsem arcem recepit.

Henrici Barb. expeditio in maiorẽ Poloniam.

Gnesna oppugnata, nec tamen expugnata.

Henrici Barbati mors.

1238 ann.

Heduigis res humanas despexit.

Henrici Barbati cum Heduigi uxore continentia.

enim consensu totos ferè triginta annos disiuncti & continentes uixere. Ex quo tempore Henricus barbã, pmisit, atq; inde Barbatus uocitatus est. Sub illud tẽpus stupẽda, nec tamẽ inaudita prius, res in Cuiauia accidisse memoratur. Miezislaus enim siue Miesco, Cõradi ducis filius, cui, ppter capitis intemperiẽ Cossisco cognomen fuit, cui pater Cuiauiã cõcesserat, cum inopũ, pupillorũ & uiduarũ bona iniustè diriperet, indeq; quodã tempore conuiuium multis inuitatis præberet, ab ingẽti multitudine muriũ inuasus: et frustra naui fugiens, murib. fugientem etiã per aquas persequentib. miserabiliter perijsse dicitur: exemplo futurus posteris, ne se rapinis, iniurijs, & sanguine miserorũ hominũ saginent. Defuncto Hẽrico Barbato, adspirare rursus Vuladislaus ad amissum dominatũ cœpit. Sed abhorrentib. ab eo uoluntatibus omniũ præter paucos, & Henrico Henrici Barbati filio fauentib. fidemq; suam obligãtibus, mœrore ac dolore animi in grauẽ morbũ incidit, cũ apud socerum esset in Pomerania, & paucis dieb. moritur, relictis Præmislo & Boleslao, q postea Pius dictus est filijs. Corpus eius Posnaniã relatũ permittẽte Hẽrico Pio, in basilica (nã ita mãdarat moriens) sepultũ est. Post eius mortẽ Naclẽsis & Vscẽsis arx cũ territorijs suis in fide filiorũ eius permãsere. Gnesna uerò deditione facta in potestatẽ Henrici uenit. Cæterũ Cõradus Masouię dux Henrici morte rursus in spẽ Boleslai Pudici fratris filij opprimẽdi erectus, uexare ditiones eius clãdestinis latrocinijs, ac mox etiã apertis excursionib. cœpit. Ad cuius conatus reprimẽdos, Boleslaus, ut externa q̃q; auxilia sibi adiũgeret, ad Belã quartũ Vngarorũ regẽ legatos misit: cuius legationis principes fuere Clemens Clementouius Castellanus, & Ianussius palatinus Cracouiensis: noua cũ eo fœdera icit, siue adeò antiqua firmauit: filiã eius Kingã, quę & Cunegũdis dicta est, anno Christi 1239. uxorem duxit, puellam morib. & sanctimonia uitę nobilẽ. Dos ei quadraginta milliũ marcarũ fuit. Tali aũt coniuge beatus Boleslaus, tñ primis nuptiarũ diebus eam nõ attigit. Inde cõfirmata postea cõsensu mutuo religione, ambo perpetuo uouêre continentiã. Hinc Boleslao Pudico cognomen inditũ. Post hæc aũt fœdera & nuptias, Conradus Boleslaum bello lacessere ausus non est. Verùm Bydgostiã arcem in Cuiauia, quæ ciuili illo inter ipsum & Henricũ bello uigente, à Suentopelco Pomeranorũ domino intercepta erat, in potestatem suam redegit. Nec tamen quieuit Suentopelcus, quin postea tumultuaria excursione Inouualadislauiam oppidum, complures q; pagos circumcirca ferro & igni depopulatus est. Porrò à Prussis quietior iam erat Cõradus. Nam ij Cruciferorũ & uoluntariorũ quorundã Teuthonum ducum atq; etiam Pomeranorũ armis fracti, & in angustũ redacti erant. Cæterùm domi non ita tranquillas res habuit. Atq; id quicquid erat mali, sua sibi temeritate & furore præcipit, falsa suspicione inflãmato, accersiuit. Profectus erat Cazimirus filius eius Vuratislauiã, ut spõsam & affines suos uiseret: captus q; cõsuetudine eius, diutius ibi, nequicquã reuocante patre, commoratus est. Suspecta res ea Conrado, ut est ferè suspicax & sollicita tyrannis, esse cœpit, uerito ne quod filius cum Henrico socero (uiuebat enim adhuc) contra se & cæteros fratres consilium iniret. Neque enim adhuc

Henrico

Henricus quare Barbatus dictus est.

Miesco Cuiauiæ dux iniustus à muribus absumptus.

Vuladislaus Sputator mortuus.

Vuladislai filij.

Henricus Gnesna potitus.

Conradus uexat terram Sendomiriensem.

Boleslai fœdus et affinitas cum Bela Vngarorum rege.

1239 ann.

Cunegundis uxor Boleslai Pudici.

Cõiuges continentes.

Boleslaus unde uocatus sit Pudicus.

Bydgostia intercepta et recepta.

Suẽtopelcus Cuiauiam populatur.

Prussorũ uires fractæ à Teuthonicis.

Henrico,quãuis reconciliato, ac duplici affinitate ſecũ cõiuncto,fidebat. Erat cũ Cazimiro Ioannes Zapla, iuris peritus, Vuladislauiẽſis et Plocenſis Scholaſticus,atq; ducalis Cãcellarius,cuſtos & moderator adoleſcentí à patre datus.Eum igit̃ Cõradus,quaſi conſciũ ſiue adeò authorẽ cõſiliorũ filij, literis reuocauit,captũq; cauſa nõ cognita in carcerẽ cõiecit,ac mox quęſtionib. ſubiectũ, eodẽ furore in patibulũ egit. Cuius cadauer cũ Dominicanis fratres(q̃s Ploſcũ Cõradus antè aliq̃t annos, cõdito eis monaſterio induxerat)depoſuiſſent,et Chriſtiano ritu funus deducerẽt,Agathia Cõradi uxor, mariti furorí ſuffragata,ereptũ & in plauſtro duob.bubus cõtumeliæ cauſa uectũ,noua furca ad id ex tẽpore ad ędẽ atq; monaſteriũ Dominicanorũ ex aduerſo baſilicæ erecta,iterũ appendi iuſſit.Nec tñ deterriti ſunt fratres Dominicani,quin iterũ id deponerẽt,atq; honorificè ſepelirẽt.In q̃ quidem euidenter diuina iuſticia apparuit,ſceleſta & ſacrilega tyrãni manu ad ultionẽ patrati prius à Ioãne illo ſceleris uſa,,pterea q̃ is iniuſtę & nefarię Criſtini palatini necis autor,aut ſanè incẽtor fuerat.Et ſanè huiuſmodi ferè ſunt ſuſurronũ ac delatorũ quib. aulæ & aures principũ patẽt,exitus.Hoc uerò Cõradi facinus, & patratũ in ſacerdotẽ Dei parricidiũ, Andreas Plocenſis epiſcopus,Marci palatini Cracouiẽſis filius,uindicare auſus nõ eſt,ne quid & ipſe à tyranno pateret.Cęterùm Petrus Archiepiſcopus Gneſnẽſis,cuius genus & familia non memorat̃ re cognita,maiore animo uniuerſę Plocenſi diœceſi ſacris interdixit. Quãobrẽ excanduit quidẽ primũ Cõradus,uerũ pòſt ad ſe reuerſus,agnouit culpã,et Lencicią ad Archiepiſcopũ,ut ille iuſſerat,uenit:de admiſſo ſcelere Archiepiſcopi arbitratu ſatisfecit:Louiciã uillã, cũ circũiacentib. ſyluis ſanè q̃q; uaſtis, Archiepiſcopo Gneſnẽſi ſempiterno iure donauit,ea quidem lege,ut is Plocẽſis Canonicus ſemper eſſet,& librã ſiue marcã auri duci Maſouię eorũ bonorũ nomine q̃tãnis penderet. Vuladislauienſi item & Plocẽſi eccleſiſs idẽ Cõradus multa largitus eſt, atq; ita archiepiſcopus interdictũ ſuũ relaxauit,et Cõradus dux ab delegatis pont. max. Gregorij IX, epiſcopo Vuratislauiẽſi,& Scholaſtico Cracouiẽſi,à crimine abſolutus eſt,cũ ea quæ Archiepiſcopo,& Vuladislauiẽſi atq; Plocenſi epiſcopis receperat ac donarat, unà cũ filiis ſuis cõfirmaſſet. Id adeo 1240 Chriſti anno actũ eſt. Circa hęc tempora Boleslaus Pudicus,matris precibus adductus, cœnobiũ Cracouię fratrib.diui Frãciſci Aſiſinatis nouo tũc inſtituto uiuentib.Praga accitis,cõdidit: itẽq; Põpo ſecũdus magiſter Cruciferorũ in arce noua Torunenſi : nec ita multo antè Theodorus palatinus Cracouienſis, gente Gryphius, q Cedro uulgò appellatus eſt,in pago Sciricio,monaſteriũ Ciſterciẽſib.monachis excitauit & locupletauit:q̃d in Ludimiro hæreditario pago ſuo ſub Carpatho mõte prius ędificauerat: uerùm transferre coactus eſt, q̃ locus ille in cõfinio Vngarorum ſitus, infeſtus eſſet latrocinijs. cuius monaſterij reditus Vislaus & Prondota epiſcopi Cracouiẽſes attributis decimis quibuſdam auxerũt.Broniſius etiã comes gente Venauius,cuius inſigne eſt caput biſontis,in pago ſuo hereditario Goſcicouo in Poſnaniẽſi diœceſi ijſdẽ Ciſtercienſib.monaſteriũ cõdidit,q̃d Paradiſi nomine tũc dici cœptũ, etiã nũc eã appellationẽ retinet.Nec ita multo

Ioannes Zapla Scholaſticus Plocenſis à Conrado ſuſpenſus.

Calumniæ pœna.

Interdictũ Archiepiſcopi in Plocẽſi diœceſi.

Conradi pœnitentia.

Louicia Archiepiſcopo donata.

Archiepiſcopus Gneſnenſis Canonicus Plocenſis.

1240 ann.

Franciſcani fundati.

Pompo ſecundus magiſter Teuthonicorum in Pruſſia.

Sciricienſe monaſterium.

Paradiſi monaſterium.

Breſcenſe monaſterium.

antè Breſcenſe etiam monaſterium ſupra Viſtulam, quinto à Cracouia miliario Præmonſtratenſibus monachis ab Iuone epiſcopo Cracouienſi conditũ poſſeſſionibus ac decimis dotatum eſt. Cõſecutum eſt deinde tempus, quo Polonia cuncta, dudum inteſtinis motibus atq; ciuilibus bellis exagitata, ferarum etiam barbararum'que gentium quaſi inundatione quadam noua miſerabiliter diuexata & afflicta eſt. Tartari nanq; Ruſſia, quemadmodum ſuo loco narrauimus, peruaſtata, & maxima ex parte ſubiugata, anno Chriſti 1240 Lublinenſem oram in Polonia Ruſſiæ finitimam magno impetu inuaſerũt: exuſtaq; arce Lublinenſi, omnem illam regionem uſq; ad Viſtulam longè lateq; depopulati, Zauichoſtum etiam arcem in ripa Viſtulę ſitam incenderunt: indeq; in Ruſſiam reuerſi, depoſita tuto loco pręda, quam ingentem abegerant & aſportarant, curriculo in Poloniam hyberno tempore reuerſi ſunt: trãſmiſſoq; Viſtula flumine glacie concreto, Sẽdomiriam expugnauere: Copriuunicienſe monaſterium diripuere: utrobiq; præter ciues magnam agreſtium & nobilium multitudinem, quę illuc confugerat, unà cum monachis interfecere: progreſſiq; longius, nemine prohibente, per Viſliciam Scarbimiriam uſq;, quod oppidũ ſeptem miliarijs abeſt à Cracouia, peruenere. Inde uerò in capite quadrageſimæ anni ſequentis omnis generis præda onuſti, ingentem etiam hominum utriuſque ſexus forma & ętate florentium, multitudinem, loris adſtrictam in morem pecudum prę ſe agentes reuertebantur. Continebat ſe Boleslaus princeps Cracouiæ ſimul cum matre, nuſquam auſus tantæ hoſtium multitudini ſeſe opponere. Cæterùm Vulodimirus palatinus Cracouienſis coacta aliquanta manu, inſecutus abeuntes, apud Turſcum pagum, uno à Polanecio oppido miliario, ſtatiua habentes, ex improuiſo adortus eſt, & magnam in perturbatis & inopinata re perterritis, initio ſtragem edidit. Verùm poſtea Tartari animaduerſa noſtrorum paucitate, facilè multi paucos & multa cæde fatigatos, ſuperarunt: & cæſis nonnullis, reliquos in fugam uerterunt. Neq; tamen longius inſequi fugientes auſi ſunt, ueriti ne in inſidias præcipitarentur. Interim aũt dum pugnabant Tartari, captiui diſciſſis uinculis in pximas ſyluas effugerunt. Porrò Tartari ſua ſtrage perculſi, metuentes'que ne maioribus noſtrorum copijs opprimerentur, raptim atq; tumultuariè ſeſe recipientes, & ſaucios & ægrotos abijcientes, prope Secechouum in magna ſylua, quæ Stremech dicitur, aliquot diebus delituere, ut inſequentes fallerent. Inde poſtea in Ruſſiam rediere. Nec multo pòſt auctis maiorem in modum copijs, irarum pleni in Poloniam reuertere. Et cum apud Sendomiriam biduo ſtatiua habuiſſent, quo plura populationibus complecterentur, biſariam diuiſi ſunt. Ac pars quidem Loncicienſem & Cuiauienſem oram duce Kaidano uaſtarunt: cum reliquo uerò exercitu Battus ſummus eorum dux & imperator Sendomirienſem tractum, uerſus Camionam fluuium et Iſilzam arcẽ & oppidũ epiſcopi Cracouienſis infeſtauit. Vnde & Batti uiã haud lõgè ab eo oppido nũcupari Dlugoſſus memorat. Tametſi Bõfinius de reb. Vngaricis, Battũ per id tẽpus cũ longè maximis copijs in Vngariã expeditionẽ feciſſe ſcribit, Petã uerò ab eo cũ parte exercitus miſsũ ex Ruſſia, in Poloniam

Tartari Poloniã uaſtant.

Zauichoſtum incenſum.

Sendomiria expugnata.

Copriuunicienſe monaſterium direptum.

Tartari ad Scarbimiriam uſq; prædas agendo progreſſi.

Poloni apud Turſcum à Tartaris funduntur.

Captiui Tartarorum clapſi.

Tartari iterum bipartito agmine totam Poloniam peruaſtant.

Battus dux Tartarorum.

Batti uia.

Peta Tart. dux.

niam excurriſſe, ac deinde per Sileſiam & Morauiam in Vngariam ad Batum ueniſſe. Satis quidem conſtat, Tartaros Batto & Caidano ducibus per idem tempus Vngariam omnem cum finitimis Raſcia, Boſna, Croatia, & Bulgaria, toto triennio cædibus & incendijs deuaſtaſſe, Bela rege profligato, & in Dalmatiam fugato. At proceres & equites Cracouienſes & Sendomirienſes, non ferentes chariſſimam patriam, ſe inſpectantibus, tam crudeliter uaſtari: parentes, uxores, & liberos ſuos dulciſſimos, omni genere contumeliæ affectos, uel miſerabiliter trucidari, uel in fœdam ſeruitutem abduci, uillas atq; penateis incendi, religiones ſanctiſſimas atq; templa Dei opt. max. cædibus & libidinibus & ſanguine ſacerdotum pollui: Chriſti Ieſu Dei et hominis corpus cœlitibus uenerandum, impuris barbarorum pedibus conculcari. Hæc inquam non ferentes, ſimul autem conflictu Turſcenſi animati, facta manu Tartaris apud Chmelicum pagum non longè à Sidlouo oppido occurrunt, eo quidem propoſito, ut uel corporibus ſuis uiam ipſis ad ulteriora obſtruerent. Tartari ubi de aduentu Polonorum cognouerunt, duas acies inſtruunt: quarum altera magno cum clamore in noſtris aduenientes procurrens, ut mos eſt genti, prælium commiſit. Altera in ſubſidijs erat, ut laborantib. ſuis ferret opem. Noſtri, quòd pauci erant, ſimplicem aciem inſtruxerant, & omnes pariter pugnã capeſſebãt. Et læuum quidem cornu Cracouienſes cum Vulodimiro palatino & Clemente Caſtellano Cracouienſi tenebant. In dextro autem Pacoslaus palatinus, & Iacobus Ratiborij filius Caſtellanus, Sendomirienſib. ſuis pręerant. Pugnatum eſt horis aliquot acriter: ad extremum tartari multis fortib. uiris amiſſis, cedentes ad ſubſidiariam aciem ſeſe recepere, noſtris alacriter inſtãtibus, & debellatum eſſe credentib. Ibi uerò denuò inſtauratur prælium. Tartari integri & recentes feſſis & ſaucijs ſuccedũt. noſtri primo ſucceſſu freti, extremũ conatũ faciũt, ut aut plenã uictoria potiant, aut uerò honeſtè, p patria mortẽ oppetãt. Tandẽ amiſſis ducib. et fortiſſimis q̃buſq; militib. ad paucos redacti, terga dedere: et itinerũ notitia ſyluisq; tecti, euaſere. Cecidit eo prælio inter cęteros maximè nobiles et pręſtãtes, Criſtinus Sulcouicius, Albertus Stẽpocius, Nicolaus Vitouius, Zementa, Grabina, et Sulislaus. Factũ eſt aũt hoc pręliũ decimaoctaua die Martij. Cõtinebat ſe per id tẽpus Boleslaus Pudicus cũ Grimislaua matre et Kinga uxore in arce Gracouiẽſi. Sed accepto nũcio de clade ſuorũ, in Vngariã cũ familia & ſupellectili, raptim collectis ſarcinis, ad ſocerũ, pfugit, nihil tuti Cracouię et in tota Polonia à barbarorũ furore ſibi ducẽs. Sed cũ Vngariã q̃q; maior etiã uis eorũdẽ barbarorũ infeſtaret, ad fines Poloniæ ſe recepit, et in Pienina arce ſupra Donaiecĩ fluuiũ, haud lõgè ab oppido Sãdecia ſub Carpatho mõte ſita, aliquã diu cõmoratus eſt. Principis exemplo plurimi mortales, ditiores præſertim, partim in Vngariam, partim in Germaniam diffugerunt. Tenuiores uerò in ſyluas, montes, et paludes ſeſe abdiderunt. Porrò Tartari poſt Chmelicenſem uictoriam ad Cracouiam contenderunt, quòd eam urbem caput Poloniæ ac domicilium principis eſſe didicerant: & cum uacuam defenſoribus reperiſſent, flammis in tecta ſæuierunt. Templum tamen diui

Vngaria cum finitimis prouincijs triennio uaſtata à Tartaris.

Polonorũ clades apud Chmelicũ à Tartaris accepta.

Boleſlai Pudici fuga.

Pienina arx.

Cracouia incenſa à Tartaris.

Andreę

S. Andreæ tẽplũ defensum.

Andreæ duabus turribus munitum, quod etiam tum extra oppidum erat, egeni ac debiles, qui in id se receperant, interfectis supernè complurib. barbaris, qui propius accesserant, defenderunt. Neq; enim immorari Tartari in expugnatione templi uoluerunt, ne quid spacij darent alijs ad colligẽdũ

Silesia à Tartaris uastata.

sese, aut fugiendum. Sed in Silesiam ingressi, cum disiectos Odræ pontes reperissent, compactis ex tempore ratibus, apud Ratiboriam flumen traiecerunt. Seruabat ripam ulteriorem Miezislaus, dux Ratiboriensiũ, Cazimiri filius, cum parua manu. Is igitur in eos qui primi amnem trasmiserant, facto impetu, magnam in eis stragem edidit: sed reliquo exercitu celeriter natando pariter & natando (ualent enim ea re ipsi iuxtà ac equi ipsorum) superueniente cessit, et Legniciam ad Henricum Pium, Barbati filium, qui ibi cogebat exercitum, se recepit, & cum eo se cõiunxit. Tartari uerò continuato cursu ad Vuratislauiam, quòd oppidum oræ illius primarium esse acceperant, festinarunt. Verùm id incensum repererunt. Oppidani namq; cognito aduentu barbarorum, munitioni oppidi diffisi, supellecti sua, frumento, & commeatu cætero in arcem comportato, id reliquerant: milites uerò qui in præsidio arcis erant, uacuũ, ne hostibus prædæ uel receptaculo esset, incenderant. Quam ob rem indignati Tartari, arcem obsederunt. Sed frustrà consumptis diebus aliquot, cum obsessi ad longiorem etiam obsidionẽ

Vuratislauia incensa.

Tartari ab arce Vuratislauiensi refugerunt.

perferendam non imparati esse uiderentur, irrito cœpto inde similes fugitibus abierũt, diuino, ut postea compertum est, ostento perterriti: quod fuit huiusmodi. Ceslaus unus de comitib. Iuonis episcopi Cracouiensis Romæ diui Dominici uitę institutũ professus, præerat conuentui Vuratislauiensi apud diui Adalberti. Et ad primũ tumultũ cum cęteris sodalibus in arcem confugerat. Eo igitur iugibus precibus & lachrymis Dei misericordiã, & præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea cęlitùs apparuit, & statiua Tartarorũ, omneq; territoriũ ingenti atq; terribili fulgore collustrauit. Hoc miraculo barbari perterrefacti, nihil cunctati, obsidionẽ soluerunt: & Legniciã, ubi Henricũ ducem cum magnis copijs & auxilijs esse cognouerant, contenderunt, auctis uiribus suorũ aduentu, quos in Lencicienſem et Cuiauiensem tractũ excursionẽ fecisse superius memorauimus.

Miraculum.

Vitouiense monasterium direptũ.

A quibus etiam Vitouiense monasteriũ in tractu Siradiensi direptũ, & monachę omnes, pręter tres quę in syluam profugerant, interfectæ sunt. Vnde

Buscense monasterium.

postea quę superfuere Busco eũ locũ cõmutarunt, & monachi eiusdẽ sectæ locũ illũ incolere cœperunt. At Henricus aduentu hostiũ cognito, obuiam eis progredit, procurato sacris mysterijs exercitu, eo quidẽ animo, ut aut uinceret, aut fortiter pro aris atq; focis, aut pro populo suo dimicans occũberet, nõ modò non deterrente, sed etiam atq; etiam hortante matre Heduigi, quę futuri pręscia, tñ diuinę uolũtati repugnare nefas esse ducebat. Quinq; aũt

Hẽrici exercitus.

agminib. exercitus eius cõstabat. In primo erãt cruce signati ex uarijs gẽtib. summi põtificis autoritate et cohortatione post cladẽ superioris anni collecti: cũ quib. ordinati erãt fossores ex metallis Goltibergensib. Cui agmini pręerat Boleslaus Dipoldi Marchionis Morauiæ filius. In secũdo erãt maiores Poloni et Cracouienses nõnulli, quos qdẽ ducebat Sulislaus Vulodi

miri

miri palatini Cracouiensis frater. In tertio erat Miezislaus dux Ratiboriensis & Oppoliensis cum suis copijs. Quartū tenebat Pompo Magister Prussiæ, cum suis Cruciferis. In extremo erat ipse Henricus, cum flore militię Silesicæ & Polonicæ & mercenarijs externis. Totidem Tartari fecerunt. Est sub Legnicia planicies spacioſa ad Nyslam amnem, quæ bonus campus dicitur. In ea igit̄ concurrunt acies, primiq; cruce signati (nam id ab Henrico impetrarant) pugnā ineunt, et primos barbarorū pręcursores facile fundūt. Verū illis siue pulsis, siue de industria cedentib. (etenim fugiendo pugnare genti maximè usitatū est) primum illud agmē cruce signatorum, pductū longius à suis, & à multitudine barbarorū circundatū, denso imbre sagittarū obruit̄, ita ut pauci inde euaderent: magna siquidem ex parte nudi erāt. Tametsi ne loricę quidem, aut thoraces, aut galeę satis uim Tartaricarū sagittarū sustinent. Ibi & Boleslaus dux inter primos pugnans cecidit. Succedit alterū agmē ex duobus iunctū, cui dux Oppoliēsis et Sulislaus pręerāt. Atq; id facto impetu in hostes in cędę primorum exultantes, magnā stragē edidit, cum balistarij contra sagittarios eorū constitissent. Quod animaduertentes Tartari, duo item agmina suis laborantib. succursura submittūt. Neq; tamen segnius nostri pugnam cient, donec quispiam de exercitu Tartarorū eques ab latere nostris ex improuiso apparens, Polonica lingua, ut fugerent identidem uociferatus, eos cōturbauit, & in fugā cōuertit, orto fugę initio à Miezislao Oppoliensi, qui uocem illam amici esse, saluti suorum cō sulentis, quasi iam reliqua agmina à barbaris deleta essent, credidit. Ibi Henricus nihil suorū strage fugaq; deterritus, extremo agmine cū Cruciferis cō iuncto fugiētes insequentiū Tartarorū impetū excipit: instauratoq; pręlio, Tartaros uicissim premit. Succurrit & Battus, siue Petasius, uehementer debilitatis. Certat̄ utrinque totis uirib., p uictoria: exæquataq; rursus aliquandiu pugna, tandem Henrici res uirtute militum, meliore loco esse cœperāt. Ibi Tartari fugam neutiquam simulatam capessunt. Instāt nostri fugientib. Erat in extremo illo agmine inter alia signa uexillum insigne, cuius pictura X gręci elementi figurā præ se ferebat: in cuspide uerò imago erat tetra nigraq; capitis humani barbati. Id igitur uexillum cum signifer uehementius quateret, fumum atq; nebulam densissimam & fœtidissimam exhalabat. Ea nebula nō modò aspectū barbarorū nostris adimebat, uerùm etiam odore teterrimo eos enecabat: totū̄q; adeò exercitū nostrorū nouitate & miraculo rei stupefactū perturbauit. Incantationib. id quibusdā Tartari effecerāt. Quib. iuxtà ac ariolationib. atq; diuinationib. cæteris cū alijs, tum in bello plurimū utunt̄: Ex humanis etiam extis de futuris euentib. coniectare soliti. Tunc uerò barbari ubi nostros trepidare senserūt, cohortati sese inuicē, impressionē in eos faciūt: perturbatisq; ordinib. magnā cędē faciūt: in qua Pompo Magister Cruciferorū cum fortissimis quibusq; suorum occubuit. Diffugiunt cæteri ex acie, præter eos qui circum ducem erant. Nam is turpe ratus fugere, nō inultus mori uolebat. Ad extremum tamen, cum aliquā diu fortiter pugnans hostiū uim sustinuisset, persuaderi sibi passus est, ut se meliorib. rebus seruaret: perruptisq; hostilib. cuneis, quatuor tm̄ comitū ib.

Prælium cū Tartaris apud Legniciam.

Tartari fugiendo pugnant.

Sagittæ Tartarorum penetrant loricas & thoraces atq; galeas.

Stratagema Tartarorum.

Silesiorum et Polonorum fuga.

Tartari uincunt Polonos magicæ artis præsidio.

Tartari magica arte multum utiūtur.

Pompo magister Cruciferorū Prussiensium occisus.

Henrici fuga & cædes.

nempe Sulislao,de quo superius,Clemente palatino Glogouiensi,Cõrado Cõradi,& Ioanne Iuani filijs,nobilib. & fortissimis uiris,iam periculũ euasurus esse uidebatur,cum subitò fortuna conatũ eius destituit. Equus enim cui insidebat, multis uulneribus in prælio acceptis,debilitatus concidit. Et quanquam Ioannes alium ipsi, à cubiculario eius petitum, subministrarat, tamen dum insequentes & obuios barbaros ferro summouet, & in premẽtem se maximè Tartarum sublato brachio gladium uibrat,ab alio quodam hasta sub ascella ictus,moribundus de equo defluxit. Ibi barbari inconditũ clamorem attollunt,deductumq; per manus Henricum ad alterum balistę iactum, capite plectunt, & cadauer nudum detractis armis & uestimentis relinquunt. Tres quoq; illi,qui eum fugientem comitati sunt,pugnantes cecidere. Nam Ioannes imposito in alium equum duce, ferro per medios hostes uiam sibi atq; duci patefaciẽs,saucius cum duobus ministris uix euasit.

Poloni Ioannis fortitudo.

Quem cum nouem Tartari pertinacius ad unum miliarium persequerentur, nactus Lusmannium quendam,& ipsum cum duobus fugientem,conuersus, & eius ope fretus,octo de persequentibus se Tartaris peremit, nonum captiuum abduxit. Tantus autem eo prælio interfectorum Christianorum numerus fuit,ut singulis singulæ auriculæ à Tartaris præcisę,nouẽ ingentes saccos explerent. Inter quos inprimis clari Poloni fuere,Stephanus Virbenius cum Andrea filio,Clemens Pelcinicius Andreę filius, Thomas Piotricouicius, & Petrus Kuza. Henrici caput hastæ infixum Tartari ad arcem Legnicienſem (nam oppidum nostri iam antè cremarant) accedẽtes prętulerunt,deditionemq; eos qui in pręsidio cum liberis Henrici erant,poscebant. Quam cum negarent illi, uastatis per circumitum uillis atq; pagis, recesserũt ad Othmuchouum:ubi cum quindecim diebus statiua habuissẽt, Ratiborienſem oram repetita excursione uastarunt :ibiq; octo dies commorati, in Morauiam inuadũt. Quam cum nemine prohibente & Venceslao rege in Boemia delitescente,amplius uno mense usq; ad Austrię & Boemię fines crudeliter diu exauissent,in Vngariam superatis montibus atq; syluis peruenerunt. At Henrici corpus post discessionem Tartarorum,inter cadauera,sex digitorum in læuo pede argumento, Anna uxore indicante inuentum:cum alijs nonnullis nobilioribus Vuratislauiam deductum, & in sancti Iacobi,quod monasteriũ Franciscanis ipse inchoauerat,Anna uerò uxor postea cõsummauit,honorificè sepultum est. Cęterùm Heduigis mater,quę monasterij Trebnicienſis munitioni diffisa, Crosnam unà cum grege monacharum & Anna nuru ,sub aduentum barbarorũ se receperat, nihil nuncio cladis & interfecti filij commota est. Quin monachas & nurum lamentantes & pectora plangentes comiter consolata, minimè deiecto uultu gratias egit Deo,quòd eius munere talem filium peperisset,cuius ipsa uiuentis pietatem summam in se experta semper esset,quicq; ad extremum pro religione & populo suo uitã alacer proiecisset. Ferũt autẽ cum Henricus exercitũ Legnicia cõtra Tartaros educeret, saxũ grãde è culmine templi uirgini Christi matri dicati ante pedes eius decidisse , ita ut parũ abfuerit quin eũ extingueret. Quæ res infausti ominis uulgo iudicata est. Henrico Pio cęso,Boleslao

Stragis magnitudo.

Legnicia arx defensa.

Tartari Morauiã infestarunt.

Henrici cadauer inuentum.

Heduigis constantia.

Omen infaustum.

Pudico

Pudico nuſquã comparẽte, oppidis, uicis, atq; pagis aduaſtitatem redactis, nobilitas Cracouienſis & Sendomirienſis deteriora etiã timens, quòd ſine principe et magiſtratib. eſſet, inito conſilio, Boleslao Caluo Henrici Pij filio natu maximo principatum detulit. Atque is princeps factus, ſtatim magiſtratus creauit: plericq; enim tempeſtate illa Tartarica deſiderati erãt, Clementemq; de Ruſcia Sulislai filiũ, gente Gryphiũ, Cracouienſem palatinũ fecit. Quod cum accepiſſet Conradus dux Maſouię, permoleſtè tulit, alienũ filio Cazimiri principis filio, Leſci albi fratri in principatu prælatũ eſſe. Itaque colloquiũ à Suentopelco Pomeranorũ duce petijt, fœdus cũ eo percuſſit, auxiliaq; ab eo cõtra Boleslaũ Caluum impetrauit. Nam ipſe Suẽtopelcus negauit ad id bellum ſe poſſe proficiſci, alijs curis & occupationib. diſtentum, de quibus paulo inferius memorabimus. Interim autem dũ Conradus in apparatu belli occupatus eſt, Tartari ex Vngaria per Scepuſienſem tractũ excurſione facta in Poloniã, Cracouiam inexpectati aduolarunt: direptaq; urbe, & maiore quàm prius cæde hominũ facta, cum ingenti pręda in Vngariã per Oſuencimenſe territoriũ citi reuerſi, atq; ibi tres annos commorati ſunt. Conradus uerò dux omnibus ad bellũ ritè comparatis, ac citiſq; Pomeranorum auxilijs, in Sendomirienſem, ac deinde in Cracouienſem tractum duxit exercitum: & facilè munitiones omnes, opera Zegotę gẽte Toporĳ, eiusq; familiæ & clientiũ, dedentibus ſeſe ultrò omnibus, in ſuã redegit poteſtatem. Cęterùm Clemens palatinus Cracouienſis, & alĳ qui cũ Boleslao Caluo ſentiebant, cum impares eſſent conatibus Cõradi reprimendis, Scalenſem arcem ualido præſidio tenuerunt. Nec eos Cõradus oppugnare tunc adortus eſt: ſed Cracouiã ueniens, arcem muniuit: conſtitutiſq; rebus, in Maſouiã rediĳt. Aduenit mox Boleslaus Caluus cum exercitu ſuo, & Germanis mercede conductis, recuperaturus ereptum principatũ. Cum autem Cracouienſem arcem expugnare niteretẽ, re cognita, ſuperuenit iterũ Conradus cum maioribus copĳs: cum quib. Boleslaus Caluus congredi nõ auſus, in Sileſiam ſe recepit. At Conradus Scalam admouit exercitum. Nec mora, Clemẽs palatinus deſtitutũ ſe ope Boleslai cernẽs, petita impetrataq; à Conrado uenia, arcem ei dedidit. Potitus iam omni principatu Cõradus, cum belli ſumptib. exhauſtus eſſet, grauia mox uectigalia & exactiones nõ modò oppidanis & agreſtibus, uerùm etiam equeſtri & ſacerdotali ordini impoſuit: ac ne ocio ad res nouandas inuitarentur, in reficiendis ueteribus, & extruendis nouis munitionib. acerbè uulgus exercere cœpit. Quæ poſt tantas clades atq; calamitates à Tartaris illatas, famemq; grauem, cum pergrauia & intolerabilia omnibus uiderentur, magnum odium Conrado cõflarunt. Redierat is fortè in Maſouiã. Ibi proceres Cracouienſes clàm de eĳciendo ipſo conſilia ineunt: nonnullos cõcios, qui Boleslaum Pudicũ perquirerent, dimittunt. Atq; is de uoluntate & ſtudio ſuorum certior factus, reditum parabat, ac de Vngaris auxiliarem manum cogebat. Porrò Conradus cum alienatos eſſe à ſe Cracouienſis & Sendomirienſis conuẽtus animos accepiſſet, ac de conſilio reuocãdi Boleslai Pudici et eĳciẽdi ſui perſenſiſſet, properè accurrit cũ nõ contemnẽdo comitatu ſuorũ: diſſimulatoq; cõ-

Boleslaus Caluus ad principatum uocatur.

Clemens de Ruſcia palatinus Cracouienſis.

Tartari Poloniã populãtur, et Cracouiam diripiũt.

Conradus Maſouiorum dux principatum inuadit.

Scala arx Conrado dedita.

Cõradus aſperiori dominatu Cracouienſes à ſe alienat.

Fames in Polonia.

Boleslaus Pudicus reuocatur.

Comitia Scarbimiræ.

Cracouienſes proceres & equites capti à Cõrado, et elapſi.

ſilio, comitia apud Scarbimiriam indixit. Ad quę cum frequentes proceres & equites conueniſſent, capiuntur quidam ex eis nobiliores, qui contra Cõradum ſentire uidebant, & in Maſouiam uincti abducũtur. Cęterùm Clemens palatinus cautior, & aduentum Cõradi celerem, comitiaq; illa ęſtate media præter morem indicta, ſuſpecta habens, cum Sulcone & Theodoro fratrib. & alijs nonnullis ad Boleslaum Pudicũ, qui in Pienina arce in Vngariæ finib. ad eum diem latuerat, profugit. Nec ſanè multo pòſt prima die menſis Auguſti, illi qui in Maſouiam abducti erãt, fractis compedibus, intempeſta nocte cum euaſiſſent, omnem ſuorum multitudinem palàm cõtra Conradum concitabant. Eorum reditu cognito, Clemens palatinus confeſtim aduolat: & facta manu coniunctisq; uiribus, Cracouiam in poteſtatem ſuam redigunt, eiecto Cõradi pręſidio. Subſequitur Boleslaus Pudicus cũ uxore. Cui uenienti ingens multitudo hominum omnis ordinis, ętatis, atq; ſexus exultans atq; gratulabunda obuiam ſeſe effudit. Et mox proceres au-

Boleslai Pudici reditus.

Prendota epiſcopus Cracouienſis.

thore ac principe Prendota epiſcopo Cracouienſi, gente Odrouãſo, cognomento Bialaſſouio, qui nuper Vislao Coſcelecio defuncto ſucceſſerat, nouũ iuſiurandũ principi dicunt. Quo cõſenſu permoti, qui arces & munitiones pro Conrado tenebant, Boleslao eas reddiderunt. Factus autem certior Cõradus de defectione minorum Polonorũ, ac de reditu Boleslai Pudici, magnis itinerib. Cracouiam accurrit: cumq; uideret Boleslaum Cracouienſis arcis munitione (neq; enim ſpacium cogẽdi exercitus habuit) ſeſe cum prę-

Boleslaus Pudicus principatum recuperat.

ſidio cõtinere, obſidere eum cępit: et q; longius ductã iri obſidionẽ, neq; ſatis uiriũ ſe ad bellũ in hoſtico gerendũ habere ſentiebat, templis D. Andreę & D. Georgij, q̃d ex aduerſo arcis in eodem colle ſitũ eſt, ſed tunc extra munitionẽ arcis erat, caſtellorũ loco uallis atq; foſſis cõmunitis, cõmendataq; cura exercituset obſidionis Boguthę equiti Cracouiẽſi, qui cũ ipſo ſentiebat, in Maſouiã, ut mox maiores copias adduceret, receſſit. Nec mora Bogutha mutata fide, de templis præſidia deduxit, obſidionemq; ſoluit. At Cõradus conſcripto maiore exercitu, accitis etiã in auxiliũ Præmiſlo Poſnanienſi, & Miezislao Oppolienſi ducib. Lituanisq; itẽ & Iazygib. ſiue Iaſuingis barbaris, tractũ Sendomirienſem populabundus ingreditur. Ac de Lituanis quidem, qui nam ſint, ſuperius memorauimus. Iazyges uerò ſiue Iaſuingi eiuſdem cum Lituanis linguę, ut uolunt nõnulli, eorũdemq; morũ & religionũ fuere, & ad Auſtrũ finitimas Poloniæ ſyluas incoluere. Quę regio à noſtris Poleſſe ſiue Podleſſe, quaſi ſubſyluana uocatur: alij Podlaſſe, quaſi Lachis, hoc eſt, Polonis finitimã dici uolũt, cuius caput eſt Drohicinũ oppidũ. Gẽs bellicoſa admodũ cõtẽptrixq; mortis. uerũ pugnãdi cupiditateet pertinacia ad paucos redacta, ac deinde deleta eſt à noſtris. quẽadmodũ inferius exponemus. Fuerũt etiã Dacis et Pãnonib. finitimi Iazyges Metanaſtę. Neſcio an ijdẽ cũ his: et an illinc huc, an uerò hinc illud aliquãdo cõmigrarint. Hos igitur populos Cõradus dux tunc cõtra Boleslaũ exciuit. Nec Boleslaus cõmittẽdũ ſibi eſſe exiſtimauit, quin ſua deſẽderet. Itaq; magna celeritate quãtũ poteſt exercitũ cõparauit, in q̃ erãt et Vngari: et ad Suchodolũ pagũ Cõrado occurrẽs, quãuis eſſet uirib. longè inferior, tñ pugnãdi copi ã fecit. Et

Poleſſe ſeu Podleſſe, ſiue Podlaſſe.

Drohicinum.

Iazyges Metanaſtæ.

Prælium apud Suchodolum.

fauit

fauit sanè iustiori causæ Deus, hominumq; preces pro Boleslao passim supplicantium exaudiuit. Commisso enim prælio, numerosus ille Conradi exercitus cum ducibus suis à Boleslao fusus, & in fugam actus est. Victorq; uictoria moderatè usus, neq; fugientes longius persecutus est, & saucios benignè recreauit, & captiuos dimisit. Cuius quidem moderationis fructum mox consecutus est. Etenim statim reliqui de nobilitate Sendomirienſi, qui Conradi partes ad eam diem pertinacius tutati erãt, unà cum munitionibus quas obtinebant, in potestatem Boleslai uenêre. Conradus uerò, qui Prendotæ episcopo Cracouiensi extrema quęq; dudum comminatus erat, quòd ipso authore eiectum se esse non ignorabat, turpiter uictus, in Masouiam secum Cazimiro filio, cæteris domos suas dilapsis, recepit. Boleslaus recuperatis omnibusque absens amiserat, Cracouiam reuertens, ingenti omnium gratulatione exceptus est. Nec in maiore Polonia post Tartaricum bellum quietæ res fuere. Nam post interfectum Henricum Pium à Tartaris, cum Boleslaus Caluus filius eius natu maximus dominatũ suscepisset, grauis nobilitati & cæteræ multitudini esse cœpit, atque externos indigenis, Teuthonas Polonis, & quidem infimos optimatibus præferebat: in hos perparcus & restrictus, in illos munificus & liberalis, ita ut honores quoque & magistratus eis mandaret: & quòd sine modo familiaritate eorum delectaretur, in consilium quoq; eos adhibebat. Malè hæc res Polonorum proceres habebat. Itaque questi inter se de fastu ducis, & contemptione sui, celeriter contra eum, authoribus Bogumilo palatino Posnanienſi, Cecundo Gnesnẽsi, Thoma Posnaniẽsi Castellanis, & Domaratho iudice, cõspirarũt: & cõuentu apud Posnaniã facto, Premislũ & Boleslaũ Vuladislai Sputatoris filios bonæ indolis iuuenes, accient: abdicatoq; Boleslao Caluo, duces eos sibi cõstituunt. Cõmorabant autem ij in arce Vscenſi, quam de patrimonio solam habebant reliquam. Naclum enim Suentopelcus auus maternus eis per fraudem ademerat. Venientibus ijs traduntur arces & munitiones, una excepta, cui Præmentæ nomen. Cuius præfectus in fide Boleslai Calui perstabat. Quam tamen haud ita multo pòst nobilitas expugnauit. Tulit eam iniuriam & contumeliam non iniquissimo animo Boleslaus Caluus, suadente auia Heduigi, quæ & antea maritum, & posterius filium ab eo dominatu fruſtra auocauerat, & tunc nepoti, ne iniustè iustis hæredibus olim ereptum retineret, aut repeteret, persuasit. Quin is posteriori tempore affinitatem etiam cum Præmislo contraxit, collocata ei in matrimonio sorore sua Elizabetha una de quinq;. Verùm id post mortẽ Heduigis actum est. Vix enim uno anno ea postea uixit. Nam altero post maritum obijt, qui fuit à Christo nato 1243 septimo Idus Octobris. Corpus eius, quod croceum dum uixit, propter rationem uictus duram atque tenuem, assiduaque ieiunia, fuerat, post mortem insolito splendore, coruscasse fertur, Deo perhibente testimonium sanctimoniæ & pietati eius. Quamquam tertio demum & uicesimo anno pòst, à Clemente pontifice maximo in numerum sanctorum, examinato bene ac diligenter negocio, relata est. Sepulta est autem Trebniciæ. Cruciferi quoque Teuthones eodem

Boleslai uictoria & moderatio.

Conradi fuga.

Boleslaus Caluus propter propẽsionem in externos exosus suis.

Maiorũ Polonorum defectio à Boleslao Caluo.

Bogumilus pal. Posnan.

Vuladislai Sputatoris filij.

Naclum à Suentopelco interuersum.

Præmẽta arx expugnata.

Boleslaus Caluus æquo animo tulit se eiectũ è maiore Polonia.

Heduigis sanctæ mors.

1243 ann.

Heduigis in diuos relata.

Suentopelci bellū cōtra Cruciferos Pruſsienſes.

tempore, hoc eſt poſt Tartaricā illam inundationem, cum Pomponi apud Legniciam interfecto Henricum de Vida magiſtrum ſuffeciſſent, nō modò Pruſsiam bello quæſitam, ſed etiam ea quæ initiò à Conrado duce acceperant, penè amiſerunt Suentopelci fraude, & mox aperto bello. Nam cum ij

Cruciferorū res geſtæ in Pruſsia.

inuitati à Cōrado contra Pruſſos cum barbaris bellum uaria fortuna geſſiſſent, nunc uictores, nunc uicti, & arces atq; oppida quædam ipſi condiſſent, quædā dehoſtibus cepiſſent, atq; ex his nōnulla rurſus amiſiſſent, & quodā tēpore ui barbarorū magna ſtrage uicti cæſiq;, in arctū redacti eſſent, ad extremū tamē multis Germanię principibus opē ferentib. magna ex parte Pruſſos debellatos domuerūt, & ad recipiendā religionem Chriſtianam adegerunt. His eorum ſucceſsibus inuidens Suentopelcus, ſimul autem ſibi ac dominatui ſuo metuens, Pruſſos clàm partim ad bellum, partim ad defectionem atq; rebellionem ſollicitauit: & quo magis eos ſibi obnoxios, & Cruciferis infeſtos & irreconciliabiles hoſtes redderet, perſuaſit

Pruſſorum defectio à religione et Cruciferis.

ijs qui Chriſtiani iam facti erāt, ut religionem Chriſtianam, quam inuiti ſuſceperant, rurſus abijcerent: Germanosq; & Polonos omnes, qui uel negociabātur apud ipſos, uel etiam domicilia in Pruſsia fixerant, conſtituta certa die trucidarent. Quæ cum illi impigrè peregiſſent, munitionesq; omnes, præter Balgam & Elbingam, interfectis ubiq; præfectis & preſidijs, in poteſtatem ſuam redigiſſent, Suentopelcum belli ducem creant, eiq; paritu-

Balga & Elbinga munitiones retentæ à Cruciferis.

ros ſe eſſe recipiunt. Accepit lubens delatum imperiū Suentopelcus, cōfeſtimq; obſeſsis terreſtribus iuxtà ac fluuialibus, quicunq; Crucifericarum eſſent partiū, ſiue in Pruſsiam proficiſcerent, ſiue inde fugerent, excipiebat & necabat: coactisq; celeriter Pruſſorum atq; Pomeranorū ſuorum copijs, Culmēſem tractū omnē ferro & igni uaſtauit, ubi ad quatuor millia hominum partim occidit, partim captiua abduxit. Nec integrum quicquam in eo tractu, præter Toruniam, Culmam, ſiue Chelmam, & Razinum arces, quibus potiri non potuit, reliquit. Neq; eum authoritas Guilelmi epiſcopi Mutinenſis, legati apoſtolici, ab incœpto deterruit. Qui quidem legatus Pruſsiā

Razinum arx.

Pruſsiæ epiſcopæ.

tūc in dioeceſes & epiſcopas, nēpe Varmiēſem, Zābienſem et Pomezanienſem diſtinxit, qdēadmodū uult Dlugoſſus. tametſi nondū eę regiones penitus à Cruciferis ſubactæ erāt. Fungebat tunc apud Cruciferos magiſtratu, quem illi Marſalcū uocāt, Ditrichus ſiue Theodoricus. Is igitur conuocato conſilio, cōſultat quid facto opus ſit. Inconſultum ac temerarium uidebatur, in preli dimicationem cum Suentopelco uenire, cuius uires Pruſsis & Pomeranis coniunctis maiores erant, quàm ut à ſe tunc ſuſtineri poſſent. Itaq; placuit omnibus, ut munitiones ſuas defenderent, & per omnem occaſionem Suentopelci ditiones uiciſsim infeſtarent. Zartauicia arx erat in Po-

Zartauicia arx à Cruciferis intercepta.

merania, Cruciferorū ditioni finitima arte & præſidio bene munita, ubi theſaurus erat Suentopelci. Eam igitur Ditrichus nocte quadam, quæ eſt ante pridie nonas Decembris, cum uigintiquatuor armatis, admotis ſcalis, cuſtodibus partim interfectis, partim captis, intercepit theſaurum, in quo diuæ Barbaræ illius ne Antiochenæ, cuius celebre eſt nomen apud Chriſtianos, an alterius cuiuſpiā, incertum eſt, corpus erat, aſportauit, arcemq; accito

& impo-

& impoſito præſidio ſuo muniuit. Aduolat cum expedito agmine Suentopelcus, tentataq; nequicquam expugnatione, & parte copiarum ad obſidionem relicta, cũ reliquis in Cruciferorũ ditionem excurſionẽ fecit. Occurrit ei Ditrichus cũ Cazimiro duce Cuiauię & Lencicię, Conradi filio, quẽ Ditrichus haud falſo conijciens euenturũ, id quod euenit, in auxiliũ acciuerat. Conſeruntur manus, uincitur & fugatur Suentopelcus. Necq; contenti uictores pręſenti uictoria, in Pomeraniam etiam inuadunt. Coniunxit ſe cum eis Præmislus dux maioris Poloniæ precibus Cruciferorum euocatus. Quam quidem expeditionem eo lubentius ſuſcepit, ut ſuam quoque iniuriam in Suentopelco auo materno ulciſceretur. Nec ſatis habuerunt agros, uicos, atq; pagos populari, Viſſegradum etiam urbem expugnarunt. Deinde motis ad Naclum caſtris, arcem per deditionem recipiunt, & Premiſlo reddunt. Quibus incommodis motus Suentopelcus, extremaq; metuens, pacem cum Cruciferis Guilelmi legati apoſtolici opera facit, datis obſidib. Meſciugo ſiue Meſtuino filio, Veiado comite, & Vitſlaro Burgrabio, primarijs uiris. Captiui utrinq; dimiſſi ex pacto. Zartauiciam uerò ut Suentopelco redderent Cruciferi, adduci nequiuere. Itaque minus diuturna pax ea fuit. Etenim Suentopelcus non multo pòſt uiolato fœdere, uocatiſq; in auxilium Pruſsis, Culmenſem regionem ingreſſus, crudeliter eam uaſtauit. Non tulere Cruciferi eam uaſtationem, & cum prohibere non poſſent, reuertentem tamen hoſtem adoriri, & prædam excutere ſtudebant. Sed erat inter eos diſſenſio. Ditrichus enim antiquus Marſalcus, cum ſuas uires imppares hoſtilibus eſſe iudicaret, loci opportunitatem, quo hoſtem inuaderet, quærebat: uolebatq;, ut apud Reuſinam paludem, quæ Pruſsis & Pomeranis tranſeũda erat, in extremos impetum facerent, cum primi in tranſeunda palude impediti eſſent: cui prudentiores facile aſſentiebant. Improbabat hoc conſilium nouus Marſalcus Berlinus, utpote ferocior & minus uſu rerum peritus, quòd diceret, prædam ſibi abactum ereptum'que iri, ſi extremum agmen inuaderent. Vicit huius ſententia. Quare aperto campo ultra Oſſam, reuertentes hoſtes conſecuti, pugnam ineunt, non detrectante Suentopelco, qui paucitatem eorum contemnebat. Nec magno negocio ſuperantur, & ad internecionem cæduntur, ita ut uix uiginti ex eò numero euaderent. Quin & alterum agmen in auxilium ſuis ſuperueniens, facilè profligatur. Suentopelcus geminata uictoria lætus, cum ingenti præda domum reuerſus eſt. Subornat deinde Remcam aduocatum & nonnullos alios oppidanos Culmenſes magnis pollicitationibus illectos, ut obſides ſuos, qui in arce Culmenſi aſſeruabantur, ſolutos ſibi remittant. Sed prodito conſilio, proditores in arcem intromiſsi non ſunt. Obſides uerò noctu clàm Zartauiciam deportati ſunt, quæ arx firmo tenebatur præſidio Cruciferorum. Animaduertens autem Suentopelcus dolos ſuos non procedere, ſubornat qui Culmenſe & Zartauicenſe oppida incenderent. Ipſe uerò cum Pruſsis in Cuiauiam excurſionem facit, eámque longè lateque ferro & incendijs depopulatur, iratus Cazimiro duci, quòd is cum Cruciferis contra ſe ueniſſet. Neque authoritate legati apoſtolici, ac ne interdicto

Cruciferorum uictoria.

Præmislus dux maioris Poloniæ.

Viſſegrădum căptũ à Cruciferis.

Naclum ereptũ, & Præmislo redditum.

Pax inter Suentopelcum et Cruciferos.

Suẽtopelcus Culmenſem oram itẽrum uaſtat.

Conſilium ſenile & iuuenile.

Cruciferi uicti à Suentopelco.

Cuiauia uaſtatur.

interdicto quidem ab instituto dimotus est. Quin iritatus magis, cūctę Po-
Zantir arx condita. loniæ minari cœpit. Excitataq; arce, quam Zantir appellauit, supra Vi-
stulam in tractu Culmensi, seu uerius Pomesanensi, quo loco post quadra-
ginta ferè annos Marieburgū à cruciferis cōditum est, nauigationes et com
mercia Polonorū cum cruciferis, phibebat, nauesq; diripiebat. Quibus ma
lis fracti Cruciferi, de pace cū Suētopelco per Samboriū fratrem eius agūt.
Zartauicią reddere promittūt. Verùm ille filium q̄q; obsidem remtiti sibi
poscebat. Facilè intelligebāt Cruciferi, quàm infirma & incerta ea pax futu-
ra erat, si filium Suentopelco remisissent. Itaq; in Pannoniā superiorē, quæ
iam Austria dicitur, eum relegarūt, & Friderico duci adseruandū cōmenda
Suece arx condita. runt. At Suentopelcus priore nō cōtentus, alterā quoq; arcem, cui Suece no
men est, in ripa Vistulæ citeriore ubi uorticosissimus amnis est, ędificat, fru
Puterborgū arx. stra proh bentib. Cruciferis, & aliā arcem Puterborgū ex aduerso ędificare
orsis. Nam à cœpto postea destitère. Cęterùm auxilijs Friderici ducis Au-
striç, & aliorum quorundā Teuthonū, et aduentu Cazimiri ducis Cuiauiç,
auctis copijs, in Pomeraniā excursionē faciunt: in qua nouē dies morati, re-
uertentes ingentē prædā abigebant, cum meos Suentopelcus accitis prope
rè Prussis (nam ipse cum suis adoriri eos ausus nō est) impetū facit. Et au-
xiliares quidem qui cum præda antecedebant, hostiū uim non sustinentes,
fundunt, fuganturq;. Extremū quoq; agmen Cazimiri & Cruciferorū per-
turbari iam à Suētopelco cœperat. Sed Martinus Crusuicienſis signifer co-
hortatione sua pugnā restituit. Cumq; neutra pars referret pedem, pars Au
Pomerani uicti à Cruciferis. striorū è primo agmine retrò ad suos se recipiens, fortè fortuna in Pomera-
nos cum suis dimicātes incidit, hostesq; auersos adorta, cum anceps illis es-
Legatus pontificis Opisso Abbas. set dimicatio, in fugam uertit. Adueniēs aūt Opisso Abbas Messanensis ab
Innocētio quarto pōtifice max. Gregorij noni succeſſore legatus, pacem in-
ter Suentopelcū, & Cazimirū, et Cruciferos redintegrauit, exacto à Suento
pelco iureiurandō, quòd nihil deinceps cōmune cum Prussis habiturus es-
set. Quibus factis, ab interdicto Guilelmi prioris legati eum absoluit. Sed
iam missis Cruciferis & Pomeranis ad Boleslaū nostrum reuertamur. Cō-
Lituanorū & Iazygum excursio in Poloniam. radus dux Mafouię pòst Suchodolensem cladem, de ulciscēdo Boleslao Pu
dico sedulò cogitabat. Et cum imparem se eius uiribus uideret, Lituanos et
Iazygas finitimos in eum cōcitauit. Qui rapidi torrentis in morem in Sen-
domirienſem oram sibi proximā tunc usq; ad Vistulā inundarunt, & ma-
gnam pecudum, iumentorum atque hominum prędam è Lucouiensi & Se-
cechouiensi territorio abigebant. Nec aberat Conradus cum suis, cæde &
Boleslaus Pudicus uictus fugatusq; à Conrado & barbaris. incendijs in obuia quæq; sæuiens. Ceogit & Boleslaus exercitum, quantū
angustia temporis patiebatur, querelis & lachrymis suorum fatigatus, &
aduersus Conradum duxit, sua defensurus, & illatum bellum propulsatu-
rus. Commissaq; apud Iarosinū pagum pugna, uincitur: et multis cæsis ca-
Sendomirienſis nobilitas Conrado sese dedit. ptisq; fugit ex acie. Ingens inde trepidatio Sendomirienſem nobilitatem in
uasit. Quocirca metu constricta & præsenti periculo, desperato Boleslai
Episcopi Cracouienſis possessiones uastatæ à Conrado. principis auxilio, Conrado sese dedidit. Et parci quidem tunc iussit Con-
radus cæteris omnibus. Solas episcopi Cracouienſis possessiones, quòd is

in Bole-

in Boleslai fide permanebat, crudeliter diripuit, & incendit. Atq; ea calamitate Kelcense, Cunouiense, atq; Tarzecense, quod nunc Bozentinense dicitur, territoria in tractu Sendomirienſi tunc adflicta ſunt. Nam Secechouiense barbari iã deuaſtarant. Hac iniuria cõmotus Prendota epiſcopus, Conradũ uelut inuaſorem eccleſiaſticorũ bonorum, incendiariũ, & ſacrilegũ autoritate ſua pontificia publicè anathemate atq; diris deuouit. Quam rem Fulco ſiue Pelca, Archiepiſcopus Gneſnenſis, cum uniuerſa ſynodo ea de cauſa conuocata, comprobauit. Muniuit autem Conradus arces quaſdam in Sendomirienſi tractu. Verùm eas non ita multo pòſt Boleslaus, dejectis eius præſidijs, recepit, cum Conradus curſim in Maſouiam, excurſione Pruſſorum excitus diſceſſiſſet. Barbari enim ſiue à Suentopelco incitati, ſiue ſua ſponte ob negatam mercedem nauatæ dudum in Polonia contra Boleslaum, ut uult Dlugoſſus, operæ indignati, ſiue adeò iuſto Dei opt. max. iudicio mala in authorem conuertente, in Maſouiam ipſo abſente excurſionem fecerãt, ad Cechanouiam uſq; oppidum progreſsi. Quanquam non impune illud eis ceſsit facinus. Nam à Cechonouia reuerti cum ingenti præda incipientibus ad tertium Idus Iulij Maſouij Lencicienſesq; equites iuxtà atque agreſtes manu facta occurrerunt: & prælio inito, nongentis cæſis, captis ducentis, reliquos excuſſa prẽda in fugam præcipites egerunt. Exuſtum eſt autem Ploſcum oppidum, habitatoribus uacuum, quòd ij ſub aduentum hoſtium in arcem confugerant. Sed eáne, an anteriore quadã barbarorum excurſione, non liquet. Nec diu moratus Conradus, repulſis barbaris, expeditionem aduerſus Boleslaum renouauit unà cum Cazimiro filio, & Miezislao genero, duce Oppolienſi: & in Cracouienſem oram duxit exercitum. Continebat ſe Boleslaus in arce Cracouienſi, non auſus iterum prælio rem committere. Itaque eregione arcis Conradus caſtra metatus eſt, quo loco Rudaua amnis Viſtulæ miſcetur: eum que locum foſsis, aggeribus, caſtelliſq; muniuit. Et quòd obſidio longior fore uidebatur, uno à Cracouia miliario ſupra Viſtulã nouam arcem munit in eo colle, in quo monaſterium Tinecenſe ſitum eſt. Aliam item apud Lelouiam oppidum, decimo à Cracouia miliario. Et hanc quidem Miezislao commendauit, illam uerò ſuo firmauit præſidio. His actis in Maſouiam reuertit. Poſt cuius diſceſſum Boleslaus Tinecenſem arcem in ſuam redegit poteſtatem. Quo cognito, ij quoque qui in caſtris ad Cracouiam relicti erant, deceſſere, ueriti ne & ipſi expugnarentur. Et paucis diebus illis Miezislao mortuo, Lelouienſis quoque arx Boleslao dedita eſt. Ita paruo negocio omnes Conradi conatus, labores, atque ſumptus in irritum tunc reciderunt. Nec ita multo pòſt Conradus extremum uitæ clauſit diem, relictis tribus filijs ſuperſtitibus, Boleslao, Cazimiro, & Zemouito, anno Chriſti nati 1247. Cum autem Boleslaus paucis diebus patrem ſecutus eſſet, Cazimirus non acquieſcens in Lencicienſi & Cuiauienſi dominatu, quem ipſi uiuens pater attribuerat, Siradiam, Spicimirum, & Roſpram arces inuaſit, & fratrem cum uxore Gertrudi captum in uincula coniecit. Boleslaus uerò Pudicus à morte Conradi pacem nactus, collapſa et uaſtata

Conradus anathemate ictus.

Pruſſi Maſouiam uexarunt.

Pruſſi profligati à Maſouijs.

Ploſcum incenſum.

Conradi expeditio contra Boleslaum Pudicum.

Cracouia obſidetur.

Rudaua fl.

Tinecenſis arx.

Lelouia.

Tinecenſis et Lelouienſis arces recuperatæ.

Miezislaus Oppolienſis obijt.

Conradus Maſouiorũ dux obijt. 1247. ann.

Boleslaus Conradi filius mortuus.

Boleslai Pudici ſtudium.

bello instaurare, deprauataq́ corrigere instituit, magnam'que mansuetudinis & probitatis laudem etiam apud exteros adeptus est. Qui status rerum huius oræ hoc fuit admirabilior, quòd non modò cætera Polonia, uerùm tota penè Europa bellis tunc ardebat. Ac in Vngaria quidem Bela rex posteaquam Tartari excesserunt, nihil antiquius habuit, quàm recollectis afflicti regni uiribus, Fridericum Austriorum ducem ulcisci, propterea quòd is sibi sub tempestate illa Tartarica tria territoria, & argenti auri'que permultum, uiolento pacto extorsisset, Vngariam'que nihilo mitior Tartaris populatus esset. Commissoq́ prælio Fridericus occisus est. In Boemia uerò Præmislus Venceslaum patrem regno spoliauit. Sed mox captus ab eo, ac dimissus, in Morauiam illo iubente concessit. Porrò Fridericus Imperator Italiam infestabat, factiones'que Guelforum & Gibellinorum, sumpto à Pisis initio, in singulis ferè urbibus tunc excitatę, diu postea ipsam exercuerunt & afflixerunt. Cum'que Innocentius pontifex Fridericum à cœpto reuocare non posset, coacto Lugduni concilio, imperium ei diris deuoto abrogauit: Germanos'que principes concitauit, ut Henricum Lantgrauium Turingiæ, diuæ Elizabethæ filium, successorem ei absenti crearent, quamuis ipse Fridericus, post Henricum filium captum & mortuum, Conradum alterum filium successorem sibi destinasset, regem'que Romanorum appellasset. Cum autem Henricus apud Vlmam interfectus esset, Guilelmum Holandiæ comitem ijdem principes regem appellarunt. Nec multo pòst Fridericus quoq́ profligato à pontificijs exercitu, & Entio filio capto, in Apulia perijt, anno Christi 1250. Sed mittamus externa. Nec in maiore Polonia & Silesia quietæ res tunc fuere. Belli uerò principium illud fuit in Silesia. Henricus Pius dux Silesiæ à Tartaris interfectus, ex Anna uxore Ottocari primi regis Boemorum filia, quatuor reliquit filios, Boleslaũ cognomento Caluum, Henricum, Conradum, & Vuladislaum. Ex his duo postremi & natu minimi ab Heduigi auia sacerdotio destinati, & in Italiam missi, literis nauabant operam: & Conrado quidem Bambergensis episcopa, Vuladislao uerò Salisburgensis Archiepiscopa promissa erat. Itaque reliqui duo fratres de Annæ matris & consilij sententia dominatum paternum in Silesia inter se partiti sunt, ita ut Boleslao, cui Caluo cognomen fuit, Vuratislauiensis, Henrico uerò Legniciensis tractus sorte obtingeret: & ne duo illi minores omnino exhęredes essent, Conradus quidem Henrico in Legniciensi, Vuladislaus uerò in Vuratislauiensi Boleslao cõsors accederet. Verùm paulo pòst Boleslaus cupiditate ductus, quòd Legniciensem portionem meliorem esse iudicaret, Conradumq́ fratrem, qui in ea cõsors Henrico factus erat, iam hypodiaconum, portionem suam petiturum non esse existimaret, repudiato Vuratislauiensi dominatu, Legniciensem usurpauit, Henrico uerò Vuratislauiensem concessit. Atq́ hic fomes postea ciuiliũ & paricidialium bellorũ inter ipsos fuit, quemadmodũ suo loco exponemus. Tũc aũt Boleslaus Caluus pœnitentia ductus, q́ maioris Polonię dominatũ à Præmislo & Boleslao Vuladislai Sputatoris filijs præripi sibi, suadente auia, passus esset, ad recuperãdum eum adspirare cœpit, arcemq́

Vngaria uexata ab Austrijs.

Fridericus Austriæ dux occisus.

Italiæ status. Guelfi & Gibellini.

Friderico abrogatum imperium in concilio.

Germaniæ motus.

Henricus Cæsar. Conradus Cæsar. Friderici Imperatoris mors.

Guilelmus Cæs. Entius Friderici F. captus. 1250 ann.

Henrici Pij filij.

Silesiæ principatuum diuisio.

Dissidium inter fratres.

cemq; nouam Copanicíam ſupra Odram in finibus ditionis Præmisli mu niebat. Iam enim Prȩmislus quoq; cum fratre dominatum partitus erat: & Caſiliſsienſem quidem tractum à Proſnia amne ad Præmentū arcem, & inde ad Vartam fluuium, & Moſinam arcem, & Sepnum paludem fratri conceſſerat, Poſnanienſem uerò & Gneſnenſem ipſe obtinebat. Ad eam igitur munitionem prohibendam Præmislus & Boleslaus fratres copias cōparabant. Sed proceribus utriuſq; partis interuenientibus, pax inter affines duces conſtituta eſt, his quidem legibus, ut Præmislus Boleslao Caluo Santocum, Medirezum, & Sbanſinum, quam arcem non ita pridem condiderat, daret. Ille uerò nouam munitionem demoliret. Nec multo pòſt Barnimus Caſſubiorum & Slauorum dux, ſiue is Samborio, ſiue Boguslao, ſiue aliun de ortus fuit, Santocum ſibi uendicare, & cum exercitu oppugnare adortus eſt. Et facilè quidem paucis arcem defendentibus expugnaſſet, ni properè ei Prȩmislus ſuccurriſſet. Nec mora Boleslaus quoq; Caluus ad ferendā ſuis opem accurrit. Quorum amborum uires metuens Barnimus, ab obſidione receſſit. Boleslaus autem ut Præmislo gratiam referret, Santocum ei reddidit. Sub idem tempus Cazimirus dux Lencicienſis atque Cuiauienſis, ut cum alterius iniuria, dominatum ſuum amplificaret, Landenſe territorium in tractu Caliſſienſi inuaſit, monaſterium'que eiuſdem nominis, ſupra Vartam fluuium ſitum præſidio firmauit. Verùm id Boleslaus dux Caliſienſis deiecto Cazimiri præſidio mox recepit: diſiectisq; propugnaculis, monachis reſtituit. Porrò Cazimirus, qui aliena appetiuerat, non modicum ſuorum detrimentum tunc accepit. Suentopelcus enim quietis impatiens, uiolatis fœderibus, quę cum Cazimiro et Cruciferis icerat, cum ſubitò cum Pruſsis in Cruciferorum ditionem irrupiſſet, multosq; mortales apud Golubum incautos oppreſsiſſet, in Cuiauiam quoq; impetum fecit, quo luculentiore præda barbaros ſibi deuinciret, ſuorumq; inopiam releuaret. Anguſtiore enim annona Pomerani iuxtà atq; Cruciferi tunc utebantur. Itaq; magna clade Cuiauiam affecit: plurimisq; interfectis hominibus, abſq; ullo ſexus ac ętatis diſcrimine, incenſis uillis atq; pagis, permagnā prędā aſportauit. Quanquam ea pręda à Cruciferis excuſſa eſt, eam Suentopelcus reuertens ex itinere, munitionem, quam tunc illi eregione Chriſti borgi arcis muniebant, expugnare adortus, cōmiſſoq; prȩlio ſuperatus eſſet. Nihilo tamen magis conquieuit Suentopelcus, ſed reparato exercitu mox ad Chriſti borgum rediit: cum'que præmiſsi ab eo prȩcurſores à decurrentibus ex arce Cruciferis reiecti, tumultuoſius ad reliquum agmen ſe reciperent, exercitum omnem in fugam conuerterunt. In qua dum ſe mutuo præcipites in Viſtulam impellunt, multi de exercitu Suentopelci periere. Freti autem hoc ſucceſſu Cruciferi, uiciſsim Pomeraniam excurſione facta, maiorem in modum uaſtauerunt. In Pruſsiam quoque ij, qui Balgæ & Elbingæ in præſidijs erant, populabundi excurrère. Sed cum præda onuſti reuerterentur, in inſidias à barbaris præparatas incidere. ubi cùm propter iniquitatem loci, & circumfuſorum barbarorum multitudinem neque recipiendi ſe facultas, neque ex æquo pugnandi copia eſſet, hoſtibus ſeſe, fruſtra diſſuadentibus

Copanicia arx.

Poloniæ maioris diuiſio.

Pax inter maiores Polonos & Sileſios.

Sbanſinum arx condita.

Barnimus Caſſubiorum dux.

Santocum oppugnatum.

Santocum maiori Poloniæ adiunctum.

Landenſe monaſterium captum, & receptum.

Suentopelcus Culmenſem & Cuiauiam infeſtat.

Golubum.

Suentopelcus bis uictus à Cruciferis Pruſsienſibus.

Pomerania uaſtata à Cruciferis.

Cruciferi ad internecionem proſligati à Pruſsis.

Magistro & Marsalco dedidere, & ad unum omnes trucidati sunt. Qua clade uehementer eorum uires attritę sunt: sed recreatæ non multo post Germanorum principum auxilijs, atque ita recreatæ, ut non modò reprimerẽt feroces & exultantes barbaros, uerùm etiam perdomarent magna ex parte, usque adeò, ut quinque conuentus, nimirum Pomezanus, Erminius siue Varmiensis, Pogezanus, Barthinus, & Nactaginus subacti, religionem Christianam reciperent. Suentopelcus quoq; cum iam senio confectus esset, his Cruciferorum successibus, & authoritate Iacobi Leodiensis Archidiaconi legati apostolici adductus, pacem cum eis fecit. Venerat autem tunc is legatus ab Innocentio pontifice maximo, cùm ad res Polonicas componendas, tum ut pontifici à Friderico Imperatore uehementer exagitato et afflicto aliquid subsidij corrogaret & corraderet. Itaque conuocata Vuratislauiam episcoporum synodo, impetrauit, ut quinta pars redituum ecclesiasticorum ex tota Polonia in triennium ei decerneretur. Relaxauit autem tunc Polonis partem ieiunij eius, quod est solenne cunctis Christianis ante pascha. Nam cum id totis nouem hebdomadis ueteri summorum pontificum instituto uulgò seruarent, indulsit, ut esset deinceps hebdomadarum sex & dimidiæ. Per eadem tempora Silesia, Boleslao Caluo authore & incentore, ciuilibus bellis ardebat. Nam cum Conradus refutato sacerdotio à Boleslao fratre, præter spem eius, portionem Legniciensis dominatus sibi destinatam, repeteret, Vuladislaus uerò Archiepiscopus factus, partem suam in Vuratislauiensi non peteret, Boleslaus ad Vuratislauiensem, quem prius contempserat, redire uelle cœpit. Negante Henrico, exercitum coegit, è Germania mercenarium militem acciuit. Vuratislauiensem Henrici fratris ditionem armis atque flammis infestauit. Neimarco oppido cum templo & hominib. incenso, Vuratislauiã contendit. Nouis tunc mœnibus Vuratislauia muniebat, & iure Teuthonico ciuitas instituebat. Et tamen trimestrem Boleslai obsidionẽ sustinuit, obsidentesq; crebris eruptionibus exagitatos, re infecta discedere coegit, cum Henricus impar fraternis uiribus ad prælij dimicationem prodire non esset ausus. Redijt mox Boleslaus cum maioribus copijs, & frustra tentata iterum Vuratislauiæ expugnatione, uastatis longè late'que agris atque pagis, cum munitiones Henrici præsidijs tenerentur ac defenderentur, reduxit exercitum tristior, quòd duabus expeditionibus sumptuosis, nullum tantis sumptibus dignum operæ precium feciisset. Sed tamen tertiam deinde adiecit. Et cum ne ea quidem ex ipsius animi sententia cessisset, nec haberet unde stipendia debita mercenarijs militibus dissolueret, infestare ij latrocinijs ditionem eius cœpere: inde odisse eum iam sui ac deserere. Qua re adactus, supellectilem omnem suam in stipendia militum distraxit: & cum ne ita quidẽ eis satisfaceret, arces eis quasdam & possessiones hypothecę nomine habẽdas dedit. Denique Lubussẽse territoriũ, Brandẽburgensib. Marchionib. Ioanni & Ottoni oppigneraui. Atq; ex eo tempore, id in Saxonum potestatẽ uenit. Cum aũt Boleslaus inops egensq; & suis exosus, nec satis compos mẽtis oberraret, ab Hẽrici militib. exceptus, et Vuratislauiã addu-

Prussorum cõuentus siue regiones à Cruciferis subactæ & Christianæ factæ.

Pax inter Pomeranos & Cruciferos.

Legatus pontificius Iacobus Leodiensis Archidiaconus.

Synodus Vuradislauiæ.

Subsidium pontifici ab episcopis Poloniæ decretum.

Ieiunij quadragesimalis moderatio.

Silesici motus et bellum inter fratres.

Neimarcum. Vuratislauia munita, & iure Teuthonico dotata.

Boleslaus exosus suis ob iniurias, & mente captus.

Lubussense territoriũ Marchionibus oppigneratũ.

Boleslaus captus fratre & dimissus.

adductus fratris benignitate & misericordia statim dimissus est. Nec illa tamen lenitate & mansuetudine fraterna, cupiditas & feritas Boleslai uicta est. Quin is Legniciam reuersus, noua aduersus fratres consilia cum animo suo & cum externis militib. (cum suos à se alieniores esse animaduerteret) agitabat. Neq; Conrado portionem ipsius, quemadmodum receperat nuper Vuratislauiæ, reddebat: & cum pecunia indigeret, Zithauiam & Gerlitiam oppida suis quibusdam hominibus oppignerauit. Hinconem Mirsonis Castellani Crosnensis filium, quòd magnas pater eius facultates habebat, ut pecunia multaret, cepit. Quibus rebus magis etiam alienatis ab ipso animis omnium, Crosnense territorium & arx cum alijs finitimis ad Cõradum ab eo defecit. Sed cum is comparari sibi à Boleslao fratre insidias comperisset, neq; satis uirium ad resistendum ei se habere, ac in Henrico quoq; parum spei sibi reliquum esse cerneret, ad Præmislum Posnanien-sem et Calissiensem supplex confugit. Quem benignè accepit Prȩmislus, & bene sperare iusso, sororem suam Salomeam ipsi despondit: & nuptijs Posnaniæ celebratis, Thomam Castellanum Posnanien-sem, & Thomislaum pincernam cum filio, gente Nalencios, quos in uincula quasi contra se conspirassent, coniecerat, Archiepiscopo Gnesnensi, episcopo Posnanien-si, & alijs proceribus, qui ad nuptias conuenerant, rogantibus, dimisit. Reuera autem illi ea re animum Præmisli offendisse existimabantur, quòd factum eius improbabant, cum is absq; consilij sententia Gnesnensem tractum Bololeslao fratri pro Calissiensi adempto dedisset. Post nuptias autem illas, Præmislus mox ad Henricum & Boleslaum legationem misit, postulans ut ij Conrado fratri iustam partem patrimonij concederent. At Henricus quidem negauit à se repetendam esse Conradi portionem, sed à Boleslao, et cum eo acturum se ea de re pollicitus est. Boleslaus uerò durius respondit: Conradum sacris initiatum, iure omni patrimonij repetendi excidisse. Quo circa Prȩmislus cum exercitu suo fratrisq; Boleslai, Legnicien-sem tractum ingreditur, Conradum secum ducens, & magna celeritate arcem Bythomiã siue in ueteribus ruinis, siue alio quodam opportuno loco supra Odram nõ procul à Glogouia excitauit: & turribus, aggeribus, fossisq; muniuit, turmasq; aliquot & cohortes Conrado attribuit, cum quib. ille finitimas oras Boleslao Caluo subiectas tamdiu uexaret, quoad ius suum ab ipso conseque ret. Et paucis quidem diebus debellatũ erat, si ad extremũ fortuna Conradi cœptis respõdisset. Nã Boleslaus Caluus dum incautius fortè aduersariorũ copias & nouam munitionem speculatur, comprehensus ab aduersarijs in statione excubias agentib. et in custodia à Conrado habitus, ad quãuis iniquas cõditiones adduci potuit, nisi corruptis custodib. euasisset. Dumaũt Prȩmislus cũ fratre Boleslao Silesico bello occupatus abest, Barnimus Cassubiorũ et inferioris Pomeranię dux arcẽ Drenũ quã Germani Dresnã uocãt, noctu sopitis custodib. intercepit. Sed eã Prȩmislus post unũmẽsẽ expugnatã recepit, hostesq; in prȩsidio repertos captiuos abduxit. Sbãsinũ q̃q; tũc à latrũculis è Lubusse si arce excurrẽtib. interceptũ, idẽ Prȩmislus paruo negocio recuperauit. Nã cũ ij fortè in gregẽ quẽdã incidissẽt, eũq; abigere uellent,

Zithauia. Gerlicia.

Crosnenses ad cõradum defecere.

Salomea Conradi uxor.

Nalencij in uincula coniecti.

Conradus portionẽ patrimonij bello repetit.

Bythomia condita uel instaurata.

Boleslaus Caluus iterum captus et elapsus.

Drenũ siue Dresna arx intercepta à Cassubijs, & recuperata.

Sbãsinum interceptum & receptum.

uellent, pastor gregis direptionem deprecatus, præmij loco indicauit eis proximam arcem, Sbansinum ea erat, quæ à tribus tantum habitaretur, & à succedentibus sibi quotidie per uices uicinis rusticis custodiretur, facilè eos capere posse, si rusticano cultu quasi ad custodiam uenientes, ianitores fallerent. Itaque introgressi, ianitores constrinxerunt, & arce potiti sunt. Qua de re cum Præmislus nocte sequenti certior factus esset, postero die aulico tantum comitatu suo stipatus, cæteris sequi iussis, festinus ad Sbansinum accurrit: & ostentata specie obsidionis, ad deditionem adegit prædones illos, uitam tantum pactos. Redegit autem hic ipse Premislus tunc in suam potestatem Rudense, seu Velunense territorium. quod cum ad maiorem Poloniã pertineret, Miezislaus dux Oppolienſis & Ratiborienſis interceperat, quo tempore Henricus Barbatus maioris Polonię dominatum, pulso Vuladislao, Præmisli & Boleslai patre, inuasit. Ad quod recuperandum Præmislus huiusmodi occasione usus est. Miezislao sine liberis defuncto, Vuladislaus frater germanus legitimus hæres fuit. Is cum uxori Miezislai Iudithæ Conradi ducis Masouiorum filiæ dotem quingentarum marcarum argenti, & alterum tantum quod contra dotem uulgo, elegantiores uerò donationem propter nuptias uocant, de more atque iure exoluere deberet, nec haberet pecuniam, pactus est cum fratre & curatore eius Cazimiro, ut loco illius pecuniæ Rudense territorium ipsi daret, cuius possessionẽ non satis certam firmamq; sibi esse intelligebat. Traditioni certa dicta est dies. Quod cum resciisset Præmislus, anteuertens Cazimirum, arcem Rudensem (unde iam Vuladislaus præsidium deduxerat, relicto cum aliquot comitibus præfecto, qui eam Cazimiro traderet) occupauit. Quo cognito, nobilitas omnis ultrò in fidem & potestatem eius uenit. Nec multo pòst aduenere, qui à Cazimiro ad accipiendam possessionem missi erant: sed cum didicissent à Præmislo Rudam teneri, re infecta recessere. Neque Vuladislaus postea ea de re aduersus Præmislum quicquam tentauit. Pecuniam uerò Henrico duci Vuratislauiensium, qui Iuditham posterius uxorem duxit, numerauit. Alio quoque incommodo idem Vuladislaus paulo antè affectus est à Brunone Olomucẽsi episcopo. Nam is inimicitias gerens cum Vuladislao, oppidum Ratiborienſe armata manu aggressus, cum templis & monasterijs exussit. Ab arce, siue repulsus, siue tribus millibus marcarum à Vuladislao acceptis (nam & hoc fertur) placatus recessit.

Rudense seu Velunense territorium receptum à Præmislo.

Vuladislaus dux Oppolienſium.

Ratiboria incensa ab episcopo Olomucensi.

MARTINI

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER NONVS.

AETERVM in minore Polonia cum pacatum iam principatū Boleslaus Pudicus obtineret, anno Christi 1252 salis metalla apud Bochnā pagum, q̄d iam oppidum est, quinto à Cracouia milliario inuenta sūt. Vnde uberes principi reditus accessere. Kingę uerò siue Cunegūdis uxoris Boleslai pietati & sanctimoniæ beneficium id, non modò Polonis, uerū etiam finitimis populis perutile acceptū referēt. Excinditur autem id etiam nunc altissimis & latè sub terra patentibus puteis, supernè egesta humo solidum, duritie lapidea, molesq; ingentes trochleis, uel equorum, uel hominum opera circumactis extrahuntur, pleræq; crystalli penè in modum pellucidę. Quin ex eo quoq; columnæ miræ magnitudinis excisę specus cauos, & contignationes eorum, atq; oppidum ipsum superædificatum uillasq; sustentant. Aqua item è puteis illis hausta, in sal candidum excoquitur. Cum hoc metallo, simul alius quoque thesaurus ingens & incomparabilis extitit Cracouiæ. Nam diuus Stanislaus martyr Christi, & episcopus quondam Cracouiensis, satagente Boleslao principe, & episcopo Cracouiensi Prendota, ab Innocentio quarto pōtifice maximo de amplissimi collegij sententia, re diligentissimè iterum atq; iterū examinata, in numerum sanctorum relatus est, centesimo demum & quinto ac septuagesimo anno post mortem, qui fuit post Christi natalem 1253. In qua re perficienda cum non minima difficultas esset, propter tantam temporū intercapedinem & uetustatem, uno atq; altero miraculo diuinitus edito, sublata est omnis dubitatio. Primùm enim Reginaldus Hostiensis episcopus, uir grauissimus & summa in collegio Cardinalium authoritate præditus, qui maximè huic negocio aduersabatur, subito grauissimoq; morbo correptus, & aliquot dies noctesq; afflictus, nocte quadam in lecto uigilans, uirum quendam augusta specie, cultu pontificali perquàm splendido sibi adstantem, nomenq; suum & morbi illius causam edentem, cum uidisset audissetq;, impetrata uenia è uestigio sanitati restitutus est: eodemque puncto temporis ad pontificem cunctis rei miraculo stupētibus profectus, uisum ei suum, ac tam subitam ualetudinis mutationem ordine enarrauit. Nempe Stanislaum episcopum sibi paulo antè apparuisse, & ab eo clementer obiurgatum se esse, quòd unus maximè ipsi aduersaretur, morbumque suum subitò depulsum esse, cum de sententia decessurum se esse polliceret. Itaque orare atq; hortari pontificem, ut sublata omni comperendinatione, sanctum episcopum in album martyrum adscribat. Quo euidenti miraculo permotus pōtifex Innocentius, rem tā diu cōperendinatā tandem ad sextū Idus Septembris, Assisij in basilica diui Francisci memoriæ dicata solenni ceremonia peragere statuit. Qua die illucescente cū ipsemet sacris operaretur, ecce

1252 ann. Salinæ Bochnenses.

D. Stanislaus martyr in diuorū numerū relatus.

1253 ann.

Miraculum.

Miraculum.

ecce in basilicam infertur adolescens nuper mortuus, caterua propinquorũ et amicorum magno eiulatu funus prosequente. Ibi põtifex humi postratus Deum orat, ut iuueni illo ad uitam reuocando sanctitatem sui martyris Stanislai luculentius declararet. Vix pauca elocutus erat, cum uiuus atq; sanus exurrexit qui erat mortuus, quasi de somno expergefactus. Sacris atq; ceremoniis omnibus rite peractis, ipse pontifex è superiore loco pro concione grauem & luculentum sermonem habuit de uita ac meritis Stanislai: eiusq; memoriæ diem anniuersarium ad octauum Idus Maij, quo die ccesus est, dicauit. Deinde anno sequenti Prendota episcopus Cracouiensis, sacri corporis eius reliquias solenni pompa de sepulchro leuauit, & hominum ueneration i exposuit. Interfuere uerò ei celebritati Archiepiscopus & epi-

Russorum episcopus catholicus.

scopi Poloniæ quicunq; per ualetudinem potuere, itemq; Gerardus Russorum, & Vitus Lituanorum episcopi. Nam & hi ad religionem Christianam iam accedebant, & illi ad societatem ecclesiæ catholicæ sese adiunxerant, quod utrumq; mox plenius exponemus. Adfuere & cum Boleslao Pudico Præmislus Posnanienſium, Cazimirus Lencicienſium atq; Cuiauienſium, Zemouitus Mazouiorum, & Vuladislaus Oppolienſium duces,

Lituanorum episcopus primus.

Legatus Apostolicus in Polonia Opisso iterum.

& Opisso iterum legatus apostolicus: præterea sacerdotum, abbatum, monachorum, nobilium, & promiscui uulgi non modò ex Polonia, sed etiam è Silesia, Morauia, Boemia, & Vngaria tanta multitudo, ut urbs non exigua eam non caperet, sed in campis ea sub diuo gregatim diuersari cogeretur.

Inundatio.

Præcessit autem anno uno celebritatem illam, ingens aquarum inundatio, in tota ferè Polonia, ex perpetuis imbribus, ab Aprili mense usq; ad uicesimam quintam Iulij delapsis, ita ut campi, agri, syluæq;, nauigabiles essent.

Lituanorũ excursio in Masouiam & Poloniam.

In Masouia uerò præterea Lituani Visnensem oram uastarunt. Tertio deinde anno Lublinensem quoq; tractum depopulati sunt, & arcem ligneam etiam tunc incenderunt.

Lublinensis arx incensa.

Erat autem tunc Lituanorum dux Mendocus siue Mindacus, qui Cruciferorum armis debilitatus, & in angustum redactus, anno Christi 1252, religioni Christianæ initiari cum suis assensus est, & Samagittensem, Veisensem, Curouiensem: & Iazygum siue Polessensem tractum donaturum se esse Cruciferis promiserat, ut imminenti ab ipsis exitio sese eriperet.

Lituani religionem Christianam accipiunt, & abiiciunt.

Quorum opera regium etiam nomen adeptus est à summo pontifice, & à Rigensi Archiepiscopo, atque Culmensi episcopo, solẽni ritu diademate cinctus. Verùm non multo pòst stabilitis rebus suis, neque Cruciferis promissa præstitit, & religionem abiecit, & ex finitimis Christianorum regionibus prædas agebat, ut tunc è Lublinensi, pòst ex aliis, quemadmodum suis locis exponemus.

Mindacus Lituanũ rex creatus.

Morauicũ bellũ.

Fortè autem tunc aberat Boleslaus Pudicus, expeditione Morauica occupatus. cuius expeditionis hæc fuit causa. Post interfectum Austriæ ducem Fridericum, Præmislus,

Venceslaus Luscus rex Boem.

siue Ottocarus, Venceslai Lusci regis Boemorum frater, uel, ut quibusdam placet, filius, Austria potitus erat; ducta in matrimonium sorore Friderici Margarita iam anu, quæ prius cum Henrico Friderici Imperatoris filio,

Austria & Styria in ditione Boemorum.

nupta erat, ac Styriam quoque idem Ottocarus sibi adiunxerat. quod eo facilius fuit factu, q̃ imperiũ in Germania tũc uacabat post mortẽ Friderici,

Conrado

Conrado filio eius, & Guilelmo comite Holandiæ, qui de imperio certabant, intra breue ſpacium temporis extinctis. Huic igitur Ottocaro cum Bela rex Vngarorum bellum facere uellet, & uirium ad id nõ ſatis haberet, Boleslaum generum Cracouienſium principem in auxilium euocauit. Nec ita multo antè, Venceslaus rex, poſt Miezislai Ratiborienſium & Oppolienſium ducis mortem, cum is nullos reliquiſſet liberos, Opauiam occuparat, & Nicolao filio ſuo notho tradiderat. Quocirca Boleslaus, ut in gratiam ſoceri manum Boemorum diſtineret, Opauiamq; Polonis rurſus adiungeret, in Opauienſem oram, & in Morauiam cum exercitu ingreſſus, ferro & incendijs eam longè lateq; uaſtauit, magnamq; prædam abegit, nec tamen Opauia potitus eſt. Ne Bela quidem operæprecij quicquam fecit. Quin à Morauis fuſus fugatusq; eſſe fertur. Venceslaus Hagecus & ſuperiora aliquanto aliter narrat, & huius belli & excurſionis Polonicæ in Morauiam nullam prorſus facit mentionem. Nugatur autem de auxilijs à Venceslai rege miſſis Cracouiã cõtra Tartaros, ac de morte Boleslai principis, & q̃ principatus Polonię ad Vuladislaũ, & mox eo defũcto ad Prȩmislũ Vẽceslai regis filios delatus, uerũ à Prȩmislo repudiatus ſit. Sed nos Hagecum animo ſuo indulgere ſinamus. Hac igitur expeditione Morauica occupato Boleslao, liberior fuit excurſio Lituanis in Poloniam. Venceslaus qui dem rex per illud tempus mortuus apud Boemos, Præmislum filium ſiue fratrem, qui & ipſe Ottocarus dictus eſt, ſucceſſorem accepit, cum quo Bela pacem fecit. In Sileſia uerò Conradus Henrici Pij filius ditiones fratrum ex arce Bythomienſi armis infeſtabat. quem quo expeditius adiuuaret Prȩmislus ſocer, dux maioris Poloniæ, cum Boleslao fratre, quem iniuria, quẽadmodum ſuperius commemorauimus, affectum, in carcerem etiam quaſi inſidiatorem coniecerat, in gratiam à Fulcone Archiepiſcopo reductus eſt, ac denuò dominatum cum eo, conuentu apud Gezum acto, partitus, Gneſnam, Caliſſiã, Rudã ſeu Velunũ, Pyſdros, Srodã, Pninũ, Biechouiã, Gezũ, & Pobiediſcos ei conceſſit, Poſnaniam cum cæteris munitionibus ac territorijs ipſe retinuit. His ita tranſactis, in Vuratislauienſem regionem duxit exercit, & omnem eam oram, quæ circa eſt Oleſniciam, Syzõuum Trebniciam & Cerequiciam oppida uſq; ad Vidauam amnem, uno à Vuratislauia miliario, deinde & ultra Odram uadato flumine depopulatus eſt, propterea quòd Henricus dux Vuratislauienſis neq; ipſe partem patrimonij Conrado reddebat, neq; ad repetendam eam à Boleslao fratre opem ei ferebat. Ad hæc, non ſoluebat Præmislo quinquaginta pondo ſiue marcas argenti, de quibus pro redemptione cuiuſdam Germani captiui fide iuſſerat. Templis tamen & monaſterijs, & poſſeſſionibus eorum atq; hominibus ecclesiaſticis omnino manus abſtinuere milites, edicto Prȩmisli. Erat tunc Vuratislauiæ Opiſſo legatus ſummi pontificis, exiſtimabatq; contumeliã fieri ſedi apoſtolicę, quòd ſe prȩſente & penè inſpectante Vuratislauiẽſem oram Præmislus infeſtaret. Itaq; ſacris ipſi & omnib. qui ſub ditione eius erãt, interdixit. Sed mox poſtulante Præmislo intrerdictũ illud abrogauit, ueritus ne ad ſummũ pontificem deferret, q̃ intemperanter fines legationis

Bela rex Vngariæ Auſtrijs bellũ infert.

Opauia à Boemis occupata.

Opauiẽſis tractus uexatus à Polono.

Hageci nugæ.

Venceslaus rex Boem. mortuus.

Ottocarus regnat apud Boemos.

Præmislus cũ fratre redit ingratiã.

Fulco archiepiſcopus.

Poloniæ maioris noua diuiſio.

Præmislus dux Sileſiam infeſtat.

Præmisli religio

transgressus esset. Pax deinde & concordia inter Silesios fratres, episcopi Vuratislauiensis & aliorum procerum interuentu componitur: & Glogouiensis dominatus Conrado à Boleslao Caluo, quãquam inuito, cõceditur: Cõradus obsides & captiuos dimittit. Alijs itẽ, qui prius ex pacto dimissi erant, æstimationes capitum remittit. Mendocus dux Lituanorum abiecta religione Christiana, quam simulatè ad tempus susceperat, infestior indies Christianis uicinis erat. Coactoq; è suis Lituanis, pariter atq; Prussis idem sentientibus, ualido exercitu, in quo triginta millia armatorum cẽsebantur, Masouiam omnem crudelissimè uastauit, pagos & oppida quàmplurima, et caput gentis Plocensem arcem defensoribus uacuam, incendit: & ingenti hominum, pecudum, & iumentorum præda domum remissa, in Crucigerorum ditionem eodem furore inuasit: & ea peragrata exustaq;, homines quidem captos immanitate barbarica trucidauit, cæteram uerò prædam permagnam abegit. Cruciferi non ausi obuiam prodire tantæ multitudini, munitionibus tunc sese continuere. Postea uerò anno Christi 1255. aduenientibus Ottocaro duce Boemorum, nec dum enim diadema regium susceperat, Marchionibus Brandeburgensi, & Morauiæ, duce Austriæ, Pragensi, Olomucensi, & Ermelensi, (qui fortè Varmiensis fuit, quem etiamnũ Teuthones à ditione siue diœcesi Ermelandensem uocant) episcopis cum magnis copijs, magnaq; item multitudine crucis militiam professa, auctiuiribus & animis, uicissim Prussis bellum inferunt, & illis ad prælij dimicationem nusquam prodeuntibus, ferro & igni in obuia quæq; desæuiunt. Quibus malis adacti hi qui Samensem siue Sambiensem regionem incolebant, barbari, in potestatem Cruciferorum uenêre, & religionem Christianam susceperê. Et ne facilè ij rursus deficerent, duas ibi arces Cruciferi cum socijs condidêre, præsidijsq; firmauêre. Quarum altera ad Preglam fluuium & sinũ maris Balthei sita, Kynixberga lingua Germanica, quasi Regius mõs, altera Brunsberga, quæ aliquandiu postea fuit sedes episcopi Varmiensis, appellata est. Hæc quidem ob honorem & memoriam Brunonis episcopi Pragensis, siue Olomucensis, ut uult Hagecus, illa uerò Ottocari regis Boemorum: quę postea tribus oppidis peramplis ac splendidis adiũctis, et portu maris amplificata, Magistrorum quodam tempore fuit, nũc ducis est domicilium. Cum autem Ottocari huius & Kynixbergę mentio facta sit, operæ precium est Aeneæ Syluij errorem, quem nonnulli alij scriptores secuti sunt, redarguere: qui Ottocarum hunc omnes eas regiones, quæ inter Boemiam & mare Baltheum sunt, imperio suo subiecisse, deuictisq; Tartaris Kynixbergam arcem & oppidum in Prussia condidisse scribit. Quæ ipsi ne de se Boemi, gens gloriosa, finxerint, an Aeneas gratiam à rege eorum, apud quem legatione functus est, inire uoluerit, non constat. Rem quidem ipsam ab Aeneæ narratione diuersam, quemadmodum se habuerit, series historiæ nostræ & consequentium cum præcedentibus consensus, euidenter ostendit, ita ut pluribus hic uerbis triplicem Aeneæ errorem, nempe de superatis ab Ottocaro in Prussia Tartaris, qui eò tunc non peruenere, ac de subactis intermedijs populis, nempe Silesijs & Polonis, uel Saxonib. & Pomeranis,

Lituanorũ excursio in Masouiam & Prussiam.

Plocensis arx incensa.

1255 ann. Boemorum ducis & aliorum Christianorum expeditio in Prussiam. Ermelã Varmia.

Sambiensis terra subacta à Cruciferis, et ad religionem Christianam adacta.

Pregla fluuius.

Kynixberga arx condita.

Brunsberga.

Regius mons.

Aeneæ Syluij error de Ottocaro.

meranis,& quòd ſuum ille omnino aliquod in Pruſſia bellum geſſerit,ſuis que uiribus confecerit,eo arguere neceſſe nõ ſit. Aut dicat Aeneas,quomodo & quando Boemi rurſus Pruſſiam,et interiacentes illas prouincias amiſerint. Conditum eſt etiam eodem ferè tempore Brandeburgum in eadem Pruſſia,in memoriam Marchionis Brandeburgenſis. Et tamẽ Marchiones ſibi Pruſſiam eam ob rem non uendicarunt. Sed nos ad inſtitutum reuertamur. Pacem fecerat cum Cruciferis Suentopelcus Pomeranorum dux,ut ſuperius narratum eſt. Sed quietis impatiens, nouum excitauit bellum. Etenim miſſo clàm cum expedita manu filio,quem obſidem pace facta à Pruſſis receperat. Naclum arcem Præmiſli nepotis ſui, conſcio & adiuuante uno de cuſtodibus, pecunia corrupto, noctu iterum intercepit. Quod ubi Præmiſlo nunciatum eſt, quantum poteſt cogit exercitum. Mittunt ei auxilia duces alij Polonorum tanquam ad reſtingendum commune incendiũ. Boleslaus quidem Pudicus mille armatorum, Zemouitus autem dux Maſouię octingentorum. Porrò Boleslaus Præmiſli frater,& Cazimirus dux Siradiæ, Lenciciæ, & Cuiauiæ ipſi ſuas copias ad eam expeditionem adduxère. Cum his igitur ad Naclum contendit Præmiſlus. Et cum arx ſitu arteq; munitiſſima egregiè à Pomeranis defenderetur,ac difficilis eſſet eius expugnatio,aliam è regione eius ad occidentem ſolem ſumma celeritate excitauit, eiq; importato copioſo comeatu præſidium impoſuit, quantum ſufficiebat ad uexandos & quaſi in obſidione continendos hoſtes, qui in præſidio antiquæ arcis erant. Quo facto,dimiſit reliquum exercitum. Fiebant autem crebræ utrinq; ex arcibus eruptiones & conflictus marte uario. Alteram deinde Præmiſlus cum Boleslao fratre & Cazimiro fecit expeditionẽ in Pomeranos: & omiſſa Nacli expugnatione,noctu ſilenti agmine ad Racianzum arcem Pomeraniæ, aliam à Cuiauienſi,ut uidetur,& Maſouienſi,in quam ſe magna multitudo Pomeranorum cum facultatibus ſuis propter bellum contulerat, contendit: eamq; antelucano tempore aduenięns, quamuis expergefactis ad primum tumultum cuſtodibus,uerùm inopinata re perculſis,& quaſi capta iam arce diſcurſantibus,ac de propugnaculis ſeſe præcipitantibus,incendio conſumpſit. Poſt cuius diſceſſum Suentopelcus cum exercitu non contemnendo, hoſtibus ex noua arce obſiſtere non auſis,in Naclum perrupit,& commeatu importato,ſuos laborantes uictus inopia,confirmauit. Deinde omnem conatum ad nouam arcem uel capiendam uel euertendam conuertit. Primumq;,quo minore ſuorum periculo quod uolebat, efficeret, ſarmenta & pinguia ligna in foſſas, quibus arx munita erat,comportari iubet,ut ea ſtrue incenſa arcem cremaret. Magna uis lignorum multo labore à militibus coaceruata, cum ij plura etiam è remotioribus ſyluis petitum iuiſſent, erumpunt præſidiarij: ſubiectoq; igni, id quod iam comportatum erat materiæ,ſine ullo arcis periculo comburunt. Hoc primo conatu fruſtratus Suentopelcus,ui arcẽ expugnare nitit: factaq; è clipeis teſtudine,milites eius ſiccas foſſas tranſgrediuntur,& ſub ipſa propugnacula ſubeunt: atq; alij ignem ſubijciunt,alij aſcijs & ſecuribꝰ. ligneos arcis parietes perrumpere conantur. Sed ſaxis & magnis molibus ſuperne deiectis,

Brandeburgũ in Pruſsia conditũ.

Suentopelcus Naclum intercepit.

Nacli obſidio.

Noua arx è regione Nacli.

Racianzum incẽſum.

Racianzum triplex.

Noua arx fruſtrà oppugnata.

deiectis,iaculisq; uehementius afflicti,amissis uiginti,compluribus uulneratis,irrito cœpto recesserũt. Nec tamen destitit Suentopelcus ab incœpto. Sed cum aperta ui noua arce potiri non posset,ad dolos se conuertit. Reducto enim domum exercitu, auctoq; statim reuertitur, nec longè ab arce in conualle quadam in insidijs considit: suis in antiqua arce noctu per fidum internuncium,quid fieri uelit,præcipit. Orta luce Pomerani ex antiqua arce,quemadmodum iussi erant,decurrunt,& aduersarios ad pugnam prouocant. Non detrectant illi. Pomerani inito prælio fugam simulant. Instant Poloni fugientibus,ita in insidias præcipitantur. Nec tamen inulti cadunt. Quibus ad unum partim cæsis,partim captis,Suentopelcus uictorię signa præ se ferens,ad nouam arcem accedit,deditionem postulat. Respondent ij qui erant in præsidio: Plures in arce superesse, qui de fraudulentis uictoribus pœnas expetituri essent. Videns autem Suentopelcus omnes suos conatus in irritum recidere, difficulterq; se Naclum retinere posse, ad pacem cum Præmislo faciendam inclinari animo cœpit. Nec difficulter ea,Popone uno de Cruciferis,qui Suentopelcum & Præmislum materno sanguine attingebat,interueniente coiuit. Conuentu enim apud Xynam acto, Suentopelcus,per sententiam Poponis ex compromisso latam,Præmislo Naclũ reddidit: Præmislus uerò Suentopelco pro impendijs & Racianzi demolitione quingentas marcas argenti, certis pensionibus exoluturum se esse, nouem obsidibus nobilibus datis,cauit: & exoluit postea. Captiui utrinq; dimissi. Pax perpetua mutuo iureiurando firmata est, ita ut neuter alterius ditionem unq; inuaderet. Nec toto ab ea pace facta anno circumacto,Præmislus triginta sex annos natus, pridie nonas Iunij immatura morte extinctus, & Posnaniæ sepultus est. Mitissimus sui temporis princeps,& supra ætatem prudens: iusticia autem & animi moderatione in iudicando tanta, ut eius iudicium uictus atq; uictor ex ęquo probarent. Ebrium aut iratum eum nemo uidit. Vicq; adeò uerò addictus fuit religioni & cultui diuino, ut per tempus quadragenarij ieiunij cilicina ueste super nudum corpus, & uino diluto admodum,aut insipidiore ceruisia uteretur. Nocturnis temporibus,cum dormire putabatur,prolixæ precationi uacabat. Porrò qua die cœnã Christi ultimam anniuersario ritu recolimus & repręsentamus,duodecim pauperum pedes reuerenter abluere,extersosq; deosculari,& pauperes ipsos uestire quotannis solitus est. Ouanscense monasterium Cistercien sis sectæ puellis ad Vartham fluuium condidit. Srodicense uerò Dominicanorum Posnaniam transtulit. Gnesnense etiam Xenodochium,siue hospitale sepulchri Christi militibus contulit & commendauit, & præposito Miechouensi subiecit. Præter multas autem alias pias largitiones, Gnesnensi quidem ecclesiæ Cirnelinum pagum, Posnaniensi uerò Bucum donauit, non sine inuidia & offensione procerum. Plurimis uerò alijs laudibus eum cumulari à Bascone annalium scriptore, Custode Posnaniensi, Dlugossus memorat. Sed eius Basconis scripta nos non uidimus. Reliquit autem Præmislus quatuor filias, Constantiam, Veronicam, Ofcam siue Agathiam, & Euphemiam, ex Elizabetha uxore susceptas, & filium

Poloni fundũtur à Suentopelco.

Pax inter Suentopelcum & Præmislum.

Xyna oppidum.

Præmisli mors et laudes.

Sobrietas & animi moderatio.

Pietas & religio principis.

Ouanscense monasterium conditũ.

Basco annalium scriptor.

Præmisli liberi.

& filiũ posthumũ post quartũ mensem natum. Cui paternũ nomen inditũ est. Eodem anno qui fuit post Christũ natum 1257. Iacicus siue Iacinctus dicti Dominici institutum uitæ professus, post exhaustos multos labores in Polonia & Russia pro religione Christiana, de exilio huius uitæ in cœlestem domum commigrauit, ad decimumoctauum Calendas Septembris. *Præmislus posthumus natus.* *1257 ann.* *Iacicus monachus sanctus.*

Non omnino tunc Silesia ab intestinis motibus immunis erat. Etenim Boleslaus Caluus cùm dolore amissæ Glogouiæ percitus, tum bello superiore exhaustus, ut iram simul & cupiditatem suam expleret, facinus aggressus est impium & sacrilegum. In episcopum enim Vuratislauiensem Thomam templum Gorcense dedicantem, & Bogusalum præpositum, & Hectardum canonicum cum Teuthonibus satellitibus suis manus iniecit, captosque ad subuculam usque exspoliauit, & in arcem Vulai, atque inde Legniciam deportauit. Poscebat autem eos decem millia marcarum. Quæ cum non darent, coniecit eos in tetrum carcerem, constrictos compedibus. Qua re cognita Fulco Archiepiscopus Gnesnensis, Lencicã synodum conuocauit, ac de synodi sententia Boleslaum Caluum diris diuouit. Vuratislauiensi uerò omni diœcesi sacris interdixit. Deinde (cum nihilo magis dimitteret captos Boleslaus) pontificem max. Alexandrũ quartũ certiorẽ ea de re fecit: & quid porrò fieri oporteret, rogauit. Rescripsit ille Archiepiscopo, ut Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum sumenda Crucis prædicatione unà cum cæteris episcopis concitaret. In eandem sententiam Magdeburgensi quoque Archiepiscopo de concitandis Germanis scripsit. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suam, unà cum præposito & canonico se redemit. Conscijs fratribus Henrico & Conrado Boleslaum hæc patrasse creditũ est, propterea quòd illis quoque commodo pactum illud de commutandis decimis fuit. Retinuerunt'que mordicus tam ipsi, quàm posteri eorum id, quod tunc ab episcopo per uim expressum est. Neque uerò uno illo scelere Boleslaus contentus fuit. Nam Præmislo, cuius ope Conradus gener nitebatur, mortuo, Conradum quoque fratrem per fraudem capere, & bonis dudum datis, ex uere adortus est. Sed hoc nõ itidem successit. Certior enim factus Conradus de insidijs fratris, cum Legniciam ab eo dolose ad conuiuium uocaretur, cum expedita manu profectus est: & reliquis in sylua propinqua Legniciæ latêre iussis, cum paucis expeditioribus ueniens, à Boleslao simulati officij causa obuiam prodeunte in arcem deducitur. Vbi conspicit loca superiora ab armatis teneri, anteuertit meditatum fratris facinus, captúmque eum, metu perculsis omnibus, asportauit, & in custodia habitum liquandiu, atque ea, quam ab episcopo Vuratislauiensi emunxerat, pecunia multatũ, postea dimisit. Sic Boleslaus laqueo, quem alteri tetenderat, ipse se implicauit. *Boleslai Caluifacinus impium.* *Vuratislauiensis episcopus in uinculaconiectus.* *Vulai arx.* *Boleslaus Caluus excõmunicatus.* *Decimæ manipulares in pecunias cõmutatæ in Vulratislauiensi dioceſi.* *Boleslaus Caluus à fratre captus.*

Anno sequenti qui fuit 1258. à Christo nato, terræ motus uehemens Poloniam concussit, & animos hominum propter raritatem rei, non metu tantum, uerùm etiam religione impleuit uelut magnorum malorum, quæ mox consecuta sunt, prodigium. Nam & ciuilibus *1258 ann.* *Terræ motus.*

bellis mox agitata,& barbarorũ excurſionibus afflicta eſt. Ciuiliũ bellorũ Cazimirus dux Siradienſis,Lenciciẽſis & Cuiauienſis cauſa fuit. Cuius in explebilis cupiditas eouſq; progreſſa eſt,ut Zemouito fratre in uincula cõiecto,quemadmodum ſuperius memorauimus,Siradiẽſem tractum, cuius hæreditas ſecundum Boleslaum fratrem iure ad utrumque peruenire debebat, ſolus occuparet: Landenſe territorium, unde prius à Boleslao Pio duce Caliſsienſi depulſus erat, iterum inuaderet:item'que Racianzum epiſcopo Vuladislauienſi auferret, quod tamen poſt reddidit, cum ei litem intendiſſet epiſcopus. Lelouienſe uerò territorium Boleslao Pudico adimeret, munita arce in in colle ſupra oppidum. His igitur de cauſis primus omniũ Boleslaus Pius Caliſsienſiũ dux in eum arma ſumpſit,inita ſocietate cum Varcislao Boguslai filio,Caſſubiorum &Stolpenſium Pomeranorum duce,quòd is Suentopelco,cuius tunc gener Cazimirus factus erat,propter iniurias quaſdam infenſus eſſet. Obtinebat Boleslaus etiam Poſnanienſem dominatum, utpote tutor liberorum fratris defuncti. Itaq; conſcripto ex omni maiore Polonia magno exercitu, coniunctisq; cum Varcislao uiribus,Cuiauiam uaſtabundus ingreditur. Inouuladislauiam arcem cum primo impetu capere nequiuiſſet, obſidione cinxit. Non habebat Cazimirus exercitum,& Inouuladislauię cęteriſq; munitionibus ſuis metuebat. Itaque conſilium ex re capit. Legatione ad Boleslaum miſſa bellum deprecatur. Landenſe territorium redditurum ſe ipſi eſſe promittit,arcem'que quam in eo præſidij cauſa communierat, demoliturum. Secutus fidem eius Boleslaus,obſidionem ſoluit, exercitum'que dimiſit. Sed Cazimirus non modò non præſtitit Boleslao quæ receperat, uerùm etiam Caliſsienſem tractum uiciſsim inſequenti anno populatus eſt, cum de clade Varcislai cui Boleslaus ex fœdere auxilia miſerat, in Pomerania, cognouiſſet. Proficiſcebatur tunc Boleslaus Caliſsia Poſnaniam, cum de excurſione Cazimiri nuncium accepit. Nec mora, cum ſolo comitatu ſuo aulico reuertens, triginta tantum equitibus in itinere collectis, & agreſtibus, quos hoſtes damno affecerant, ſequentibus, in ſylua, cui Soleciæ nomen eſt, non procul ab Opatouico Archiepiſcopi pago,hoſtilem exercitum cõſequitur, & magno animo impetum in eum facit: extremiſq; perturbatis, & primos impellentibus, & omnibus maiores multo quàm erant inſequentium ſe copias (propterea quòd ſylua longiorem proſpectum adimebat, clamantium uerò ſonitum ampliorem reddebat) eſſe credentibus, uniuerſum agmen in fugam agit, prædam excutit, & cùm alios quoſdam ex hoſtibus, tum Martinum Cuiauienſem palatinum ſaucium, captiuos abducit. Nec tamen clade hac affectus Cazimirus acquieuit. Sed non ita multo poſt, Hercaboldum Gneſnenſem,niſi fortè mendoſe Gneſnenſis pro Poſnanienſi apud Dlugoſſum ſcriptus eſt, Nicolaum Caliſsienſem palatinos, Simonem ſacerdotem Hercaboldi fratrem, & alios nonnullos ex nobilitate, per ſpeciem colloquij euocatos, cepit, ut captiuorum commutatione palatinum ſuum recuperaret. Deinde Pacoſſum oppidum,quod in Boleslai ditione erat,capit, & arcem in eo munit. Indéque Caliſsienſem oram liberius infeſta-

Cazimiris ducis cupiditas & ſcelera.

Zemouitus frater captus.

Siradia prærepta.

Landenſe territorium inuaſum.

Racianzum captum.

Lelouia intercepta.

Lelouia arx. munita.

Varcislaus Caſſubiorum dux.

Cuiauia infeſtata à maioribus Polonis.

Inouuladislauia obſeſſa.

Caliſsienſis regio uexatur.

Boleslai audacia & uictoria.

Mart. palatinus Cuiauienſis captus.

Palatini Poſnan. & Caliſſ. capti.

Pacoſſum oppidum captum.

infestabat. Ibi tunc Boleslaus Pudicus, & Zemouitus Cazimiri frater, ut & Boleslao Pio subuenirent, & suo quoq; nomine Cazimirum ulciscerentur, coniunctis cum Boleslao Pio uiribus, Lencicienſem tractum crudeliter uastant, arcem ædificant, & commeatu copioso implent, ac Zemouito commendãt. Fractus hisce incommodis, metuq; maiorum Cazimirus, inducias duorum mensium petit, æqua omnia se esse facturum promittit iureiurando dato. Sed elusis ducibus, amotoq; præsenti periculo, nõ seruauit fidem. Itaq; insequenti anno Boleslaus Pius in Cuiauiam duxit exercitum. Deprecante uerò Cazimiro, nõ prius deduxit, q̃ ille arce Landensi & Pacosso prę sidia deduceret. Quod quidem Cazimirus extrema penè adactus necessitate fecit, cum alio quodam infortunio maximo multatus esset. Nam duo filij eius, Lescus, cui Nigro cognomen fuit, & Zemomyslus, è priore matrimonio susceptí, ueneno, ut aiebant, à nouerca appetiti, ut uerò credere par est, iusta Dei uindicta incitati, Siradiensem atq; Lencicienſem ditionẽ absente patre, procerib. cum omni nobilitate fauentibus, occuparunt: & Lescus quidem Siradiensem, Zemomyslus uerò Lencicienſem obtinuit. Ita qui aliena iniuste appetebat, sua turpiter amisit. Atq; hi tunc sanè ciuiles motus in Polonia, inter propinquos, agnatos, fratres, parentes, atq; liberos extiterũt. Dum autem hi sic inter se bellum gerunt, ecce Tartarorum ingens uis Nogaio & Celebuga ducibus in Poloniam sese per Russiam mense Decembri effudit, Russis ipsis adiutorib. atq; ductorib. nec scimus an authoribus etiam, ut Cazimiro gratificarentur. Flumina tunc iam glacie concreta erãt. Itaque summa celeritate usi, & Lublinensem oram, quam à Lituanis uastatam superiori tempore, Daniel Russorum rex arce Lublinensi intercepta, ac turri rotunda præsidioq; firmata usurparat, prætergressi, in Sendomirienſem impetum faciunt, & plurimos mortales incautos opprimunt, monasterium Zauichostense, quod Boleslaus Pudicus nuper condiderat, & uiginti quinque pagis dotatum puellis diui Francisci, siue diuæ Claræ, quod perinde est, uitæ institutum professis attribuerat, diripiunt, itemq; id quod in Lyssecio siue Caluo monte situm est. Sendomirienſe oppidum incendunt, arcem nullo respirandi spacio defensoribus dato die nocteq; oppugnant: uerùm nullo operæ precio. Nam à multis ea gnauiter defendebatur. Plerique enim omnis uicina nobilitas, & oppidani atque agrestes multi cum uxoribus, liberis & fortunis suis ad primum aduentum hostium cò confugerant. Ibi Russorum duces Leo & Romanus Danielis filij, & Basiliscus frater, qui in castris Tartarorum erant, primùm per internuncios, deinde per se ipsi cum Petro de Crempa præfecto arcis agunt, ut si se, arcemque seruatum ire uelit, ad Tartarorum duces in castra ueniat: & imperata se facturum professus, parùo se arcemque, & omnem multitudinem redimat: fidem dant, nihil in ea re fore periculi. Se hæc ita confecturos esse. Credidit præfectus, Russos Christiani sanguinis misericordia commotos, quemadmodum præ se ferebant, illa suadere & recipere. Confirmabant autem promissa sua, impetratis aliquot dierum indu-
ciis. Itaque præfectus cum Sbigne fratre & primoribus ex nobilitate ad

castra

Lencicienſis arx munita & Zemouito tradita.

Landa & Pacoſſum Boleslao Pio reddita.

Cazimirus à filijs Siradia & Lencicia pulſus.

Tartari uaſtant Poloniam.

Lublinum à Ruſſis interceptũ & turri munitum.

Zauichoſtẽſe monaſterium conditum, & mox direptum.

Sendomiria incenſa.

Ruſſorum dolus.

Adoratio principis apud Tartaros.

castra hostium, quemadmodum conuenerat, proficiscitur. Duces barbarorum, ut erat edoctus à Russis, adorat: de salute sua & arcis supplex agit. Barbari, ut sunt fallacissimi, fideiq; expertes, in supplices impetum faciunt, spoliatos & uerberatos immaniter obtruncant. Et confestim sublato clamore effuso cursu in arcem, nihil tunc eiusmodi expectantibus defensoribus, inuehuntur, & in cæde hominum, omnibus perterritis, & latebras quærentibus promiscuè grassantur. Matronas tantum & puellas formosiores ad contumeliam & explendam libidinem (ut est gens libidinosissima) adseruarunt. Defessi autem cædendo, reliquum uulgus hominum gregatim in Vistulam impulerunt. Tanta uerò cædes in arce tunc facta esse dicitur, ut sanguis cæsorum ad Vistulam usq; deflueret. Incensa arce barbari nulla mora interiecta uersus Cracouiam Russis ducibus itineris contendunt, & urbem defensoribus uacuam incendunt, ualetudinarios & mendicos trucidant. Nam Boleslaus princeps accepto nuncio de capta Sendomiria, in Vngariam cum uxore (mater enim anno superiore mortua erat) profugerat. Cætera hominum multitudo partim in syluas sese abdiderat, partim munitionibus arcium sese defendebat: & Cracouiensem quidem arcem Clemens palatinus tutatus est. Tartari uerò cædibus & incendijs usque ad Bythomiam in Oppoliensi tractu impunè prouecti, post alterum siue adeò tertium mensem præda onusti in Russiam reuerterunt. Annus autem quo hæc gesta sunt fuit post Christum natum 1260. Tametsi Dlugossus etiam præcedenti anno de eadem Tartarorum excursione, & strage Sendomiriensi memorat. Nisi fortè bis tunc Tartari in Poloniam excurrerunt. Quod quidem inde mihi fit credibile, quòd priorem illam sub brumam, initio mensis Decembris factam esse scribit idem. Nam ea qua Sendomiria capta est, æstatis initio accidisse constat ex eo, quòd in hodiernum usq; diem strages illa quasi martyrum Christi, anniuersaria celebritate postridie Calend. Iunij. Sendomirię magno populi concursu recolitur, magna Alexandri quarti pontificis max. indulgentia cumulata ac dedicata. Per hęc tempora Michael Palæologus imperium Constantinopolitanum pulsis Gallis cum Balduino imperatore post annos quinquaginta octo, uel ut alij uolunt, tres & sexaginta, Græcis restituit: nec multo pòst in Lugdunensi concilio concordiam inter Græcos & Latinos tredecies scissam & refectam, redinte grauit. Siculum uerò & Neapolitanum regna, quæ post Friderici Imperatoris mortem Manfredus filius eius nothus inuaserat, Clemens quartus pontifex maximus Carolo Ludouici regis Francorum fratri addixit. à quo Manfredus, & mox alio prælio Corradinus Friderici è Conrado filio nepos interfectus est. Tartarorum autem duces quidam in Asia religionem Christianam susceperunt, & magnas res in Syria & Persia socijs Armenorum regibus contra Saracenos & Aegyptios aliquandiu gẽsserunt. E quibus unus Cassanus successoribus suis Persarum regibus nomen dedit. Quod autem Russorum regis mentionem dudum fecimus, ita se res habuit. Post mortem Colomanni Vngari Halicienſium regis, Daniel Romani ducis filius aduersę factionis ducibus uel domitis, uel in suã sententiã ad-

Sendomirienſis præfectus à Tartaris occisus.

Sendomirienſis arx capta & incensa.

Strages insignis.

Tartari libidinosi.

Cracouia iterum incensa à Tartaris.

Boleslai fuga in Vngariam.

Arx defensa.

1260 ann.

Martyrum dies Sendomiriæ.

Constantinopolitanum imperium Græcis restitutũ.

Græci cum Latinis coniuncti.

Siculum & Neapolitanum regna ad Gallos trãslata.

Manfredus & Corradinus occisi.

Tartari Christiani.

Persarum reges à Cassano Tartaro originem & nomen habent.

Daniel rex Russorum.

adductis, magnam sibi potentiam & monarchiam ferè in Russis Australibus usurpabat. Et quo maiorem sibi authoritatem compararet, legatione ad Opissonem legatum apostolicum in Poloniam missa, cum promitteret se cum uniuersa gente sua ad Romanæ & catholicæ ecclesiæ societatem siue unitatem accessurum, & Christianas regiones aduersus Tartaros, qui iam ingentem formidinem omnibus principibus Christianis incusserant, defensurum, nomen ac diadema regium sibi & posteris suis, necquicquam dissuadente Opissoni Prendota episcopo Cracouiensi, & nonnullis alijs, impetrauit. Verùm consecutus id quod concupierat, fidem & iurisiurandi religionem uiolauit: et in pristinũ errorem relapsus, non modò non defendit à barbaris Christianos, uerùm etiam cum Tartaris, ut iam diximus, pariter infestauit, mox etiã cum Lituanis. Nam cum eis Suarnonem sororis filium cum magna manu ad populandam uastandamq; Masouiã misit. Qui celeritate usi, Zemouitum ducem cum Conrado filio & aulico comitatu in Iassouisco prædio securè rusticantem cæpere, & supellectilem eorum omnem diripuere. Et Zemouitum quidem Suarno barbarica crudelitate interfecit, Conradum uerò Mindacus, cui cesserat, seruauit, & pecunia redemptum postea dimisit. Tunc autem his patratis, Masouiam penè omnem duce orbam Russi cum Lituania populabundi peragrarunt. Non tulere Masouij, duces suos circumuentos esse, & patriam uastari. Itaq; facto agmine equites pariter & agrestes, hostibus obuiam prodeunt: & quamuis longè impares uiribus, tamen indignatione animos ministrante, apud Dlugoseldum pagum impetum in eos faciunt. Et magnam quidem in eis stragem edunt. Sed ad extremum abundante hostium multitudine superantur, & fugam capessunt. Hac elati uictoria barbari, Cuiauiæ quoq; magnam partem depopulati, incensis multis pagis & oppidis, ingentem prædam abegère. Miseratus autem acerbam illam cladem Masouiæ Boleslaus dux Calissiensis, & precibus Gertrudis Zemouiti uxoris exoratus, uenit cum exercitu in Masouiam, copiosum commeatum et fabros secum ducens: releuataq; populi calamitate & inopia, & arce Plocensi, quæ ab hostibus exusta fuerat, refecta, & bene munita, & uiduæ liberisq; eius Boleslao & Conrado tradita, discessit. Reuertunt deinde æstate sequenti Lituani in Masouiã: et non respõdente eorũ cupiditati atq; spei pręda, longius progressi, Louiciense territorium, quod Archiepiscopo Gnesnensi à Conrado primo Masouiorũ duce donatum esse memorauimus, ferro & incendijs uastarunt. Graues autem iam admodum non modò Masouiæ, sed & Boleslai Pudici ditionibus Lituani esse cœperant, ni diuinitus auxilium affulsisset. Intestini enim eorum motus respirandi spacium nostris dederunt. Etenim Mindacus Lituanorum dux à Stroinato fratris filio per insidias dormiens cum filijs interfectus est, & Stroinatus dominatu potitus. Nec pacatior is futurus erat, aut mitior in Christianos. Mox enim initio principatus sui Masouiam circa Ciruinũ depopulatus est: captaq; Orsimouia arce, mares quidem puberes trucidauit, impuberes uerò cremauit, porrò fœminas cum cętera prę da captiuas abduxit. Sed citò scelerũ suorũ pœnas dedit. Nam à Voisalco

Russorũ perfidia.

Suarno dux Russ.

Zemouitus Masouiorum dux interfectus.

Conradus redemptus.

Masouia uastata à Russis.

Masouij uicti.

Cuiauia uexata à barbaris.

Plocensis arx instaurata.

Louiciense territorium uastatum à Lituanis.

Mindacus Lituanorum rex interfectus.

Orsimouia arx.

Stroinatus trucidatus.

Mindaci interfecti filio superstite, qui monasticæ uitæ institutum apud Russos professus erat, & à Theophilo eiusdem Mindaci consobrino uenationi uacans captus, excruciatus, atque necatus est. Nec ita multo pòst Voisalcus Lituanorum dominatu potitus, à Leone Danielis Russorum regis filio per dolum interfectus est. Dum hæc ita turbantur in Lituania, non putauit Boleslaus Pudicus prætermittendam sibi esse illam occasionem, quin Iazygas finitimos & infestos ditionibus suis ulciscereturus. Itaque duxit in eos exercitum, & quidem composito agmine, instructaq; acie incedebat. Neque enim dubitabat eos, ut erat gentis ad moriendum iuxtà ac uincendum pertinacia, ad pugnã quamuis iniquã sibi occursuros esse, neque passuros, ut se inspectantibus regio sua uastaretur. Nec sanè opinione sua falsus est. Nam ut Boleslaus fines eorum ingressus est ad uicesimam secundam diem mensis Iunij, adest mox omnis multitudo barbarorum Conatho duce ad depellendum bellum parata: & uix præuisa à speculatoribus nostris, illucescente sole ad statiua nostrorum magna alacritate contendit. Educit suos Boleslaus in aciem, concurritur infestis animis: cumq; aliquot horis marte dubio pugnatum esset, tandem superante nostrorum multitudine, ad paucos rediguntur barbari, ducemq; inter primos pugnam cientem amittunt: nihilo tamen magis pedem referunt. Ita fortiter dimicantes ad internecionem usque cæsi sunt, adeò, ut ex eo tempore nomen quoq; Iazygum penè deletum sit. Regione eorum deinde potitus Boleslaus, exiguas gentis reliquias Christianam religionem suscipere capitali pœna in contumaces sancita, coegit: & ne regio uasta & inculta maneret, colonias eò deduxit. Ab Vrbano autem quarto pontifice maximo impetrauit mandatum ad Archiepiscopum Gnesnensem, ut nouum genti præficeret episcopum, cuius exemplũ extat apud Dlugossum Atque is est, ni fallor, Lucensis, siue Luceoriensis episcopus, cuius ea est etiamnunc dœcesis, tunc uel aliquanto pòst à põtifice creatus. Annus hic fuit post Christũ natum 1264. quo post cometæ trimestrem apparitionem pestis acerba in pecora & pecudes in Polonia grassata est. In Prussia uerò Cruciferi aduersa fortuna usi, penè deleti sunt à barbaris. Magistrum quidem Helmericum, qui Conrado Landigrauio Turingiæ successerat, cũ Theodorico Marsalco in prælio quodam amiserunt. Insequenti anno Rusci duce Suarnone magna ui, in Sendomirienſem oram populabundi inuasere. Sed à proceribus Sendomirienſibus cum nobilitate & agrestibus præter opinionem occurrentibus, et impetum in palantes facientibus, insigni clade profligati: & cæsis captisq; multis, & præda omni excussa, in turpem fugam acti sunt. Iritatus autem uehementius quàm solebat Boleslaus excursionibus Russorum, eas pariter & Zemouiti cædem ultum ire cupiens, anno sequenti expeditionẽ in Russiam suis indicit: ad Ropciciam oppidum conuenire omnes iussi. Summa rerum & administratio belli Petro palatino Cracouiensi commissa. Nam Boleslaus ipse ad eam expeditionem profectus non est. Verùm precationibus & supplicationib. cũ Kinga uxore uacans, exercitus sui curam et protectionem Deo cõmendabat. Petrus uerò suscepto exercitu, hostilem regionem in-

Voisalcus Lit. dux interfectus.

Iazyges à Boleslao Pudico uicti ac penè deleti.

Conath dux Iazygum interfectus.

Iazygũ reliquiæ ad religionẽ Christianam adactæ.

Lucensis episcopa. 1264 ann.

Pestis in Polonia.

Cruciferi afflicti à Prussis.

Russorũ excursio in Poloniam.

Russi pulsi.

Russicum bellum.

Ropcicia oppidũ.

Exercitus ducendi ratio.

nem ingreſſus, prudenter & accuratè omnia agere, inſtructis ordinibus cautè progredi, ſpeculatores quoquouerſus dimittere, caſtris loca opportuna capere, excubias in omnes partes ſeruare, neque pabulatores, frumentatores, & lignatores abſq; firmo armatorum præſidio caſtris emittere, non ignorans cum uafro hoſte ſibi rem eſſe. Nihil autem niſi de caſtrenſis conſilij, & maximè Ioannis Sendomirienſis palatini ſententia faciebat. Non multum in hoſticum progreſsis Polonis apud Pietam, hoc loco nomen eſt, occurrit Suarno dux (nam Daniel rex haud multo antè erat mortuus) ingentes Ruſſorum & Tartarorum in auxilium euocatorum copias ducens: nec longè à noſtris caſtra metatus eſt. Et eo quidem die quieuere noſtri. Sequenti uerò, qui erat decimus nonus Iunij, quòd eo die proſpere contra eoſdem Ruſſos apud Zauichoſtum ante cõplures annos dimicatum erat, educit ſuos in aciem Petrus, diei illius uictoriæq; admonitos. Nec detrectat pugnam Suarno. Eminus primum Poloni baliſtis, hoſtes arcubus pugnabant. Sed quoniam eo pugnandi genere meliore loco erat res hoſtium, expeditiori genere armorum, plures de Polonis uulnerantium, magno mox impetu Poloni in hoſtiles acies inuehuntur, & cominus haſtis atque gladijs rem gerunt. Nec mora, ſuperiore loco noſtrorum res eſſe cœpit. Referunt pedem hoſtes, inſtant noſtri. Nitebatur reſtituere pugnam Suarno. Sed cum nihil ageret, in fugam ſe conijcit. Hic uerò uniuerſa acies hoſtium conuertitur, & mutuo ſeſe impellit & impedit. Cædunt noſtri terga fugientium, & plurimos abiectis armis uiuos capiunt, & plena potiuntur uictoria. Direptis quoque opulentis caſtris, & agris maiorem in modum uaſtatis, uictores in Poloniam reuertuntur. Itaque uerò uires & animi Ruſſorum ea clade fracti ſunt, ut permultis deinceps annis nihil hoſtile contra Polonos molirentur. Porrò Boleslaus abundè contentus repreſsiſſe ea uictoria feroces Ruſſos, ipſe quoque quieuit, benignus & mitis princeps. Cuius cum uxore precibus à Deo impetrata illa uictoria exiſtimata eſt, magis quàm humanis uiribus parta, de tanta ſcilicet hoſtium multitudine, ut quadruplo ea noſtros excederet. Quin & illud memoratur, oranti Kingæ adſtitiſſe duos canditatos, & futurum belli euentum prædixiſſe. Atque ij Geruaſius & Protaſius, quorum memoriæ dicata erat dies illa, qua pugnatum eſt, fuiſſe crediti ſunt. Vaſtata eſt hoc anno rurſus à Lituanis & Pruſsis Maſouia, Boleslao & Conrado ducibus munitiones tantum defendentibus. Sub idem tempus Boleslaus dux Caliſsienſis cum Conrado Marchione Brandeburgenſi de Santoco bellum, quanquam incruentum, geſsit. Cuius originem perplexè Dlugoſſus attigit. Nam cum Boleslaum Conrado Marchioni Conſtantiam Præmisli fratris filiam deſpondiſſe, & Santocum in dotem dediſſe memoraſſet, quinto pòſt anno ſcribit idem, Santocum à Polonis negligentius cuſtoditum, à Saxonibus interceptum eſſe, & Conrado traditum. Atque id moleſtè ferentem Boleslaum, exercitum duxiſſe ad recuperandam arcem. Sed, intercedentibus utrinque proceribus, conueniſſe inter duces, ut Boleslaus Santocum, Conradus uerò Drenum, ne prædonibus, & publicæ

Danielis regis mors.

Ruſsi & Tartari profligati à Polonis.

Suarnonis fuga.

Precum piarum efficacia.

Maſouia à Lituanis & Pruſsis uaſtata.

Brandeburgenſe bellum.

Conradus Marchio Brandenburgenſium.

Santocũ & Drenum arces diruta.

pacis turbatoribus essent receptui, demolirẽtur. Duplex hic peccatum est. Nam si Santocum in dotem datum fuit Conrado prius, quomodo postea uel ab eodem interceptum, uel à Boleslao qui dederat, armis repetitum est? Deinde quid in Drenum Conradus iuris habuit, quod ante aliquot annos in potesta[illegible] Premisli Boleslai fratris, fuisse, et ab eo recuperatum esse, cum à Cassubiorum duce interceptum fuisset, idem Dlugossus scribit? Nos in ea re quid sequamur, non habemus. Non stetit autem pactis Boleslaus. Sed cum exercitu fabris que reuertens, magna celeritate castellum intra ambitum ruinarum arcis Santocensis muniuit, commeatum importauit, & præsidium imposuit. Quo cognito Marchio, post perfectam munitionem atq; discessum Boleslai, cum exercitu aduenit, arcem acriter oppugnat. Et facilè uoti compos factus esset, quòd propugnacula recens excitata infirmiora erant, quàm ut sustinere uim oppugnãtium diutius possent, ni citò Boleslaus saluti suorum, qui in præsidio erant, consulens, missa ad Conradum legatione, seruaturum se esse pacta recepisset. Nec mora, deducto præsidio demolitus est arcem. Ita tunc bellum illud inter initia restinctum est. Fatale hoc tempus ducibus Polonicæ nationis fuit. Primùm enim Henricus tertius Vuratislauiensis dux ueneno, ut creditum est, extinctus est, relictis Henrico filio, & Heduigi filia impuberibus. Quorum tutelam Vuladislaus patruus Archiepiscopus Salisburgensis paucis annis, quibus superstes fuit, gessit. Deinde Salomea Halicienſis regina, Boleslai Pudici soror, cum post mortem Colomanni uiri integra in Zauichostensi monasterio, deinde in Scalensi (nam eò id Boleslaus transtulerat) sanctè pieq; uitam exegisset, natu iam grandior defuncta est, & funus Cracouiam ad diui Francisci illatum. Fertur autem corpus eius multis diebus post mortem seruatum, suauem odorem spirasse, & oleum sudasse, quo inuncti ægroti conualuerint. Iisdem diebus Cazimirus quoque Cuiauiensis & Lencicienſis dux obijt, qui moriens Lescum filium, cui Nigro cognomen fuit, Siradiensem ditionem retinere passus est, ut ab eo fuerat occupata. Reliquas uerò Zemomyslo Lesci germano, cui Suentopelci filiam Salomeam desponderat cum tribus alijs, nempe Cazimiro, Vuladislao cui Loctico, quasi cubitali propter breuem staturã cognomen fuit, & Zemouito ex altero matrimonio susceptis, partiendos reliquit. Et Cazimiro quidem Lencicienſis obtigit. Cuiauiensem uerò Zemomyslus & Vuladislaus inter se diuisere, ita ut Zemomyslo Vuladislauiensis, Vuladislao Brestensis tractus cederet. Dobrinensem uerò Zemouitus obtinuit. Quam uel promisso tenus acceperant, ac non re ipsa obtinuerant Cruciferi, uel certè reddiderant Cazimiro post longas controuersias: quas extitisse inter eos argumẽto sunt arbitria & cõpromissa, quę extant in archiuo regio. Diploma quidem Cazimiri huius anno Christi 1233 editum, Culmensis tantummodo terrę concessionem à Conrado patre factã Cruciferis approbat. Condidit autem Cazimirus hic, pater inquam, monasterium Dominicanis in Brestę oppido. Suentopelcus etiam Pomeranorum citeriorum dux eodem anno mortuus est ętate decrepita. Reliquit autem quatuor filios Mestuinum siue Me-

Drzen.

Henricus Vuratislauiensium dux obijt.

Vuladislaus Archiepiscopus Salisburgensis.

Salomea Halicię sis regina mortua urgo sancta.

Scalense monasterium Zauichosto translatum.

Cazimirus Cuiauiensiũ dux notuus.

Cazimiri filij.

Lescus Niger Siradiensiũ dux.

Vuladislaus cur Lostticus uocatus.

Cazimirus Lencicienſiũ, Zemomyslus Vuladislauiensium.

Vuladislaus Brestensium.

Zemoutus Dobrinensium.

Suentopelci ducis Pomeranorũ obitus.

Suentopelci filij.

siue Mesciugum, Varcislaum, Samborium, & Ratiborium. Quibus moriens præcepit, ut à bello Cruciferis inferendo, quoad possent, abstinerent: Polonos uerò duces omni ratione & beneuolentia sibi deuincirent. Quorum illi præceptorum immemores, magnis se postea calamitatibus implicarunt. Per idem tempus Clemente eius nominis quarto, pontifice sancto & religioso uita defuncto, tribus ferè annis sedes Romana uacauit, propter ambitionem ac dissidium Cardinalium. Porrò Zemomyslus Cazimiri filius, Vuladislauiensem dominatum adeptus, despicatui suos habere cœpit: cum Cruciferis, apud quos ab ineunte ætate educatus erat, familiarius uiuere, eorum arbitratu omnia agere, & consilijs niti. Quibus rebus offensa nobilitas, mussitare primùm, deinde apertius fremere: ad extremum, eo non mutante mores, ad Boleslaum Calissiensium ducem defecit. Qui iam Bydgostia supra Berdam fluuium sita, Theodorici Prussi proditione, qui post susceptam religionem Christianam à Cazimiro Zemomysli patre ei arci præfectus fuit, potitus erat. Cum autem spe præmij frustratus esset proditor, à famulo, sicut ipse iusserat, interfectus, proditionis pœnam exoluit. Exorauit postea Boleslaum Zemomyslus, ut sua sibi redderet, donato ei territorio Crusuiciensi, placatáque nobilitate, quòd reciperet, nihil sibi commune deinceps fore cum Cruciferis. Dissidium autem illud Zemomysli cum suis, ansam dedit Lituanis, ut Cuiauiam popularentur. Quod sanè fieri non potuit, nisi percursa prius Masouia. Hoc anno, qui fuit à Christo 1269. longa inter Plocensem & Culmensem episcopos controuersia, arbitrio episcopi Vuladislauiensis & Magistri Cruciferorum, sublata est, ita ut Culmensis pagum Orechouum, ac trecenta iugera inculti adhuc agri in territorio Lubauiensi daret Plocensi episcopo, pro decimis & possessionibus, quas ille sibi in Culmensi diœcesi, præter eas, quas ipsi donarat, uendicabat. Eodem autem anno bellum inter Boleslaum ducem Calissiensem, & Saxonas, siue Marchiones Brandeburgenses, recruduit, ex huiusmodi causa. Otto Marchio, Conradi frater, cupiens Santocense territorium in potestatem suam redigere, arcem Sulentiam inter Lubussum & Medireciam, comportata celeriter domo materia, extruxit: & argilla altrinsecus, ne incendio esset obnoxia, contexit. Id ubi Boleslaus accepit, ratus id quod erat, non de nihilo arcem illam in confinibus Poloniæ munitam esse, tamen quia in suo solo eam Otto munierat, oppugnatione quidem eius abstinuit, ne prior fœdus rupisse argueretur. Cæterùm Medireciam ipse uicissim fossis & ligneis propugnaculis munire cœpit. Necdum perfecta erat munitio, cum Otto cum expedita manu aduolans, oppidum diripit, & incendit: arce tentata potiri non potuit. Certior earum rerum factus Boleslaus, hostem discedentem cum expeditis, quos ad manum subitò habere potuit, persequitur: & cum consequi eum intra fines suæ ditionis non posset, Lubussense territorium per circuitum uastauit: deinde ad Sulentiam

Suentopelci præceptum.

Apostolica sedes uacauit tribus annis.

Zemomyslus exosus suis.

Bydgostia Boleslao Calissiensi tradita.

Berda fl.

Boleslai cum Zemomyslo transactio.

1269 ann.

Culmensis episcopi cum Plocensi transactio.

Brandeburgense bellum.

Otto Marchio Brãdeburgensis.

Sulentia arx condita.

Medirecia arx munita.

Sulentia expugnata et incẽsa.

arcem expugnandam reuertitur. Nec mora, milites, facta è scutis & clipeis testudine, munitionem subeunt: dimotaque securibus argilla, ignem subijciunt. Qui subministratis alimentis mox arcem omnem, necquicquam restinguere conantibus Saxonibus, corripuit, & cum præsidiarijs pariter absumpsit. Pauci cum Sabello præfecto arcis flammis sese eripientes, uiui in potestatem nostrorum uenêre. Ad extremum nostri restincto igne prædam ambustam diripuere. Ita tunc Boleslaus Ottonem ultus, reduxit exercitum. Sequentis autem anni initio, cum Boleslaus Calissiensis Cracouiam, ut uiseret Boleslaũ Pudicum, profectus esset, nõ prętermisit eam occasionem Otto: sed magna celeritate usus, quamuis hyberno tempore, Santocensem arcem ligneis propugnaculis, uallis, fossis, commeatu, & præsidio muniuit. Reuertens autem Boleslaus, ubi pacta cum Conrado inita ex professo temerata esse comperit, ipse quoque Drenum instaurauit, & intra octauum diem munitionem perfecit, impositoq; præsidio discessit. Sed aliquanto pòst, cum nostri negligentius, ut solent, arcem custodirent, à Santocensi præsidio noctu ea intercepta, & Ottoni tradita est. Multa eo anno portenta & prodigia in Polonia extiterunt. In Cracouiensi quidem regione honesta quædam matrona Margarita Virboslai comitis uxor triginta sex pueros uiuos uno partu edidit, uicesima die mensis Ianuarij. Sexta uerò die Decembris crepusculo nouus & insignis splendor, in figuram crucis efformatus, cœlitùs non modò urbem, sed omnem circumcirca regionem illustrauit. Calissiæ intra octauam diem natalis Christi natus est uitulus cum duobus caninis capitibus, atque dentibus, & septem pedibus uitulinis: capitum autem maius quidem in loco suo, minus uerò ad caudam situm erat. Ab eius cadauere canes atque uolucres abhorruere. In Silesia uerò apud Michalouum pagum, & inter Odram & Nyssam fluuios, triduo sanguine pluisse dicitur. Præcedenti quoque anno ferebantur uisæ esse in aere armatorum acies inter se concurrere. Aestas eius anni tota ferè continentibus pluuijs, & insolita aquarum inundatione non modò segetibus, uerùm etiam pecudibus & iumentis, pagisque & oppidis, plurimum incommodi attulit. Hæc cum ingentem terrorem animis hominum incussissent, supplicationibus & sacrificijs publicè procurata sunt. Consecuta sunt autem cùm externa quædam aduersa nostris bella, tum domestici motus. Quæ ordine exponemus. Insequenti anno, qui erat post Christum 1271. Boleslaus Calissiensis Santoci occupatione atque Dreni ereptione iritatus, coactis magnis copijs, & auxilijs Cuiauiensium & Zemomysli adiutus, bellum fecit Marchionibus Brandeburgensibus: & cum illi ad prelij dimicationem non descenderent, munitionibus sese defendentes, uastato Santocensi agro, ad Soldinum duxit: & scalis admotis oppidum cæpit, diripuit, & incendit, magnam que prædam abegit. Reuersus Crusuicienſe territorium Zemomyslo pro nauata opera reddidit, arcem demolitus. At in Silesia Boleslaus Caluus Conradum fratrem parũ abfuit quin caperet, in Boleslauice oppido securum. Sed tamẽ effugit is, de hostili aduentu fratris in ipso articulo factus certior. Oppido autem

Santocum restauratum.

Drenum refectũ & à Saxonibus interceptum.

Portenta & prodigia.

Pueri 36 uno partu editi.

Monstrum.

Inũdatio insolita.

1271 ann. Brandeburgense bellum.

Soldinum captum & incensum.

Crusuicienſe territorium Zemomyslo redditũ diruta arce.

Boleslauice oppidum à Conrado duce captum.

autem Boleslaus potitus est. Duxit autem Conradus uxorem alteram, prí ore defuncta, Brigittam Theodorici Misnensis Marchionis filiam: quę cum Conradino Friderici imperatoris nepote prius nupta fuerat. cum qua non multo pòst, Crosnam, Greifensteinum, & Prinum oppida, quæ ei dotalia constituerat, amisit. Nam cum post mortem eius dotem non redderet, pater Brigittæ possessionem eorum bonorum adijt, & Magdeburgensi Archiepiscopo ea decem millibus marcarum uendidit. Sequenti deinde anno, bellum quod à Boleslao Calissiensi cum Brandeburgensibus Marchionibus gerebatur, in Pomeraniam translatum est ex huiusmodi causa. Post Suentopelci mortem, bellum ciuile inter filios eius Mesciugum & Varcislaum exortum erat. In eo cum firmiores essent partes Mesciugi, Varcislaus è carcere fratris elapsus, Cõradi Marchionis Brandeburgensis opem implorauit, iustam remunerationem pollicitus. Accepit conditionem Conradus. Cum autem pignoris loco Gdanum ei tradidisset Varcislaus, paucis diebus illis in ipso apparatu belli mortem obijt. Repetit à Conrado Gdanum Mesciugus: negat ille se redditurum, ni sibi sumptus in bellum facti, quos permagno æstimabat, exoluantur. Magna tunc sanè erat potentia Marchionum, ut est etiamnum, ita ut longè imparem uiribus se illis esse Mesciugus non ignoraret. Venit autem ipsi in mentem belli, quòd Boleslaus Calissiensis cum ijsdem Marchionibus gerebat. Itaque missa legatione non difficulter impetrat à Boleslao, ut secum aduersus communes hostes arma coniungat. Duxit ergo in Pomeraniam exercitum Boleslaus: & iunctis cum Mesciugo copijs, ad Gdanensem arcem admouit. Nam ea capta, nihil negocij futurum erat in potiundo oppido. Tentata deditione, & pulsata machinis arce nullo operæprecio, nona deinde die factis testudinibus ex asseribus, Poloni audacius succedunt sub ipsa mœnia & propugnacula, præsertim cum defensores à sagittarijs eminus uulnerarentur: & alij quidem conuellunt & rescindunt munitionem, utpote ligneam: ignem alij subijciunt, alij scalis admotis mœnia scandunt: & quamuis supernè cum pice & aqua feruenti perfunderentur, tum saxis et alijs telis obruerentur, sed tamen pertinacius urgentes oppugnationem, ad extremum, cum hostibus tela deficerent, ui irrumpunt: & ira odioque inflammati, magnam cædem exercent in Saxonibus, & arce potiuntur. Nonnulli hostium in editiorem turrim euaserant: uerùm ij quoque cum arcem à nostris tenere conspicarentur, uitam tantum pacti, proiectis armis sese dedidere: qui compedibus uincti in seruitutem abducti sunt. Arce capta, mox oppidani deditionem fecere. E'quibus paucos quosdam, qui impensius fauerant Saxonibus, uita & bonis mulctauit Misciugus: in quibus erant præcipui, Arnoldus & Iacobus. De quorum bonis duos pagos Scrobotouum & Vitominum Vuladislauiensi episcopo donauit. Boleslaum uerò honorificè habitum & remuneratum cum exercitu dimisit. Qui domum reuersus, quatuor mensium spacio militibus ad quietem dato, rursus contra Marchiones expeditionem fecit, eiq; expeditioni Præmislum iuuenem fratris filium, sextũdecimũ annum agentem, præfecit, adiunctis quorum consilio faceret

Crosna, Greifensteinum, & Prinum à Polonis alienata.

Przin.

Dissidium inter Suętopelci filios.

Gdanũ in pignus datum Marchioni Brãdeburgẽsi.

Bellum contra Marchionem in Pomerania.

Gdanensis arx expugnatur.

Oppidũ deditũ.

In Marchiam Polonorum expeditio.

Præmisli ducis Posnanienſium tyrocinium.

ret omnia,Predipelco palatino Posnanienſi,& Ioanne Caſtellano Caliſſien ſi,grauibus & prudentibus uiris,& peritis rei militaris.Dreno præterito,

Strelce arx cõdita et mox capta & incenſa.

uaſtatur longè lateq; hoſtilis regio,quæ cis Odram eſt,Strelce arx haud ita pridem à Conrado condita ,expugnatur, diripitur,& exuritur.Sæuitur in homines,agros atq; tecta:nonnullis tamen deprecante Præmislo uita conceditur.Abigitur ingens pręda.Cum qua reuertens Præmislus,cum apud

Drenũ receptũ.

Velenum exercitum dimitteret, cognoſcit,Drenum arcem paruo hoſtium præſidio teneri:Caſſubioſq;, qui in caſtris eius militarant,domum abeuntes nauigio, primam portam arcis incendiſſe. Reuocatis igitur ex itinere militibus,ad Drenum contendit:& Saxonibus deditionem facientibus arcem recepit, præſidioq; communiuit.Dedititios uerò liberos dimiſit,datis qui eos deducerent,ne quam uim à noſtris paterentur.Hæc tunc rudimenta militiæ Pręmisli fuere.Sex deinde totis annis utrinq; ab armis ceſſatum eſt, pace ne facta, an inducijs, an pertæſis belli ducibus conquieſcentibus, nihil compertum habemus. Interea uerò minor Polonia quaſi uiciſſitudine quadam bellis ardere cœpit, authore & incentore Paulo epiſcopo Cra-

Pauli epiſcopi Cracouienſis contaminata uita & improbitas.

couienſi, gente Polucoſio , Iaſci ſiue Ioannis comitis Premencouij filio,qui cum canonicus Cracouienſis & Boleslai Pudici Secretarius ſiue Cancellarius eſſet, Prendotæ mortuo, à collegio ſacerdotum electus, ſucceſſit . Is enim ſuę dignitatis immemor,cum totus uoluptatibus,uenationi,et libidini deditus , & ſubditis ſuis grauis, aduerſus principem uerò Boleslaum contumax eſſet,nec precibus & monitis neq; collegij ſui, neq; principis flecteretur , & præterea monacha quadam de Scalenſi monaſterio educta pro

Paulus epiſcopus captus, et Siradiã aſportatus.

concubina abuteretur , in Cunouienſi prædio degens , ab Otta & Zegota iuuenibus, equeſtri Topororum familia ortis, captus,& Siradiam deportatus,à Leſco Nigro in honeſta cuſtodia mẽſem unum ſeruatus erat, Boleslai Pudici, quemadmodum exitus rei comprobauit,uel iuſſu,uel permiſſu.

Interdictũ Archi epiſcopi.

Sed cum Ioannes Archiepiſcopus Gneſnenſis omni prouinciæ ſuæ ſacris

Paulus epiſcopus dimiſſus.

eam ob rem interdixiſſet, conuicijs & maledictis populi exagitatus Boleslaus, dimitti eum iuſſerat:& in gratiam cum eo redierat,cum ducenta pondo argenti ipſi appendiſſet . Nec tamen conquieſcebat Paulus : uerùm in

Pauli epiſcopi conatus improbi.

hoc erat totus,ut Boleslaum ulciſceretur,& cum Lituanis barbaris affinitates & amicitias iungebat . Domi quoq; factioſorum hominum animos in

Conſpiratio minorum Polonorum contra principẽ.

principem concitabat , inprimis uerò eorum qui cum ſua turpiter prodegiſſent, & ad inopiam redacti, aut etiam ære alieno oppreſſi eſſent, alienis inhiabant, aut qui ob latrocinia & alia ſcelera pœnas metuebant, ſiue adeò multati iam erant, aut etiam qui in pace cupiditatibus ſuis minus commo-

Nouarum rerum cupidi quinam eſſe ſoleant.

» dè ſatisfaciebant . Ferè enim eiuſcemodi homines res nouas cupiunt, du-
» cemq; fortuitu oblatum cupidè ſequuntur . Incenſis autem complurium animis, nec occaſio cogitata perficiendi defuit . Erant inter Præmislum ſiue Ottocarum regem Boemorum & Boleslaum Pudicum inimicitię,propter ſurreptam Polonis à Boemo Opauiam,& propter adiutum à Boleslao Belam regem Vngarorum contra Boemos . Ac fecerat quidem cum Ottocaro pacem Bela paulo ante mortem ſuam , cum in Morauia malè rem geſſiſ-

ſet.

set. Sed Stephanus filius eius susceptо paterno regno, bellum redintegrauit. Quod ut maiore ui gereret, ad Boleslaum affinem Cracouiam uenerat, & cum eo fœdus paternum renouarat. Mox cùm per Vngaros, tum per Chumos siue Cumanos magnis incommodis Boemos affecit. Quibus adductus Boemus, ut Polonorum auxilia Vngaro detraheret, cum Boleslao Pudico de Opauia transigere statuit. Nec abhorrebat à pace Boleslaus. Igitur anno Christi, 1273. ad constitutum tempus Opauiam is profectus erat, & cum Boemo conuentum agebat. Hoc tempus nacti coniurati, quo plerique proceres Boleslao fauentes cum ipso simul aberant, maturant defectionem illam aduersus Boleslaum, offensionis causam prætexentes, quòd is se insciis, nec de conuentus sententia Lescum Nigrum (hoc enim cognomen habuit) ducem Siradiensem propinquum suum, hæredem nuncupasset. Erant & aliæ quædam causæ, quæ bonos etiam uiros non paucos infensiores Boleslao reddiderant: nimirum quòd is indulgentia aut negligentia quadam, calumnias in iudicijs regnare patiebatur, quibus implicati simpliciores, multi graues mulctas expendere cogebantur, multi patrimonijs exuebantur. Neque uerò usquequaque incorruptus iudex fere batur esse Boleslaus. Ad hæc autem onerosus erat nobilitati, propter creбras uenationes, eo quòd & canes principis alere, & equos atq; subuectiones ipsi præbere omnibus passim, quacunque iter faciebat, necesse erat. His igitur de causis plures infensi erant Boleslao, sperabantq; mutatione principis defunctum se iri malis illis. Itaque conuenticulo habito, Paulo authore ad Vuladislaum ducem Oppoliensium mittunt, principatum que ei deferunt. Animaduertebat quidem Vuladislaus difficulter se tunc uiuente Boleslao Pudico principatu potiri posse. Sed quoniam senex iam erat Boleslaus, nec ullos habebat liberos, & alienas esse sciebat à Lesco multorum uoluntates, uel in posterum utile id sibi fore iudicabat, si tunc oblatum principatum non refutaret. Itaque conuentum illum omnem ad se Oppoliam uenire iubet, ut ibi ea res iureiurando & literarum monumentis confirmaretur. Faciunt illi iussa, & frequentes Oppoliam proficiscuntur. Nihil horum latebat Boleslaum. Soluto igitur conuentu Opauiensi rebus infectis, & inducijs tantum in uiginti annos cum Præmislo factis, festinus ad sedanda domestica mala reuertitur, & proficiscentes Oppoliam aduersarios incompositos & inopinantes, cum aulico suo procerum que comitatu apud Bogucinum pagum altera die Iunij mensis adoritur. Nec illis animus ad defendendum sese defuit. Committitur atrox pugna, nemine referente pedem. Ad extremum Boleslao cessit uictoria, sed non incruenta tamen. Plurimi ibi mortales, exceptis ferè aduerso pectore uulneribus, utrinque cecidere, sed multo plures tamen ex aduersarijs Boleslai. Pauci fuga ad Oppoliensem ducem euasere. Bona cæsorum & profugorum partim confiscata, partim inter uictores distributa sunt. Oppressa coniuratione siue adeò bello ciuili, paucis diebus Lituani in Lublinensem oram excursionem fecere, magnamq; prædam auexere, nemine prohibente. Nam uires

Stephanus 4 post Belā patrē apud Vngaros regnat, & Boemis bellū facit.

1273 ann.

Boleslai Pudici conuentus cum rege Boem.

Lescus Niger hæres nuncupatus à Boleslao Pudico

Iudiciorum prauitas et corruptela.

Boleslai Pudici prauitas in iudicijs.

Nobilitatis onera.

Poloni minores ad Vuladislaum ducem Oppolien sium deficiunt.

Polonorum cum Boemis induciæ.

Boleslai Pudici uictoria contra defectores.

Lituani Lublinen sem oram populantur.

minoris Poloniæ Bogucinenſi illo prælio uehementer attritæ erant. Creditum eſt autem, à Paulo epiſcopo barbaros etiam tunc excitos eſſe, ut cæſorum apud Bogucinum ſanguini parentaret. Tantam autem eius audaciam, tam'que ſceleratum animum diuina clementia paululum tunc repreſſit nouo & inuſitato modo. Nam cum Cracouiæ apud Dominicanos fratres commoraretur, quadam die cœlitus increpitus eſſe fertur, huiuſmodi uerbis: Ve tibi Paule epiſcope: Melius tecum actum eſſet, ſi natus non fuiſſes. Atque hanc uocem à ſeptuaginta hominibus tunc eum circumſtantibus auditam eſſe. Monachus etiam quiſpiam per quietem uidiſſe dicitur, lupum erectis prioribus pedibus contra eum humana uoce exclamantem: Ve tibi Paule epiſcope, quoniam cepiſti, & occidiſti. Hoc quoque cum ille renunciante monacho accepiſſet, expauefactus, fertur ſcelera ſua maiorem in modum deploraſſe. Dum'que ſolus in cubiculo fletibus indulget, rurſus talibus dictis compellatum eſſe memorant: Ne timeas Paule epiſcope: Age quod lubet, ſeptimo deinde anno moriêris. Atq; eum reſpondiſſe: Optimè ſecum acturam eſſe Diuinam miſericordiam, ſi ſibi ſeptem annorum ſpacium ad expianda præterita peccata concederet. Has quoq; uoces ab iſs qui ad fores cubiculi obſeruabant, exauditas eſſe. Credibile eſt autem, Satanę eas fuiſſe, primùm deſperationem, deinde ſecuritatem illi et maiorem licentiam ingerentis. Refrenauit tamen ille aliquatenus audaciam ſuã quandiu uixit Boleslaus. Nec tamen inulta Lituanis excurſio illa fuit. Nam dum illi Lublinenſem oram populantur, Poleſſienſis eorum dition & Pruſſia uiciſſim à Maſouiſs & Cuiauiſs uaſtata eſt. Reſumpſerant enim uires tunc Pruſſi cum Lituanis coniuncti, magna ſtrage profligatis aliquoties Cruciferis, & munitionibus eorum quibuſdam expugnatis, & ſolo æquatis. Boleslaus uerò Pudicus iratus Vuladislao duci Oppolienſium, quòd ſuis nouas res molientibus fauiſſet, exercitu conſcripto, accerſitiſq; à Boleslao Caliſſienſi & Leſco Siradienſi ducibus auxiliis, Oppolienſem & Ratiborienſem oram omnem infeſto agmine depopulatus eſt, ita ut ſuburbana quoque primorum oppidorum exureret. Nec tamen elicere ad pugnam Vuladislaum potuit. Sed carpſit is tamen ex inſidiis hoſtes palantes & prædas agentes, nec paruis affecit incommodis. Maius utrinq; in ſequentem annum bellum parabatur: contrahebantur auxilia: mercenariis ſtipendia pronunciabãtur. Sed gliſcens bellum Boleslai Caliſſienſis opera conſopitum eſt. Nihil autem illo & proximo deinde anno memorabile uſquam in Polonia geſtum eſt, præter contracta & conciliata quædam ducũ matrimonia. Nam Premislus iunior dux Poſnanienſis ſextumdecimum annum iam egreſſus, uxorem duxit Lucardem Henrici, ſiue, ut alij uolunt, Nicolai Slauorum ducis filiam, ſeptem Barnimi Scecinenſiũ ducis ex filia, ſua dente Boleslao patruo, qui nullos adhuc ſuſceperat liberos ex Iolẽta ſiue Helena Belæ regis Vngarorum filia, ſorore Kingę. Boleslaus uerò Caluus priore coniuge mortua, alteram duxit Adleidam Samborij ducis Pomeranorum filiam. Sed ea deinde uiri cõtumelia propter pellicem offenſa, pe des

ad pa-

Paulus epiſcopus diuinitus admonitus.

Poleſſienſis terra & Pruſſia uaſtata à Maſouiis & Cuiauiis.

Sileſicum bellum.

Premisli Poſnanienſium ducis nuptiæ.

Boleslai Calui nuptiæ.

ternam domum redijt. Porrò Leſcum Siradienſem cum Griffina ſua Ro ſcislai Bulgarorum ſiue Ruſſorum, ut uult alicubi Dlugoſſus, ducis fi- lia, Boleslaus Pudicus Siradiam profectus, in gratiam reduxit: cum illa accuſata publicè uiri frigiditate, detracta'que uitta matronali, totos qua- tuor annos ſeſe ab eo ſeiunxiſſet. Duo uerò portenta illo biennio in Cra couienſi territorio extitiſſe memorantur. Puer quiſpiam dentatus eo- dem quo natus eſt die, diſtinctè & articulatè locutus eſt, donec religioni Chriſtianæ initiatus, & dentes, & ſermonis uſum amiſit. Alius uerò ſemeſtris in urbe Cracouienſi prolocutus Tartaros aduenturos, & Po- lonorum capita præciſuros eſſe prædixit: rogatus'que, diuinitùs id ſe ſcire, & ſibi quoque illud malum impendère, reſpondit. Quod poſt duodecimum annum euenit, quemadmodum ſuo loco exponemus. Non libet autem & miraculum ſilentio præterire, quod illo tempore multis teſtibus accidit. Homo quidam ſplendidus equeſtris ordinis, ſed uiolentus & rapax, & ſuis iuxtà ac alienis grauis, cum grauiter ægrotaret, admonitus crebrò à religioſis quibuſdam uiris, ut ad Dei clementiam confugiens, animæ ſuæ ſaluti conſuleret: negauit ſibi ue- niæ locum relictum eſſe. Iam enim diuino iudicio traditum ſe eſſe dæ- monum poteſtati. Nec mora, audiuntur à circumſtantibus uehemen- tium uerberum & percuſſionum ſtrepitus. Apparent in corpore ægro- ti fœdi liuores atque uibices, ita ut omnes obſtupeſcerent. Inter hæc ille infelix nullam uocem, nullum'que gemitum edens, ter infelicem animam exhalauit. Hic orſus ſupplicia, quæ deinde apud inferos æter- num expenderet: ut eſſet exemplo ijs qui ex aliorum incommodis ſtu- dent ſua commoda parare. Annus tunc agebatur 1276. quo Ladi- ſlaus cognomento Chunus, apud Vngaros poſt Stephani patris mor- tem regnare cœpit: & cùm Boemis infenſior etiam patre eſſet, cum Rudolfo Cæſare, qui poſt diuturnam diſſenſionem principum electo- rum ante tres annos ad imperium euectus erat, contra Ottocarum re- gem ſocietatem belli iniit. Repetebat enim Rudolfus ab Ottocaro Au- ſtriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, forum Iulij, & portum Na- onis, quòd eas terras ſecundum Fridericum & Vlricum duces iure feudi, ut uocant, ad Imperium deuolutas eſſe diceret. Poſt id tempus Sileſia rurſus inteſtinis diſſidijs exagitari cœpit, materiam ſubmini- ſtrante inuidia. Grauiter ferebant & duces, & proceres, Croſnam, Primum, & Greifenſteinum, Conradi culpa in externorum iuriſditio- nem recidiſſe. Sed neque Conradus ipſe, neque frater eius Boleslaus, obærati ambo, redimere oppignerata poterant. Nam decem millia numùm aureorum Archiepiſcopo Magdeburgenſi exoluenda erant. Abundabat autem pecunia Henricus Vratislauienſis Henrici tertij fratris eorum filius, quæ eo puero à curatoribus ex ampliori dominatu collecta erat. Itaque ſuaſu procerum ſuorum redemit is territoria illa. Quæ res inuidiam ipſi conflauit apud patruos. Acerbior tamen erat Boleslaus. Et cum Henricum circumuenire decreuiſſet, miſit ad eum

Griffina Leſci Nigri uxor.

Portenta.

Vaticinium infantis.

Rapacis & iniuſti hominis ſupplicium.

1276 ann.

Ladislaus rex Vngarorum.

Rudolfus Cæſar bellum infert Boemis.

Sileſici motus.

Inuidia.

Crosna etiam redempta ab Henrico Vuratislauiensi.

legationem sub specie repetendę portionis hæreditariç, secundùm mortem Vuladislai fratris, qui Archiepiscopus Magdeburgensis fuerat, reuera autem solicitandorum quorundam Vuratislauiensium procerum causa, quos patrem Henrici, atque patruum Vuladislaum ueneno sustulisse erat suspicio. Dissimulato autem dolo, cum ad omnem occasionem attentus esset, rusticantem fortè Henricum in uilla sua Selce, & nihil tale metuentem, missis satellitibus cæpit, & in arcem Leben deportatum, asseruari diligenter iussit, donec aliquid ab eo uiolentis pactis extorqueret. Charus erat suis Henricus, propter probitatem, à qua etiam cognomen adeptus est, ita'que eum deinceps nos iam appellabimus. Quocirca de liberando eo consilia ineunt, exercitum comparant: à cæteris etiam ducibus, Boleslao Pudico, Cracouiensi & Sendomiriensi, Boleslao Calissiensi, Præmislo Posnaniensi, & Vuladislao Oppoliensi, indignitate rei motis, magna auxilia impetrant. Displicebat & Conrado Glogouiensi Boleslai fratris facinus in alterius fratris filium perpetratum. Itaque misit & ipse Vuratislauiensibus auxilia contra fratrem. Verùm Boleslaus explorata Vuratislauiensium apparatu, magna celeritate Saxonas, Misnios, Bauaros, atque Sueuos mercede conduxit, & prior in Vuratislauiensem oram impetum fecit. Educunt & Vuratislauienses suas copias, & obuiam Boleslao prodeunt. Inter Scorolcium et Procianum in planicie congressi exercitus, magno ardore committunt prælium. Et neutris referentibus pedem aliquandiu, tandem Boleslaus Caluus conspecta suorum & cæsorum strage, et pugnantium paucitate, uno tantum comitatus milite, clàm se ex acie subduxit. At filius eius Henricus, de tribus natu maximus, maiore animo, boni imperatoris fungens officio, nutantes suos confirmabat, laborantibus succurrebat. Et non modò instaurauit prælium, sed etiam uictor magnam in hostibus stragem edidit. Quæ eo maior fuit, quo pertinacius utrinque pugnatum est. Captus est in eo prælio Premislus dux Posnaniensium. Clade hac perculsi Vuratislauienses, Ottocari siue Premisli Boemorum regis opem implorant. Et cum antehac Crosnense territorium Ioanni Brandeburgensi Marchioni, hypothecæ nomine pro quatuor millibus marcarum tradidissent, ne Boleslaum Caluum aduersum se adiuuaret, tunc porrò Closcum dant Ottocaro, ut afflictis Henrici rebus subueniret, quòd & armis ille tunc multum ualebat, & authoritate apud sororis filium Boleslaum Caluum meritò ualere debebat. Dant autem ea lege, ut id post obitum Ottocari in Henrici ducis sui potestatem recideret. Itaque Ottocarus cum ademptas sibi à Rudolfo Cæsare ditiones, quarum superius mentionem fecimus, bello repetere necesse haberet, fecit pacem inter Boleslaum & Henricũ. Sed iniquis Henrico conditionibus, nempe, ut is Boleslao patruo, Stregomum, Nouum forum, Strozam, Greifenbergam, Prinum, & Gesuindidorfum, oppida ea sunt, iure sempiterno daret. Accepit tamen eas conditiones Henricus ut se & Præmislum uinculis liberaret. Cum autem euasisset, recuperauit a

Henricus quartus dux Vuratislauiensis captus à Boleslao patruo.

Leben arx.

Henricus Probus.

Silesiorum intestinum bellum.

Boleslai Calui fuga.

Henrici filij fortitudo.

Præmislus dux Posnaniensiũ captus.

Crosna Marchioni Brandeburgensi oppignerata.

Closcum Boemorũ regi traditũ.

Pax iniqua in Silesia.

Crosna redẽpta.

uit à Marchione Crosnam, numeratis ei sex millibus marcarum. Nam duo millia is Henrici causa falso expensa referebat. Cæpit uerò Henricus et in carcerem cõpegit suos nonnullos ex equestri ordine, quòd cum Boleslao sensisse dicerentur. Eodem anno Lituani cum Prussis peruastata Masouia, Culmensiq; & Cuiauiensi tractu, Lencicienſem quoque crudeliter depopulati, ingentem prædam abegerunt, in qua ad quadraginta millia hominum fuisse memorantur. Tunc quoq; prodigium circum Cracouiam apparuit. Etenim nocte media, in qua initium noui anni est, cœlum clara & non iniucunda luce ad breue tempus resplenduit, principis mortem, quod re postea comprobatum est, portendens. Memoratur autem & spectrum quoddam tunc in eodem Cracouiensi tractu apparuisse. Lacum enim quendam peramplum infestatione dæmonum piscationibus & usibus hominũ exemptum fuisse. Ad eum hyberna glacie concretũ uicinos cum sacerdotibus uexilla, cruces, & reliquias sacras, quibus uis dæmonum propulsaretur, ferentibus, piscandi gratia, conuenisse. Immisso autem reti, primo quidem tractu, contendentibus piscatoribus tres piscículos, altero nihil nisi rete conuolutum, tertio denicq; monstrum horrendũ caprino capite, et in speciem ignis ardentibus oculis extractũ esse. Territis autem ac diffugientibus cunctis, spectrum illud sub glaciem sese immersisse, ac toto lacu discursans, terribilem stre pitum ac sonitum edidisse: afflatosq; ab eo nonnullos homines, fœda ulcera retulisse. Resumpsit æstate sequenti Boleslaus Calissiensis cum Præmislo fratris filio expeditionem aduersus Marchiones Brandeburgenses ob Santocum, auctus Pomeranorum auxilijs. Vastanti autem ei hostilem regionem cis Odram, occurrit Otto Longus Marchio, Ottonis tertij filius, cum non contemnendis Saxonum copijs, & alijs quibusdam auxiliaribus apud Soldinum. Commissoq; prælio, facilè funditur, fugaturq;, utpote uiribus inferior, ac deinde intra munitiones arcium se continuit. Boleslaus uerò omnem oram cis Odram uictor peruagatus ac depopulatus, dimisit exercitum. Et intra anni decursum febri extinctus est, tribus filiabus relictis, quarum tutelam Præmislo mandauit. Condidit hic uiuens tres arces, Dupinum, Neslussum, & Boleslaueciam in territorio Velunensi. Condidit & monasterium Gnesnæ puellis diui Francisci, seu diuæ Claræ institutum uitæ professis. Consecutus est autem sub finem eiusdem anni, qui fuit 1279 ad quartum Idus Decembris, Boleslaus Pudicus dux Cracouiensis & Sendomiriensis: & Cracouiæ apud diui Francisci, quod monasterium ipse condiderat, sepultus est: benignus & religiosus princeps, & in egentes, cultumque Dei, ac ministros eius munificus. Cuius illa extant in Cracouiensem episcopum, & ecclesiam, memorabilia beneficia, diplomatibus eius consignata, quibus cunctos sacri ordinis homines, eorumque adscriptitios omni prorsus onere seruitutis atque pensionis duci debitæ, etiam telonij, liberauit: & ab omni suorum iudicum & magistratuum, suaq; ipsius iurisdictione exemit. Episcopum autem omnino du-

Prussi & Lituani Masouiã Culmensem, Cuiauiẽsem, Lencicienſem tractum uastant.

Prodigium.

Spectrum.

Brandeburgense bellum.

Marchio Brandeburgensis uictus à Polonis.

Boleslaus Pius dux Calisiensiũ obijt.

Dupinũ, Neslussum & Boleslauecia arces conditæ.

1279 ann. Boleslai Pudici mors.

D. Francisci cœnobium.

Cracouiensis ecclesiæ ac diœcesis immunitas & prærogatiuæ.

no ducali iure in bonis ſuis eſſe iuſsit, modò ut ſemel quotannis principem hoſpitio acciperet, ſubuectionesq; ipſi ut præberet, quando ipſi uſuueniret per epiſcopalia prædia iter facere. Ad hęc fecit poteſtatem ſingulis prælatis, ut uocant, & canonicis baſilicæ Cracouienſis, ſenos ex nobilitate, aut duodenos è plebe, quos uellent ab expeditione bellica eximendi, miniſterij ſui cauſa: inferiorum uerò eccleſiarum collegijs dimidium eius numeri. Condidit etiam ac dotauit Crizanouicenſe monaſterium ſupra Nidam amnem Præmonſtratenſibus uirginibus. Cracouiæ item apud ſancti Marci, ei ſectæ mendicantium quæ uocatur de Pœnitentia beatorum martyrum. Ciuitatem uerò Cracouienſem iure Saxonico, ſiue Magdeburgenſi, quod etiam Sredenſe & Teuthonicum uocant, quo pleraque oppida & uici & pagi utuntur in Polonia, ſtabiliuit. Regnauit autem Boleslaus hic, ſeu uixit potius poſt mortem patris, quinquaginta duos annos. Mortem eius Kinga uxor, uirgo etiam tum, moderate tulit. Quin gratias egit Deo, quòd ſe coniugij uinculo tandem liberaſſet. Ac mox unà cum ſorore Iolenta, quæ poſt mortem mariti Boleslai Caliſſienſis ad eam ſe contulerat, diſtractis & in uſus egenorum diſtributis cunctis facultatibus ſuis, diui Franciſci religioni & inſtituto uitæ ſeſe addixit: & ueterem Sandeciam, necquicquam refragrantibus & renitentibus proceribus, commigrauit, ibique reliquũ tempus uitæ in monaſterio à ſe & uiro ſuo condito, peregit. Non multo autem ante hos duos Boleslaos, tertius quoque Boleslaus Legnicienſium dux, cognomento Caluus & Rogatca, è uiuis exceſſit, Henrico, Boleslao, & Bernardo filijs, & quatuor filiabus relictis. Quo tempore etiam Ottocarus Boemorum rex in Auſtria commiſſa cum Rudolfo Cęſare & Ladislao rege Vngarorum pugna, proditione ſuorum occubuit. Succeſſit autem ipſi in regno Venceslaus filius, quinque, aut certè non plus octo annos natus. Tutelam pueri Otto Marchio Brandeburgenſis, Boemis grauis, adminiſtrauit. Tunc igitur Henricus Vuratislauienſium in Sileſia dux, Cloſcum iure ſuo recepit. Rudolfus Albertum filium Augustæ Vindelicorum, in conuentu principum Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ ducem appellauit. A quo originem duxerunt ij qui deinceps illis regionibus præfuere uſque ad noſtra tempora, & Carolum Quintum Imperatorem, Hiſpanorum, Siculorum, Neapolitanorumq; regem, ac Ferdinandum Cæſarem, ſeu regem Romanorum, Vngarorum, & Boemorum, fratres germanos, & liberos eorum inclytos,

Crizanouicenſe monaſterium. *Cœnobium D. Marci.* *Cracouienſis urbs iure Teuthonico uti cœpit.* *Boleslai Pudici ætas.* *Kinga princeps cum ſorore Iolenta monaſticam uitam amplexa.* *Sandecenſe monaſterium.* *Boleslaus Caluus ſeu Rogatca Legnicien. dux obijt* *Rudolfus Cæſar.* *Ottocarus ſecundus Boemorũ rex occiſus in prælio.* *Venceslaus rex Boemorum.* *Cloſcũ Sileſijs reditum.* *Auſtriæ ducũ & archiducũ origo.* *Carolus V. Imperator.* *Ferdinandus Cæſar & Rex.*

MARTINI

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER DECIMVS.

LESCVS NIGER.

VCCESSIT Boleslao Pudico in principatu, Cracouiensium & Sendomiriẽsium Lescus Niger ex fratre ipsius patruele ortus, quem ipse sibi Boleslaus successorem designarat, quique siue uiuente adhuc illo, siue iam mortuo Cracouiamcum uxore aduolarat, & funeri patris adoptiui iusta persoluerat. Nec tunc sanè quispiam ipsi aduersatus est, bello à Russis ingruente, cuius metus locum atque spacium noua ndis rebus non dabat. Nam Leo princeps in Russorum ducibus, Danielis filius, post Boleslai mortem media hyeme, in Lublinensem oram cum ingenti Russorum, Tartarorum, & Lituanorum exercitu inuaserat: eaque peruastata, Sendomirien sem quoque tractum ferro & igni infestabat. Sed eum Varsius Cracouiensis Castellanus, & palatini duo, nempe Petrus Cracouiensis, & Ioannes Sendomirien sis, repressserunt, cum ei se apud Goslice pagum altero à Sendomiria miliario cum parua manu temerè quidem, sed tamen euentu prospero opposuissent. Commisso enim prælio tertia die Februarij, cumnostri magno animo impetum in Russos fecissent, cęsis primis, magna trepidatio cęteros inuasit, sic ut abiectis armis terga uerterent, & auxiliares barbaros secum inuoluerent. Qui tamen, quod fugiendo pugnare consueuerunt, represso gradu restiterunt nostris paululum. Sed mox & ipsi, deserti à Russis, instantibus nostris in ueram fugam acti sunt. Fugientes longius persecuti nostri, magnam stragem edidere. Cæsa feruntur eo prælio hostium ad octo millia, capta duo, militaribus signis septem nostri uictores potiti sunt. Cętera multitudo amissa pręda euasit. Non contentus autem ea uictoria Lescus, intra paucos dies maiores coegit copias, ita ut ad triginta equitum, peditum uerò duo millia peruenirent, & in Russiam duxit, ut Leonem ulciscereturt: qui nõdum resumpto è superiori clade animo, in penitiora Russiæ sese recepit. Quocirca impunè Lescus hostilem regionem ad Leopolim usque, quæ arx cum oppido ab isto ipso Leone condita esse & nomen sumpsisse uidetur, peruagatus, direptis exustisq; multis pagis & oppidis, & aręibus nonnullis quæ negligentius seruatæ ac defensæ erant captis & euersis, ingentem prædam abegit; in qua ad quatuor millia hominum fuisse, cæsa uerò ad quinque millia feruntur. Sequenti deinde anno, qui fuit 1281. Lescus contra Vuratislauien sem ducem Henricum quartum, qui Probus dictus, re postea longè à probitate abfuit, expeditionem instituit ex huiusmodi causa. Henricus is, quem dico, Boleslai

Leo Russorũ dux

Russorũ cum Tartaris & Lituanis excursio in Poloniam.

Russi cum barbaris superati à Polonis.

Russia uastata à Polonis.

Leopolis à Leone condita. Lwow.

1281 ann.

Henricus Probus nomine, non re.

Boleslai Calui patrui fraude per iniuriam bonis quibuſdam,quemadmodum ſuperius dictum eſt, mulctatus,induxerat & ipſe in animum ſuum facinus Probi cognomento neutiquam conueniens. Nam Præmislum maioris Poloniæ, Henricum Legnicienſem Boleslai Calui, & Henricum Glogouienſem Conradi filium, duces, ad conuentum & colloquium, quaſi de re communi Bariciam, qui pagus in ditione eius erat, euocatos cæperat, & Vuratislauiam deportatos aſſeruabat, ut aliquid uicíſsim ab eis iniuſtis pactis emungeret. Indigne id ferre Leſcus, qui uocatus & ipſe unà cum cæteris ducibus Polonorum, tamen incertum qua excuſatione uſus, non uenerat. Ac Præmisli maximè uicem dolens,cum crebris literis atque legationibus nihil æqui ab Henrico impetraret, armis illum uindicare decreuit,orantibus maioribus Polonis,& auxilia pariter cum Meſciugo Pomerano pollicentibus. Itaque coadunato exercitu, & auxiliaribus illis maioribus Polonis & Pomeranis ad condictum locum conuenientibus,tripli ci agmine Vuratislauienſem Henrici ditionem aggreſſus, acerbè eam diuexauit, uſque ad Vuratislauienſia ſuburbana, maioribus Polonis maximè ob captum ducem ſuum in agreſtes & oppidanos culpæ expertes, & in innoxia tecta ſæuientibus. Nec tamen aut his malis, aut lachrymis & conuicíjs ſuorum Henricus commotus eſt, ut uel propulſaret illatum bellum, & miſerabilem ſuæ ditionis uaſtationem prohiberet: uel captos duces dimitteret, ac ſe ſuos que præſentibus calamitatibus liberaret. Sed in arce Vuratislauienſi ſe continebat. Peruaſtata omni ora Vuratislauienſi,et abacta ingenti præda Leſcus auxiliares dimiſit, & ſuas copias domum reduxit. Capti uerò duces pertæſi uinculorum eius, in cuius poteſtate erant,arbitratu ſe redemere. Ac Præmislus quidem Rudenſe ſeu Velunenſe territorium ipſi conceſsit. Legnicienſis uerò & Glogouienſis quinquennio ſe ipſi cum triginta haſtatis, militaturos eſſe dato iureiurando recepe runt,obſidibus que cauerunt. Per idem tempus,Siculi trucidatis una hora per omnes urbes ex compoſito Gallis omnibus, à Carolo ad Petrum Aragonenſem defecerunt, & Gallum regem Hiſpano commutarunt. Quod multorum deinceps bellorum inter duas has gentes & Italos ſeminarium fuit. Pruſsi uerò Cruciferorum ditionem uehementer afflixerunt: & longè lateq; ferro & igni graſſati, Chriſtiburgum, Clementiam, Zantirum, Marieuerderum ſiue Guizinum, & Grudentum arces de ipſis cæperunt, ac diruerunt. Inſequenti anno Lituani cum Iazygum reliquijs ſubita excurſione Lublinenſem regione tripartito agmine crudeliter depopulati ſunt. Iura tunc de more Leſcus reddebat Cracouiæ, cum de barbarorum excurſione certior factus eſt. Nec mora, omiſſis rebus omnibus, arma corripere his qui circumſe,quiq; in itinere erant equitibus, & ſe ſequi iuſsis, magnis itinerib. in Lublinenſem oram peruenit. Sed hoſtes iam pręda onuſti receſſerant. Itaque angebat animi,quòd ſibi hoſtẽ ulciſci,ſuosq;,qui captiui abducebant,uindicare procliue non eſſet. Neq; enim cum parua manu longè maiorem hoſtium multitudinem per ignotos ſibi, illis uerò notiſsimos ſyluarum & paludum tramites abeuntes perſequi audebat. In hoc æſtu

Duces tres dolo capti ab Henrico Probo.

Leſcus bellum infert Henrico Vuratislauienſium duci.

Velunenſis terra Henrico Vuratislauienſium duci conceſſa.

Sicilia à Gallo ad Hiſpanum defecit.

Siculæ ueſperæ.

Pruſsi multa de Cruciferis cæperunt.

Lituanorum excurſio in Lublinẽſem oram.

Somnium.

animi

animi cum eũ ex labore itineris & insomnia fatigatũ sopor inuasisset,exper gefactus deinde postero die lætus, ab Archãgelo Dei Michaele in somnis confirmatum se,& sponsione certę uictoriæ persequi barbaros iussum esse, pro eõcione exposuit. Quo sermone animatis militib.et impedimẽtis cum cõmeatu ponè se sequi iussis, ipse cum expeditis arma tantũ & aliquot die rum cibaria ferentib. recentibus abeuntium hostiũ uestigijs insistit,& inter Naruam & Nemenum flumina tertiadecima die Octobris eos consequit. Narua fl.
Necę enim belli præda impediti celerius iter facere potuere. Perculsi sunt inopinato Polonorũ aduentu barbari, quòd necę paucos,necę imbelles at que timidos tam longè persecuturos se fuisse suspicabant. Sed tamen arma cito expediũt,authorib.maximè Iazygibus, qui summa erant audacia. Inue huntur in eos nostri una & simplici acie,quòd & locus syluis cinctus,angu stus, & exiguæ copiæ,quippe quæ sex millia equitum uix continerent, di ducere manum in plures acies non sinebant. Non segniter & illi primos nostrorum impetus excepere. Sed in pugnam intentos captiui suorum si gna conspicati,fortuitu oblatis telis à tergo adoriunt. Inermes quoq; & fœ minæ clamore sublato suos animabant, & hostibus terrorem incutiebant. Quin & canes, quos secum ducebant barbari, & qui dudum lætiore ulu latu aduenientibus nostris gratulari uisi erant, sæuis morsibus barbaros ipsos impetebant. Itaque ancipiti malo perturbati, effusa fuga proximas syluas petunt. Instat fugientibus Lescus:instant & captiui mutuo sese cohor tantes, dolore & ira extimulante. Nox tandem persequendi finem fecit. In eo prælio reliquiæ Iazygum, qui pertinacius nostris restiterant, & à suisce pta religione defecerant, penitus extinctæ sunt. De Lituanis quoque,qui quatuordecim millia bellatorum expleuisse dicebantur, non multi sanè e uaserunt. Complures enim qui effugerant, partim pudore, partim timore suorum mortem sibi consciuere. De nostris, quòd mirum cuique ac diuini numinis opus uideri debet, ne unus quidem desideratus est. Lescus recupe rata omni præda,& cumulata etiam hostium cæsorum spolijs,uictor in Po loniam reuersus, Lublini templum, monimentum uictoriæ suæ condidit: ac diui Michaelis,quem in somnis uictoriam sibi pollicentem uiderat,me moriæ dedicauit. Pace per circuitum ab externis hostibus parta, ciui les motus Lescum exceperunt. Sendomirienſis enim conuentus Ioanne pa latino & Cristino Castellano eius oræ authoribus, cum quibus & Paulus episcopus Cracouiensis sentire dicebatur, ab eo defecit: & Conrado Ma souiæ duci accito,sese munitionesq; suas subdidit:nec uinci beneficijs & se cundis rebus Lesci potuit,ut concœptum in eum iam inde ab initio odium deponeret. Verùm Lescus hoc sic abire passus non est. Nam coacto tumul tuariè exercitu de Cracouiẽsi ditione & aulico suo comitatu,in Sẽdomirien sem oram contra Conradum profectus est. At ille de aduentu Lesci certior factus, cum se non satis crederet Sendomirienſibus, & paruam ipse ma num secum adduxisset, in Masouiam celeriter se recepit, promittens con

Lesci Nigri insignis de Lituanis & Iazygibus uictoria.

Iazygũ reliquiæ deletæ.

Sendomirienſium defectio à Lesco. Cõradi ducis Masouij fuga.

Lesci benignitas & moderatio.

festim se cum maioribus copijs reuersurum. At Lescus magna animi moderatione & mansuetudine usus, proceres authores defectionis destitutos à Conrado, facilè sibi reconciliauit: per quos conuentum omnem unà cum munitionibus in potestatem suam redegit, gliscensq; ciuile bellum sapienter oppressit.

Fames in Polonia.

Laboratum est fame eo & sequenti anno in Polonia, usque adeò, ut multi de plebe cum uxoribus & liberis præsens malum euitaturi, in Vngariam atque Russiam commigrarent. Sed utrobique pro salute acerbiori calamitate gentium illarum immanitate & perfidia operti sunt. A Russis quidem tributi nomine Tartaris in seruitutem traditi, ab Vngaris uerò, Cumanis barbaris uenundati. Per hoc tempus Philippus episcopus Firmanus legatus pontificius ex Vngaria uenit Cracouiam. Humanius acceptus à Polonis, quàm ab Vngaris, à quorum rege Ladislao in uincula coniectus erat, propterea quòd eum ob adulteria & Cumanas pellices

Legatus pontificius in Poloniam & Prussiam.

Ladislai Vngarorum regis nequitia, improbitas, & interitus.

post leniores admonitiones diris deuouerat. Sed ipse quoque rex pòst ab Vngaris suis in honesta custodia asseruatus aliquandiu, ad extremum à Cumanis, quorum consuetudinem & mores amplexus erat, interfectus occidit. E Polonia uerò legatus in Prussiam contendit, & controuersiam inter Mesciugum Pomeranorum ducem & Cruciferos diremit. Etenim Varcislaus Mesciugi frater, cum se ad Cruciferos contulisset, eorum institutum amplexus, patrimonium suum ipsis donarat. Eius exemplum secuti alij duo fratres, & ipsi bona sua eisdem Cruciferis addixerunt, honestum uictum quoad uiuerent, ab eis cum familia sua pacti. Ac donationes quidem illas legatus rescidit. Cæterùm Mesciugum induxit, ut Gneuense siue Meuense territorium ipse donaret Cruciferis. In quo mox illi arcem condiderunt, præsidio'que firmarunt, Puterburgum demoliti. Sequenti anno mense Octobri rursus Lituani per Lucouiense territorium in Sendomiriensem tractum improuisi excurrerunt, & magnis incommodis atque calamitatibus multos pagos & oppida affecerunt, nemine resistente. Namque nobilitas in arces proximas diffugerat. Exercebat tunc Lescus Cracouiæ iudicia, quæ colloquia nostri uocant. Quamprimum uerò de barbarorum excursione cognouit, correptis celeriter armis cum ijs qui aderant, ex equestri ordine, cæterisq; sine mora sequi iussis, nocturnis pariter ac diurnis itineribus hostem persequitur. Sendomirienses autem conuentus nobilitatem simul & rusticanos homines, præmissis ueredarijs de aduentu suo certiores facit, & occurrere sibi curriculo iubet. Concurrentibus omnibus, ubi haud longè se ab hostibus abesse sensit, aduocatis in concionem militibus, graui oratione eos in hostem animat, ut uiri esse pergerent, & coniugibus ac liberis dulcissimis, propinquis, necessarijs, atque etiam agricolis suis, qui in fœdam seruitutem à barbaris abducebantur, subuenirent. Cæsos senes atque paruos pueros, uastatos agros, incensas uillas, pagos & oppida, direpta fana, uiolata sacra grauiter ulciscerentur, & insignem suam patriæq; communis ignominiam, uel cum uitæ suæ discrimine uindicarent;

Gneuense territorium donatũ Cruciferis.

Gneua arx condita.

1283 ann.

Lituani Sendomirienſem agrũ uastant.

Lesci oratio ad milites.

dicarent. Honestissimum esse pro patria, & pro aris & focis dimicantem oc- «
cumbere. Gloriæ quàm uitæ bonos fortesq; uiros cupidiores esse debere. «
Non prouenire autem magnam atque solidam gloriam sine magnis peri- «
culis. Neque tamen eo se hæc dicere, quòd de uirtute & alacritate eorum dubitaret, aut quòd periculosum admodum illud cum barbaris certamen fore crederet. Eosdem enim esse, quos anno superiori intra ipsorum iam fines penè ad internecionem nullo de suis amisso profligassent, qui'que furtis modò & clandestinis latrociniis uicinos infestare soliti, uirtute & arte bellica nihil ualerent. Irent ergo alacres, cæsis'que suis eorum sanguine parentarent, & captiuos opem suam lacrymis & eiulatibus implorantes, liberarent. Et quo meliore spe & fiducia diuini auxilij, Dei contemptorem hostem adorirentur, confessione eos peccata expiare, & sacrosancta eucharistia communire se iubet. Atque ipse princeps sanè quàm religiose hoc fecit. Præsensere aduentum Polonorum barbari, & anni superioris fortunam reformidantes, in proximas syluas in Lucouiensi territorio sese subducunt, atque ibi de salute sua consultant. Syluis sese diu tegere non poterant. Præ- *Lituanorum consultatio.*
dam & impedimenta relinquere nolebãt, nec adeò tutum sibi receptum es- se animaduertebant, eo quòd experti iam nostrorum audaciam, etiam in intimam Lituaniam persecuturos se eos esse certò sibi persuadereut. Nec in armis magnam spem habebant. Sed tamen hoc sibi tentandum extrema penè adducti necessitate constituunt. Itaque relictis in sylua cum paruo imbecillium & ægrotorum præsidio sarcinis, captiuis'que arctius colligatis, ne sibi rursus à tergo negocium facerent, magno impetu & cum clamore incondito in nostros feruntur. Perturbauit nonnihil nostros primus eorum *Lituani iterum uicti à Lesco.*
aspectus, propterea quòd præter omnem expectationem ad se contendere eos uidebant, quos fugere crediderant, & quòd multitudine ij superabant. Sed tamen cohortante duce, & instruente acies, ciò animos resumpsere. Duas autem is incursantibus hostibus acies obiecit. quarum alteri Zegota Cracouiensis, alteri Ioannes Sendomirienses palatinus præerat. Ipse in omnes partes oculos & totum corpus circumferre, ac sollicitè circumspicere, quid quaque in parte gereretur, & sicubi laborantes suos conspiceret, ut mox subsidia summitteret. Nec diu primus ille barbarorum impetus uiguit. Sed uirtute nostrorum, quasi firmo muro obiecto, statim refractus est. Primi qui cum Cracouiensi palatino concurrerant, quod in eius acie aulicus Lesci comitatus ordinatus erat, repressi, ad fugam spectare cœperunt. Quo animaduerso, cæteri quoque conuersi syluas petiuerunt. Inde porrò continuato cursu quoquouersum diffugerunt. Poloni deposita in syluis præda potiti sunt, & captiuos relaxarunt. Quibus adiuuantibus per aliquot dies deinceps barbaros quicunque in sylua delituerant conquisitos trucidarunt. Reuertentesq; magna omnis generis hominum occurrentium lætitia excepti sunt. In Paulum episcopum Lescus *Paulus episcopus turbator iterum captus.*
Lituanicarum illarum excursionum, atque item defectionis Sendomirienses conuentus culpam conferebat. Habebat enim Paulus magnas necessitu-

dines & clientelas in tractu Sendomirienſi, & cum barbaris amicitias & affinitates coniunxerat. Leſco uerò iam inde ab initio propter captiuitatem ſuam infenſus erat, ita ut non incredibile eſſet cùm nobilitatem Sendomirienſem ab eo concitatam fuiſſe, tum barbaros in Poloniam euocatos, quo magis Leſcum inuiſum apud omnes, ſuis quenque damnis & publica indignitate acuente redderet. Itaque captus is eſt iterum à ſatellitibus Leſci, & Siradiam deportatus. Dimiſſus que deinde maiorem immunitatem bonorum ſuorum eccleſiaſticorum, & in Derzanzina pago quicquid ad ducem pertinebat, Caſtellano & Palatino, Decano que & Scholaſtico Cracouienſi arbitris à Leſco accepit. Nam tria millia pondo argenti, quæ & ipſa ſoluere Leſcus debuerat, ei remiſit. Extat ea de re diploma Leſci in baſilica Cracouienſi. Inſignis eſt hic ipſe annus & alio nefario facinore. Etenim Lucardis Præmisli ducis maioris Poloniæ uxor à pediſequis ſuis iugulata eſt. Nec expers huius culpæ Præmislus, quòd ne queſtionem quidem de ſcelere habuiſſet, nec pœnas exegiſſet, habitus, & uulgari carmine notatus eſt: quod carmen ſua ætate Dlugoſſus uulgo cantari ſolitum eſſe memorat. In quo oratio fœminæ illius repræſentetur orantis maritum pro amore coniugali & honore, quem illi ſemper habuiſſet, ne uitam ſibi adimat, ſed ut uel una ſubucula tectam in domum paternam ſe remittat. Cauſa uerò huius paricidij Præmislo ea fuiſſe fertur,
» quòd nullos ex ea ſuſciperet liberos. Quaſi uerò id in arbitrio ſit cuiuſ-
» quam, ac non diuinitus concedantur liberi. Sed non inultum id ſcelus tulit Præmislus. Quamuis enim alteram uxorem duxiſſet non multo poſterius, Rixam Suetiæ regis filiam, tamen ne ex ea quidem mares liberos reliquit. Quin etiam alijs aduerſitatibus fuit abnoxius. Inſequenti enim anno Henricus dux Vuratislauienſium Caliſsienſem arcem proditione Sandiuoij præfecti traditam ipſi eripuit. Oppidum enim paulò antè fortuito incendio conflagrarat. Erat hic Sandiuoius Ioannis palatini Poſnanienſis filius iratus Præmislo, quòd ab eo in mandandis magiſtratibus & honoribus præteriretur. Niſus eſt quidem Premislus arcem ui & armis in poteſtatem ſuam redigere, ſed repulſus à præſidio Henrici, proceribus intercedentibus cum Henrico pacificatus eſt, ea conditione, ut pro Caliſsienſi arce Olobocenſe territorium Henrico daret, & arcem ei ſuis ſumptibus in eo exedificaret. Quam arcem tertio poſt anno maiores Poloni ui expugnatam in Præmisli poteſtatem redegerunt. Neque eam tunc Henricus armis uindicauit, ſed dolos uerſabat in pectore. Ad quos ita factus erat, ut ne à ſacris quidē rebus et ſacerdotibus manus abſtineret, dum nimia opum cupiditate flagrat. Quas tamen iuſta diuini numinis uindicta poſtea alienis cū ſuo hęrede careret, reliquit. Atcp ut prętermittamus, qd Caliſsienſis arcis proditorē Ioannem cū Beniamino neſcio quo equite in carcere aliquamdiu tenuit, qui minus etiā dignū facto ſuo præmiū tulere. Illud quidē certè detestabile eius facinus ſilentio prętereundū non eſt, quod in eccleſiam Vuratislauienſem.

Derzanzina epiſcopo Cracouienſium donata.

Lucardis Præmisli uxor iugulata.

Caliſsia Henrico Vuratislauienſiū duci prodita.

Olobocum à Polonis recuperatū.

Henricus Probus ad dolos factus.

Vuratislauienſis epiſcopi & eccleſiæ bona ac decimæ uſurpatæ ab Henrico duce

slauiensem,& in episcopum eius Thomam secundum, Thomę illius,quem Boleslaus Caluus in uinculis habuerat, sororis filium, patrauit. Etenim permagnam uim pecuniæ ipsi,& uniuerso ordini ecclesiastico eius dioeceseos præter ius & morem in bellum, nescio an illud, quod cum Præmislo de Calissiensi dominatu gerere uolebat, imperauit. Quæ cum non daretur, arcem episcopi Othmuchouiam, & Nyssam oppidum, ac deinde cætera omnia episcopo & sacri ordinis bona inuasit, mox & decimas omnes usurpauit. Nec ea reddere episcopo per honestos & graues oratores, ac postea per se ipsum flagitanti uoluit, superbe'que insuper & minaciter respondit. Erat tunc Archiepiscopus Gnesnensis Iacobus gente & cognomento Suinca, Ioanni defuncto post undecim annorum uacationem & plurium competitorum partim obitum,partim reiectionem, crebramq; pontificum maximorum mutationem, fauore Martini quarti pontificis, electione collegij Gnesnensis posthabita,successor datus. Is igitur synodo Lenciciæ coacta, de eius sententia Henricum ducem communione Christiani populi una cum socijs & fautoribus sceleris & sacrilegij sui exclusit: Vuratislauiensi uerò ciuitati & omnibus locis, quæ in ditione Henrici erant, sacris interdixit. Cui decreto paritum est ab omnibus, præter Franciscanos fratres pluris facientes emolumenta sua & fauorem ducis, quàm disciplinam ecclesiasticam. Quæ res maioris pertinaciæ & crudelitatis Henrico causa fuit. Iritatus enim, episcopum & sacerdotes omnes ditionibus suis eiecit. Qui quocumque in Poloniam commigrarant, humanè & benignè recipiebantur. Episcopus autem cum in concilio Lugdunensi de ui & iniuria Henrici necquicquam questus esset, propterea quòd Henricus iam prius aures concilij falsis criminationibus per legatos occuparat, reuersus mœrens, Ratiboriam se contulit. Vbi à Cazimiro duce Vuladislai filio perbenignè & honorificè acceptus atque habitus est. Quo factum est, ut æquiore animo exilium illud suum in quintum usque annum ferret. Verùm ne ita quidem tyranni crudelitatem exatiauit. Nam is & nobiles quosdam bonos'que uiros de suis, à quibus reprehensus erat de scelere, trucidauit, & cum Cazimiro literis & legationibus expostulauit, quod inimico suo receptum præberet, minas'que adiecit, ni eum pelleret. Quæ cum à Cazimiro contemnerentur, coegit exercitum, & Ratiboriam obsidione cinxit. Nam Cazimirus uiribus eius impar, arcis munitione se continebat. Cum aliquot dies duraret obsidio, murmurare contra episcopum & cæteros sacerdotes exules plebs à uictu imparata, & præsertim ij,quorum bona in agris atque uillis diripiebantur,& qui ea formidabant, quæ uictis captis'que urbibus, ab irato hoste euenire solent. Qua re cognita, episcopus collocutus cum suis, Indignum esse, ait, ut sua paucorum exulum causa,bene merita de se ciuitas periculũ subeat,aut ullo prorsus affi ciat incõmodo ac detrimento. Prestare,ut ipsi soli uel capitib.suis irã tyrãni exatient,q; ut tot insontes et bene merentes hospites suos eodẽ secũexitio in uoluãt. Induit deinde sacras & põtificales uestes nõnullosq; de sacerdotib.

Othmuchouia arx.

Iacobus Suincã Archiepiscopus Gnesnensis nõ per electionem.

Interdictum ac diræ Archiepiscopi cũ synodo in Henricum.

Franciscani sodales interdictũ cõtempsere.

Episcopus cum sacerdotib. electus è Vuratislauiensi dioecesi.

Lugdunense concilium.

Cazimirus dux Ratiborienſium.

Ratiboria & Cazimirus dux bello petitus ob receptum episcopi et sacerdotum exulum.

Thomas episcopus Vuratisl. ad hostẽ sacrato uestitu egressus, irã eius fregit.

quemadmodum ad sacra peragenda solent, indui iubet, ita spectabilis cum uenerando illo cœtu urbe egressus, ad hostilia castra profectus est. Venientes à longè conspicatus Henricus, attonitus & quasi numine afflatus de papilione exilijt: & obuiam procurrens, ad pedes episcopi sese abiecit, & culpam supplex deprecatus est: augustius quiddam humana specie in uultu episcopi contemplatus. Benigne eum humo episcopus attollit, amplexatur, & exosculatur non sine lacrymis, certam'que ueniam, si eum factorum pœniteat, pollicetur. Deinde in proximam ædiculam diuo Nicolao dedicatam pariter ingrediuntur. Ibi semotis arbitris inter se in gratiam redeunt, cum Henricus redderet quæcunque episcopo, ecclesijs & uniuerso ordini sacro ademerat, & pro perceptis emolumentis satisfacturum se esse, ad hæc ampla munera & immunitates ecclesiæ largiturum, reciperet. Quibus peractis soluit obsidionem, & ab Archiepiscopo uinculo excommunicationis liberatus, interdictum'que sublatum est. Vt autem referret gratiam pro hospitalitate Cazimiro Thomas episcopus, collegium sacerdotum in arce Ratiborienſi instituit, ei'que decimas quasdam de suo attribuit. Porrò Henricus posteriori tempore templum sanctæ Crucis in insula Vuratislauiensi è regione basilicæ condidit, & collegium sacerdotum, datis de suo luculentis reditibus, instituit. Quin etiam cum ex uxore Ottonis Longi, Marchionis Brandeburgensium filia, nullos liberos susciperet, Vuratislauiam ipsam cum omni territorio ecclesiæ & episcopo Vuratislauiensi sempiterno iure donabat, nisi episcopus eam donationem abnuisset. Dum hæc ita geruntur in Silesia, nec in minore Polonia quietæ res fuere, turbante maximè Paulo episcopo Cracouiensi, & omnium odia in Lescum ducem, quo captiuitatem suam ulciscereturr, inflammante. Quod malum eousque progressum est, ut iam non priuata paucorum conspiratione, sed publico procerũ atq; nobilitatis consilio Conradus Cirnensium Masouiorũ dux ad suscipiendum principatũ accerseret. Cui cum exercitu uenienti Varsius Castellanus, & Zegota palatinus Cracouiensis, Ioannes Sẽdomiriensis palatinus, et Cristinus Castellanus cum Paulo episcopo & maxima nobilitatis multitudine ad Sendomiriam obuiam progressi sunt, & in uerba eius iurarunt. Itaque ille nullo negocio Cracouiensi & Sendomiriensi dominatu omni tunc potitus est. Sola restabat Cracouia, in qua se Lescus cum uxore continebat. Nec tamen explicabat rationem, quomodo eam in tanta contra se omnium conspiratione retineret. Nam & ij qui ei fauebant, qui'que in comitatu eius aulico fuerant, ab eo se subducebant, ueriti ne sibi fraudi esset, à publico uniuersi conuentus consilio dissentire. Desertus ab omnibus, ad Cracouiensis ciuitatis, cuius studia non aliena esse à se animaduertebat, misericordiam confugit. Eius fidei atque tutelæ Cracouiensem arcem commendauit. Ipse cum uxore, uel ut alij uolunt, uxore Cracouiæ relicta, in Vngariam ad Ladislaum regem profugit. Suscipiunt arcis defensionem Cracouienses ciues. Et quoniam difficulter se arcem & urbem pariter tutari posse existimabant, cùm quòd humiles

Henrici ducis cũ Thoma episcopo transactio.

Ratiboriæ collegium sacerdotum institutum.

S. Crucis templũ & collegium sacerdotum Vuratislauiæ.

Vuratislauiæ donatio refutata ab episcopo.

Polonia minor ad Conradũ Masouium à Lesco defecit.

Cracouia in fide Lesci permansit.

humiles erant urbis muri, nec bene instructi propugnaculis, tum quòd distracta multitudo imbecillior futura erat ad sustinēdam uim aduersariorum, qui iam appropinquare cum Conrado dicebantur, relicta urbe commigrant in arcem cum uxoribus, liberis, et facultatibus suis. Cognita Cracouiensium ciuium uoluntate proceres, mittunt ad eos quorum gratia & authoritate deduci eos de sententia posse credebant, & non modo impunitatem illius cœpti, sed etiam maiora à Conrado, quàm à Lesco præmia ipsis pollicentur, si consensum uniuersi conuentus secuti, Conrado sese & arcem dedant: sin recusent, minas adijciunt. Nihil neque blanditijs deliniti, neque minis territi Cracouienses ciues, respondent legationi procerum: Non licere sibi fidem & iusiurandum Lesco semel datum uiolare. Re integra in consilium illud se non esse adhibitos: ne nunc quidem ad id accessuros, cum eius rationem probabilem reddere non possent. Scirent proceres quid agerent, se omnia charissima & uitam ipsam prius amittere, quàm fidem frangere decreuisse. Quæ cum Conrado & proceribus renunciata essent, iritati & multum frementes, ad Cracouiam castra admouent. Cum'que perdifficilem sibi esse intelligerent arcis & armis, & commeatu bene munitæ expugnationem, urbem uacuam incendunt, ut uel sic ciuium siue pertinaciam, siue constantiam præsenti priuatorum cuiusque malorum aspectu frangerent. Sed nihilo tamen segnius illi arcem defendebant. Quanquā autem uastarant paula antè Tartari Transyluaniam & Vngariam usq; ad Pestum totos tres menses, tamen impetrauit Lescus à Ladislao rege non contemnenda Vngarorum & Cumanorum auxilia, & cum ijs iam aduentabat, eo quidem celerius, ut arci Cracouiensi subueniret. Id ubi didicit Conradus, occurrit ei cum exercitu, & collatis signis apud Bogucice pagum ad Rabam flumen uincitur: dissipato'que longè maiori quàm Lescus habebat exercitu, in Masouiam usque profugit, ueritus ne alienatis à se aduerso prælio uoluntatibus eorum à quibus accitus erat, in potestatem Lesci uenirent. Sic euentus tunc ostendit, uter iustius arma sumpsisset. Lescus moderatè utens uictoria, captiuos omnes dimisit, proceribus culpam deprecantibus ueniam dedit: deinde Cracouiam ueniens, Vngaros & Cumanos liberaliter remuneratos remisit: Cracouiensibus ciuibus gratias egit, urbem fortius muniuit, eius'que regimen Teuthonibus solis, qui fidem ipsi præclarè seruassent, proprium deinceps attribuit. Quod ad nostra usque tempora durauit. Habitu quoque & cultu corporis cum eis conformato, quanti eos faceret, ostendit. Hæc anno post Christum natum 1285. gesta sunt. Quo etiam Boleslaus Masouiorum Plocensium dux, Conradi frater, Russiam, siue adeò quæ Russi in tractu Lublinensi & Polessiensi de Polonis capta tenebant, repentina excursione populatus, cum præda onustus domum reuertisset, mox idem incommodum à Russis accepta damna ulciscentibus, in ditione sua uicissim pertulit. Insequenti uerò anno, Conradus frater eius Gostinino, quod in ditione Vuladislai Loctici erat, per fraudem potitus est. Cum enim nonnul-

Cracouiensium ciuium fides et constantia.

Tartari Vngariā uastarunt.

Conradus uincitur à Lesco et fugatur.

Raba fl.

Cracouiæ urbis regimen Teuthonibus mandatum.

Lescus cultu Teuthonico usus.

1285 ann.

Masouij Rußiam Rußi Masouiam populantur.

Gostininum à Cazimiro surreptū.

nõnullos de ſuis eò prodendę arcis cauſa ſubmiſiſſet, Lituanos deinde euocauit. Quibus ex improuiſo aduenientibus, ij qui ſubornati erant, arcem prodiderunt. Captam illi ac direptam Conrado conceſſerunt, plus ſexcentis hominibus ibi partim necatis, partim captis. Quos cum reliqua præda abegerunt. Non tulit eam iniuriam Vuladislaus. Verùm tumultuaria manu facta, ſilenti agmine ad Ploſcum contendit, noctuq́ aggreſſus arcem uigilibus cæſis, facilè fit uoti compos. Deinde procerum utriuſque partis opera pax fit inter duces, redditis mutuo, quas interceperant, arcibus damnisq́ Vuladislao perſolutis. Nec tamen impunè abijt, Maſouijs alienę rei manus admouiſſe. Eodẽ enim anno ab ijſdem Lituanis quos in Goſtininenſe territorium immiſerant, graui excurſione uexati ſunt, & Sochaſſouia Ploſcumq́ arces negligentius cuſtoditæ, captæ & exuſtæ. Pruſsiam tunc nouo uermium genere per æſtatem infeſtatam fuiſſe ferunt, qui caudis cancrorum præditi, quoſcunque aculeo pupugiſſent, intra tertium diem extinguebant. Hoc etiam anno Bernardus dux Legnicienſium, Boleslai Calui filius obijt. Sequenti uerò Leſcus diſsimulato propoſito per ſpeciem Lituanici belli Conrado bellum intulit. Vaſtarant Lituani cum Pruſsis Dobrinenſem tractum, qui in ditione Zemouiti erat: Dobrinum'que oppidum, magna hominum ſtrage edita, cum inexpectati die Dominico, uacante diuino cultui multitudine, irrupiſſent, diripuerant & incenderant. Fratris igitur iniuriam ulciſci ſe uelle cum ſimulaſſet Leſcus, comparato cùm de ſuis, tum de uoluntarijs cruce ſignatis non paruo exercitu, in Maſouiam deflexo itinere, obuia quæque ferro & igni nemine reſiſtente uaſtauit, & cum ingenti præda domum reuerſus eſt. Atque ex eo tempore prior illa fortuna ab eo receſsit, & ſecundæ res aduerſis commutata ſunt, ſunt, ne impunè ferret Deum & homines fefelliſſe, & prætextu pietatis iræ ſuæ impenſius indulſiſſe. Itaque & tunc licet nemine perſequente complures tamen de ſuis in traiectu fluminum amiſit, & mox ad finem eiuſdem anni cunctæ eius ditiones longè lateq́ à Tartaris peruaſtatæ ſunt, & ipſe fuga in Vngariam conſulere ſibi coactus eſt. Nam Tartari fame domeſtica ſtimulati per Ruſſos, & cum Ruſsis, primùm in Lublinenſem oram & in Maſouiam delati, locuſtarum in modum eas regiones cędibus & incendijs nuſquam abſtinentes depopulati ſunt. Inde porrò diuertentes, Sendomirienſem tractum, & nonnullam partem Siradienſis eadem crudelitate peruagati, fruſtra tentata Sendomiriæ expugnatione, Lyſecenſis monaſterij, quod S. Crucis dicitur, direptione ſuaſu Ruſſorum penitus abſtinuerunt, & ad Cracouiam pridie natalis Chriſti populabundi peruenerunt. In cuius oppugnatione cum nonnullos fortes uiros amiſiſſent, & Leſcum ducem cum uxore & primoribus in Vngariam profugiſſe didiciſſent, maiore licentia & furore in pagos & oppida uſque ad Carpathum montem debacchati, Sandecenſe tamen monaſterium, pauore, ut creditum eſt, diuinitus immiſſo, non attigerunt. Quanquam aberat inde tum Kinga. Nam cum duabus ſororibus, Iolenta, & Conſtantia, quæ Danielis

Ploſcum à Vuladislao interceptum.

Pax inter Lencicienſes & Plocẽſes.

Lituani Maſouiã uexant.

Sochaſſouia & Ploſcum arces incenſæ.

In Pruſsia uermes uenenoſi.

Bernardus Legnici dux obijt.

Dobrinum à Pruſſis incenſum.

Maſouia Cirnenſis à Leſco uaſtata.

Tartari Poloniã uaſtant cum Ruſſis.

Lyſecenſe monaſterium intactũ.

Cracouia tentata à Tartaris.

Sandecenſe monaſteriũ intactũ.

nielis Russorum regis uxor fuerat, & cum uniuerso cœtu monacharum, quæ ad septuaginta fuere, ad hæc cum magna sacerdotum & equestrium hominum caterua in Pieninam arcem, natura loci munitissimam, ac unum tantum, & eum quidem peranguſtum aditum habentem, sese receperat. Tandem satiati cędibus atq; præda barbari, in Russiam reuerterunt. Tantam autem hominum prædam tunc abegisse dicũtur è Polonia, ut cum eam apud Vuladimiriam recognoscerent, & partirentur inter se, unum & uiginti millia innuptarum puellarum censa esse dicantur. Eas enim libidinis causa seruant maximè. Prouectiores tum uiros, tum mulieres, item que paruos pueros immaniter trucidant. Ne Russi quidem quamuis socij ac tributarij prorsus expertes malorum à barbaris tunc fuere. Nam barbari excessuri è Russia, ut est malicioſum genus hominum, & incantationum atque ueneficiorum gnarum, aquas omnes infecerunt, exectis captiuorum cæsorum cordibus, & præsentissimo ueneno imbutis, & uerubus subter aquas defixis. Vnde plurimi mortales postea ex aquæ uenenatæ usu immedicabilibus morbis correpti, miserabiliter extincti sunt, cum serius mali causa animaduersa esset. Nihil acerbius ille cuncti dominatus sui status atque uastitas animum Lesci emollijt. Quin is reuersus ex Vngaria in sequentem æstatem expeditionem contra Conradum ducem Masouiæ rursus parare cœpit. Sed cum segniores ad eam esse cerneret Cracouienses & Sendomirienses, Matthæo Siradiensi palatino mandat, ut ipse cum Siradiensibus, qui minus calamitatis à Tartaris pertulerant, in Masouiam populabundus excurrat. Fecit iussa palatinus. Et iam permultis uicis pagisque uastatis pręda onustus reuertebatur, cum eum Conradus, qui ditionem suam siue ob imbecillitatem uirium, siue ex industria uastari passus erat, cum ualida equitum & rusticanorum manu occultis itineribus secutus, uicesimaquinta die Iunij in finibus Masouiæ adipiscitur: & securum incautum que exercitum ex improuiso adortus, non leui strage fudit ac dissipauit. Palatinus cum paucis fortiter dimicans, occumbere quàm fugere maluit. Præda omni Conradus potitus est. At Lescus his aduersis rebus & fugillationibus hominum afflictus, ex mœrore & angore animi in morbum incidit, quo sensim tabescens ultima demum die Septembris anni sequentis, qui fuit post Christum natum 1289. uitam cum morte commutauit, & in templo S. Trinitatis apud sodales Dominicanos honorificè sepultus est, bonus & moderatus princeps, & felix, si extrema cum primis contexuisset. Quod tamen improbitati & perfidiæ procerum magis, quàm ipsi imputandum est. Donauit hic episcopo Cracouiensi iure sempiterno decimam de omnibus metallis in cuiuscunque solo essent intra ipsius diœcesim. Præcessit autem Lescum Zemomyslus frater dux Vuladislauiensium non toto biennio, relictis tribus filijs, Lesco, Præmislo, & Cazimiro, de Salomea filia Suentopelci susceptis. Tametsi Dlugossus nullos eum liberos reliquisse memorat. Hoc anno Cazimirus Oppoliensium dux Henrici fortè Vuratislauiensium ducis uim & arma timens, Ven

Pienina arx.

Tartarorũ præda.

Puellarum captiuarum numerus.

Rußis socijs etiam nocuere Tartari.

Tartari malicioſi.

Maſouia Cirnensis uaſtatur à Siradienſibus.

Siradienſes fuſi et præda exuti à Maſouijs.

Matthæus palatinus Siradienſis occubuit.

Leſci Nigri mors.

1289 ann.

Decima ex metallis epiſcopo Cracouienſi donata.

Zemomysli ducis Vuladislauienſis mors & filij.

Oppolienſis principatus addictus principi Boemorum.

ceslao Boemorum principi & ſucceſſoribus eius ſeſe cum dominatu & liberis ſuis ſubdidit. Quod Henricus quoque Vuratislauienſis aliquanto prius uiuente adhuc Ottocaro rege feciſſe memoratur. Quãquam hic, cum nullos liberos reliquiſſet, non Boemorum principem, ſed cognatum hæredem habuit.

Vuratislauienſis item.

INTERREGNVM.

EMpus quod Leſci Nigri mortem conſecutum eſt, uſq; ad reſumptum atq; renouatum à Præmislo duce maioris Polonię regnum, interregnum nobis appellare uiſum eſt, propterea quòd Cracouienſem dominatum, penes quem ſummus Polonię principatus poſt exactum regem Boleslaum ſecundum, & intermiſſum regnum per multos annos manſerat, nemo tunc unus obtinuit. Tametſi enim ad extremum Boleslaus Pudicus & Leſcus Niger, imo & albus ferè Boleslai pater, duces Cracouienſes nihil omnino ſibi authoritatis & iuriſdictionis in cæterorum ducum ditionibus uendicauerunt. Nos tamen quo minus perturbata eſſet ſeries hiſtoriæ, eos quoq; in principũ ſiue monarcharum ordinem redegimus. Deinceps uerò pluribus de Cracouienſi dominatu contendentibus, cum penes neminem unum ſumma rerum eſſet, interregnum id tempus uocare collibuit, quod iam proſequimur. Leſco Nigro ſine liberis uita defuncto, Cracouienſis, Sendomirienſis atque Siradienſis dominatus in medio erant, quos alius iure agnationis ſibi uendicabat, alius gratia populari ambiebat, alius ui & potentia uſurpabat. Primum omnium Vuladislaus Locticus Leſci mortui frater, eodem patre, ſed alia matre prognatus, Siradienſem dominatum, ſeiungentem ſeſe à reliquis, & ultrò ſe ipſi ſubdentem occupauit. Ad cæteros quoque adſpirabat. Verùm Cracouienſis, & Sendomirienſis conuentus proceres ac equites, comitijs apud Sendomiriam habitis, Paulo epiſcopo authore & ſuaſore, Boleslaum ducem Plocenſem Conradi fratrem principem creauere, poſthabito Conrado, cui ſe bis antea uiuente Leſco ſubiecerant, propterea quòd is remiſſius & ignauius tunc agere uiſus, oblatum ſibi principatum non retinuiſſet, & quòd ipſi poſtea cum Leſco ditionem eius uaſtaſſent, ueriti ne memor eſſet acceptæ iniurię. Accitus igitur Boleslaus, poſſeſſionem principatus adit, Cracouiamq; que ſolenni pompa deducitur. Nec multo pòſt Henricus dux Vuratislauienſium ommiſſa Boemia, ad cuius principatum procerum quorundam conſpiratione contra Venceslaum inita inuitabatur, à Cracouienſibus ciuibus clàm accerſitus, cum iuſto exercitu aduenit. Venienti ciues, in quibus lanſi maximè ualebant, portas urbis, quemadmodum conuenerat, aperuere. Ibi Boleslaus noua & inopinata re perculſus, quippe qui ſpe quieti principatus potiundi cum non maximo, & ad celebritatem & ſplendorem, quàm ad bellum inſtructiore comitatu uenerat, ex arce Cracouienſi ſe proripuit: & necquicquam retinentibus proceribus, qui copias ad eſficiendum Henricum cogebant, iratus in Maſouiam rediit, dictitans, ſe non ad

Vuladislaus Locticus Siradiẽſem dominatum occupauit.

Boleslaus Plocenſis accietur ad principatum.

Henricus Vuratislauienſis Cracouia potitus.

Boleslaus deſeruit principatũ.

bellum

bellum, sed ad pacatum principatum suscipiendum, accersitum uenisse. Post discessum Boleslai, arx quoque Cracouiensis Henrico à Sulcone Medirecio, cui Boleslaus eam commendarat, dedita est. Ibi tum proceres capto ex tempore & re præsenti consilio, legationem ad Henricum mittunt, leges quasdam ipsi, si apud se dominari uellet, præscribũt. Quas cum ille accepisset, princeps renũciatus est. Nec tamen diuturna ei possessio principatus fuit. Vuladislaus enim Locticus iam Siradiensis dux, indignum ducens, alienum fratri suo Lesco successorem in principatu quęsitum esse, exercitum cogit: à maioribus Polonis & Pomeranis auxilia impetrat. Casimirus quoque frater dux Lencicienſis & Conradus ac Boleslaus Mazouiñ cum suis per se ipsi eum adiuuabant. Quibus omnibus copijs coadunatis, Cracouiam primo uere contendit, ad deijciendum Henrici præsidium. Redierat Henricus in Silesiam, relicto Cracouiæ præsidio. Factus autem certior de consilio & apparatu bellico Vuladislai, cum ipse ægrotaret, Henricum Legnicienſem Boleslai, & Præmislũ Sprotauiensem Cõradi filios patrueles suos, et Boleslaũ Oppolienſium ducem cum expeditis copijs Cracouiam mittit. Quorum aduentu cognito Vuladislaus, ad Seuerum oppidũ, quod nunc est in ditione Cracouiẽsis episcopi, ad quartum Cal. Martias eis occurrit: & prælio commisso, multis utrinq; cadentibus, ad extremum Vuladislao cessit uictoria. Præmislus Conradi Glogouiensis ducis filius, adolescens admodum interfectus, Boleslaus Oppolienſis saucius captus est. Duobus item alijs certaminibus apud Scalã & Suetnicium Vuladislaus Silesios fudisse fertur. Victor Cracouiam profectus, cum proceres & equites plerique omnes in fidem eius uenirent, apertis portis receptus, omnium consensu & acclamatione princeps renũciatus est. Sed hic item non diu possessionẽ principatus retinuit. Henricus enim Vuratislauiensis, non deiectus Seuerienſi clade, præsertim cp ciues nonnulli Cracouienses clanculum spem eius alerẽt, nouũ rursus exercitũ Cracouiã cum Henrico Legnicienſi (ipse enim adhuc decumbebat ægrotus) transmittit. Qui latenter profectus, & nihil ad celeritatem sibi reliqui faciens, cum nocte intempesta ad Cracouiã accessisset, in urbem à conscijs recipitur. Clamore sublato à Silesijs, ut fieri solet capta urbe, tumultuatur tota ciuitas. Nox atq; tenebræ incerta omnia & longè cp erant formidabiliora reddebant. Erat in urbe cum præsidio Vuladislaus, uerùm inopinato tumultu perterritus, cum neq; numerũ, neq; genus hostiũ exploratũ haberet, proditionémque metuens, ad Franciscanos sodales se recepisset, ubi suos passim per uicos & plateas cædi & se quæri didicit, sumpto monachi habitu, de muro à Franciscanis demissus euasit. Qui uerò partium eius fuerant in urbe, reperti ab aduersarijs partim necati, partim capti sunt, & bona eorum direpta. Cuius calamitatis ne Paulus quidem episcopus expers fuit, quòd impensius Vuladislao fauisset. Deinde in agros & uillas procerum & equitum, qui defectionis ad Vuladislaum capita fuisse existimabantur, ferro & igni sæuitum est. Quibus malis adacti cæteri certatim

Henricus princi patum adeptus.

Vuladislaus Locticus principatũ bello petit.

Silesiorum expeditio cõtra Vuladislaum.

Seuerũ oppidũ.

Vuladislaus uicit Silesios.

Vuladislaus princeps renunciatus.

Cracouia proditione recepta ab Henrico.

Vuladislaus Cracouia pulsus.

Paulus episcopus captus.

Henrico principatus recuperatus.

tatim in potestatem Henrici redierunt. Henricus constitutis utcunque rebus Cracouiæ, & ualido præsidio impositio, episcopo ac cæteris captiuis dimissis, properè in Silesiam reuersus est, quòd Henricum Vuratislauiensem ueneno, à suis, ut creditum est, propinato, animam agere, siue adeò mortuum iam esse accepisset. Veniens autem Vuratislauiam post mortem Henrici, multorum ciuium & procerum ac militum fauore, urbe & arce ac dominatu denique omni Vuratislauiensi potitus est, elapso per fugam Conrado patruo Glogouiensium duce, quem defunctus dux testamento hæredē in eo dominatu instituerat. Nam Cracouiensē et Sendomiriensē ditionē, cum ipse nullos liberos relinqueret, Præmislo duci maioris Poloniæ legauit. Quem per idem tempus Mesciugus etiã Pomeranorum dux, cum uxorem quidē habuisset, sed monacha quadam pro cõcubina abusus fuisset, fratribus siue iam extinctis, siue iusta uindicta præteritis, successorem sibi designauit, & mox Pomeranos in uerba eius adegit, & intra quartum annum mortuus, uacuam ipse Pomeraniæ possessionem reliquit. Morte atque testamento Henrici cognito, urbs & arx Cracouiensis Præmislo seruatur. Sendomiriensem uerò dominatum Vuladislaus retinebat, ac de recuperando etiam Cracouiensi cogitabat, cum noua et inopinata res obiecta, rationes eius omnes conturbauit. Etenim Gryphina Lesci Nigri uxor, siue pertesa belli ciuilis, siue ne dotalibus bonis à uictore eiiceretur uerita, missis clàm legatis ad Venceslaũ Ottocari & Kunegundis sororis suæ filium, Boemorum ducem, donauit ei Cracouiesem & Sendomiriensem dominatum: quem sibi à Lesco marito donatum esse, confictis diplomatis affirmabat. Non refutauit quamuis cassam & inanem donationem Venceslaus, cupidus proferendi imperij: quippe qui etiam superiori anno, Nicolaum fratrem suum nothum, per iniuriam Opauiensi dominatu eiecisset. Itaque anno sequenti, qui fuit post Christum natum millesimo ducentesimo nonagesimoprimo, cum ipse motibus quibusdam domesticis, & morte soceri Rudolphi Cæsaris impediretur, Tobiam Pragensem episcopum cum exercitu in Poloniam adeundæ possessionis gratia misit. Poterat Præmislus Cracouiam defendere ac retinere, sed quia cum Vuladislao quoque rem sibi fore uidebat, ne duplici bello pariter sese implicaret, & ut exorientem Vuladislai potentiam, quam suspectam habere cœperat, ualidiori hoste ipsi obiecto, reprimeret, deducto præsidio suo, Cracouiam Boemis tradit. Hinc omnis tractus Cracouiensis in potestatem eorum uenit. Ad Sendomiriensem deinde animos adijciunt: ac Vislicia primùm per deditionem potiuntur, deinde Oblecomum arcem prope Vistulam situm ui capiunt. Sendomiriam uerò oppugnare adorti, à Vuladislao cæsis captisq; compluribus, & plurimis uulneratis, ignominiosè repulsi sunt. Itaque inde reuertentes, relicto ad tutandas munitiones & maximè Cracouiam forti præsidio, & abducta secum Gryphina, ne sententiam suam de donatione mutaret, in Boemiam se receperunt. Ibi Vuladislaus, re apud Sendomiriam feliciter gesta

Henrici mors.

Henricus Legnicensis Vuratislauia potitus.

Henrici Vuratisl. testamentum.

Præmislus successionibus fortunatus.

Pomerania Præmislo donata.

Cracouia Præmislo seruata.

Gryphina donat principatũ Venceslao Boemo.

Opauia Boemo quæsita. 1291 ann.

Boemorum expeditio in Poloniã.

Cracouia in potestatem Boemorũ uenit.

Vislicia potiti Boemi.

Oblecomum arx.

Boemi repulsi à Sendomiria.

gesta erectus, munitiones aduersariorum armis aggreditur, et expugnat. Visliciam deiecto hostium præsidio recipit. Inde ad Cracouiam progressus, omnem circumcirca regionem, utq; adeò suburbana etiam ipsa uastat ac diripit. Nec tantum animorum & uirium habebant Boemi & nostri qui cum eis sentiebant, ut liberiores Vuladislai excursiones reprimerent. Itaq; in Boemiam ad Venceslaum mittunt, ut sibi subueniat. Mittit ille eis rursus Tobiam episcopum cum mediocri manu, ut eos utcunq; cõfirmaret, & uel inducijs cum Vuladislao bellum suspenderet, si cohibere eum nequiret. Sed is cum neque uiribus Vuladislao parem se esse cerneret, neque ferocem & indomitum animum eius flecteret, mox in Boemiã rebus infectis redijt. Cum autem uexare Cracouiensẽ oram Vuladislaus non intermitteret, crebris suorum nuncijs et querelis excitus Venceslaus, ipse per se in sequenti anno expeditionem in Poloniam fecit, & Ottonem Longũ Brandeburgensem marchionem, tutorem aliquando suum, in auxilium cum Saxonibus euocauit. Hi ergo præpotẽtes duces iunctis copijs per Oppoliensem tractum, post mediũ mensem Augustũ Cracouiã aduenerunt: et accepti honorificentissimè, aliquot septimanis ibi de ratione belli cum Vuladislao gerendi consultarũt, cum ille quiesceret interim, & hostium consilia captaret. Tandem in Siradiensem eius ditionem impetũ faciunt, eamq; liberiore excursione depopulantur. Habebat quidẽ exercitum Vuladislaus, sed nusquam tamen ad uniuersę rei dimicationẽ ueniebat: uerũ ex insidijs uexabat hostes, & sępe quiescentes & corpora curantes, quàm tumultuosissimè ad castra obequitãs exagitabat: pabulatores et frumẽtatores et lignatores è latebris subitò prosiliens excipiebat, ita ut ij postea nusquã è castris absque forti equitũ peditumq; præsidio, prodire auderẽt, & in castris excubias nocturnas duplicarent. Ita eis terrorẽ Vuladislaus incusserat. Quare nõ diu morati, oppido Siradiẽsi exusto, arce uerò in palustri loco sita, ne tentata quidẽ, Cracouiã, atque inde mox domos suas reuerterunt gloriabundi, quasi magnum operæpreciũ feciſſent, quòd pagos aliquot & oppidum, neque manu, neque situ munitum incẽdissent. Nec ita multò ante Lituani, duce Vithene per syluas Masouiæ conniuente Boleslao duce profecti, in Cuiauiam impetum fecerant: ac Brestense territorium depopulati, magnam prædam abegerãt. Annus hic 1292 post Christũ natũ insignis est etiã morte Kingę siue Kunegũdis uxoris Boleslai Pudici, sanctæ & religiosæ fœminæ. Quæ nullius unquam uiri experta concubitum, post mariti mortem, distributis in usus egenorũ & in cultũ diuinũ omnib. facultatibus suis, in Sandecensi monasterio plus duodecim annis, durã exegit uitã. Sanctimonia uerò eius multis et stupendis miraculis cùm ab ea uiuente, tũ post mortẽ ad sepulchrũ eius editis diuinitus cõprobata fuisse à Dlugosso memoratur. Sanctã fœminam improbus episcopus Cracouiensis Paulus, cõsecutus est: qui cùm alijs studijs minimè dignis episcopo, tũ uenationi sic fuit deditus, ut uenatorẽ q; feram imprudẽs à cassibus repulerat, uenabulo trã figeret. Accepit

Vislicia recepta à Vuladislao.

Vuladislaus Cracouiensem oram infestat.

Pragensis episcopus cum exercitu iterum in Poloniam uenit.

Venceslai Boemorum principis expeditio in Poloniam cũ Marchione Brandeburgensi.

Siradiẽsis tractus diuexatur.

Siradia oppidum exustum.

Lituani Cuiauiã populati.

1292 ann. Kunegundis principis mors. Castitas.

Religio.

Pauli episcopi mors & homicidium.

Procopius episcopus Cracouiēsis.

autem ſucceſſorem Procopiū præpoſitum Sendomirienſem,et canonicū Cracouienſem,quem Dlugoſſus Ruſſum de gente Cuſlorum,& Gryphinæ propinquum,ac Leſci Nigri cancellarium fuiſſe memorat. At in Sileſia per eadem tempora, Conradus dux Glogouienſis, bellum aduerſus Henricum Lencicienſem animo uerſabat, ob interuerſum Vuratislauienſem dominatum. Et cum imparem ſe illi eſſe uiribus intelligeret, incautū dolis circumuenire ſtudebat,& clandeſtinis nocturnisq; incurſationibus & latrocinijs ditiones eius uexabat. Deinde fratrem germanum Henrici Boleslaum Suidnicienſium ducem, felicitati fratis inuidentem, in ſocietatem belli aſciuit. Videns autem Henricus bellum à Conrado patruo contra ſe magno ſtudio comparari, cum non paruam Vuratislauienſis conuentus partem illi fauere non eſſet neſcius,ad eundem fratrem Boleslaum mittit oratum, ut arma ſecum aduerſus Conradum coniungat:ignarus pactorum, quæ ille prius cum Conrado pepegiſſet. Cauſificatur Boleslaus tenuitatem facultatum ſuarum. Tandem acceptis ab Henrico duobus territorijs, Iauorienſi & Stregomenſi,iuſiurandum dat,ſe ipſi non defuturū. Vbi tempus expeditionis faciendæ aduenit, admonitus pacti ab Henrico Boleslaus,moras nectere,et nunc hoc,nunc illud cauſari. Dat ei rurſus Henricus tria oppida,Reichembachum,Frankenſteinum,& Strelinū. Nihilo tamen ille magis fidem promiſſis præſtitit. Porrò Cōradus cum animaduertiſſet,non optima fide ſecū agere Boleſlaū, à quo ſperarat dolo captum iri Henricum,quemadmodum conuenerat, Luticum unum de familiaribus & conſiliarijs Henrici,gente Habdancum,donis & promiſſis ad proditionem heri induxit. Erat hic Luticus in intimis Henrici,& magnis ab eo beneficijs affectus: ſed patrem eius Pacoslaum,gratia & fauore principis inſoleſcentem, Henricus capite plecti iuſſerat, q̄ is homicidij reus, crimen, fruſtra diſſuadente ipſo iudice, gloriabundus fateretur. Lenierat tamen eum Lutici dolorem Henricus poſtea, collatis in eum plurimis & magnis beneficijs. Et ille iure cęſum patrem profeſſus,iureiurando dato, perſuaſerat Henrico,ne quid ob eam rem de fide ſua dubitaret. Hęc nō ignota Conrado erant. Itaq; cum faces Lutici animo ſubderet, ac male curatum uulnus refricaret, effecit, ut plus apud eum ualeret uetus dolor, q̄ tot recentia beneficia. Fortè in balneo ad Odram haud longè ab arce Vuratislauienſi corpus curabat Henricus, aduolat eò Luticus cum armatis, Henricúmque præmonitum quidem de aduentu ſuo, ſed nihil tale ſuſpicantem,nudum è balneo extrahit,& uili palliolo tectum atque equo impoſitum,continuato nocte diéque curſu Sanduoithum,quod in ditione Conradi erat, aſportat. Inde uinctus Glogouiam perductus,in anguſtum uas ferreum concluditur, in quo duo erant parua foramina, alterum quo cibum ſumeret, alterum quo aluum purgaret. In quo ſex totos menſes aſſeruatus,neque ſedere,neque iacere poterat. Ad extremū eò redactus eſt, ut iam tabeſcente corpore, ſanies & uermes de ſcapulis & femoribus eius ſcaturirent. His malis uictus tandem,numeratis Conrado triginta millib. marca-

Sileſici motus.

Iauoria, Stregomum, Reichembachum, Frankenſteinum,& Strelinum duci Suidnicienſi donata.

Pacoslaus cædem faſsus plectitur, quamuis gratioſus apud ducem.

Luticus Pacoslai filius, Henricum dominum ſuum, dolo capit.

Crudelitatis exemplum.

Tranſactio.

marcarum pecuniæ, datisq; Namislouiensi, Berothouiensi, Cruciborgensi, Bicinensi, Cunceſtatensi, Roſembergensi, Hainouiensi, & Boleslauiensi territorijs dimittitur. Nec tamen poſtea conualuit Henricus. Verùm tertio deinde anno lento morbo conſumptus eſt, quintus eius nominis Vuratislauiensium dux, relictis tribus filijs, Boleslao, Henrico & Vuladislao. Quorum tutelam non prius Boleslaus patruus ſuſcipere uoluit orante patre, quàm cum Sobota arx ſibi data eſſet. In minore autem Polonia poſteaquam Venceslaus Boemus uaſtata, quemadmodũ expoſuimus, Siradienſi ora receſsit, ut cum Adolpho Cæſare, qui Rodolpho ſucceſſerat, affinitatem contraheret, Vuladislaus Locticus rurſum ſubiectã illi ditionem Cracouiensem infeſtabat, & magnis incommodis præſidiarios Boemos uaſtatione agrorum prohibere uolentes afficiebat. Verùm Tartarica rabies Sendomirienſem oram crudeliter depopulata, uires eius debilitauit. Hoc adeò 1293 anno accidit. Inſequenti uerò, Vithenen Lituanorum dux, quamuis magna ſtrage paulo antè in Pruſsia fuſus à Cruciferis, & uix fuga elapſus, cum mille octingentis equitibus clàm per Maſouiam traductis, ex inopina to Lencicienſem tractum inuaſit. Oppidum Lencicienſe atq; templum propter celebritatẽ quampiam plenum hominib. diripuit, & incendit, agrosq; uaſtauit. Reuertentem cum præda Cazimirus dux Loctici frater cum tumultuaria manu prope Sochaſſouiam oppidum, uadato Bſura amne, conſecutus eſt, collatisq; ſignis magnam in barbaris ſtragem edidit. Sed ad extremum in confertiſsimos hoſtes audacius prouectus & interfectus, uictoriam hoſti conceſsit. Nam ducis caſu conſpecto, cæteri terga uertère. Tantam uerò prædam hominum abduxere tunc barbari, ut uiginti capita ſingulis cederent. Succeſsit autem Cazimiro ſine liberis defuncto in Lencicienſi dominatu Vuladislaus frater. Eodem anno Conradus dux Maſouiæ Cirnenſis morte abſumptus, cum nullos haberet liberos, Boleslaum fratrem hæredem reliquit. Nec multo poſt Cruciferi Viznam arcem in Maſouia expugnarunt & exuſſerunt, quòd ea receptaculum eſſet Lituanis, excurſiones in ipſorum ditiones & in Poloniam facientibus, cum Boleslaus crebrò à Cruciferis, ne id fieri pateretur, fruſtra eſſet admonitus. Magnus enim ei fuit cum Lituanis uſus, ita ut uxorem quoq; inde haberet Troideni ducis filiam. Sed hic iam decimo libro finis eſto. Vndecimi uerò initium à reſumpto regno nobis petatur.

Glogouiensi duci addita.

Henrici Vuratislauiensiũ & Legnicienſium ducis mors, & liberi.

Boleslai immanitas.

Sobota arx.

Adolphus Cæſar.

Vuladislaus Locticus infeſtat Cracouiensem oram.

Tartari Sendomirienſem tractum depopulati.

1293 ann.

Vithenen dux Lituanorum uaſtat Lencicienſem tractum.

Lencicia incenſa.

Bſura fl.

Cazimirus dux Lencicienſium in prælio cæſus.

Lencicienſis dominatus Vuladislao accreuit.

Conradus Maſouiorum dux obijt.

Vizna à Cruciferis exuſta.

Boleslai Maſouij uxor Lituana.

MARTINI

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER VNDECIMVS.

PRAEMISLVS REX.

Præmisli opes.

Erteſi malorum Poloni proceres, quæ Poloniam diſcerpto in multos principatus regno miſerãdum in modum afflixerant, reſpicere ad regnum et unius dominatum cœpere. Cui rei tempus etiam ipſum optatam occaſionem afferebat. Etenim Præmislus Præmisli primi filius poſthumus, uir acer & ad res magnas gerendas factus, maiorem Poloniam omnem ſolus obtinebat. In Marchia Brandeburgenſi & in Pomerania præclarum uirtutis ſpecimen ſuperiori tempore dederat. Pomeraniæ acceſsione auctus, Henricíq; Vuratislauiẽſis teſtamento Cracouienſibus & Sendomirienſibus princeps nuncupatus erat. His opibus fretus, facilè ſperabatur Præmislus & externa bella à Poloniæ ceruicibus depulſurus eſſe, & cæteros duces ad officium reducturus, & cum dignitate regium nomen laturus. Et iam Cracouienſis conuentus animi à Boemo alieniores facti erant. Erat autem magno & excelſo animo Præmislus, regnumq; ducentis quindecim annis apud Polonos intermiſſum non modò nõ aſpernabat̃, ſed appetebat etiã & ambiebat. Igitur anno Chriſti 1295. indictis Gneſnã, ueſtutã totius Poloniç metropolim, comitijs, Præmislus rex creatur triceſimũ octauum annum agens, & mox uiceſima ſexta die Iunij ſolenni ritu inunctus, diadema regium ab Iacobo Suinca Archiepiſcopo Gneſnenſi accepit, aſſtantibus Ioanne Cerbeſſo Poſnanienſi, Ioanne Romca Vratislauienſi, Goslao Plocenſi, & Conrado Lubuſſenſi epiſcopis. Nam Prcopius Cracouienſis, uel iam erat mortuus, uel certè ęgrotabat. Visaus autem Vuladislauienſis incertum qua de cauſa abfuit. Porrò Culmenſis à Cruciferis prius in ordinem redactus erat, tunc autem, ut nihil prorſus commune cum Polonis haberent, à Gneſnenſi Archiepſcopo abſtractus, Rigenſi ſubiectus eſt. Conuentus autem uniuerſus, qui erat frequentiſsimus atque celeberimus, cum Palatinis & Caſtellanis, gratulans fauſta omnia nouo regi acclamauit, & feſtis epulis ludiſq; indulſit. Suſcepto regno Præmislus mox cogitationes ſuas omnes eò cœpit intendere, ut Poloniam uniuerſam pacaret, & in concordiam priſtinam unumq; corpus redigeret. Ac primùm omnium, offenſos ob præſumptum à ſe regnum cæterorum ducum animos blandis & modeſtis legationibus demulcere, et ad reſtinguenda mutua odia, ac diſsidia inteſtina componenda cohortari inſtituit. Deinde externis bellis ſedandis tollendiſq; manum admouit, quo facilius laxatæ exhauſtæq; ſuorum uires reficerentur & coaleſcerent. Et quoniam Cruciferorum Pruſsienſium uicinitatem ſuſpectam habebat, & moliri eos

Polonorum regnũ quàm diu uacauerit.

1295 ann.

Præmislus rex creatus Gneſnæ.

Culmenſis epiſcopus Rigenſi Archiepiſcopo ſubiectus.

Præmisli regis ſtudia.

Cruciferorum uicinitas Polonis ſuſpecta.

liri eos iam nõnihil de adipiſcendo Gdano, quod ipſi propter portus commoditatem & ultramarina commercia fructuoſius multo quàm tunc erat, fieri à ſe poſſe intelligebant, quin potius ad Pomeranię totius dominatum adſpirare ſenſerat, munire Gdanum orſus eſt. Tam præclaros autem conatus eius mors immatura præcidit ſeptimo uel octauo regni ſuſcepti menſe. Mortis eius authores Marchiones Brandeburgenſes fuiſſe exiſtimantur. Qui ueteribus odijs incitati, & potentiam uicini & inimici principis, noui regni & Pomeraniæ acceſſione auctam ueriti, ac de Santocenſi territorio, quod Polonis pridem ſurripuerant, metuentes, cum eum per dolum de medio tollere ſtatuiſſent, locum atque tempus ad peragendum facinus idoneum nacti ſunt, cum ille feſſum reipubl. curis atq; negocijs animũ apud Rogoſnum Polonicum in uicinia Marchiæ Brandeburgenſis relaxaret, quòd continentes ei loco ſyluæ iucundas uenationes præbebant, tempore etiã ad id inuitante, quo uulgo, more ex priſca, uti arbitror, Liberalium ſeu Bacchanalium ſuperſtitione deducto, maiore licentia genio indulgetur. Vt igitur eum ibi ſecurum & incautum opprimerẽt, Otto Longus elector Marchio, cum Ottone altero, & Ioanne Conradi fratris filijs, ex Conſtantia Præmisli ſorore ſuſceptis, & ualida ſuorum manu nocturno itinere per ſyluas & auia profecti, diluculo eius diei, quo Chriſtiani anniuerſario ritu cinere capitibus aſpergendo præteritorum flagitiorum abdicationem, & uitæ nouationem profitentur, armatis locum circumdant, rati omnibus qui circum regem erant longa uigilia & crapula pridiana ſopitis, nihil ſibi negocij fore in peragendo ſcelere. Expergefactus tamen primo tumultu Præmislus, nec ſubita & inopinata re conſternatus, cum paucis qui euigilarant, in hoſtes ad ſe uenientes, neſciens quinam, quámque multi eſſent, inſiluit: & multis ſtrenui fortiſq; uiri operibus in eos editis, cum unus omnium telis cominus eminusq; peteretur, obrutus cecidit. Ibi diffugiunt noſtri. Attollunt ſemianimem regem Saxones, & equo imponũt, ut eum ſecum abducerent. Sed cum agitationem nullam ferre poſſe uideretur, pugionibus immaniter conſoſſum reliquêre. Volunt nonnulli Zarembas quoſdam & Nalencios, equeſtres eæ ſunt apud Polonos familiæ, cædis Præmisli ſi non adiutores, conſcios quidem certè fuiſſe, quòd ſeueriorem eum uindicem ſcelerum, & inhoneſtas parandę ei rei familiaris rationes refrenantem ferre non poſſent. Mã ſiſſeq; patrati ſceleris notam in his familijs, ut neque rubris ueſtibus uti, neque inter equeſtres homines in acie conſiſtere eis liceret, uſque ad id prælij quo Cazimirus ſecundus rex cum Ruſsis conflixit. Corpus Præmisli Poſnaniam relatum, in baſilica cum maioribus eius conditum eſt. creditur autem uxori peremptæ nęce ſua pœnas dediſſe. Poſteritatem quidem, ut concupierat, non reliquit, pręter unicam filiam Rixam, nomine materno dictam, decem annos natam. Per idem ferè tempus Procopius epiſcopus Cracouienſis mortuus Ioannem Muſcatam artium liberalium magiſtrum ſucceſſorem accepit. Condidit autem Pręmislus xenodochium ſiue hoſpitale in ſub urbano Caliſsienſi, Poſnaniæ uerò cœnobium puellis ſodalitij Dominicani. Porrò Cracouienſi epiſcopo decimam de dimidijs linis Cracouienſibus

Gdanũ munitur.

Præmislus inſidijs Marchionum Brandeburgenſiũ appetitus.

Rogoſnum in Polonia. Eſt alterum in Culmenſi. Bacchanalia.

Cineris dies.

Præmisli mors.

Zarembæ & Nalencij Præmisli interfectores.

Præmisli filia.

Ioannes Muſcata epiſcopus Cracouienſis.

Cracouienſi epiſcopo decima in ſalinis donata.

sibus iure sempiterno donauit. Cui donationi postea Venceslaus Boemus reliquum adiecit. Auulserunt postea Marchiones Brãdeburgenses ab ecclesia Posnanensi præposituram, ut ita loquar, Santocensem, peramplum sacerdotium. Cuius erat iurisdictio ordinaria intra Odram, Inam, Drauam, Vartam, & Notessum amnes. Conferendæ autem eius potestas penes episcopum Posnanensem fuit. Sed ereptam Marchiones Soldinensi ecclesiæ adiunxêre. Controuersia diu Romæ agitata, à duobus episcopis, tandem à tertio Ioanne cognomento Lozia neglecta est. Albertus Crantius etiam complura oppida tunc Polonis à Marchionibus Brandeburgensibus & Misnensibus adempta, indeque nouam Marchiam uult esse constitutam. Nec abhorret à uero. Nam de Prussis ipsi non assentimur. Nisi forti Pomeranos Prussorum nomine appellauit.

Præpositus Santocensis.

Noua Marchia.

VVLADISLAVS LOCTICVS REX DESIGNATVS.

SVBLATO per dolum Præmislo rege, ad nonum Calendas Maij, qui dies diui Adalbertimemoriæ apud Polonos dicatus est, proceres cum nobilitate & Pomeranis de nouo rege creando frequentes Posnaniam conuenerũt. Iniecta est à nonnullis Rixæ filiæ Præmisli mentio. Sed metus belli, quod à Marchionibus, atque etiam à Cruciferis impendere uidebatur, uiro forti & potenti potius, quàm imbelli puellæ regnum mandare suadebat. Vuladislaus Locticus inter duces Polonos potissimum idoneus uisus est, quippe qui & bellis compluribus gestis acer atque peritus rei militaris esset, & non parum roboris domesticis suis opibus ad teneras adhuc noui regni uires esset adiecturus, cum Siradiensem, Lencicien sem, & Sendomirien sem tractum omnem, & Cuiauiensis magnam partem ditione teneret, & Cuiauiensium ducum fratrum germanorum fauor & auxilia non defutura ipsi esse crederentur. Huc accedebat, quòd Heduigim Boleslai ducis Calissiensis filiam habebat in matrimonio. Quare cum per eum maximè Polonia tot imperijs discerpta, rursus in unum corpus coalescere, dignitatem que suam & amplitudinem pristinam recuperare, & aduersus finitimos defendere posse uideretur, magno consensu eum regem creant. Et in uerba noui regis omnes iurant. Venienti que arcium & munitionum omnium possessio traditur. Distulit tamen is, incertum qua de causa, solennem regibus inunctionis & coronationis ritum: nec regis nomen, sed hæredis regni Polonici usurpauit. Profectus autem in Pomeraniam è maiore Polonia, susceptus est summo cum honore ab omnibus, etiam à Lesco Zemomysli fratris filio, qui mox à Præmisli morte Pomeraniam occupare nixus est, Gdanum que iam tunc obtinebat. Hoc amoto, ne quid absente se turbaret, secum que abducto, Voislaum quendam Pomeranum nobilem Pomeraniæ præfecit. Sequenti deinde anno in minorem Poloniam se contulit, & Boemorum præsidia fautores que crebris excursionibus uexauit. Tametsi preter munitiones, quas presidijs Boemi tenebant, haud ferè quisquam

Vuladislai Loctici potentia & rei militaris peritia.

Vuladislaus Locticus rex creatur.

Hæres regni Poloniæ.

Lescus Gdanum occupauit.

Voislaus Pomeraniæ præfectus.

quisquam in fide ipsorum permanebat. Fauebant Silesij fermè Boemis, & in cæteras oras Poloniæ iter eis præbebant. Vuladislaum uerò regem aspernabantur. Itaque in eos tunc expeditionem fecit Vuladislaus: Silesiamque longè & latè depopulatus, luculentam prædam, nemine prohibente, auexit. Siquidem dissidebant ipsi inter se Silesij. Boleslaus enim Suidniciensium dux susceptа tutela liberorum Henrici fratris ducis Vuratislauiensium & Legniciensium, moliebatur bellum aduersus Conradum patruum Glogouiensium ducem, quòd is Henricum fratrem suum fœdo tetroque carcere ad mortem adegisset, magnaque parte bonorum mulctasset. Verùm glisсens bellum inter ipsa initia sopitum est inter agnatos, ueritos ne inter se belligerantes, tertio prædæ essent, cum Conradus duo territoria, Boleslauiense et Hainouiense ex pacto Boleslao reddidisset. Quorum Hainouiense quidem, Cozonouia arce munitum, postea filijs Henrici Boleslaus reddidit. Boleslauiense uerò retinuit, & in eo Clicedorfiam arcem condidit. Idemque cum diuitijs abundaret, Bregam, Nemcium, & Grotcouiam oppida muniuit. Et Vuratislauienses imperium suum detrectantes quodam tempore ostentata obsidione eò adegit, ut mœnium urbis altitudinem ad quatuor cubitos demolirentur: Boemum quoque, bellum sibi minantem, ad Landishutam, intrepidè cum exercitu obuiam progressus, ab instituto deterruit. Nec diu pòst pacificationem illam cum Boleslao Conradus Glogouiensis superstes fuit: à quo collegium sacerdotum ope Thomæ episcopi Vuratislauiensis accedente Glogouiæ institutū est. Secutus est eum Boleslaus. Qui primus subditis & suis Hērici fratris filiorū, exactiones inauditas ante eum diem in Polonia imposuit, nobilitatemque ex censu pro magnitudine possessionū & reddituum descripto militare iussit, cum uiritim antea militaret. Reliquit autem filios Bernardum Suidniciensium, Henricum Iauoriensium, & Boleslaum Sambicensium siue Monsterbergensium duces. Conradus uerò Glogouiensis Henricum & Conradum filios reliquit. Quorum Henricus quidem patri successit, Conradus uerò gibbosus Stinauiensis dux, præpositus Vuratislauiensis fuit. Vocatus autem ad Archiepiscopatum Salisburgensem, cum in itinere apud Viennam accepisset, ceruisiæ usum ibi non esse, repudiato Archiepiscopatu reuersus est. Homo stolidus, si nihil aliud eum mouit. Quasi uerò ne frumentum quidem ibi nasceretur, nec posset illuc tantopere concupitæ ceruisiæ coquendæ artifices deducere. Reuertens autem, à fratre compedibus uinctus est. Vnde suorum ui & ope liberatus, paruo tamen tempore uixit. Post mortem autem eius Henricus frater omni dominatu Glogouiensi potitus est. Per hoc demum tempus Venceslaus cum Iuditha uxore, quæ paulo pòst obijt, Pragæ ritu solenni regium diadema suscepit. At Vuladislaus Locticus post Silesitanam illam expeditionem in maiorem Poloniam cum copijs profectus, quieti se & ocio uoluptatibusque dedit. Quæ res ei perniciosa fuit. Etenim milites in bellis rapto uiuere assueti, nec in pace quidē ab iniurijs

Silesijs bellum facit Vuladislaus rex.

Silesiorum ducum dißidia.

Cozonouia arx.

Clicedorfia arx.

Brega, Nemeciū et Grotcouia oppida munita.

Vuratislauiēsium contumacia coercita.

Conradus Glogouiensis mortuus.

Glogouense collegium.

Boleslaus Suidnicienſis obijt.

Militandi ratio iusta.

Boleslai Suidnicienſis filij.

Conradi Gogloui enſis filij.

Conradus Archiepiscopam Salisburgensem repudiauit propter ceruisiam.

Conradus captus à fratre, & mortuus.

Venceslai coronatio apud Boemos.

Vuladislai incuria & ignauia.

Militum licentia.

atq; uexationibus tenuiorũ,& ecclesiasticorũ bonorũ direptionibus, ingenuarumq; matronarũ et uirginum stupris sibi temperabant. Eam licentiam ille nõ modò non coercebat,sed indulgentia magis etiã alebat. Cetera quoq; boni & uigilantis principis munera negligentius obibat,mulierculariũ amoribus irretitus, ita ut externi quoq; & finitimi Saxones plera q; Poloniæ & Pomeraniæ oras impunè latrocinijs infestarent. Quibus de rebus cum frustra admonitus & reprehensus esset aliquoties ab Andrea Posnanensi episcopo, cúmque nihilo minus ecclesiastica bona uexarentur,episcopus toti diœcesi suæ sacris interdixit. Et quamuis satisfecerit episcopo Vuladislaus, tamen odium eius ita altè radices egit in animis hominum, ut conuentu apud Posnaniam habito, regnum ipsi, absenti tunc fortè, & in maiorem Poloniam profecto, post tertium annum abrogarent:Henrico´que Glogouiensi,qui id ambiebat,& alijs suæ stirpis ducibus præteritis, Venceslaum Boemum regem crearent, quòd retineret is etiam tunc munitiones quasdam in tractu Cracouiensi, & nemo potentior hostis obijci Vuladislao posset. Id autem anno Christi nati 1300. factum est. Quo anno Romæ Iubileus imitatione Hebræorum à Bonifacio octauo pontifice max.primùm institutus est. Per hæc tempora Lituani cum reliquijs Prussorum assiduis excursionibus Cruciferos in Prussia & Liuonia affligebant. Nihilo tamen magis ij infectandi suos episcopos,& in bona munitiones´que eorum inuadendi studium remiserunt. Itaque & Fridericum Darbatensem episcopum eiecerunt,& Rigensem Archiepiscopum Ioannem patronum suum, quo facilius Rigam ipsi auferrent, in uincula coniecerunt. Per eadem tempora Ottomanus quispiam obscuro loco natus, apud Turcas dominatum arripuit, & res magnas gessit,ac posteris suis regnum & nomen reliquit.

Vuladislaus Locticus amoribus deditus.

Interdictum episcopi Posnaniẽsis.

Venceslaus rex Polonis expetitus

1300 ann. Iubileus institutus.

Lituani cũ Prussis Cruciferis graues.

Cruciferi in Liuonia episcopis graues.

Ottomarus Turcarũ rex primus.

VENCESLAVS BOEMORVM REX.

ACCITVS igitur splendida legatione Venceslaus, adfuit sine mora, Gnesnæ´que de more à Iacobo Archiepiscopo inunctus, ac regio diademate cinctus est: & mox Posnaniam profectus, procerum suasu duxit Rixam, quæ & Elizabetha dicta est, Præmisli regis defuncti filiam, quo magis eius coniugio regnum suum apud Polonos stabiliret. Deinde dimissis quoquouersum copijs cum Henrico siue Hincone Berca Dubio, omnia quæ dudum in ditione Vuladislai fuerant, in potestatem suam redigebat. Dum hæc ita geruntur,Rutsi tempus aduenisse rati,quo tanquã in uacuam finitimæ sibi Poloniæ possessionem impunè possent inuadere, dum Vuladislaus desertus ferè à suis de retinendo siue adeò recuperando regno laborat, Venceslaus uerò nouus rex stabiliendo eo, & redigendis domi in potestatem suam ijs, qui imperium eius adhuc detrectabant, occupatus est, magnis copijs Sendomirienſem tractum infestarunt: & longè late´que peruagati, capta & incensa arce Corcinensi, quæ lignea etiam tunc erat, raptim cum ingenti præda domũ se receperunt, prius ferè quàm ad

Venceslaus Boemus coronatur Gnesnæ, & Rixã Præmisli regis filiam uxorem ducit.

Vuladislaus bonis omnibus spoliatus.

Rutsi Sendomiriẽsem agrum uastarunt.

Corcinẽsis arx incensa à Rutsis.

quàm ad Venceslaum regem de excursione eorum nuncius perferretur. Per idem ferè tempus Lituani Dobrinum depopulati sunt. Malebat autem Venceslaus tunc Vuladislaum persequi, quàm Russos ulcisci. Verùm Vuladislaus cautus atque callidus, nusquam pedem figere, nemini se credere, omnes habere suspectos, in syluis & solis locis latitare, locumque subinde mutare, famem cœlique inclementiam patienter ferre, & clàm procerum animos pertentare. Quos ubi partim alienos à se esse, partim arma Boemorum, & Poloniæ totius consensum metuere, decretum que comitiorum præuaricari nolle animaduertit, & patrimonio quoq; omni à Boemo spoliatus est, abiecta spe recuperandi regni: & insidias aduersariorum declinans, in Vngariam profugit. Inde porrò Romam priuato habitu profectus, facinora sua duriore pœnitentia expiauit. Deinde reuersus in Vngariam, Amedei palatini Vngariæ hospitio usus est annis aliquot, occasionem expectans, qua regnum ereptum repeteret. At Venceslaus rex subactis omnibus, quæ in Loctici ditione fuerant, Gostinium quoque & Ploscum adortus est: sed re infecta, agris tantùm uastatis, è Masouia sese recepit. Nec tamen memoriæ proditum est, quæ ipsi causa uel inuadendæ Masouiæ, uel re infecta inde discedendi fuerit. Nisi fortè cum initio Masouij regem eum agnoscere noluissent, armis bello que territi, & in potestate eius fore se professi, eum placarunt. Constitutis autem rebus suis in Polonia, relictis que præfectis Boemis, penes quos rerum summa esset, in minore quidem Polonia Nicolao duce Opauiensi, in maiore uerò Fricio Silesio, in Cuiauia uerò Tassa Vissemburgio, in Boemiam rediit: siue quia prouiso sibi opus esse putabat, ne quid se absente Albertus dux Austriæ & nouus Cæsar uicto & interfecto Adolpho, turbaret in Boemia uel Morauia, seu quia pestis Poloniam infestare cœperat, seu quia Vngari quoque post Andreæ cognomento Veneti, qui Ladislao successerat, mortem, regem eum sibi expetebant. Quanquam enim miserat eis Bonifacius pontifex Carolum Martellum adolescentulum, Caroli Galli Siculorum regis filium ex Vngara matre natum, uiuente adhuc Andrea. Sed non omnes cum eo sentiebant. Multis displicebat exemplum, regem à pontifice accipiendi: Nec tamen ipse Venceslaus delatum ab Vngaris regnum suscepit: sed filium suum Venceslaum duodecim annos natum eis regem dedit. Nec multo pòst repudiantem controuersum regnum, domum reduxit. Otto deinde dux Bauariæ ab ijsdem accitus, & coronatus, à Ladislao palatino Transyluaniæ captus est: nec dimissus, donec & ipse regno se abdicauit. Post id tempus Venceslaus Poloniam nunquam aspexit. Fuerunt autem eo regnante quietæ res in tota Polonia, præter quòd minores Poloni, cùm uetusta Lublini ereptione, tum noua in Sendomirienſem oram excursione, de qua dudum diximus, iritati ultrò expeditionem aduersus Russos susceperunt. Cuius non ignari Russi, magnum et ipsi coegerunt exercitũ, Lituanorumq; ac Tartarorum auxilia sibi adiunxerunt, et apud Lublinũ nostris aduenientibus occurrentes, pugnãdi copiam fecere, freti

Dobrinum uastatum.

Vuladislai Loctici fuga & peregrinatio.

Amedei palatinus Vngariæ.

Gostininũ & Ploscum à Boemis oppugnatur.

Boemi Poloniæ præfecti.

Albertus Cæsar. Pestis in Polonia.

Vngarorũ reges.

Minorum Poloniæ expeditio cõtra Russos.

Rußi cum Tartaris & Lituanis uicti à Polonis.

multitudine ſua. Nec noſtri quamuis longè pauciores pugnam detrecta runt, & ſumma ope adnixi, uictos hoſtes in fugam egerunt præcipites. Magna tunc ea ſtrages Ruſſorum & barbarorum fuit. Fuiſſet'que maior, ni propinqua arx Lublinenſis receptum eis præbuiſſet. Tametſi ne munitio quidem ſatis eos tutata eſt. Obſeſſi enim à noſtris, cum eruptionem tentare auſi non eſſent, fame inualeſcente, ut fit in magna hominum multitudine, deditionem fecere. Ita Lublinenſis arx poſt ſeptimum & quinquageſimum, niſi fallor, annum, poſteaquam à Ruſſis capta erat, à noſtris recuperata eſt. Condidit autem Venceslaus rex Sandeciam nouam, oppidum ad confluentem Donaiecíj & Bialæ fluminum ſub Carpatho monte, quem Crempacum opinor noſtri uocant. Et erat quidem ager ille in ditione epiſcopi Cracouienſis. Verùm Venceslaus eum Biecenſi arce & oppido, quod & ipſum in confinio Vngarorum ſitum, nomen Vngarico quàm Polonico ſimilius habet, commutauit: parœciæ tamen conferendæ poteſtatem penes epiſcopum reliquit. Cuius monumentum extare Venceslai regis diploma, Dlugoſſus memorat. Nobis quidem id uidere non contigit. Sed Ladislai regis Vngarorum eiuſdem temporis uidimus, quo is arcem & territorium Ploche prope Sandeciam epiſcopo Cracouienſi donauit. Cæpit deinde noua ſpes recuperandi regni affulgere Vuladislao, cum Polonis exoſa iam eſſe inciperet Boemorum ſuperbia & auaritia, & Venceslaus Vngarico bello ſeſe implicaſſe uideretur pro Venceslao filio. Harum rerum cum non ignarus eſſet Vuladislaus, arripuit oblatam occaſionem: et Amedei hoſpitis ope adiutus, in Poloniam cum aliquanta manu Vngarorum contendit. Adueniens ex improuiſo Pelciſcam arcem, quæ in ditione eccleſiæ Cracouienſis tunc erat, Viſliciæ imminentem, occupat. Mox Boemorum præſidium Viſlicia, fauentibus ciuibus, deturbat. Deinde Lelouiam arcem & oppidum in ſuã redegit poteſtatem. Hinc iam omnis uicinia ui & metu adacta ad eum deficiebat, & copias eius augebat. Adiuuit autem & fortuna conatum eius. Nam non ita multo pòſt Venceslaus, ut fortè Vngarorum perfidiam peroſus, ex Vngaria filium repudiato regno reduxerat, Pragæ morbo correptus, uel ueneno, ut exiſtimatum eſt, appetitus, lenta tabe abſumptus eſt, nono Cal. Iulíj, anno Chriſti Ieſu 1305. Eius morte cognita, res Vuladislai aliquanto meliore loco eſſe cœperunt. Nec magno is negócio agreſtium ferè opera Sendomirienſem tractum omnem, deiectis undiq; Boemorum præſidíjs recepit. Tunc uerò primores cùm pleraq; omni nobilitate Cracouienſis & Sendomirienſis conuentus fortunam ſecuti, cum Vuladislao ſe coniungunt, & ad ſubigendas Cracouienſis oræ munitiones, ducem eum ſequuntur. Iam uerò & Ioannem Muſcatam Cracouienſem epiſcopum Vuladislaus ſibi recõciliauerat, cum ei Biecenſe territorium cum arce ab Vngaris auxiliaribus ſuis capta, redditurum ſe eſſe promiſiſſet. Venienti cum exercitu, Cracouienſes ciues Alberto aduocato authore portas urbis aperuere. Nec mora, arcem quoque Boemi dedidère, cum tardius ipſis ſubueniret iunior Venceslaus, qui

Lublinenſis arx per deditionẽ recepta à Polonis.

Sandecia cõdita.

Sandecz.

Bialaſl.

Crempak mons.

Biecz arx & oppidum.

Ploche arx epiſcopo Cracouienſi donata.

Vuladislaus regnum repetit.

Pelciſca arx eccleſiæ Cracouienſis.

Viſlicia.

Lelouia.

Venceslai regis mors.

1305 ann.

Biecz arx ab Vngaris capta.

Cracouiam recepit Vuladislaus.

qui patri hæres in Boemia succesſerat, & uictus atque commeatus inopia longiorem obſidionem ſuſtinere non poſſent. Fecit tandem anno ſequenti Venceslaus iunior expeditionem in Poloniam regni paterni repetendi cauſa, cuius iam titulum uſurparat. Sed antequam Poloniæ fines attingeret, Olomucij, quod primarium oppidum eſt Morauiæ, meridiano tempore in cubiculo quieſcens interfectus eſt, à ſuis ne, an ſubornatis ab Alberto Cæſare percuſſoribus, ne tum quidem in recenti ſcelere certò ſciri potuit. Ex eo tempore Boemi externos reges & principes habere cœperunt. Ac primùm quidem ad Henricum ducem Carinthiæ, cum quo Venceslai iunioris ſoror nupta erat, regnum detulerunt. Sed eum ſtatim Albertus Cæſar expulit, & Rudolphum filium ſuum cum Rixa ſiue Elizabetha regina uidua matrimonio coniunxit, & principem eis dedit. Qui cum paulo pòſt Pragæ obijſſet, Boemi Henricum reuocarunt. Alterum filium Fridericum Albertus Cæſar eis inuitis præficere uolebat: ſed in ipſo apparatu belli à Ioanne Rudolphi, fratris ſui filio, interfectus eſt. Nec tamen Henrico diuturnus fuit principatus. Peroſi enim hominis mores Boemi, ab Alberti ſucceſſore Henrico Cæſare eius nominis ſeptimo, Ioannem filium Lucemburgenſem comitem, Elizabethæ Venceslai regis iuniori ſorori maritum, & ſibi regem dari poſtularunt, & impetrarunt, & ritu ſolenni regnare iuſſerunt. Hæc omnia intra ſextum annum peracta ſunt poſt mortem Venceslai.

Venceslai iunioris expeditio in Poloniam.

Olomucium oppidum.

Venceslaus interfectus.

Boemorum regũ ſtirps defecit.

Boemorum principes poſt Venceslaum tertium.

Albertus Cæſar interfectus.

Hẽricus ſeptimus Cæſar.

Ioannes rex Boemorum.

VVLADISLAVS LOCTICVS ITERVM.

MORTE autem eius uulgata apud Polonos, tunc uerò Boemi, qui iam antè alienatas eſſe à ſe Polonorum uoluntates perſenſerant, ſibi proſpicere, ac de præſidijs undique decedere. Noſtri uerò, quos ad eum diem metus Boemorum continuerat, in poteſtatem Vuladiſlai ueniunt: & actis Cracouiæ comitijs, magno omnium conuentuum conſenſu Vuladiſlaus iterum rex creatur. Poſnanienſes modò et Caliſſienſes aberant, quòd abhorrerent ab imperio Vuladiſlai, priſtinorum flagitiorum & iniuriarum eius memores, & ueriti, ne is grauius in ſe animaduerteret, quòd eum prius eieciſſent. Itaq; à cætera Polonia ſeſe tunc ijſegregarunt, atque Henrico duci Glogouienſi Conradi filio, quòd ex ſorore Præmisli natus erat, ſubdiderunt. Quod quidem diſſidium in cauſa fuit, quo minus tunc Vuladiſlaus coronaretur, cum diadema ac reliqua regni inſignia Gneſnæ de more aſſeruarentur, & Archiepiſcopus, ſine quo non fit coronatio, in ditione Henrici eſſet. Tametſi uacua tunc fuit rurſus annis aliquot ſedes metropolitica poſt obitum Iacobi Suincæ Archiepiſcopi, propter diuturnam Cardinalium diſſenſionem in creando pontifice max. poſt Benedictum undecimum, qui Bonifacio octauo ſucceſſerat, & quòd ad extremum Borislaus electus Archiepiſcopus confirmatus tandem à Clemente quinto, qui Bonifacio ſucceſſit, antequam Auinione diſce-

Boemi Poloniæ exceſſere.

Maiores Poloni Henrico Glogouienſi ſeſe ſubijciunt.

Metropoliticæ ſedis uacatio.

Ianislaus Archiepiscopus Gnesnẽsis.

discederet, extremum uitæ clausit diem. Cui pontifex Ianislaum Sulimęũ dedit successorem. Fecit autem bellum Henrico Vuladislaus: uerùm illo

Vuladislaus Henrico duci bellum fecit.

nusquam in dimicationem prodeunte, ac munitiones modò defendente, uastatis per æstatem aduersariorum agris, uillis, & oppidis, in Pomeraniam

Pomerani iurant in uerba Vuladislai.

cum nonnullis Polonorum proceribus, in quibus fuit & Kelcius Posnaniensis palatinus, descendit: & Gdani ab uniuerso Pomeranorum cõuentu iusiurandum accepit, quòd in potestate eius futuri semper essent. Præfecit autem toti Pomeranię Præmislum & Cazimirum duces, Zemomysli fratris filios, Gdano excepto, quod pariter cum arce Boguslì iudicis Pomeraniæ fidei commendauit. Dum autem Vuladislaus Gdani commoratur,

Gdano præfectus Boguslaus.

Lituani maiorem Poloniã uastant.

Lituani silenti agmine per syluas progressi, in maiorem Poloniam excursionem fecere, Calissiam & Stauissinum oppida incendère, & omnem circumcirca regionem uastauere, & ingentem prædam dissimulantibus Masouĳs & qui Vuladislao parebant, abegerunt. Eodem anno, qui fuit 1306.

Calißia et Stauissinũ oppida incẽsa.

octaua die Mañ, basilica Cracouiensis, & arx tota, quę lignea tũc erat, penitus cõflagrauit, cũ ex ea parte urbis, quę circũ ędem omniũ sanctorũ est, fortuito incendio ardente carbo ardẽs uento delatus in tigno basilicę plũbo tectæ inhęsisset. Sed basilica dirutis ueteribus muris, in eam quam nunc obtinet formam & amplitudinem post quatuordecimum annum reædificata

1306 ann. Cracouiensis arx & basilica arsit.

est à Nankero episcopo Silesio nobili gente Oxio, qui Ioanni successit, conferente in eam rem pecuniam nõ modò collegio & episcopo, uerùm etiam uniuerso ordine ecclesiastico, qui est in diœcesi Cracouiensi. Ad hæc semestribus fructibus omnium sacerdotiorum, quæcunque per illud tempus

Nankerus episcopus Cracouiẽsis.

uacare contigit, in eum usum conuersis. Non diu uerò pacatam tenuit Pomeraniam Vuladislaus. Author nouorum motuum fuit Petrus Cancellarius Pomeraniæ, Suianciæ palatini Gdanensis filius, qui quanto plus

Collecta seu contributio ad instaurationem templi Cracouiensis.

possidebat, tanto maiore cupiditate & ambitione flagrabat: & cum repulsam à Vuladislao de quibusdam postulatis passus esset, consilium cępit nefarium prodendæ Marchionibus Brandeburgensibus patriæ, patre si non impulsore, certè non inscio. Nec difficile hoc ipsi erat peragere, cum & dignitas inter Pomeranos maxima esset eius familiæ, & nouem arces Petrus in sua potestate haberet. Sed proditis re nondum matura eius consilĳs aduolat Vuladislaus, captum que Petrum Cracouiam secum abduxit. In quem si minus lenis fuisset, minus fortassis postea negocĳ cùm ipse, tum posteri eius habuissent. Sed erat in fatis, ut Polonia Cruciferorum armis exagitaretur. Dimisit enim eum non multo pòst Vuladislaus, à fratribus eius exoratus, cum ĳ se obsides fore pro fratre obtulissent. Atque ĳ quoque, cum negligentius adseruarentur, breui euaserunt, & ad Petrum carceris ignominia & meditati sceleris infamia iritatum, sed de ipsorum tamen salute sollicitum peruenientes, omnem ei dubitationem sustulère. Acciti Ioannes & Voldemarus tutor eius, Marchiones cum exercitu Pomeraniam ingressi sunt. Nec mora, pleraque omnes eius regionis munitiones partim per deditionem accepere, partim expugnauere, adiuuante Petro cum fratribus necessarĳs, & clientibus. Ad Gdanum deinde

Palatinus Gdanẽsis.

Petrus Cancellarius Pomeraniæ p ditor captus, & dimissus.

castra

castra admota sunt. Et oppidani quidem, cum magna iam ex parte Teutho nes essent, & cum Teuthonibus plurima haberent commercia, Saxonibus portas urbis aperuerãt. Arcem tenebat Boguſſus iudex cum nobilitate Pomeranica, quæ se perfidia Petri non contaminarat. Is igit̃ ueritus ne obsessi extrema pati cogerent̃, néue aut molestia diuturnę obsidionis fracti, aut largitione corrupti, hosti arcem dederẽt, cum Nemira honestissimo equite maximis itinerib. ad Vuladislaũ, commendata alijs arce, excurrit: repertumq; Sendomiriæ, de statu rerum Pomeraniæ, ac de periculo Gdanensis arcis edocet, opémque eius implorat. Pollicetur Vuladislaus, breui se eis affuturum esse auxilio. Sed quia tardius id fore iudicabat Boguſſus, quàm præsens necessitas postulabat, si tunc primùm indici uniuersæ Poloniæ expeditio in Pomeraniam deberet, præsertim æstate iam declinante, suggerit Vuladislao, ut Cruciferorum Prussiensium opera ad defendendum arcem uteretur, tantisper dum ipse commodè bellum aduersus Saxonas comparare posset. Erant uicini Gdano Cruciferi, semper q́ue ferè in armis erant, & facultatibus abundabant. Ad hæc Polonorum se amicissimos, ita ut iure optimo esse debuerant, præ se ferebant. Itaque approbat Boguſſi consilium Vuladislaus: extemplo q́ue Boguſſus ipse, cum regijs mandatis ad Magistrum Cruciferorum proficiscitur. Dato concilio commemorat Polonorum & maximè Vuladislai maiorum in Cruciferos beneficia: pro ijs unam illam gratiã postulat, ut arcem Gdanensem aduersus Saxonas defendendam suscipiant. Non immemorem, nec ingratũ fore erga ipsos Vuladislaum. Prolixè illi omnia polliciti, constituerunt cum Boguſſo, ut dimidiam arcem ipsi tenerent, & annum unum suis sumptibus defenderent, deinceps uerò post exactum annum quæcunque impendia facerent, ut ea Vuladislao expensa referrent: nec prius arce decederent, quàm exoluta illa sibi essent. Damnorum uerò, si qua acciperent, nulla ratio duceretur. Erant pacta in speciem amica, dignam q́ue religione & professione hominum erga patronos gratitudinem ac pietatem præ se ferebant. His igitur conditionibus in arcem recepti, magnam uim commeatus secum importarunt. Ac munera domicilia q́ue cum Pomeranis, quemadmodum conuenerat, partiti, non habebant satis defendere munitionem, sed crebris eruptionibus hostem lacessebant, ita ut is in oppidum se recipere cogeretur, & ad extremum instante hyeme obsidionem solueret, relicto q́ue in oppido aliquanto præsidio discederet. Verùm id quoque non ita multo pòst expugnatum, & præsidium interfectum est, ac de authoribus defectionis sumptum supplicium. Et iam non magnopere opus erat adiutoribus ac defensoribus Cruciferis: uerùm tamen alebant ij metum Pomeranorum, & subinde plures armati in arcem submittebantur. Cum autem superiores iam se esse Pomeranis animaduerterent, ferocius sese gerere, ac sæpe cum illis iurgari atque rixari. Ad extremum apertius totam sibi arcem uendicarunt, & primores nobilitatis Pomeranicæ, ipsum q́ue præfectum arcis Boguſſum in carcerem compegerunt. Qua necessitate adductus Boguſſus

Gdanẽses dedũt se Marchionibus.

Boguſſi fides.

Pernitiosum consilium.

Gdanensis arcis defensio commendata Cruciferis Pruſsiensibus.

Pacta Cruciferorũ cũ Boguſſo de defendenda arce Gdanensi.

Gdanũ receptũ.

Gdanensem arcẽ Cruciferi in suam redegerunt potestatem.

Boguſſus cũ præsidiarijs Pomeranis captus à Cruciferis.

noua pacta cum ipsis iniuit, nimirum ut totam arcem ipsis concederet, ibi uerò eam Vuladislao ad primam eius postulationem deinde redderent, cum is impensas belli eis exoluisset. Suspicabantur quidem Pomerani subesse dolum his pactis. Sed quid facerent? Vis eis & iniuria, atque adeò præsens exitium ante oculos obuersabatur. Itaque cuncti arce excesserunt. Qua re ad Vuladislaum Cracouiam perlata, cœpit eum pœnitere consilij, de acciendis in auxilium contra Saxonas Cruciferis: Videbat enim se lupis, quod dicitur, oues commendasse: & non sublatum, sed duplicatum sibi esse bellum, duos'que se pro uno hostes cæpisse. Ac tunc demum recordabatur, adhuc Præmislo regnante Cruciferos ad interuertendum Gdanum adspirasse. Nec multo dissimili cupiditate, quamuis dissimili arte, Michalouiensem ditionem, Culmensi ac Dobrinensi finitimam usurpasse. Acceperant eam hypothecæ nomine à Lesco duce Cuiauiæ ac domino Vissegradensi (hoc enim titulo is in diplomate suo usus est) datis ei mutuo trecentis marcis Torunienſibus, quibus ille se in bello Vngarico à Venceslao Boemorum rege captum redimebat. Conuenerat autem Cruciferis cum Lesco, ut si is intra triennium pecuniam illam non redderet, propria iure sempiterno Cruciferorum fieret ea ditio. Et offerebat quidem eis Lescus cum fratribus pecuniam intra constitutum tempus, non acceptarunt tamen eam illi, degustata semel possessionis & utilitatis dulcedine, iam hoc, iam illud causificantes, donec aliquanto pòst Lescus necessitate adductus, acceptis insuper ab eis ducentis sexaginta duabus marcis, dominatu illo, & iure suo omni sese abdicauit. Hæc tunc secum de Cruciferis Vuladislaus reputabat. Nec tamen spem penitus omnem de fide eorum abijciebat. Existimabat enim, quamuis literis & legationibus nihil apud eos proficeret, tamen si ipse in colloquium cum eis ueniret, facilè authoritate sua ad æquas conditiones rem perduci posse. Alebant illi hanc spem eius blandis responsis, quo maiore ui ac diuturnitate temporis Gdani possessionem sibi stabilirent. Tandem constituto loco atque tempore conueniunt rex, & Magister Cruciferorum, Henricus apud pagum Craiouice in tractu Cuiauiensi cum primoribus uterque suis. Ibi Vuladislaus exorsus, longa oratione cum Magistro de iniuria occupatæ arcis, & eiectorum suorum expostulat: beneficia maiorum suorum in ordinem Cruciferorum commemorat, pro quibus aliter ij gratiam sibi referant, quàm gratis bonis'que uiris, & eximiam pietatem atque religionem habitu profitentibus, dignum sit. Atque ut ingrati, iniusti, atque impij esse uellent, fidem quidem certè uel unicum, uel maximum societatis humanæ uinculum, & pacta conuenta, quæ ne barbari quidem temerè uiolarent, seruare eos debuisse. Ad hæc Magister nihil beneficiorum, & ingratitudinis, perfidiæ'que exprobatione commotus, placidè & modestè respondet: Se, quicquid fecerit, bono Vuladislai fecisse. Metuentem enim, ne Pomeranorum insolentia, suorum'que impatientia res in maius malum erumperet, excedere Pomeranos arce iussisse, quam retinere ipsi per se non

Michalouiensem ditionē quomodo adepti sint Cruciferi.

Cruciferorū pacta cum duce Cuiauiæ.

Vuladislai cū Cruciferis expostulatio.

Magistri Cruciferorū responsum.

possent

possent. Paratum autem se esse eam reddere, si impendia sibi persolverentur. Æquum eum Vuladislaus postulare affirmat, & edere impendiorum summam iubet. Ibi ille conceptum animo dolum detegit, ac centientes mille marcas latorum grossorum (genus est Boemici numismatis quarta parte nostratem grossum excedens) poscit. *Lati grossi siue Pragenses.* Negare Vuladislaus iustam esse eam æstimationem, bonorum'que uirorum arbitrio in ea stare uelle. Recusare id magister, & quantum edidisset poscere. Ingens tunc ea summa fuit in magna annonæ uilitate. Itaque re infecta, & iritatis magis animis, disceditur. Cruciferi omnem iam Pomeraniam animo complexi, maiore ui bellum comparabant. Augebat autem eis spem potiundæ eius, quòd sciebant Vuladislaum ciuili aduersus Henricum bello de maioris Poloniæ possessione distineri. Lituanos quoque non modò aduersariorum, sed etiam ipsius Vuladislai ditiones infestos. Nam excurrerant ij superiori tempore populabundi non modò in Calissiensem oram iterum, sed etiam in Siradiensem, quæ in Vuladislai ditione erat. Ipsi uerò Cruciferi prosperiore fortuna contra Lituanos bellum gerebant. Temporis igitur opportunitate sibi utendum rati, anno Christi 1310. magnas è Germanis suis copias conducunt, cum Marchionibus Brandeburgensibus fœdus iciunt, ea lege ut ij retinerent, quicquid superiori bello in Pomerania occupassent: Gdanum uerò, Dersauiam, & Suece, munitiones in ripa Vistulæ sitas sibi bello quærendas concederent. Et sanè facile est de alieno esse munificum. Deinde Cruciferi ad Gdanense oppidum, quod in potestate Vuladislai erat, & à Pomeranica nobilitate defendebatur, castra admouent, eo potissimum tempore, quo plurima eò multitudo hominum undique ad mercatum & anniuersarias nundinas confluxerat, hoc est primis Augusti mensis diebus. Id'que eo maximè consilio fecêre, ut ex direptone opulenti oppidi, & mercatorum atque nobilitatis, quæ facultates suas eò importarat, pecuniam in stipendia militum & in cæteros usus belli conquirerent. Defendebatur quidem oppidum strenuè, pluri'mum'que negocij in expugnando eo habituri esse uidebantur Cruciferi, ni proditio interuenisset. Etenim nocte quadam hostes à ciuibus quibusdam Teuthonici generis aperta porta intromissi, oppidum cæperunt, ingentem'que cædem hominum omnis ordinis, ætatis, atque sexus ediderunt, ut eo crudelitatis exemplo reliquos à defensione cæterarum munitionum deterrerent. Nec in ulla cuiuspiam munitionis expugnatione plus Polonici sanguinis effusum esse proditur ab ullis barbaris, quàm tunc à religiosis illis, & Polonorum beneficiarijs effusum sit. Gdano potiti, ad Dersauiam, quæ Tyscio uum appellatur à Polonis, ducunt exercitum: neque tamen interim populationibus & incendijs pagorum & uillarum, hominum'que cædibus abstinent. Præerat arci Cazimirus dux, cui cum Præmislo

Lituani Calisiensem & Siradiensem tractum uastant.

1310 ann.

Cruciferorum fœdus cum Marchionibus.

Pomerania bello petita à Cruciferis.

Gdanenses nundinæ.

Gdanensis urbs prodita Cruciferis.

Cruciferorũ crudelitas.

Tyscouo.

fratre Pomeraniam à Vuladislao commendatam fuisse, superius memorauimus. Is igitur de aduentu hostium factus certior, ad castra eorum cum Vincentio decano Gnesnensi proficiscitur, quòd non parua ei erat cum Cruciferis & Magistro consuetudo. Sperabat enim eos sua causa susceptum bellum deposituros esse, propterea quòd meminerat, prolixè eos sibi fratri'que suo de studio & beneuolentia sua polliceri. Admissus in conspectum Magistri & Commendatorum (nam sic ipsi uocant eos, qui rectius legati uel præfecti dicerentur) supplicis habitu, Magistri erga se fratrem'que Præmislum beneuolentiam atque pollicitationes commemorat. Eius hortatu se administrationem Pomeraniæ suscepisse. Nihil unquam hostile, sed bonam uicinitatem, & auxilium ab eo sperare iussos. Orat deinde, ut pollicitationum suarum & officij memor esse uelit, exercitum'que deducat. Si quid ipse, frater'ue suus, aut Pomeranorum quisquam, aut patruus denique suus Vuladislaus, in eum, uel in ordinem Cruciferorum deliquisset, cumulatè satisfacturos esse. Superbè & improbè ei Magister respondit, fassus ea quæ ille commemorarat: uerùm eò id se fecisse, quòd ipsos, quàm potentiorem quempiam uicinum habere mallet. Nunc se, quàm illos Pomeraniam obtinere malle. Sibi se esse amiciorem quàm ipsis. Verùm eam tamen se eis gratiam facere, ut eis præsidium deducere, & res suas saluas auferre liceat. Aut si id nollent, sese sua'que defenderent. His dictis, mensam apponi iubet, inuitat hominem comites'que eius comiter. Dum illi prandent, interim exercitus Crucifericus arcem obsidione cinxit. Peracto prandio, cum Cazimirus nihil æqui à Magistro impetraret, & in arcem cum suis reuerti uellet, uidet aditum obsessum ab hostibus. Mittit ad Magistrum qui eum admoneant, præter officium & ius gentium id sibi factum uideri, quòd interim dum ipse de pace agit, arx obsessa sit, & ipse ab ea excludatur. Respondet Magister, Errasse Cazimirum, qui existimarit, se cum tanto exercitu ad quietem somnum'que capiendum eò uenisse, ullum'que tempus uacuum à rebus gerendis intermissurum esse, donec Pomeraniam in suam redigat potestatem. Si sibi ille auscultare uellet, arcem sibi, deducto præsidio, rebusque exportatis, traderet. Ibi Cazimirus cum sciret arcem non satis munitam esse aduersus tantam uim hostium, neque commeatu instructam, consilium cæpit necessarium dedendæ arcis: saluis'que rebus & hominibus ad Præmislum fratrem in Suecensem arcem se contulit. At Cruciferi Dersauia incensa, ulterius progressi, Choiniciam, Nouum, & alia quædam ignobilia oppida partim per deditionem acceperunt, partim expugnata exusserunt. Deinde ad Suece castra mouerunt, quæ una erat arx reliqua in Pomerania, natura arte'que bene munita, & ad ferendam longiorem obsidionem instructa, quòd in eam se Præmislus & Cazimirus duces, & Pomeranica nobilitas omnis, quæ supererat, cum copijs & facultá-

Commendatores Crucifer orum. Cazimirus dux supplex Crucifris.

Magistri superbũ et improbum responsum.

Dersauia dedita Crucifris.

Choinicia & Nouũ oppida capta.

Suece arx obsessa & oppugnata.

cultatibus suis contulisset. Quod cum intelligerent Cruciferi, maiore cura ad expugnationem eius animos intendere cœperunt: excitatis que machinis aliquot, mœnia arcis, quæ lignea erant, quatere instituerunt. Ac duobus patibulis è regione arcis positis, exitium obsessis, ni arcemederent, minabantur. Quo uerò maiorem terrorem eis incuterent, quotidie aliquot homines rusticanos captos appendebant. Facilè autem omnes alios Ziffridus quispiam Commendator, optimus scilicet pietatis & humanitatis præceptor (nam & hoc sibi nomen uendicant) crudelitate anteibat: qui quotidie compluribus funibus atque restibus in equum impositis, deuouebat non prius se sumpturum esse cibum, quàm omnes illos funes atque restes in suspendendis Polonis siue Pomeranis expendisset. Verùm hanc eius plus quàm barbaricam immanitatem iusta numinis uindicta diutius impunè grassari passa non est. Etenim quadam die cum ad focum adstaret, furijs derepentè exagitatus in ignem se proiecit, & sic infelix, qui permultos iniustè perdiderat, iustè perijt. Nihil tamen Cruciferorum illa crudelitas minæque, eorum qui in præsidio erant animos à defendenda arce & obsidione perferenda retardabat. Itaque Cruciferi cum animaduerterent sedendo se tempus terere, & aperta ui nihil proficere, ad dolos sese conuertunt. Andream Cedrouicium, quempiam de Pomeranis, gente Gryphium, auro corrumpunt, ut arcem sibi proderet. Is igitur nocte quadam chordis catapultarum, & balistarum, quibus nostri maximè hostium uim eminus reprimebant, succisis, ad Cruciferos transfugit: & quid egerit, exponit. Igitur postero die Cruciferi magna fiducia turres, quas excitarant, ad mœnia arcis propius prouoluunt ab ea parte, quæ interrupto fluminis ambitu liberiorem præbebat aditum. Nostri cum summouere hostem, solito ferocius urgentem oppugnationem, uellent, reperiunt balistas & catapultas redditas esse inutiles. Re noua perculsi, tamen oblatis fortuitu telis extremum conatum faciunt: & partim contis mœnia scandentes hostes detrudunt: partim saxis et molibus deiectis audacius succedentes obruunt, ita ut receptui canere Magister cogeretur. At nostri periculo illius diei admoniti, ac ueriti ne grauius in se à Cruciferis capta arce consuleretur, misso caduceatore menstruas inducias à Cruciferis impetrarunt, deditionem pacti, ni sibi intra id tempus subueniretur. Vuladislaum de omnibus rebus certiorem faciunt. Nisi celeriter opem sibi ferat, actum esse de se, ac de arce, docent. At ille cum domi quietas res non haberet, Andream Rospirensem Castellanũ cum aliquanta manu in auxilium Pomeranis proficisci iubet, ut bellum modo duceret. Verùm is negligentius agens, neq; ausus per hostilem exercitũ in arcem perrumpere priusquam conspexisset hostem, retrò abijt. Finitis indicijs, cum nulla spes auxilij ob sessis ostentaretur, post septuagesimum obsidionis diem excedunt arce Præmislus & Cazimirus duces cum Bogumilo præfecto arcis,

Ziffridi Commendatoris mira immanitas.

Ziffridi interitus.

Andreas Cedrouicius proditor.

Andreas Castellanus Rospirẽsis timidus.

Succe deditur.

& Ottone Lexico Caſtellano, atque omni præſidio, armis'que & facultatibus ſuis, & ad Vuladislaum profecti, humanè ab eo recrea ti ſunt. Ita tunc Suecenſem arcem ſimul & omnem Pomeraniam Vuladislaus amiſit, dum de maiore Polonia ſibi adiungenda ſolli citus eſt. Etenim cæperatiam maiores Polonos Henrici, tædium, quòd contemni ſe ab eo, & iura inſtituta'que maiorum ſuorum uio lari uiderent. Itaque conuentu Gneſnæ habito, deſerto Henrico, in Vuladislai fidem & poteſtatem reuenerant. Quod cum accepiſſet Henricus, Ioannem Biberſteinum comitem cum exercitu ad reuo candos ad officium Polonos miſit. Cui uenienti Poſnaniam, ciues, authore Premeco quodam, portas, urbis aperuere, præſidium'que munita baſilica accepere. A'qua in prælatos & canonicos, domos que eorum in inſula ad baſilicam ſitas, ſæuitum eſt, quòd cum Vu ladislao ſentirent: & Nicolaus cognomento Samotula Archidiaco nus Poſnanienſis interfectus eſt. Ad cætera uerò ſubigenda per genti Biberſteino, Dobrogoſtius Samotulius, cognomento Paruus, Thomislai palatini Poſnanienſis iam defuncti filius, gente Nalen cius, cum Polonis 'occurrit: inito'que prælio multis utrinque cæſis, ad extremum uictoria potitus eſt. Inde præſidium Sileſiorum Po ſnania eiectum: in ciues quòd Henrico fauerant, & occaſionem ma lorum, quibus ſacerdotes affecti ſunt, præbuiſſe uidebantur, ea pœ na ſancita, ne liberi eorum in collegia baſilicarum ſeu cathedrarum e piſcopalium cooptarentur, reciperentúrue. Nec ita multo pòſt Hen ricus domi à Boleslao duce Vuratislauienſium, Henrici quinti filio, bello laceſsitus & profligatus, ex mœrore cum ægrotaſſet, quinto Idus Decembris mortuus eſt, relictis quatuor filijs. Qui ſic inter ſe partiti ſunt patrimonium, ut Henrico Zeganenſis, Conrado Ole ſnicenſis, Ioanni Stinauienſis, Premislo uerò nato minimo Glogo uienſis dominatus cederet. Ad maiorem uerò Poloniam ij ne aſpi rauere quidem. Atque ex eo tempore pacatam eam tenuit Vula dislaus. Suſcepit'que eodem anno Cazimirum filium ex Heduigi u xore, natum pridie Calend. Maij. Inopia quoque & fame, ex im bribus & inundatione aquarum orta, laboratum eſt, eo anno in Polonia, & nonnullis alijs regionibus. Subacta omni Pomera nia, non depoſuere tamen ſollicitudinem Cruciferi, ueriti ne bello à Polonis ea, conſtitutis domi rebus, repeteretur: Quocirca ut ſibi poſſeſsionem eius ſtabilirent, colloquium à Vuladislao Magiſter Carolus, qui Henrico ſucceſſerat, petiuit. Nec renuit Vuladislaus, ſperans pactis aliquibus (quod malebat quàm armis) recuperare ſe à Cruciferis amiſſam Pomeraniam poſſe. Itaque anno ſequenti præſti tuto die apud Breſte Cuiauienſe oppidum conueniunt. Ibi Magiſter grauiter à Vuladislao accuſatus, paucis ad excuſationem facti ſui dí ctis, magnis precibus ab eo proceribuſq; Polonis contendit, ut Po meraniam ſibi & ordini ſuo iure ſempiterno concederent, certam auri,

& argenti

Pomerania ſubacta à Cruciferis.

Maiores Poloni in fidem Vuladislai ueniunt.

Poſnanienſes Henrici præſidium recipiunt.

Sileſiorum militũ acerbitas.

Sileſij eiecti à Polonis.

Poſnanienſiũ pœna.

Henricus à Boleslao uictus et mortuus.

Henrici filij.

Glogouienſis dominatus diuiſio.

Cazimirus filius Vuladislao natus.

Fames in Polonia.

Poloni regis couẽtus cum Cruciferis apud Breſte.

& argenti ſummam, & Neſſouiam arcem cum Orlouo Murinouo pagis uiciſsim à ſe acciperent. Ad hæc quadraginta haſtatorum auxilium ad quę-uis bella Polonis contra quemuis hoſtem Cruciferorum ſtipendijs mili-tatura, promittit. Addit etiam, peramplum monaſterium, quibuſcunq; mo-nachis uellet Vuladislaus, pro ſalute eius maiorum'que eius conditurum ſe eſſe. Quaſi uerò fraude quæſitis, aut per uim raptis muneribus placetur Deus. Offenſus hac oratione Magiſtri Vuladislaus, quòd irrideri etiam ſe ultrò ab eo exiſtimabat, indignabundus & minitabundus diſceſsit. Ma-giſter uerò repulſam paſſus, ut aliquem tamen duntaxat in ſpeciem iuſtum titulum ſceleri ſuo prætexeret, à Marchionibus Brandeburgenſibus Ioanne & patruo, tutore'que eius Voldemaro, decies millie marcis latorum groſ-ſorum eandem Pomeraniam, de cuius inuaſione eos dudum depulerat, emit, eam'que emptionem ab Henrico Cæſare ſibi & ordini ſuo confirmari cu-rauit. Nec diſsimili parricidio Liuonienſes quoque Cruciferi eodem ferè tempore Rigam urbem atque territorium Rigenſi Archiepiſcopo, à quo ante centum & quatuor aut quinque annos ſimili de cauſa in Liuoniam in-ducti erant, per ſummam iniuriam eripuere. Qua de re cum Romæ lis plus octoginta annis ducta eſſet, tandem Bonifacius nonus Rigam ordini Cru-ciferorum quindecim milibus aureorum acceptis addixit. Multa præterea nefaria utrique Cruciferi in Pruſsia & Liuonia, ac Lituania quoque deſi-gnabant, unde appareret eos delendæ potius, quàm propagandę apud bar baros religionis Chriſtianæ curam habere. Quæ literis, Clementis quinti pontificis max. quibus cognitionem earum rerum Ioanni Archiepiſcopo Bremenſi, & magiſtro Alberto canonico Rauennati delegauit, prolixè ac diſertè deſcripta ſunt. Quarum literarum exemplum extat apud Dlugoſ-ſum. Per idem ferè tempus Templariorum ordo potens & ipſe ac locu-ples, per uniuerſum orbem Chriſtianum quaſi dato à pontifice ſigno è Vi-ennenſi concilio deletus eſt, ob nefanda quædam ſcelera, & prauas de reli-gione opiniones, bona'que eorum Rhodienſibus D. Ioannis militibus at-tributa. Sed nos noſtra perſequamur. Quo minus autem ſtatim Pruſsienſes Cruciferos Vuladislaus ulciſceretur, ſua'que ab his erepta recuperaret, ci-uilibus quibuſdam motibus, & Cracouienſis ciuitatis defectione impedi-tus eſt. Nam dum is cæteras Poloniæ regiones, à Cuiauienſi illo colloquio digreſſus, uiſit, ciues Cracouienſes, Alberto aduocato authore, Boleslao Oppolienſium duci ſeſe ſubiecerunt, accitum'que in urbem receperunt: & ad capiendam arcem, quæ in fide Vuladislai permanebat, adiuuerunt. Sed cum ea neque dederetur, neque expugnari ab eo, qui ad rem certam uene-rat, poſſet, aduocati domum in ipſis mœnibus urbis prope portam, quæ à diuo Nicolao nomen habet, eminentem, pro arce Boleslaus cum ſuis oc-cupauit. Qua de re certior factus Vuladislaus, nihil ſibi reliqui ad ce-leritatem fecit, quin manu facta ad eijciendum inuaſorem contenderet. Le-gatos tamen ad Boleslaum præmiſit, qui de tam inſigni iniuria cum eo expoſtularent. monerent'que eum, ut ſua ſponte excedere, quàm arma ſua experiri mallet. Paruit monitis Vuladislai Boleslaus, cum non igno-

Pomeraniam emunt Cruciferi à Marchionib. Brãdeburgenſibus.

Riga erepta Archiepiſcopo, & Cruciferis addicta.

Cruciferorum facinora

Templarij deleti.

Cracouiẽſes ciues ad Boleslaũ Oppolienſem defecerunt.

Aduocati domus Cracouiæ.

Cracouia recuperata à Vuladislao rege.

non ignoraret, eum cum magnis copijs subsequi, deducto'que de domo aduocati præsidio, urbe excessit. Quem aduocatus & nonnulli alij ciues, qui defectionis capita fuerant, secuti, in Silesia deinceps & in Boemia exulauerunt. Profugorũ bona Vuladislaus aduenies in fiscum suum redegit. Ad-

Aduocatia Cracouiensis.

uocatię reditus peramplos è molis, macellis, atq; tabernis ademit: primarios quo'dã ciues, ut exemplo suo terrori deinceps alijs essent, diris supplicijs af-

Cracouienses ob defectionẽ puniti.

fecit, partim equis discerptos, partim rotis implicatos, partim in patibulum actos. Deinde turrim in porta D. Nicolai excitauit, præsidio'que muniuit.

Senatus electio translata in palatinum.

Ciuitati uerò ius omne creandi senatus, & ex eo octonos in singulos annos eligendi, penes quos administratio urbanarũ rerum esse solet, abstulit, et in palatinũ transtulit, ut uel ita superbiam & rebellionem ciuium in posterum

Ioannes episcopus Cracouiensis captus.

reprimeret. Insimulatus est etiam Ioannes Muscata episcopus Cracouiensis conscius fuisse illius defectionis: quod eo facilius creditum est, quòd esset Silesius. Itaque multis pòst incommodis affectus est à Vuladislao: captum quoque & in custodia seruatum referunt. Biecense quidem territorium ei

Biecense oppidũ non redditum episcopo.

non reddidit Vuladislaus, quemadmodum promiserat. Atque ex eo tempore id in regum potestate mansit. Quin ad Miechouiensem quoq; præpo

Lẽtcouice pagus præpolito Miechouiensi ademptus.

situm omnis culpæ expertem, serpsit pœnæ contagio. Nam Lentcouice pagum luculentum & uberem ei Vuladislaus ademit, propterea quòd eius usumfructum Albertus aduocatus præpositi frater habebat. Nec ita mul-

Boleslai Oppoliẽsis mors.

to pòst Boleslaus Oppoliensis è uita excessit. Masouiæ quoque dux Bole-

Boleslai Masouij mors & liberi.

slaus eodem anno, nempe 1313 mortuus, Zemouitum & Troidenum filios è Lituana uxore susceptos, & Venceslaum seu Vanconem è Boema hæ-

1313 ann.

redes reliquit. Per idem tempus Henrico Imperatore ui ueneni in eucharistia dati extincto, principes electores per contentionem duos crearunt

Henricus Imperator ueneno sublatus.

Cæsares, Fridericum Austrium, & Ludouicum Bauarum: qui Germaniam

Friderieus & Ludouicus Cæsares.

& Italiam aliquandiu ciuilibus bellis distinuerunt. Quieuit tunc annis aliquot, incertum qua de causa Vuladislaus, nec ad uindicandam Pomeraniam animum adiecit, nisi fortè fames in causa fuit, quæ anno Christi 1315.

Fames & pestis horrenda in Polonia.

ac deinde anno uno interiecto, iterum duobus annis tam acerbè Poloniam omnem afflixit, ut nullo quamuis fœdo edulij genere, ac ne cadaueribus quidem humanis uulgo abstineretur: ac si Dlugosso credendum est, ut parentes in liberos, & hi uicissim in illos sæuirent. Quam famem, ut par erat, dira pestis consecuta est. At Cruciferi augescente in dies cupiditate, ut solet in ijs qui intercute morbo laborant, sitis, ne sacris quidem ac Deo dicatis bonis iniustas manus abstinuere. Sed ut antea Culmensem ecclesiam occu-

Cruciferorum iniquitas in ecclesiasticos.

parant, & à Gnesnensis Archiepiscopi iurisdictione abstractam, Rigensi subiecerant, ita tunc in Pomerania possessiones ac prædia ecclesiarum in-

Decimæ uiuipatæ & sacerdotia suppressa à Cruciferis.

uasere, decimas è suis arationibus sacerdotibus omnino denegarunt: ex agricolarum uerò in pecuniarias pensiones commutarunt, & ita diminuerunt, ut ex manso siue laneo (modus hic est agri, quod latinè opinor iugerũ dicimus) quaterni tantum grossi penderentur. Quibus rebus factum est,

Mãsus siue laneus quid.

ut derelictui haberentur, ac deinde malignè à Cruciferis supprimerentur

multa

multa sacerdotia. Iniquius hæc tulere Archiepiscopus Gnesnensis, & Vuladislauiensis atque Posnanensis, episcopi, qui decimas è Pomerania capiebant: itemque Ioannes Plocensis, cui etiam ex territorio Michalouiensi decima negabatur. Et cum hoc quidem Carolus Magister transegit ea lege, ut septẽ annis immune esset id territorium à pensione decimæ, post eos uerò nonaginta marcas Torunẽses episcopus decimę nomine quotannis acciperet. Cæteri uerò cum tenaciores essent iuris sui, Magistrum, Commendatores, & cæteros Cruciferos publicè in templis execrabantur, & locis quibusdam sacris interdixere. Verùm contemnebant eam disciplinam, religiosè semper à bonis pijsq; hominibus obseruatam, Cruciferi, prætextu prouocationis ad pontificem max. Qua re adducti episcopi, communicato cum Vuladislao rege consilio, Gerardum Vuladislauiensem episcopum in cuius diœcesi est pleraque omnis Pomerania, & Ioannem eius nominis uicesimum secundum pontificem max. qui tunc demum post duorum annorum triumq; mensium uacationem Clementi quinto successerat, miserunt, ut non modò de ecclesiasticis bonis ac decimis, uerùm etiam de erepta per summam iniuriam Pomerania, regis & uniuersę Poloniæ nomine contra Cruciferos actionem institueret: simul autem, ut Vuladislao diadema & nomen regium impetraret. Existimabant enim inauspicato id sibi Præmislum iniussu pontificis assumpsisse, quòd non ignorarent interdictum esse ea re nomini Polono post cædem diui Stanislai. Non latuit consilium Polonorum Cruciferos, & ne id procederet, omni ope enitendum sibi esse existimarunt. Itaque miserunt & ipsi ad pontificem, qui nostrorum conatibus obsisterent, litemque quantum possent ducerent. Regnabat tunc apud Boemos Ioannes Henrici Imperatoris Romanorum filius, nec solum Boemorum, sed & Polonorum regis nomen quasi hæreditarium sibi uendicabat. Quæ enim præterea nugatur Hagecus, de expeditione eius in Poloniam, & pace uendita Vuladislao, ne libet quidem adscribere. Eum igitur etiam promissis & muneribus induxere Cruciferi, ut Vuladislao negocium faceſſeret: & ne regnum ei decerneretur, summa ope apud pontificem intercederet. Ad quas res perficiendas cum opus haberent grandi pecunia Cruciferi, tributum Pomeraniæ toti imperarunt, binos grossos in marcas, unde triginta millia marcarum redacta esse dicuntur. Ad hæc eiectas naufragio merces in mari, lege Rhodia usurpare cœperunt. Quibus rebus factum est, ut toto ferme quadriennio, nihil aliud impetraret Gerardus à pontifice, quàm ut cognitio causæ inter Polonos & Cruciferos, Archiepiscopo Gnesnensi, Posnanensi episcopo, & Abbati Mogilnensi delegaretur. Quod uerò ad regnum attinet, ut non impediret pontifex, quo minus Poloni iure suo uterentur. (nam apertè Vuladislao regnum decernere noluit, ne Ioannem, & socerum eius Philippum regem Francorum offenderet.) secreto tamen uoluntatis suæ significationem Gerardo dedit. Eam'que Gerardus literis suis regi descripsit: ipse uerò Auinione, ubi tunc degebat pontifex, mansit, suam cum Cruciferis litem persequens. Cum igitur sententiam pontificis, non tam

De Michalouiensibus decimis trãsactio.

Cruciferi excommunicati.

Polonorum legatio ad pontificem max.

Cathedra Petri plus duobus annis uacauit.

Corona iterum petita Polonis à põtifice.

Ioannes rex Boemorum.

Pomeranis tributum impositum.

Lex Rhodia de mercibus naufragio eiectis.

Iudices delegati à pontifice inter Polonos & Cruciferos.

N reseri-

reſcripto ipſius, quàm literis Gerardi perſpectam haberet Vuladislaus, atque proceres Poloni, comitijs Cracouiam indictis ad uiceſimam diem Ianuarij menſis, Vuladislaus cum uxore Heduigi in baſilica Cracouienſi tunc primùm inſtaurata & conſummata, ab Archiepiſcopo & cæteris episcopis ritu ſolenni coronatur, anno Chriſti 1320. Atque ex eo tempore ius coronandi reges atque ipſa regni inſignia Gneſna Cracouiam propter amplitudinem ſplendoremque urbis & plurimas maximasque commoditates translata ſunt. Nec multo pòſt Vuladislaus rex Elizabetham filiam Carolo Vngarorum regi bis uiduo in matrimonium collocauit, & Budam ad ſponſum cum ſplendido comitatu miſit. Intendit deinde animum ad purgandam Poloniam furtis & latrocinijs, & ad perſequendam litem contra Cruciferos. Verùm detrectarunt ij iudicium delegatorum, apud Breſce Cuiauienſe ius dicentium. Sed tamen refutata appellatione, cum cauſam ſuam Vuladislaus plurimorum fide dignorum ſacri pariter & prophani ordinis hominum teſtimonijs luculentè probaſſet, damnati ſunt: & Pomeraniam regi reddere, ac centum quinquaginta millia marcarum pecuniæ pro perceptis fructibus, aliaque triginta millia in litem expenſa numerare iuſsi. Cum autem non parèrent rei iudicatæ, anathemate perculſi ſunt, ita ut nuſquam ijs præſentibus ſacra fieri liceret. Per id autem tempus Lituani impunè Dobrinum rurſus & Maſouiam depopulati ſunt. Dum hæc ita geruntur in Polonia, & Pomerania, Sileſia ciuilibus atque adeò parricidialibus ducum ſuorum bellis exagitata & labefactata eſt: & ad extremum libertate partim uendita, partim per uim aut fraudem amiſſa, Boemorum iugum accepit, magno reipublicæ Poloniæ detrimento, nec minori ſuo malo ac dedecore. Author eorum malorum Boleslaus natu maximus filiorum Henrici quinti ducis Vratislauienſium & Legnicienſium fuit. Cuius auaritia maximum dedit Ioanni Boemorum regi uel dolo interuertendæ, uel per uim ſubigendæ Sileſiæ occaſionem. Cum enim adoleuiſſet hic ipſe, quem dico, Boleslaus, & amoto à tutela Boleslao patruo Suidnicienſium duce, per ſe ipſe paternum dominatum adminiſtraret, dilapidare paterna bona cœpit. Qua re offenſi cæteri fratres, cum & ipſi iam adoleſcerent, maturius patrimonij partitionem efflagitarunt. Tres partes pro numero fratrum factæ, Vratislauienſis, Legnicienſis, & Bregenſis. Quæ cum inæquales eſſent, placuit ut cui Bregenſis, quæ minima erat, ſors obtigiſſet, ei cæteri certam pecuniam annumerarent. Legnicienſis quidem triginta duo millia marcarum, Vratislauienſis uerò octo & quadraginta. Non tentata ſortitione, hanc ultrò Boleslaus accepit, illectus pecunia, qua in ſumptus quotidianos indigebat. Reliquis uerò duobus ſortitis, Henrico quidem Vratislauienſis, Vuladislao uerò, qui iam hypodiaconus erat, Legnicienſis obuenit. Qui quum præſenti pecunia, quam fratri Boleslao ex pacto debebant, carerent, Henricus quidem à ſuis hominibus mutuam accepit, & exoluit. Vuladislaus uerò Boleslao Legnicienſe territorium cum oppido hypothecę nomine tradidit. Quam ob rem cum tenui admodum fortuna eſſet, malo uſus conſilio, uexare &

Vuladislaus cum uxore Cracouiæ coronatur.

1320 ann.

Regni inſignia Cracouiam tranſlata.

Elizabetha Vuladislai regis filia Carolo regi Vngarorum nupſit.

Cruciferi à delegatis apoſtolicis damnãtur, et excommunicantur.

Dobrinum uexatum à Lituanis.

Sileſiorum ducum inteſtina bella.

Sileſiæ à Boemis interuerſæ cauſæ.

Boleslaus Vuratislauienſium dux prodigus et auarus.

Diuiſio dominatus inter fratres.

Bregenſium dux Boleslaus.

Henricus Vratislauienſis.

re & ſuam, & Boleslai ditionem latrocinijs & populationibus inſtituit, ut Boleslaum ad remittendam ſibi pecuniam, reddendam'que Legniciam adigeret. At ille abundans uiribus, cum fratris conatus improbos aliquoties repreſsiſſet, ad extremum eum cepit, & in uincula coniecit. Deinde procerí bus interuenientibus cum eo pacificatus eſt ea conditione, ut quingentas ei marcas quotannis ex omni ditione Legnicienſi penderet. Quibus pactis, quamuis iureiurando firmatis, non diu ſtetit Vuladislaus: uerùm infeſtare rurſus latrocinijs cœpit Boleslai ditionem ex Horniſperga arce cuiuſdam equitis. Dum'que incautius prædas agit in Bregenſi ditione, à ruſticis captus cum uiginti ſocijs, & ad Boleslaum ductus, iterum ab eo in carcerem coniectus eſt. Vbi cum unum annum aſſeruaretur, in furorem actus eſt: dimiſſus'que poſtea miſericordia fratris, egens unguis'que, nec ſatis compos mentis uixit: & in Maſouiam profectus, Boleslai eius oræ ducis filiam uxorem duxit. Conrado deinde Oleſnicenſium duci bellum fecit Boleslaus Bregenſis, quòd in eius ditione fermè erant oppida ea, quæ auus ipſius Conradus dux Glogouienſium ab Henrico patre ſuo iniquis pactis, quemadmodum ſuprà memorauiumus, extorſerat. Cum'que regionem omnem Oleſnicenſem peruaſtaſſet, eò adegit Conradum, ut is icto fœdere Namislouiam, Berolthouiam, Cruceburgum, Picem, & Cunceſtadiam oppida ſibi traderet: uiciſsim autẽ ipſe ei Boleslaus, miſertus egeſtatis eius, Volauiam & Lubenſum donauit. Neque tamen hę tantæ acceſsiones inopiam Boleslai releuarunt. Sed cum omnia tanquam in barathrum aliquod, aut in pertuſum dolium caderent, homo ſumptuoſus ac prodigus tantum alienum æs contraxit, ut Nemcenſe territorium Bernardo Suidnicenſium duci, Hainouiam uerò & Goltibergam Vuratislauienſibus ciuibus oppigneraret. Aliud deinde cæpit parandarum opum conſilium. Nam ab Henrico fratre, quòd is nullos maſculos haberet liberos, contendit, ut ſibi Vuratislauienſem dominatum concederet, Legnicienſem uerò à ſe acciperet. Quod cum negatum eſſet, facile æger ſua ſponte animus eius à Ioanne Boemorum rege in deteriorem partem impulſus eſt. Parebant iam Oppolienſium, Ratiborienſium, Ceſsinenſium & Bythomienſium dũces Boemis, à Venceslao rege blanditijs & munerib. allecti. Emerat & Cloſcum Ioannes rex à Boleslao Zambicenſium ſiue Monſterbergenſium duce: unde cum proximas Sileſiæ oras latrocinijs per ſuos infeſtaret, eò rem perduxit, ut Frankeſteinum quoque à Nicolao filio Boleslai paruo emeret. Ad Glogouiam deinde cum animum adieciſſet, fauentibus ciuibus, magna iam ex parte Teuthonibus, neque Præmislum ducem eorum uel blanditijs, uel precio ad ſe pellici, ac ne ui quidem perpelli poſſe animaduerteret, ueneno eum ſuſtulerat. Cum'que ipſi Henricus & Ioannes fratres pariter ſucceſsiſſent, & Conrado tertio fratri Stinauiam conceſsiſſent, paruo negocio rex à Ioanne, qui conſcius fortaſsis necis fraternæ fuit, dimidium Glogouiæ pecunia numerata acceperat: & mox corrupto Henrici præfecto, reliquum etiam in ſuam redegerat potoſtatem. Tametſi recepit aliquanto pòſt paternam portionem Henricus, Henrici huius filius, à Carolo Ioannis regis filio.

Vuladislai latrocinia.

Horniſperg arx. Vuladislaus Legnicienſis in carcerem coniectus à fratre.

Bregenſium cum Oleſnicenſibus bellum.

Boleslai prodigalitas.

Oppolienſis, Ratiborienſis, Ceſsinenſis & Bythomienſis duces Boemo ſubditi.

Cloſcum à rege Boemo emptum.

Frankeſteinũ emptum à rege Boemorum.

Præmislus Glogouienſis ueneno ſublatus.

Glogouiã rex Boemorum in ſuã redegit poteſtatem.

Henricus Zeganensis mortuus.

Nam ipse Henricus senior non diu calamitati illi superstes fuit. Hæc ergo cum haberet iam in Silesia Ioannes rex, totiusq; regionis sibi adiungendæ magna cupiditate flagraret, Boleslaiq; Bregensis & Legnicensis auaritiam atq; egestatem suis fraudibus maximè opportunam esse iudicaret, magnis donis atque pollicitationibus eum ad inferendum Henrico Vuratislauiensium duci bellum perpulit. Quare clandestinis primùm incursionibus Boleslaus Vuratislauiensem oram, latrocinantium in morem, uexauit, deinde apertis uiribus infestare adortus est. Agebat hoc quidem rex, ut fratrum dissidijs res suas in Silesia stabiliret, commissosq; inter se ut facilius opprimeret: aut uerò alteri ferendo opem, & illum sibi obnoxium faceret, & alterum subiugaret. sed eum prima hæc spes fefellit. Henricus enim cum fratris iniurias & populationes partim ferendo, partim arcendo cohibere tamen satis non posset, ad Vuladislai regis Polonorum auxilium confugit, eiusq; fidei se ac dominatum suum omnem tradidit. Ac facile quidem Vuladislaus Boleslai conatus fregit, metuq; proprij periculi eum compescuit. Quo facto, uir bonus Henricum sua sibi habere iussit, ut sorores nubiles elocaret. Id ubi cognouit Ioannes rex, qui iam de Vuratislauia propemodum desperarat, noua spe erectus, dolis sibi agendum esse duxit, Henricum per speciem arduorum & arcanorum negociorum ad se accitum, & perquàm honorificè acceptum, blanditijs, liberalitate, precio, ingentibus promissis, & odio denique inimici fratris tandem induxit, ut sibi Vuratislauiensi dominatu cederet: Closcumque, quoad uiueret, utendum fruendum à se acciperet, adiutoribus ad eam rem Henrico persuadendam usus proceribus & ciuibus Vuratislauiensibus, quorum consilijs Henricus utebatur, pecunia corruptis. Ita Vuratislauia potitus Ioannes, non multo pòst Hainouiense & Goltibergense territoria, quæ Vuratislauienses hypothecæ nomine à Boleslao duce possidebant, per iniuriam eis ademit, condignamque nauatæ sibi ab ipsis in adipiscendo dominatu operæ gratiam retulit. Expostulauit cum eo de prærepta Vuratislauia Boleslaus: fœdúsque & iusiurandum, quod sibi mutuò dederant, ne quid alter contra alterum moliretur unquam, in memoriam reuocauit. Commemorauit etiam sua merita & beneficia, quòd eum difficilimo eius tempore eiectum à Boemis omni ope adiuuisset. Sed ea expostulatione tantum profecit, ut Ioannes propinquiorem se sibi quàm illi esse responderet, atque ad eius quoque ditiones per fas atque nefas in potestatem suam redigendas animum adjiceret. Ad quam rem non defuit ei, quasi diuina quadam uirgula oblata, occasio. Vuladislaus enim tertius Boleslai frater, quem exclusum Legnicensi dominatu, in Massouia uxorem duxisse, superius diximus, dissipata dote, reuertens in Silesiam, Legniciam Ioanni uendere se uelle ostendit: literasq; Legnicensium exhibuit, qua se illi ad Vuladislaum iure pertinere, & in potestate regis Boemi libenter fore significabant. Deliberandi spacium Ioannes cæpit, interim Boleslaum ad se accersit, & quæ secum Vuladislaus egerit, ipsi

Bellum inter fratres.

Ioannis regis Boemorum uafrum ingenium.

Vuratislauiensis dominatus regi Polonorum deditus, & ab eo redditus.

Vuratislauia potitus est rex Boemorum.

Perfidiæ pœna. Hainouiae & Goltiberga Vuratislauiensib. adempta.

Legniciensis dominatus in clientelam Boemorum regis uenit.

ipsi exponit, & literas Legnicienſium commonſtrat. Addit deinde: Si Legniciam ipſe retinere uelit, in ſua & Boemorũ fide atque clientela ſemper ſe fore profiteatur. Ni faciat, & Legniciam, & cætera omnia amiſſurum. Quo metu perculſus ille, imperata fecit, eò redactus inopiæ, ut filios quoque ad extremum Vuratislauienſibus mercatoribus oppigneraret. Sed cum uxorem, quæ regis Boemi ſoror fuit, amiſiſſet, & alteram bene dotatam Cracouia duxiſſet, releuatus aliquantulum, ipſe quidem Bregam ſeceſſit: filijs uerò Venceslao & Ludouico Legnicienſem dominatum, ingenti ære alieno grauatum conceſſit. Verùm pòſt Legnicienſis conuentus collata in cõmune pecunia omne id exoluit. Poſt hæc reliqui quoque duces Sileſiorum, nempe Glogouienſium, Zeganenſium, Oleſnicenſium, Stinauienſium, & Falkembergenſium, ultrò in ditionem Boemorum conceſſere: & partim timore potentiæ Ioannis, partim inuidia Vuladislai regis, libertatem ſuam Boemis prodidere. Miliziã uerò arcem epiſcopi Vuratislauienſis idem rex Ioannes per uim & fraudem interuertit. Quam ob rem diris aliquamdiu pòſt Nankerus epiſcopus & anathemate regem præſentem ſenatum'que Vuratislauienſem regis adiutorem deuouit, & ipſe cum omnibus presbyteris & monachis Vuratislauia exceſſit: nec tamen arcem recuperauit. Solus Bernardus Suidnicienſium dux, gener Vuladislai regis, & poſt eum filius eius unicus Boleslaus in fide & ſocietate Polonorum permanſere. Retinet etiamnum pleraque omnis Sileſia ueſtigium uetuſtæ originis ſuæ à Polonis deductæ, penſionem, quam S. Petri numum uocant, cuius in ſuperioribus abundè meminimus. Quę quidem per illa ipſa Sileſicę defectionis tempora eò redacta eſt, ut numus tantum æreus, quem obolum uocamus, in capita quotannis penderetur, cùm antea tres oboli & cribrum auenæ in ſingulas familias pendi ſoleret. Sed nos Sileſios deinceps deſeramus, niſi ſicubi neceſſe erit propter lucem hiſtoriæ inſtitutæ: iam'que ad Vuladislaum reuertamur: quem tot tantæ'que difficultates ſimul implicarant, ut ſingulis explicandis uix par eſſe poſſet. Nam ſollicitum eum faciebat erepta à Cruciferis Pomerania, & auulſa à Boemis Sileſia: poſtremò crebræ Lituanorum in Poloniam excurſiones, intendere eum animum ad externa illa bella non ſinebant. Itaque incertus conſilij deliberabat, quid faceret, & quò ſe primùm uerteret. Videbat Cruciferos non modò non acquieſcere in Pomerania, ſed Dobrinenſi quoque tractui inhiare, quem redactum penè in ſolitudinem à Lituanis, ipſe nuper à Vuladislao duce Zemouiti fratris filio acceperat, conceſſa ei, quoad uiueret, Lencicia. Animaduertebat ita coniunctos eſſe cum Cruciferis Boemos, ut ab eorum ſocietate auelli non poſſent, præſertim cum Sileſia in ditionem ſuam redacta nuper ineſcati, in ſpem totius Poloniæ occupandæ per eos uenirent. Vterque per ſe ſatis ualidus & potens hoſtis erat, nec tamen alter laceſſi poterat quin cum utroque dimicatio futura eſſet. Iam Saxones quoque Brandeburgenſes lingua & fœdere cum Cruciferis coniuncti, non defuturi ipſis eſſe uidebantur, & alioqui imminebant ipſi quoque Poloniæ per omnem occaſionem, & qua ui, qua fraude fines eius inuadebant. Intento

Boleslaus dux filios oppignerauit.

Legnicienſes æs alienum ſui ducis diſſoluerunt.

Sileſij duces reliqui Boemo ſeſe ſubdidere.

Milizia arx epiſcopi intercepta à Boemis.

Ioannes rex diris deuotus.

Nankerus epiſcopus Vuratislauia exceſſit.

Suidnicienſes ſoli in fide Polonorũ permanſere.

S. Petri numus per Sileſiam.

S. Petri numi ratio mutata

Vuladislai regis Poloni difficultates & cõſultatio.

Dobrino rex Vuladislaus potitus.

Boemorũ cũ Cruciferis ſocietas.

autem in hæc bella regi, uel prodenda erat Polonia Lituanorum populationibus, uel certè relinquendo ad excursiones eorũ arcendas præsidio militum distinendæ minuendæq; uires, quæ ne integræ quidem aduersus illos hostes admodum sufficiebant. Assiduis enim excursionib. iam has, iam illas oras Poloniæ, Lituani uexabant. Ac per illud ipsum tempus etiam Poltouiam episcopi Plocensis oppidum, ac centum triginta pagos, in Masouia diripuerant, & incenderant. Neq; uerò facilè ij domari poterãt, cum neq; foris dimicandi copiam facerent, sed rapta præda fugerent: & domi fluminum obiectu, syluarumq; & paludum latebris, ac denicq; incultarum solitudinum uastitate tuti essent: ita ut si quis eis bellum inferret, ei non magis cum hoste fugaci & insidioso, quàm cum uiarum difficultatibus, cum intemperie cœli, & cum fame conflictandum esset. Itaque quod erat reliquum, placuit tentare, si fortè eos mitigare ulla ratione & in societatem pertrahere posset. Ad quam rem perficiendam nonnullam ei spem faciebat, quòd communes sibi cum illis hostes Cruciferos esse nouerat. Assidua nanque bella Cruciferi cum Lituanis uaria fortuna gerebant. Quam sententiam cum frequens senatus comprobasset, mittuntur ad Gedeminum principem gentis, siue magnum ducem, quod nomen à Russis acceptum, à Lituanis quoq; usurpari cœpit, legati, qui fœdus cum eo feriant, & filiam eius Cazimiro regis filio uxorem petant, nec dotem aliam ab egeno principe quàm captiuorum omnium Polonici generis missionem postulent. Non grauatè Gedeminus legatorum postulatis annuit: initaq; cum Polonis societate, sine longa procrastinatione sponsam cum eis misit. Quæ ingentibus omnis conditionis sexus atq; ætatis captiuorum cateruis comitata, aduecta Cracouiam, religionemq; Christianam à Nankero episcopo edocta, & sacro lauacro initiata, Annæ nomen accepit, & ritu solenni Cazimiro sextumdecimum annum agenti nupsit anno Christi 1325. Atque ex eo tempore pleraq; omnis Polonia, magna ex parte uastata & inculta superioribus bellis & populationibus barbarorum, populosior & cultior esse cœpit, dimissis ac deductis quoquouersus agricolis, qui ex captiuitate redierant. Pace & societate cum Lituanis constituta, maiore iam fiducia studioq; in Crucifericum bellum Vuladislaus rex cœpit incumbere, primumq; Masouios & Saxonas Brandeburgenses, qui utrique fœderati erant Cruciferis, ab eorum societate auellere, ac proprij periculi intuitu, ne illis auxilia mitterent, deterrere instituit. Quocirca misso in Masouiã exercitu è Cracouiensi & Sendomiriensi equitatu comparato, ferro & igni eam longè lateq; uastauit, et oppidum Plocense incendit. Sequenti deinde anno maioribus copijs coactis, per se ipse in Marchiam Brandeburgensem expeditionem fecit, magna Lituanorum & Russorum auxilia secum habens. Et ad Francofordiam usq; cum infesto exercitu progressus, cum nemo contrà prodiret, munitionũ quidem oppugnationib. abstinuit, populationes uerò in omnes partes exerceri iussit. Incensisq; plurimis pagis atq; uicis, magnũ captiuorũ numerum & cęteram prędam ingentem abegit. Crudelius in eo bello se gessere barbari, et magnã hostiũ cędem fecerunt, matronas atq; uirgines

Poltouia direpta & incensa. Poltowsco.

Lituanorum domandorum difficultas.

Gedeminus magnus dux Lituanorum.

Polonorum cũ Lituanis fœdus.

Cazimirus Vuladislai regis filius Lituanam uxorẽ duxit.

Dos Lituanæ sponsæ.

1325 ann.

Poloni Masouiam populãtur, & Ploscum incendunt.

In Marchiã Brandeburgensem expeditio Vuladislai regis cũ Lituanis.

Francofordia ad Odram.

Lituanorum crudelitas.

gines contumelioſe conſtuprarũt, delubra ac templa paſſim prophanarũt, diripuerunt,& incenderunt. Memoratur autem forte & pręclarum monachæ cuiuſdam facinus: quæ capta à Lituano quopiam, cum ad ſtuprum traheret, rogauit eũ ne ſibi uim faceret: mercedis autem loco promiſit, ſe eum edocturam eſſe, quî corpus eius uulnerari nullo unquã ferro poſſet. Quod cum diſcere ille percuperet, iugulũ ei fortis puella præbuit, ut in ſe eius rei periculũ faceret. Credulus ille ſtricto gladio caput eius amputauit. Sic illa barbari libidinem eluſit, ſtuprũq; turpe honeſta morte euaſit. Dimiſſi Lituani, per Maſouiam prædabundi domũ reuertere. Non tulit aũt uaſtationem illã Lituanorũ Andreas quidam eques Maſouius. Verùm maiore ira inflãmatus, facinus audax & memorabile aggreſſus eſt. Nam cum ſe inter barbaros inſinuaſſet, Dauidem præfectum Gartinenſem, inſignem inter Lituanos uirum, in mediis caſtris ferro adortus obtruncauit,& inter tumultuantes fuga euaſit. Sequenti item anno Lituani in Marchiam excurſionem fecere: & cum cædibus & incendiis in obuia quęq; deſeuiſſent, prędam raptim abegere. Cruciferi uerò cum Venceslao Maſouiorum duce facto impetu in Cuiauiam, Couale arcem cęperũt & incenderunt. Non putauit ſibi diutius differendum eſſe bellum in Cruciferos Vuladislaus, qui ne pontificis quidem maximi authoritate, ut Pomeraniam ſibi redderent, commouebantur: quin etiam ueteres iniurias nouis cumulabãt. Itaq; in ſequentem annũ, qui fuit 1328. expeditionẽ toti Polonię in Cruciferos indicit. A Caroło rege Vngarorũ genero ſuo non contemnenda auxilia impetrat, à Lituanis item atq; Ruſſis finitimis. Cum quibus omnibus copiis hoſtium fines ingreſſus, Culmenſem tractum omnem uſq; ad Oſſam amnem flammis, cędibus, & populationibus peruaſtauit: nec tamen elicere hoſtes in aciem è munitionibus, in quas ſe abdiderant, potuit. Munitionum uerò oppugnatione prorſus abſtinuit, quòd & bene munitæ erant, & rudes tunc adhuc & imperiti oppugnationum Poloni erant: ut ſunt ferè hæ gentes, quæ ad Septentrionem habitant. Dimiſit deinde auxiliarios: ſuis uerò præcepit, ut Maſouiam infeſtarent. Quod cum factum eſſet, non multo pòſt excurrerunt uiciſſim Cruciferi cum Maſouiis in Cuiauiam. Quõ cum propere noſtri accurriſſent, collatis ſignis funduntur hoſtes: & Maſouij quidem cum duce ſuo Venceslao diffugerunt: Cruciferi uerò fortiter dimicãtes, ad internecionem unà cum Commendatore Torunenſi cæſi ſunt. Hoc anno Nankerus epiſcopus Cracouienſis ad epiſcopum Vuratiſlauienſem lite duorum competitorum per ſeptem annos uacantem translatus, Cracouiæ ſucceſſorem accepit Ioannem Grotum Slupecium, Ioannis papæ authorite ultrò datum, cum quo adoleſcens Bononiæ familiaritatem contraxerat. Inſequenti anno Ioannes rex Boemorũ à Cruciferis in auxilium uocatus, cũ grandi exercitu uere ineunte in Pruſſiã aduenit,& cum Cruciferis ſe coniũxit. Arx inde Dobrinẽſis diu & acriter oppugnata et labefactata, deditionẽ tandẽ fecit, dedẽte prefecto Paulo Spicimirio, cognomẽto Ogono Palatino Lencicienſi: eiectiſq; Polonis, Cruciferorũ preſidio cõcedẽte Boemo, munita eſt. Vexabant tamen noſtri carpebantq; hoſtilẽ exercitũ, & ex inſidiis in pabula-

Monachæ facinus memorabile.

Lituani Maſouiã uaſtant.

Andreæ audax facinus.

Lituanorũ in Marchiam excurſio.

Couale arx capta & incenſa à Cruciferis.

1328 ann. Pruſsicum bellũ.

Culmẽſis regio naſtata.

Septentrionales populi expugnandarum munitionum imperiti.

Cruciferi & Maſouij uicti à Polonis.

Nankerus è Cracouienſi epiſcopa ad Vuratislauienſem transijt.

Ioãnes Grotus epiſcopus Cracouienſis.

Ioannes Boemorũ rex in Pruſsiã cũ exercitu uenit.

Dobrinũ deditũ, & Cruciferis traditum.

in pabulatores et prędatores crebrò impetum faciebãt: commeatum quoq; qui Vistula supportabatur, expugnatis nauibus intercipiebant. Sed in uniuersæ rei dimicationem, cum essent longè impares, non ueniebant. Itaque hostes motis ex Dobrino castris, transmissoq; Vistula flumine, Vuladislauiam oppidum adorti, primo impetu cęperunt, & exusserunt. Et ab episcopi sacerdotumq; cæde abstinuere. Cæterùm edixerunt eis, ne quod omnino ædificium ibi denuò excitarent. Cechocinense quoq; territorium, quod in ditione episcopi erat, abstulere. Erat autem tunc episcopus Vuladislauiensis Mathias Golanzeuius, cognomento Paluca, Slauunici Castellani Naclensis filius, gente Toporus, qui Gerardo Auinione mortuo à pontifice max. suffectus fuit. De cuius prodigioso ortu illud memorat, Matrem eius duodecim filios uno partu edidisse: uerùm ex ijs unum illum uixisse, reliquis, mox ut nati erant, mortuis. Deinde in Masouiam pariter ingressi Boemi et Cruciferi, eāq; crudeliter depopulantes, eò adegere ducem gētis, ut se Ioanni quasi iusto Polonorū regi subijceret. Qui nam uerò is dux fuerit, Dlugossus non memorat: sed Venceslaum fuisse indicant Ioannis regis literæ, quæ extant in archiuio regio: quibus ille testatur, Venceslaū à se Masouiã, & pręsertim Plocensem, Vissegradēsem, & Gostininēsem iure feudi, ut uocant, obtinere. Dum aūt iusti uideri, quàm esse malunt Cruciferi, ne iniustè ac per uim Pomeraniam usurpasse dicerent, perfecerunt precibus atq; precio apud Ioannem regem, ut sibi Pomeraniam iure sempiterno donaret. Cuius donationis exemplumest apud Dlugossum. Dobrinū quoq; idem ipse Ioannes, quatuor millibus et octingentis sexagenis (sic enim appellat) Pragensibus eisdem Cruciferis se uendidisse consignatis literis testatur, ea quidem lege, ut eos priuilegio pontificio à pensione decimarum ex eo territorio liberet: nec aliter pacē faciat cum Vuladislao, qui se asserit regē Cracouiæ (ut eius uerbis utamur) quàm si is, itēq; Zemouiti fratris eius filius omni iure terrę Dobrinensis sese abdicarit. His peractis ingruente hyeme, reduxit Ioannes exercitum, & stulta uanitate, de subactis & ad religionem adactis barbaris triumphauit. Æstate uerò sequēti, matureścentib. segetib. conuenit rursus magnus Germanorū & Boemorum militū mercenariorū numerus ad Cruciferos: & cōiunxerant se cū eis Liuonienses quoq; iam inde ab initio. Cum quibus copijs illi facto impetu in finitimas oras Poloniæ Vissegradum Cuiauiense & Naclū arces ui, sed non sine magna strage suorū cępere, & exusserе. Nã Radeouiã nostri cremarant, ne capta receptaculū esset hostib. ad excursiones. Apud Raciãzū episcopi arcem diutius morati sunt, & multos fortes uiros in oppugnatione eius arcis amiserunt, q; à multis ea nauiter defendebatur. Ad extremū tamen ea q̄q; potiti sunt, adempto puteo, qui solus ijs qui in arce erāt, aquam suppeditāuerat. Itaq; ibi maiorē exercuere crudelitatē in omne genus hominū, ut uulnera sua cędemq; suorū ulciscerent. Paucos de nobilitate cum ira iã deferbuisset, uiuos seruarūt: in quib. erāt insignes, Suētoslaus frater episcopi, & Vincētius Castellanus Starogrodēsis. Quos omnes episcopus quadringētis marcis pecuniæ redemit. Adhęc ut bona sua recuperaret, pepigit idē cū Cruciferis, ut senos modò grossos

Vuladislauia capta & incensa.

Cechocinum episcopo Vuladislauiensi ablatum.

Prodigiosus partus duodecim filiorum.

Masouia Plocēsis in ditionem Boemorum uenit.

Pomerania Cruciferis donata à rege Boemorum.

Dobrinum uenditum.

Ioannis regis uanitas.

Cruciferorum cū Boemis altera in Poloniam expeditio.

Vissegradum & Naclum capta et incensa.

Radeouia incèsa.

Racianzum captum.

De decimis Pomeranicis trājactio.

dò grossos annuos in iugera decimę nomine,tam ipse quàm sacerdotes eius omnes de Pomeranienſib.agris acciperent. Qua re uehementer accisi sunt reditus Vuladislauiensis episcopę. Tandem ubi aduentare Vuladislaum regem cum magnis copijs, & Vngarorũ,Austriorum atq; Lituanorũ auxilijs Cruciferi accepere,omissa oppugnatione alienorum,ad sua defendenda redierunt. Posteaquã autem hostium fines Vuladislaus attigit,exerceri longè lateq; populationes in tractu Culmensi iussit, nec ullum crudelitatis genus ab iratis omissum est. In trãsmittendo Deruancia aliquantũ difficultatis fuit. Nam uada eius fluminis ripasq; Cruciferi caudicib. ac sudib. per lõgum spaciũ impedierãt: ipsiq; in ulteriore ripa castra metati, transire nostros prohibebant. Rex facta ibi aliquot dierum mora, inuentoq; uado liberiore ad moletrinã Lubiciã, cum animaduerteret,quò se cunq; ipse uerteret, hostem sibi occurrere,delectas aliquot turmas occulte prope id uadũ reliquit: ipse cũ cętero omni exercitu auerso ab eo loco itinere,uersus Brodniciam ire pergit: consequunt hostes,nihil de fraude suspicati. Ibi nostri ut iussi erant,è latebris prorumpentes,uadum præsidio uacuum superant,fumoq; signum dant suis. Quo uiso,rex citato agmine retro unde,pfectus erat reuertitur,& fluuium trajcit. Grauioribus utebant equis hostes, itaq; nõ potuere tempori ad uadũ nostris occurrere, aduentantiumq; uim ij,qui primi de nostris transmiserant,fortiter sustinuere,donec omnis exercitus traiecit, & ad ordines redijt. Cruciferi inopinata re perculsi cessere nostris pugnãdi copiam facientib. dilapsiq; in munitiones sese recepere. Ibi uerò nostri effusè agros pagosq; hostiles uastarunt,uillas,uicos,et suburbana munitiorum oppidorum,qualia ferè sunt in eorum ditione,exusserunt. Deinde præmissa in Poloniã præda omni, Dobrinensem orã ingressi sunt: & arce Dobrinensi tentata, cum eã, egregiè tutantib. Cruciferis, capere nõ possent, re infecta redeuntes, quicquid erat reliquũ in Culmensi tractu usq; ad Ossam amnem ferro & igni absumpsere. Prussia ultra Ossam,quæ iam Cruciferis parebat, erat reliqua. Quam cum nostri intactam dimissuri nõ esse uiderentur,tunc demũ Magister cum primoribus Cruciferorum,qui Grudenti siue Gruzanzi erant,de pace uel inducijs cum Vuladislao rege agere cœperunt. Inducię in annum factæ,ea conditione,ut Dobrinensem arcem atq; tractum & Bydgostiam Cruciferi Vuladislao mox redderent. De Pomerania uerò Carolus Vngarorum & Ioannes Boemorũ reges arbitri capti. Quanquam Carolum tunc aduersus casus unà cum uxore & liberis penè perculit. Felicianus enim quispiã de Zaachorũ familia stricto gladio in cœnaculo ipsum adortus, sed frustratus ictũ, dextram modò eius leui ictu perstrinxit. Reginæ quatuor digitos dextrę manus amputauit. Filios uerò pædagogi accurrentes obiectu corporum suorũ, ptexere. Mox paricida à Ioanne Patocio nobili iuuene prostratus, concursu satellitũ regiorũ membratim dissectus est. De causa sceleris uariant aut hores. Nonnulli affectasse eum tyrannidem uolunt: alij stuprum Claræ sorori suæ à Cazimiro regi-
næ fratre, ipsa conscia & conciliatrice illatum, ulcisci eum uoluisse memorant. Nec ita multo pòst idem Carolus cum Bazarado Transalpinensium

Vuladislai regis cum exercitu ingressus in Prussiã.

Deruanza.

Deruanciæ fluuij traiectus.

Grudziandz.

Inducię inter Polonos & Crucifros.

Caroli Vngarorũ regis periculum.

Bazaradus Transalpinensium Voieuoda uicit Carolum regem Vngarorum.

O Valacho-

Valachorum palatino temerè bellū intulisset,ab eo per dolum profligatus, uix cum paucis effugit. Rebus ita cum Cruciferis constitutis, reduxit Vuladislaus exercitum,auxiliaq; dimisit. Liberati præsenti metu Cruciferi,minus iam pacē capere:nec Boemū ad arbitrandū de Pomerania,sicut cōuenerat,adducere,cū Carolus rogatu Vuladislai pręstò esset. Paruo deinde momento,ut fit,ad renouandū in sequentem annum,qui fuit 1331. bellū impulsi sunt. Comitia Vuladislaus rex ęstatis initio apud Chencinos habuit. In his cùm alia nonnulla de republ. salubriter de amplissimi consilij sententia cōstituit, tū quòd graue sibi & periculosum bellū cum Cruciferis impendere non ignorabat, ætatemq; suam ingraueſcentem, & uires magnis laboribus & aduersis rebus attritas & afflictas considerabat, Cazimirum filiū unū & uiginti annos natum maiori Polonię toti præfecit, ut fama nominis eius nō tam facilè se Boemi & Saxones commouerent: ad hæc ut in tuto is esset, si quid sibi aduersi in Prussico bello accideret. Grauiter tulit Vincentius Samotulius siue Pomeranius (utroq; enim modo cognominatus est) palatinus Posnanienſis, gente Nalencius, præfecturam illam sibi ademptam esse, ignominiæ loco id ducens. Simul autem uerebatur, ne priuatus inuidia & odio populari conflagraret, cum non usquequaq; rectè iustèq; magistratū gessisset: itaq; ira & metu pessimis consultoribus usus, clàm ad Magistrum Cruciferorum Marieburgū profectus est. Et causis aduentus sui expositis, molienti sua sponte bellū aduersus Polonos facilè persuasit, ut in maiorem Poloniā expeditas copias mitteret, quòd ibi non modò magna pręda potiri, sed & munitiones pleraq; & Cazimirum regis filium sua suorumq; opera facilè in potestatē possent redigere. Præfecti copijs Theodoricus Aldēburgius Marsalcus, & Otto Luterbergius, de sententia Vincētij omnia facere iussi sunt. Qui traiecta apud Toruniā Vistula profecti, parū abfuit quin Breste & Inouuladislauiam ex improuiso caperent, ni citato cursu armorumq; & uexillorū forma proditi ab ipsis usq; portis cōcursu nostrorū cum ignominia ducentis amissis repulsi essent. Nec eis tunc uacabat oppugnationi oppidorū insistere, ad aliud longè maius facinus profectis. Cuius peragendi spem omnem in celeritate, nostrorūq; securitate ponebant. Itaq; magnis & occultis itinerib. in maiorem Poloniā perueniunt: & capta primo impetu exustaq; Slupcia Posnanienſis episcopi oppido, continuato itinere Pysdros contendūt, in quo oppido Cazimirū esse didicerāt: magnoque impetu adorti oppidū non munitū, facilè eo potiunt. Sed euentus eorū spei non respondit. Paulo enim antè Cazimirus de aduentu hostiū factus certior, cum paucis comitibus oppido se eiecerat, & in proximā syluā receperat. Quamobrē irati Cruciferi, ac dolore amissæ prædæ, cuius causa maximè uenerāt, incensi, omni crudelitate in oppidanos desæuierūt: direptūq; oppidū cum templis, et sacris iuxtà ac prophanis rebus omnib. exusserunt. Deinde uiciniam omnem cis & trans Vartā ferro & igni depopulati sunt. Atq; inde cum ingenti præda retrò unde uenerant abiere. Probauit ea expeditione Vincentius fidem suā Cruciferis. Itaq; & tunc honorificè prona uata opera muneratus est, & maiorib. promissis oneratus, in maiore precio

1331 ann.

Chencinenſia comitia. Chenciny.

Cazimirus regis Vuladislai filius maiori Poloniæ præfectus.

Vincentius Samotulius transfugit ad Cruciferos.

Cruciferorum expeditio in maiorē Poloniam.

Slupcia incenſa.

Pyſdri capti et incenſi.

Cazimiri fuga.

deinceps

deinceps apud eos esse cœpit, sic ut eius arbitrio multa in eo bello gererentur. Cum autem maior militum numerus ex inferiore etiam Germania & è Liuonia ad eos confluxisset, rursus eadem ęstate uexare Poloniã, qua parte intacta adhuc eorũ populationibus erat, statuunt: eò scilicet adacturi Polonos cladib. domesticis, ut sibi ius omne in Pomerania, atq; aliquid etiam pręterea lubentes concederent, pacẽq; redimerent. Profecti igit̃ composito & pacato agmine per Cuiauiam, q̃ eam reuertentes suę ditionis facere destinabant, in Lencicienſem tractũ insultũ faciunt, arcẽ ui capiũt & incendũt, pagos & oppida crudeliter uastant. Deinde in Calissienſem oram iter flectunt: qua omni peruastata, oppido tamen potiti nõ sunt, nõ sine cęde inde reiecti. Vbi cum quinq; dies cõmorati, Ioannẽ Boemorũ regem frustra expectassent, progressi longius populando, Gnesnam, Znenã, Naclũ, Srodã, Pobedisẽos, Clecicum, Costrinũ oppida, ac circumiacentes pagos diripuerunt, & exusserunt, ne templis quidem & monasteriis sacrisq; rebus sacrilegas manus abstinentes. Reliquias tamen diui Adalberti cupidè quęsitas, sed occultatas à ministris templi, non inuenere. Hagecus memorat, regem Boemorũ hoc anno primùm in Langobardiam, mox aditis Gallis contra Austrios magnis Vngarorũ & Polonorũ auxilijs adiutos, prospero ubiq; successu expeditionem fecisse: inde Lucemburgũ et in Gallias iterum profectũ esse. Et quasi hoc parum sit, addit Ioannes Dubrauius episcopus Olomucensis, cuius historiam Boemicam latinè conscriptam nunc primũ cum hæc recognoscerem, editam uidimus, tertiam quoq; contra Fridericum Mysnensem expeditionem inter duas superiores interiectam. Sed horum fides penes authores esto. Nos ad Cruciferos reuertamur. Qui deinde in Siradiensem tractum impetum fecerunt, & pari celeritate uniuersam percurrentes, ferro & igni cuncta uastarunt. Quo incendio Siradia, Vneouia, Vartha, Stauus, Schadecũ oppida pleraq; cum arcibus conflagrarunt. Nec matronarum & uirginũ etiam Deo dicatarum pudori usquam parsum est. In direptione aũt Siradiensis monasterij cum pręses sodalitatis, quem Priorem uulgò uocant, Hermannum Elbingensem commendatorem Elbingę cognitũ agnouisset, cædemq; innocentium hominũ, qui eò cũm facultatib. suis confugerant, atq; direptionem monasterij sui supplex deprecaret, Prussico uerbo, Nepreſt, quod est, non intelligo, ab eo reiectus est. Quasi non satis esset re ipsa barbaro, nisi & lingua id profiteretur. Ad Calissiam deinde expugnandã reuertêre: sed amissis nõnullis militibus, post paucos dies re infecta discessere. Est enim permunitũ id oppidum, non tam arte quidem, quàm situ & natura loci: nempe à Prosna flumine latius, ut in magna planicie, restagnante ambitum. Hinc Coninense oppidũ & territoriũ uastarunt. Porrò qui apud Nezamyslum lacum et Gluſſinum oppidum habitabant, equestres pariter & agrestes, munito loco se cum uxoribus, liberis, & familijs, cum gregib. & armentis, & cæteris facultatibus suis continebant: ductaq; fossa ad septem milliaria, et lacu in eam immisso, aditum ad se hostib. præcluserant. Qua re cognita Cruciferi, magnitudine prædæ allecti, tria millia equitũ ad expugnandũ locum mittunt. Quibus uenientibus nostri

Crucifiri in Poloniam rursus.

Lencicienſis arx capta et incensa.

Calißienſis tractus uastatus.

Gnesna, Znena, Naclũ, Sroda, Pobediſci, Clecicũ, Coſtrinum oppida direpta, & incenſa.

Ioannis Dubrauij episcopi Olomucẽsis historia Boemica.

Siradienſis tractus uastatus.

Siradia, Vneouia, Vartha, Stauus, et Schadecum arces et oppida incẽſa.

Nepreſt.

Calißia defenſa.

Calißiæ ſitus.

Coninũ uastatũ.

Cruciferorũ strages apud Nezamyslum lacum.

cum paucis turmis à rege ad huiusmodi casum submissis ad aggerẽ intrepi dè occurrũt: cõsertoq; prælio, fusos & impeditos ingẽti strage interficiũt, ita ut pauci admodũ manus nostrorũ, longè agiliorib. equis utentiũ, effugerẽt. quin et alijs locis opportunis eos palãtes et liberius prędas agẽtes nostri ex cipiebant atq; trucidabãt. Neq; em̃ longe Vuladislaus rex cũ nõ contẽnen dis suorũ copijs aberat, sed nusq̃ certo loco figebat pedẽ, nec audebat prælio rem cõmittere: nõ ignarus, quantũ esset robur Germanicarũ phalangũ, & ca taphractorũ equitũ. Discruciabat aũt summopere, uidens patriã charissimã tam immaniter uastari, flagrãtes & fumantes circũquaq; pagos & oppida, & innumerabilẽ penè hominũ omnis generis atq; ordinis multitudinẽ, par tim cęsam, partim captã. Augebat dolorẽ eius, q̃ neq; opem ullam reb. suis tam calamitosis afferre, neq; hostẽ ulcisci procliue sibi esse arbitrabat. Cum igitur inops consilij, animũ in omnes partes uersasset, una tandẽ uia utriusq; rei expediendę ipsi se ostendit, nimirũ, ut Vincentiũ sibi recõciliaret: eiusq; proditione, uel circũueniret hostes, uel cõsilia eorũ perturbaret. Intelligebat enim quantũ in eo momẽti Crucigeri ponerẽt. Itaq; secretò per internũcios eũ hortat, ut afflictę ac penè perditę patrię misereat, impunitatẽ admissi pol licens. Addit alia, quæ ad flectendũ placandũq; eius animũ ualitura esse iu dicabat. nec malè ipsi consiliũ hoc cecidit. Subijt enim animũ Vincentij pa trati sceleris pœnitẽtia. Reputabat secum diligẽtius, quantã infamię sempi ternę notã nomini suo familięq; inustã ad posteros esset trãsmissurus. Itaq; proditione proditionis memoriã obliterare, & recenti beneficio priorem iniuriam obscurare statuit: cõstitutoq; tẽpore, nocte quadã, per speciem ex ploratoris è castris Crucigerorum egressus, ad regem uenit, ueniam supplex petijt, et impetrauit. Deinde regẽ ad conserendas cum hoste manus animat. Docet in tanta multitudine plurimã esse fæcem hominũ inermium & im bellium. Si nostri uiri esse pergerent, & in inopinãtes impetũ facerent, fore ut uel perturbatos opprimerent, uel certè fracta prima hostium acie, cæteri neq; uim nostrorũ sustinerent, & in fuga se inuicem impedirent. Sibi uerò eas partes sumit, ut hostem ab omni suspicione prælij auersum fallat: ac de inde intentum in pugnam, à tergo cum suis adortus, noua re perturbet. His ita constitutis, in castra Crucigerorum reuertit, nihil à Polonis periculi ipsis esse renunciat: regem pauidum et conscių uirium suarum non diutius exer citum tenere, aut lacessere eos statuisse. Quod ubi accepere Crucigeri, subla ta spe prælij, cum satis iam debacchati in Polonia essent, & ingentem prędã uix traherent, ad hæc imbrib. & frigorib. autumnalib. urgerent, reuerti in Prussiã incipiunt. Et quoniã pręda grauib. & impeditis, lentius pgredi ne cesse erat, Ottonẽ Brundorfiũ cõmendatorẽ magnũ, et Russum Plauiũ cum expeditiori parte copiarũ ad expugnandũ Breste ex iti nere pręmittũt. Iam extremũ agmẽ ad Bleuũ siue Plosce pagũ, ppe Radeouiã peruenerat, ubi la tè patẽs est planicies, ita ut opportunior is locus ad pręliũ esset nostris, eq̃ta tu maximè ualentib. q̃ hosti, cũ subitò illucescẽte die ñ, q̃ extremas seruabãt excubias, renũciãt in castra, Polonorũ exercitũ adesse. Nõ creditũ est narrã tib. Vincentio maximè omnia sibi exploratiora esse affirmãte, donec strepi tus

Phalanx & cataphracti Germanorum.

Vincentius Samotulius redit in gratiam cum rege.

Plosce pagus clade Crucigerorum nobilis.

tus aduentantiũ,& hinnitus equorũ exaudiri cœptus est:nã cõspectũ densa nebula adimebat.&tamẽ nõ credebãt nostros,q̃s penitus cõtempserãt,rem uniuersę dimicationi cõmissuros: sed abeũtiũ modo iter solitis adequitationibus,& particularib.certaminib.impedituros. Vbi uerò aciem ad dimicandũ instructã cum signis adesse sensere,tũc demũ tumultuari, & ad arma cõclamare primores.perturbari re noua cętera multitudo, cum uix armãdi sę spaciũ haberẽt qui pridiana crapula & ebrietate grauati & sopiti,classico expergefacti erãt,& semisomnes,quidnã rei esset,alius aliũ percõtarent.Instructis tandẽ utcũq̃ primis ordinib.in aciem prodeũt:cathenisq̃ per balteos primorũ militũ immissis,ordines & phalangẽ colligãt,ne perrũpi & perturbari ab equitib.nostris posset.Rex quia nebula caliginosa incerta omnia reddiderat,parũper impetũ suorũ inhibuit,dum ea resideret:atq̃ interim milites graui oratiõe ad pugnã incitauit:quę huiusmodi fuisse ferẽ.Nõ uos latet,milites,cũ quib.nobis hostib.res sit,nẽpe q̃ beneficiarij sunt maiorum nostrorũ,acciti in hęc loca,&liberaliter inuitati,ut eis auxilio essent cõtra uicinos barbaros.nũc ij ingrati et impij,p maximis beneficijs parricidialia arma in nos cõuertẽre.Pomeraniã nobis surripuere uerius q̃ eripuere,itẽq̃ Cuiauiã penè omnẽ: reliquę etiã inhiãt.neq̃ hoc satis illis est.Cernitis iã omnẽ ferè Poloniã crudeliter ab eis uastatã,populatos agros,incensos pagos,euersa oppida,aratores uestros ignominiose necatos:parẽtes,cõiuges, liberosq̃ uestros dulcissimos uel cæsos,uel in fœdã & cõtumelioſam seruitutẽ abstractos:quorũ quidẽ ploratus & eiulatus miserabiles exaudire potestis.adsunt eim propè,& proditi fidẽ uestrã incusant:implorarẽt,si uos adesse intelligerẽt.Quid ego cõmemorẽ,pfanata ac direpta templa Dei opt. max. et monasteria? abreptas ab ipsis aris & adytis ad incesta stupra monachas? respersa sanguine innocentiũ hominũ & sacerdotũ,qui p uestra salute & incolumitate huius regni sacra faciebãt, uenerãda Christi Iesu mysteria? Hęc uos pati potestis,milites? tam ferrei estis,ut uos uestrarũ cõiugũ,sororum,& filiarũ ad stupra truciũ Teuthonũ asseruatarũ nõ misereat? tã duri, ut nõ paruorũ liberorũ & fratrũ uestrorũ misera cõditione cõmoueamini: q̃s Germani milites cauponib.lanijs,coquis, & meretricib.in intima Germania in perpetuã seruitutẽ addicẽt? At sacra quidẽ tã indignè & cõtumeliose attrectata ferre nõ debetis. acrius ac,pmptius,p his semper maiores uestri q̃ p liberis & cõiugib.nedũ p facultatib. suis dimicarũt. Quid uerò? creditis cõsceleratos hostes malis nostris iam satiatos,aut modũ ullũ cupiditati & crudelitati suę posituros esse? nõ faciẽt,pfectò,nisi uos sedib.uestris omnino,ppulerint,aut sanguinẽ uestrũ,prsus exsorbuerint,nomenq̃ extirparint: nisi uos fugit gentis immanitas, humanis hostijs olim deos placare solitę.Sed ne ego uirtuti uestrę diffidere uideor,qui uos tam diligẽter in hostem tam trucẽ incitare instituerim : quasi uerò nõ per me steterit hactenus, ne cum eo manus cõsereretis.Fateor equidẽ, ad hanc usq̃ diẽ obstitisse me sedulò uobis pręliũ flagitantibus, & uel hostium, uel si ita sors tulisset, uestro ipsorum sanguine patriæ flagrantis incendia restinguere cupientibus. Sed meliorib.rebus & minori discrimini uos seruaui,milites.Neq̃ eim sem

Vuladislai regis ad milites concio.

Crucifferorum crudelitas & impietas.

Germani olim humanis hostijs deos placarunt.

„ per aperto marte bella gerenda esse existimo. Arte doloq; utendum, ubi im
„ par sis uiribus. Plurimum etiã momenti habet temporũ & locorum oppor
„ tunitas. Ita sępe maximos hostiũ exercitus à pauciorib. nostris fusos, pfliga
tosq; reperiet, qui ueterũ reminiscí uolet. Nunc ita nobis instructa expedi
taq; sunt omnia, ut diuina iustitia, quę, pculdubio fauebit iustiori causæ, &
uestra uirtute fretus, confidã in manib. nos habere uictoriã, daturosq; no
bis illico perfidos et impios hostes cõdignas scelerũ & audacię suę pœnas.
Primùm eñ certũ exploratũq; habeo, multitudine eos nobis pręstare, non
uiribus. Quanquã ne multitudine quidẽ iam superãt. Nuper enim florem
ipsum & robur exercitus sui ad subigendã reliquã Cuiauiam præmiserũt.
Fex ferè imbellis cum captiuis, sarcinis, & impedimentis mansit. Neq; par
illis nobiscum dimicatio est. Illi eñ mercede conducti ferè, & alienum bel
lum belligerantes, & multorũ scelerũ sibi conscíj, minus studíj minusq; a
nimorũ ad pręliũ afferẽt. Vos, p ýjs rebus quęcũq; sunt charissimę, & pro
patria ipsa iusta & pia arma sumpsistis. Tum aũt securi hi dudũ, & soluta o
mni disciplina militari, re noua et inexpectata conturbañt. Auditis eñ cla
morem illum dissonũ & inęqualẽ, timoris argumentũ. Aspicitis cursitatio
nẽ trepidationẽq; ad signa concurrentiũ, imò uerius fugã circũspectantiũ.
Postremò ita nobis constitutũ est, ut eos in pugnã intentos, si modò primũ
uestrũ impetũ sustinebũt, alius & inopinatus hostis à tergo inuadat. Vincẽ
tius is est palatinus quondã Posnanensis, cuius ope & cõsilio in primis ni
tuntur. Is nanq; iustas iras uestras hostiũ capitib. placare, & nouis meritis
priorem infamiã delere decreuit. Agite ergo milites, impigri & alacres pu
gnam capessite, totq; millia captiuorũ fratrũ, liberũm, coniugũ, & aratorũ
etiã uestrorũ uindicate: cęsos ulciscimini, fumantesq; adhuc pagos et uicos
uestros inuiso cruore respergite, imperiũ & libertatẽ uestrã defendite: quæ
utraq; in discrimen ueniunt, si quid fortè, quod omen Deus auertat, tituba
ueritis. Denicq; Deum piorũ adiutorẽ, & scelerũ atq; flagitiorum contami
natorumq; sacrorũ suorũ, & religionis sacrosanctę ultorẽ inuocate. Hæc e
locutus, ubi alacres & incitatis animis pugnã poscentes aspexit, et iã nebula
Prælium. resídere cœperat, canere signa iussit. Prima de quinq; aulicorũ acies, quę e
Aulicorum acies. rat firmissima, magno impetu & infestis animis in hostes inuehit. Excipiũt
illi qui cõtrà cõstiterant nõ impigrè. Deinde cęterę acies cõcurrunt, pręter
subsidiarias. Pugnat utrinq; summa cõtentione, neq; quisq; pedem refere
bat, & magis quisq; ferire hostẽ q̃ ictũ declinare studebat. Adest omnib. lo
cis Vuladislaus suos animãs, & fessis integros summittẽs, ipse indefessus,
Vincentij Samo- cęruis effœto & senili corpore. Feruescente aũt prælio, cũ Vincẽtius adhuc
tulij proditio. nusq; appareret, subuereri iã rex cœperat, ne quẽ is dolũ necteret. Circum
spiciebãt et milites memores, pmissorũ regis: cũ ille à tergo hostiũ sublato
clamore cum suis impetũ in extremos auersos, quemadmodũ cõuenerat, fe
cit. Ibi uerò turbari illi noua re perculsi, primi quoq; exaudito post se cla
more ac tumultu respicere, et scisciari inter se, quidnã id esset. Instant nostri
Crucigeri uincun- acrius respectantibus & remissius pugnantibus. Nec mora, cæsis ducibus,
tur. totas acies ancipiti prælio perterrefactas conuertunt. Fit longè maior fu

gien-

gientiũ strages, q̃ꝫ quę dudũ pugnantiũ fuerat. Adeò nanq̃ꝫ dolori iracundięq̃ꝫ Poloni indulgebãt, ut neminẽ uiuũ seruarẽt. Et iã plena uictoria poti ti esse uidebant̃, cũ ecce lõgo interuallo, utpote discussis iam ꝓrsus nebulis, nouas copias hostium effuso cursu aduenire adspiciũt. Erãt aũt ij q̃s ad Breste capiendũ præmissos esse diximus: qui certiores facti de nostrorũ aduentu, suppetias suis ueniebãt. Ibi Vuladislaus captiuis aliq̃t nobiliorib. cum pręsidio retrò amãdatis, & paucis cohortatus milites, ne labori succũberẽt, neu sibi partã uictoriã eripi sinererent, mox in uenientes impetũ facit, ne q̃d eis clade suorũ cõterritis, et fugiẽtiũ multitudine inter ordines sese immiscẽte perturbatis, colligendi sese spacium daret. Nec par superiori prælium illud fuit. Nõ enim uim nostrorũ recẽti uictoria ferociũ hostes sustinuere. Itaque paruo negocio uertuntur in fugam. Nec tamẽ multi euadere potuere, graui armatura & longo cursu defatigatis equis pariter & militib. alioqui etiã laboris impatientibus. Cęsa ferunt̃ his duob. pręlijs hostiũ supra uiginti, millia. Tametsi Dlugossus quadraginta millia refert: de nostris quingenti uel, ut apud alios reperio, triginta tantum de promiscua multitudine: ac duodecim de nobiliorib. cecidere. Inter quos insignes fuere, Zegota Moraucius Cracouiensis, Cristinus Ostrouius Prẽdotę Castellani Cracouiensis filius Sendomiriensis, signiferi, & Iacobus Suinscius Castellanus Zarnouiensis. Tam paruo tam insignis uictoria nostris cõstitit. Castra hostiũ opulenta capta ac direpta. Nostri captiui soluti, ubi ingens fuit inter fratres, coniuges, necessarios, parẽtes & liberos mutuo sibi quasi postliminio redditos gratulatio. Dies quo hæc gesta sunt, fuit uicesimusseptimus Septẽbris: qui dies translatis diui Stanislai ossibus festus est apud Polonos. Et quoniã ad uesperũ ferè pugnatũ erat, reliquũ diei illius, et mox sequens curãdis et reficiendis corporib. data est. Postero die cęsorũ quẽ dixi numerus recognitus & spolia lecta sunt. Ibi rex obequitans, fortè conspicatus est unũ de suis, hominem equestris ordinis multis uulneribus debilitatũ, resupinato corpore iacentem, et ilia per uulnus effluentia manibus cohibentem: conuersusq̃ꝫ ad comites, Quàm magnus hic est, inquit, huius uiri cruciatus. Respondit ille: Maiorem esse eius qui in eodem pago malũ uicinum habeat, qualem ipse expertus sit. Rex, contrà, Bono, inquit, animo es. Istoc ego te malo liberabo, si uixeris. Et sublatus, curatusq̃ꝫ, totũ pagũ amoto malo uicino regia munificẽtia adeptus est, insuper pręclarũ uirtutis testimoniũ cõsecutus, ad posteros trãsmisit, ut stẽma eius familię, quæ tres hastæ transuersæ sunt, Ielitorũ, hoc, est ilium nomine appellet̃, cum prius Kozlerogi ab hirci cornib. diceretur. Fuit aũt is Florianus cognomento Sari. Vincentius palatinus ob nauatã bene operã nõ modò impunitate donatus, uerùm etiã abrogata infamia, pristino honori restitutus est. Sed non impunè tamen ei cessit hostes in patriã induxisse. Insequenti enim anno conspiratione nonnullorum equitum, quos ira & dolor amissarum rerum charissimarum in eum stimulabat, interfectus est. Statuerat quidem Vuladislaus cursum illius uictoriæ mox prosequi, sed eum Boemi cum Silesijs ab ea cogitatione auerterunt. Qui cum primum cladis sociorum nuncium acceperunt, rati Vuladislaum post uictoriam

Cruciferi uincuntur.

Pugna instaurata.

Victoria geminata.

Strages Teuthonum.

Vicinus malus.

Ielitorũ familia. Kozlerogi.

Vincentius Samotulius pristino honori restitutus.

Vincentij Samotulij cædes.

Boemorum expeditio in Poloniã.

uictoriam illam in Pomeraniam, & in Cruciferorum ditionem ducturum esse exercitum, cum subitarijs copijs in maiorem Poloniam fecerunt insultum, Posnaniamq; obsidere cœperunt, ut auerso rege Vuladislao Cruciferi respirare possent. Quod cum accepisset Vuladislaus, mutato consilio, ad propulsandũ nouum bellum cum uniuerso exercitu contendit. Nec tamen hostem adeptus est. Nam is cognito Vuladislai aduentu, in Silesiam præproperè se recepit. Nec eũ tunc Vuladislaus persecutus est, quòd & hyems iam instabat, & quies danda erat militibus, ut uires in sequentem æstatem refocillarent. Ferunt quidem de Boemis & Silesijs apud Posnaniam cecidisse supra septingentos, præter fossores: qui in cuniculis opus faciebant. Aliquanto aliter narrat hęc Ioannes Dubrauius: & quidem nullo, quod sciã, authore. Nempe Ioannem regem à Prussis euocatum in Pomeraniam primum duxisse exercitum, ut ea quæ Polonus ibi interceperat, Magistro restitueret. Quo facto, ad populandã Poloniam cum Prussis eum contendisse, ut ulcisceretur incõmoda à Polonis circum Opauiã uastatis agris nuper data. Peruastatis autẽ impunè circum Posnaniã agris, cum nemo ipsi occurreret, Cracouiã obsedisse: quasi nõ longius ea abesset à Posnania, quàm Olomucia à Cremesirio, uel Vyscouia. Et quamuis fame premeretur exercitus eius, nõ prius tamen discessisse ab obsidione, quàm rex Polonus quadraginta millibus numum aureorũ inducias ab eo redemit. Sic Dubrauius. Quæ quam sint uerisimilia, cuiuis facile est iudicare. Tentata est deinde pax inter Vuladislaũ & Cruciferos, Carolo & Ioanne arbitris. Quę tamen nõ cõuenit, Cruciferis Pomeraniã nõ reddentib. Et paucis pòst diebus ij, cũ è Germania nouis copijs aucti essent, Cuiauiã quatuordecim diebus ad finẽ Nouembris populabundi infestarũt. Nec multo pòst initio noui anni, nihil moratí asperitatẽ hyemis, iterũ, sed maiore apparatu, in eãdẽ Cuiauiã ingressi, Breste oppidũ obsederunt, rati fame se oppidanos ad deditionẽ cõpulsuros. Sed cum frustra tres ferè menses in obsidione insumpsissent, ea die, qua uniuersus Christianus orbis salutarẽ Christi Iesu mortem aniuersario ritu recolit, quę Parasceue dicitur, summa ui oppidũ oppugnant. Nec segnius nostri defendũt. Verùm quatriduano labore defatigati, tandẽ quinto die oppidũ dedũt. Alij septimo obsidionis die deditũ esse id oppidũ memorãt, cum die cœnę Dñi hostes id obsidere cœpissent. Cruciferi impositio ibi præsidio, ad Inouuladislauiã castra mouerũt, eamq; mox dedentib. oppidanis acceptã, præsidio itẽ munierũt. Progressi ulterius Gnesouiã arcẽ oppugnãt. Erat in ea Cazimirus dux Vuladislai fratris filius. Is igit pactus cum hoste, ut sibi suisq; res suas asportare liceret, ipse inspectantib. & permittẽtib. Cruciferis, arcẽ incẽdit. & cũ miserabile illo suo Cuiauiẽsis nobilitatis comitatu ad Vuladislaũ regẽ, pfectus est. Ignobiliora deinde oppida Cruciferi facilè in potestatẽ suã redegere. Pacosiũ arcem Albertus Coscelecius, quę clara familia est, palatinus Brestensis egregiè tutatus est, & non paruis incõmodis hostes affecit. Vt aũt Cuiauię ac Dobrinẽsis orę possessionẽ sibi stabilirent Cruciferi, demoliti Breste uetus, munitiore id loco cõdiderunt: & arces quasdam in eo tractu cocto latere munierunt. Nam Vuladislaus maturas segetes

Boemi repulsi.

Ioannes Dubrauius.

Cruciferi Cuiauiam populati.

Breste obsessum & deditum.

Inouuladislauia dedita.

Gnesouia incensa.

Pacossum arx defensa.

Albertus Coscelecius palatinus Brestensis.

Breste nouum condi tum.

& Vnga-

& Vngarorum auxilia expectauit. Quę cum conueniſſent, per Maſouiam in Culmenſem tractum infeſtum duxit exercitum. Et hoſtibus prælij ſuperioris euentu, pauidis & pugnam detrectantibus, uaſtare eorum regionem longè lateq; cœpit. Excitus aũt quoquouerſus collucentib. pagorum & uicorum ſuorum incendijs cædibus'que agreſtium Lutherus Magiſter decernere prælio cum rege cupiebat: uerùm commendatores temeritatem eius reprehenderunt. Itaque meliore conſilio uſus, caduceatorem ad regem miſit: & cum æquas pacis conditiones accepturum ſe eſſe reciperet, facilè à credulo rege annuas inducias impetrauit. Quibus conſtitutis rex, ne nihil tantis copijs ſumptibus'que dignum egiſſe uideretur, ut'que Sileſios qui ſuperiore anno Poloniæ arma intentarant, ulciſceretur, in Sileſiam copias duxit. Ac nemine pugnandi copiam faciente, quinquaginta & amplius munitiones hoſtium cæpit, & incendit. Coſtenum, quod oppidum cum arce inter ſtagna & paludes ſitum, ualido hoſtium præſidio tenebatur, obſidione cinxit. Irridebant obſidionem noſtrorum ij qui erant in præſidio, ſiſi uiribus ſuis, & ſitu arcis. Itaque motus hac indignitate Cazimirus regis filius (aderat enim in exercitu) audacius cum ea manu, quam circum ſe habebat, ad mœnia progreſſus, ui expugnare munitionem adortus eſt. Quod conſpicatus reliquus exercitus, ducem ſecutus, non prius oppugnare arcem deſtitit, quàm ea per uim potitus eſt. Quo facto, mox oppidani ſeſe dedidêre. Sæuitum eſt autem in præſidiarios atrocius, quòd non pauci de noſtris in expugnatione ceciderant. Atque ex eo tempore Coſtenum rurſus in poteſtate eſt Polonorum. Extremum id operum Vuladislai regis fuit. Reuerſus enim ab eo bello Cracouiam, donatis'que ac dimiſſis auxiliarijs, languere cœpit. Ac ſenſim inualeſcente morbo, ubi imminere mortẽ ſibi ſenſit, ritu Chriſtiano ſacris myſterijs procurari ſe iuſſit. deinde admonitus à proximis, Cazimirum filium proceribus aſſidentibus languida uoce commendauit, & ut eum poſt ſe regem crearent, rogauit. Ipſum uerò ad colendam iuſticiam & clementiam in ſuos, & ad perſequendos bello ingratos Cruciferos, recuperanda'que ea quę illi à regno ſuo abſtraxerant, adhortatus eſt. Poſt hæc ad ſextum Idus Martias anno Chriſti 1333. inter ſuorum lamentantium manus animam exhalauit, & in baſilica Cracouienſi ad lęuam aræ maximæ ſepultus eſt. Cuius extat adhuc monumentum. Fertur corpus eius pluribus poſt mortem diebus inſepultum, dum ſolennes exequiæ parantur, nihil putredinis aut tetri odoris contraxiſſe. Regnauit autem ab eo tempore, quo diademate cinctus eſt, annis tredecim & paulo amplius: princeps ſingulari patientia & manſuetudine animi præſtans, & adeuntibus perfacilis: ſtatura perbreui: cæterùm manu promptus. uirtute uerò tanta, & animi magnitudine uſque ad decrepitam ætatem uaria fortuna exercita, ut cum maximis regibus rectè comparari poſſit. Ac eo quidem magis, quo turbulentius & mutilatius regnum accepit.

Poloni Culmenſem infeſtant.

Inducię annuæ inter Polonos & Cruciferos.

Polonorum expeditio in Sileſiam. Coſtenum captũ.

Vuladislai Loſtici mors.

1333 ann.

Vuladislai uirtutes.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORM, LIBER DVODECIMVS.

CAZIMIRVS SECVNDVS COGNOMENTO MAGNVS, REX.

Comitia Cracouiæ.

Vngari oratores.

VSTIS funebribus Vuladislao ritè peractis, habita sunt comitia Cracouię de creando nouo rege. Introducti legati Caroli regis Vngarorũ, petierũt ut Cazimiro regnũ post patrem mandaret, auxilia ipsi cõtra quemuis hostem pollicentes. Et facilè ŋ quod postulabãt impetrarũt, cũ alioqui etiã omniũ procerũ pariter & equitũ uolũtates eódem inclinarẽt. De uxore noui regis scrupulus iniectus est. negabat enim Heduigis Cazimiri mater, se regina superstite eam coronari debere. tamen exorata à filio cessit: atq; ut iniectũ scrupulũ prorsus demeret, Sandeciam antiquã secedens, diui Francisci institutũ uitę professa est. Itaq; Cazimirus una cum Anna uxore uicesimaquinta die Aprilis, in basilica Cracouiensi ab Ianislao archiepiscopo solenni ritu inunctus, diadema accepit. Datus est aũt ei iuuenilium consiliorũ moderator Iascus siue Ioannes Melstinius Castellanus Cracouiẽsis, uir grauis & prudens, & amans reip. Et ąniam uidebat Cazimirus omnẽ penè Poloniã Cruciferorũ armis, atq; domesticis latrocinijs, quę patre regnãte impunitate increbuerãt, attritã, domesticis malis prius q̃ externis manus admouit. Et cũ Cruciferis quidẽ inducias fecit, per quas perpetua pax, suprà memoratis Vngarorũ & Boemorũ regibus arbitris, cõponeret. Adiectũ in pactis, ut Magister Cruciferorũ Breste oppidũ Zemouito duci Masouiorũ Cirnensiũ, aut Mathię Vuladislauiensi episcopo tenendũ cõcederet, qui id pace firmata Cazimiro traderent: sin minus cessisset pax, Magistro redderent. uerùm in eo magister fidem nõ seruauit. nihilo tamen minus mansere inducię. quibus durantib. diligenter ubiq; prędones & infestatores publicarũ uiarũ perquisiti, exquisitisq; supplicijs affecti sunt. Neq; quicq; pręterea memorabile eo & sequenti anno in Polonia gestum est, nisi q̃ uicesimatertia die Aprilis intra annũ à coronatione regis ingens nix decidit: quę cum quinq; dies durasset, pręter omniũ expectationẽ, singularem fertilitatẽ agris attulit. Insequenti uerò anno, qui fuit 1335. tantarum locustarũ peruagata est, ut uolãtes solis aspectũ hominib. adimerent: humi uerò stratę equorũ ungulas crassitudine superarent: quę depastę maturescẽtes segetes, angustiorem annonã fecere. Nouembri uerò mense eiusdem anni, pax inter Cazimirũ & Cruciferos arbitrio Caroli & Ioannis regum Vissegradi in Vngaria facta est, iniquior Cazimiro, q̃ Ioannes homo callidus atq; disertus satagens pro Cruciferis, Carolũ in suam sententiã adduxisset, aduocati magis q̃ arbitri functus officio. id q̃d deprehendere est ex eius ipsius literis ad Theodoricũ Magistrũ scriptis. Accepit tamen eam pacem Cazimirus, plus q̃ dignũ erat quietis & oci cupidus. Fuit autem in

Heduigis regina in monasterium secessit.

Cazimirus cũ uxore coronatur.

Ioannes Melstinius moderator regis.

Inducię cum Cruciferis.

Nix sub finem Aprilis.

1335 ann.

Locustæ.

Cazimirus rex in Vngariam profectus.

Pax inter Polonos & Cruciferos.

conditio-

conditionibus, ut Cruciferi Pomeraniã cõcedente rege retinerent, atq; etiã Neſſouienſem arcẽ in Cuiauia ſupra Viſtulã, nempe ut utrãq; ripã & nauium in poteſtate ſua haberent, eodem iure quo Culmenſem atq; Torunenſem tractũ olim à maioribus. Cazimiri accepiſſent. Regi uerò Dobrinenſem & Cuiauiã relinquerent, ne ea quidem portione excluſa quæ ad Cazimirũ ducem Zemouiti filiũ pertinebat, regi redderent, ac decem millia florenorũ pro damnis datis annumerarent: etſi in decreto nulla fit mentio eius pecuniæ, ſed ex diplomate pontificio, quo cognitio cõtrouerſiarũ inter regem & Magiſtrũ certis iudicib. poſtea cũ non ſtarent pactis Cruciferi, delegata eſt, apparet, id quoq; conueniſſe. Profugis aũt utriuſq; partis ut liceret ad poſſeſſiones derelictas reuerti, uel uendere eas arbitratu ſuo. Impendia dãnaq; utrinq; cõpenſata. Dubrauius cum Hageco memorãt, inter ipſos quoq; reges Polonũ & Boemum Vngari arbitrio tunc pacta cõueniſſe: ut Polonus Boemo ius omne in Sileſia cõcederet: Boemus uerò ne regis Polonorũ appellationem deinceps uſurparet, ac ius tributi à Polono rege exigendi ut remitteret, acceptis à Carolo quingentis libris auri puri puti. Ac de his quidem cõditionib. cõſentiũt: de illa uerò diſſentiũt, q; Dubrauius illud quoq; cõueniſſe ſcribit, ut Polonus Boemo pecuniã debitã exolueret: Hagecus cõtrà, uiginti millia marcarũ Polono à Boemo numerata uult eſſe, ne quid iuris in Vuratislauienſi ditione, & in omni Sileſia & Oppolienſi ſibi uendicaret. Addit idem, ſocietatem tũc ab omnib. trib. regib. cõtra Ludouicũ Cęſarem initã eſſe: quod Dubrauius prętermiſit: uultq; idem, & quidẽ ſolus, hęc omnia uiuente & pręſente Loctico cõfecta eſſe. Aliquid fortaſſis horũ tunc actũ eſt. Cæterùm Sileſiã omnem tunc nondũ Boemus in ditionẽ ſuã redegerat. Tributũ aũt illud unde aut quãdo ipſi natum ſit in Polonia, non poſſunt oſtendere iſti, ſi ultima cũ primis aptè & cõuenienter uolũt cõtexere. Sed integrũ ſit ſuũ cuiq; iudiciũ. Soluto cõuentu, nõ tamen reddebãt ex decreto & pacto Cuiauiã ac Dobrinenſem Cruciferi Cazimiro, cũ quibus approbaſſet is ſententiã regũ ex cõpmiſſo latã, niſi etiã diſertè unà cũ ſenatu, nobilitate, & ciuitatibus, diplomatis & iureiurando dato Pomeraniã, Culmenſem, et Michalouienſem tractum à ſe & à poſteris ſuis prſus abdicaret. Quod cum ille ad ſenatũ & comitia retuliſſet, omnib. indigna res uiſa, poſt tam iniquũ arbitriũ, nouas etiã durioresq; pacis leges ab hoſte perinde atque à uictore ſibi ferri. Itaq; bellũ malle, cũ tam iniquam & ignominioſam pacem. Cũ aũt de ratione belli gerendi cõſultaret, placuit nõ inferre bellũ: ſed ſi inferat, propulſare: atq; ad pont. max. primo quoq; tempore de ui & iniurijs Cruciferorũ, propter religionẽ ad eius iuriſdictionẽ pertinentiũ, referre. Legatus ad eam rem curandã miſſus Ioãnes Grotus Slupecius epiſcopus Cracouiẽſis, qui nequicq; inficientib. negotiũ aduerſarijs, magna cura ac diligẽtia tandẽ perfecit apud Benedictũ eius nominis duodecimũ pont. max. ut is Galardũ Titulenſem præpoſitũ, & Petrũ Geruaſiũ Anicienſem canonicũ legatos & iudices ea de re in Poloniã & Pruſſiã mitteret: qui Polono regi Cuiauiã ac Dobrinũ reddi, et decem millia florenorũ adiudicata numerari à Cruciferis curarent: de eæteris uerò cõtrouerſijs cognoſcerent.

Pacta inter Boemum & Polonũ reges conuenta.

Boemicorum ſcriptorum diſſenſio & temeritas.

Cruciferi pactis conuentis cũ Polono nõ ſtęterũt.

Legatus Cazimiri regis ad pontificem.

Delegati Papæ de controuerſijs Polonorum cum Cruciferis.

Ludouici Cæsaris interdictum.

Cruciferi uerò ut prętextũ aliquẽ iniuriæ, & neq; arbitrorũ decreto, neq; põtificis mãdatis parẽdi haberẽt, perfecerũt apud Ludouicũ Cęsarẽ, cui tũc neq; cũ regib. neq; cũ põtifice cõueniebat, ut is Magistro Theodorico Aldemburgio et uniuerso ordini grauissima pœna adiecta interdiceret, ne cuiusquã pręcepto quicq̃ de ijs terris quas ab imperio haberẽt, cuiq̃ cõcedãt, n'eue apud ullos iudices de ijs disceptẽt, pręter assensum suũ. Cũ aũt iudices à põtifice delegati Varsauię cognoscẽdę causę aliqãdiu operã dedissent, refutata friuola detrectatiõe & ꝓuocatiõe Cruciferorũ, anno Christi nati 1339 adiudicarũt Cazimiro & Polonis Pomeraniã, Cuiauiã, Dobrinẽsem, Culmensem, & Michalouiẽsem ditionẽ. Cruciferos aũt ad centũ nonagintaquatuor millia & quingẽtas marcas Polonicas pro dãnis datis, itemq; ad mille sexcẽtas marcas impensarũ nomine cõdemnarũt: ad hęc ut ij templa & monasteria in Polonia, superiore bello direpta & exusta instaurarẽt. cũq; iudicata nõ facerẽt, anathemate deuoti sunt, & sacris interdictũ omnib. locis quę in ditione eorũ essent, & ad quę quispiã eorũ peruenisset. Interim annis aliquot quietę res fuerũt in Polonia, nisi ꝙ Lituani crebris excursionib. Masouiã q̃uis affinitate ducũ sibi cõiunctã depopulati sunt. tametsi nõ oẽs illę excursiones prosperè eis ceciderũt. nam anno 1337 cũ direptis Cechanouia & Poltouia oppidis, cũ copiosa pręda incõposito agmine, ut solent, reuerterent̃, ingruẽtib. ex inopinato Masouijs, cũ trepidi mutuò se in traiectu Naruę fluuij impellerẽt et impedirẽt, plurimos de suis partim cęsos, partim impetu & altitudine fluminis absorptos, & prędã omnẽ amisere. Ne cõtra Cruciferos quidẽ satis ꝓspera fortuna tũc usi sunt. Libet aũt insigne quoddã facinus eorũ cõmemorare. Cũ Cruciferi Germanorũ q̊rundã principũ auxilijs adiuti, agros eorũ infestarẽt, & arcẽ Pullen obsedissẽt, barbari q̃ erãt in pręsidio, desperatiõe retinẽdę arcis inducti, pyrã in medio accẽderũt, & facultates, liberos, & uxores suas, ac seipsos ad extremũ in eã coniecerũt, ne uiui in potestatẽ hostiũ uenirẽt. Quid interim Cazimirus rex egerit, nõ cõstat. credibile tñ est eũ studia pacis, ad quę factus erat, coluisse: arces et oppida muniuisse: leges partim nouas cõdidisse, partim ueteres emẽdasse, iudiciorũ rationẽ correxisse. huius em̃ regis ea sunt maximè opera in Polonia: quæ certè uno & altero anno perfecta nõ sunt. sed hęc plurib. persequemur inferius. Vnũ quidẽ nũc est cõmemorãdũ, q̊d ꝓpriè huius tẽporis est: ꝙ cũ nullos ex Anna uxore mares liberos susciperet, pręter unã filiã, successorẽ sibi in regno designauit, indictis ad eã rẽcomitijs Cracouiã ad VIII diẽ Maij ãno Christi 1339. ubi re in cõsultationẽ senatus posita, q̃uis alij Zemouitũ, alij Ianussiũ duces Masouiorũ, alij uerò Vuladislaũ Oppoliẽsem mallẽt, ꝙ omnes hi è uetusta regũ Polonię ꝓsapia oriũdi essẽt: peruicit tamẽ Cazimirus, ut omniũ sentẽtię in Carolũ regẽ Vngarorũ sororis suę uirũ, & filios eius inclinarẽt, refutatis aliorũ q̃ dissẽserãt sentẽtijs, ꝙ diceret, Silesios quidẽ defectiõe ad Boemos, indignos sese eo honore reddidisse: è Masouijs aũt nihil dignitatis & amplitudinis regno accessurũ esse, cũ ij stipẽdiarij socij, et uasalli, ut uulgari uerbo utamur, Polonorũ sint. In neutris uerò satis fore uiriũ & pręsidij cõtra hostes. Porrò Caroli filios Ludouicũ & Stephanũ pręclarę indolis

1339 ann.

Decretum cõtra Cruciferos.

Cruciferi anathemate deuoti.

Lituani Masouiã uastarunt.

1337 ann.

Lituani Cechanouiam & Poltouiã diripuere.

Narua fl.

Lituani fusi.

Lituanorum facinus forte.

Cazimiri regis studia.

Cazimirus successorem sibi designauit regem Vngariæ.

1339 ann.

indolis iuuenes, matre Polona ortos, ac tanti regis filios amplificaturos esse regni maiestatē: nec ei defuturas esse Vngarorū opes, siue ad defendēdos, siue ad pferendos fines Polonię. Re cōfecta ex animi sentētia, cōuentuq; dimisso, mox Vissegradū in Vngariā ad Carolū se cōtulit Cazimirus, cū splē dido, pcerū et equitū comitatu. Ibi fœdera inter uicinos duos populos renouata & cōfirmata sunt, & pacta quædā cū rege & regnis filijs de sentētia totius cōuentus Polonici inita. Eodē aūt anno Cazimirus uxorē Annā amisit mulierē lusib. & choreis supra modū deditā, et musicos, q uoce, flatu, & pulsu canēdo eā oblectarēt, q cūq; iter faceret, circū ducere secū solita. Sequentē annū Russia meridionalis subacta et in puincię formā redacta insignē facit. Fuerat ea quidē olim in ditione regū & principū Polonorū, quemadmodū superioribus libris exposuimus, Boleslaorū maximè armis subiugata: sed cū suos tamen duces indulgētia nostrorū haberet, pedetentim deinde iugū excussit eo potissimū tēpore q Polonica resp. multis impernijs discerpta, mox etiā ciuilib. atq; adeò parricidialib. bellis cōcussa ac euersa, ppemodū, neq; spaciū, neq; uires ad coercendos rebelles Russos habuit. Ad extremū paulo ante hęc tēpora, in quib. nūc uersamur, cū mascula, pgenies Danielis regis liberorū, q rū summa erat in Russis authoritas & potentia, defecisset, Lubartus Gedemini, Lituanorū ducis filius, cū Vuladimiriēsiū ducis filiā uxorē duxisset, omni eo tractu Russię, q Lituanis finitimus est, Russis ducib. q rū, pter multitudinē atq; discordias extenuatæ erāt uires, uel deuictis, uel in deditionē acceptis, potitus est. Nā cætera Russia, quæ ab Halicia & Leopoli in Poloniā uergit, in Boleslai, q Troideni Cirnensiū Masouiorū ducis filius fuit, deditionē cōcessit, cp ei Maria Russa matre de genere ducū Russorū edito, legitima secundū auūculos succession deberi uideret. Nec tamē hic dominatus diuturnus ei mansit. Offensi em Russi intēperātia eius, & sororū, uxorū, filiarūq; suarū stupris, siue grauioribus exactionib. siue ob magistratus externis mādatos, seu denicp pter diuersitatē religionis siue rituū, uenino eū de medio sustulēre. Quod ubi accepisset Cazimirus rex, ratus uenisse tēpus, q Russiā maiorū suorū negligentia amissā, facilè in potestatē suam posset redigere, subitario exercitu de aulico suo, pcerumq; suorū comitatu coadunato stipatus, mēse Aprili magnis itinerib. in Russiā cōtendit: Leopolim caput gētis circūsidit. Nec longū tēpus intercessit, cū sese arcēq; superiorē & inferiorē, atq; oppidū Russi dedidēre: illud unū pacti, ut retinere sibi ueteres religionis ritus liceret. Ingens uis auri, et argēti, gēmarū, pręciosarū uestiū, et reliquę supellectilis, uetusta Russorū ducū gaza, in ijs arcib. reperta est: in qua insignes erāt, duę cruces aureę plurimis et preciosis gēmis distinctę, quarū altera portionē ligni, in q Christus Iesus pepēdit, inclusā habuit: quę extat etiānū in basilica Cracouiēsi: itēq; duo diademata cū sella, et uestе auro gēmisq; rigēte. Quā gazā Cazimirus reuertēs in Poloniā secū asportauit, et arces ipsas, utpote ligneas cōcremauit, ne earū fiducia Russi rebellarēt, cū ipse distrahere in prēsidia earū copias suas exiguas, nō satis tutū sibi esse existimaret. Tātisper aūt cōmoratus Cracouię, dū ex omni Polonia indicta expeditione uniuersali, copię ad certū locū cōueniūt, rursus cū ijs copijs ad

Cazimirus in Vngariā profectus.

Fœdera inter Vngaros et Polonos.

Anna regina mulieris & lusib. dedita.

Russia Austrais quando à Polonis defecit.

Russia à Lituanis occupata.

Boleslaus Masouius dux Russorum.

Czirsk.

Boleslaus ueneno extinctus.

Cazimiri in Russiam expeditio.

Leopolis Cazimiro dedita & inclusa.

Thesaurus Leopolii inuentus.

Rußia à Polonis ſubacta.

ſubigendam reliquã Ruſſiã reuertitur, inſtãte iam meſſe, nullóq; negotio Prẽmislia, Sanoco, Halicia, Trebouulia, Lubaſſouia, Tuſtano, cæteriſq; omnibus eius oræ munitionib. potiẽ, ita ut ad Cremeneciã uſq; arma circũ

Polonorum fœdera cum Lituanis.

ferret. Quã tamen penes Narimũthouiciũ in ſequeſtro ad tẽpus eſſe paſſus eſt, ex pacto cũ Iauunuta, Keiſtuto, Lubarto, ducib. Lituanis affinib. ſuis Gedemini filijs, & nepotib. eiuſdem duob. Georgijs, Narimunthouicio & Coriathouicio, Olgerdi q̃q; & Coriathi abſentiũ nomine id ratũ fore, pmittentibus, inito: Vuladimirienſem uerò, Lucenſem, Belſenſem, Chelmenſem, &

Rußia quæ in Lituanorum ditione fuit.

Breſtẽſem ditiones ad bienniũ intactas eis reliquit. Cauebat aũt Cazimirus ne ſibi ad cętera impedimẽto eſsẽt. Hoc aũt pactũ paulopòſt, Iauunuta ſummo principe et maximo natu inter filios Gedemini ab Olgerdo et Keiſtuto fratrib. capto ac deiecto, Olgerdus, q̃ illi in principatu ſucceſſit, renouauit. Vbi recenſent̃ arces quas Lubartus in Volynia, quas ue Keiſtutus in Poleſenſi, ſiue Podlaſſenſi tractu retinebant: addit̃ etiã, cp mutuã ſibi opem rex & Lubartus ferre debebant. Si quid aũt controuerſiæ inter ipſos exoriret, ut ea regis Vngari arbitrio decideret̃. His ita geſtis rex conuentu Ruſſorũ

Ruſſi exæquati cum Polonis iure & prærogatiuis.

habito, in formã, puincię Ruſſiã à ſe ſubactã redegit, Palatinos, Caſtellanos, prẽfectos, iudices, & alios magiſtratus Polonorũ more inſtituit, Ruſſosq; eodẽ cum Polonis iure eſſe iuſſit. Necp deinceps conſilio publico ea pars

Lituani Maſouiã uaſtarunt.

Ruſſiæ à Polonis deſciuit. Per hoc tẽpus Lituani rurſus Maſouiã depopulati ſunt. Ianislaus uerò Archiepiſcopus Gneſnenſis extrema ſenectute de-

Iaroslaus Archiepiſcopus Gneſnẽſis.

functus, ſucceſſorẽ accepit Iaroslaũ Scotniciũ, gẽte Bogoriũ. Nãkerus q̃q;

Nankerus epiſcopus obijt.

Vuratislauienſis epiſcopus religioſiſſimus & continentiſſimæ uitæ, uenerio, ut creditũ eſt, extinctus, Prædislaũ Pogoreleciũ gente Grimaliũ Bonothough tũc ſtudijs doctrinę uacantẽ ſucceſſorẽ accepit. Qui cũ Ioanne Boemorũ

Vuratislauienſes ſupplices epiſcopo.

rege de iniurijs eccleſię Vuratislauiẽſis põtifice max. arbitro tranſegit. Vuratislauienſem q̃q; ſenatũ nudis pedib. & capitib. diſcinctũq; & pallijs depoſitis ad ſe uenientẽ, & ſatisfacientẽ deprecante Carolo Marchione Morauiæ in gratiã recepit: arſitcp non multo pòſt tota Vuratislauia. Reuerſus à

Vuratislauiæ incendium.

Ruſſico bello Cazimirus, cũ luctũ annuũ poſt mortẽ Heduigis matris expleuiſſet, uxorẽ alterã duxit Adleidã, ſiue Heduigim, Hẽrici Heſſorũ Landgrauij filiam cũ dote duũ milliũ ſexagenarũ Pragenſiũ (ſic em̃ in pactis ſcriptũ eſt) pmiſſa. Quæ cũ eſſet deformior, mox eã deſpicatui habere cœpit, &

Cazimiri libidines.

concubinarũ, quas plurib. in locis alebat, amorib. & illecebris captus atcp

Zarnouecia urx.

faſcinatus ſegregatã à ſe in Zarnouecẽſem arcẽ relegauit, q̃ maiore licẽtialibidinib. indulgeret. Anno ſequẽti ad funus Caroli regis cohoneſtãdũ, cõſo-

Carolus rex Vngarorũ mortuus.

lãdamcp ſororẽ in Vngariã profectus, mox ad uoluptates et libidines ſuas rediit. Quę quidẽ ſic animũ eius emollierũt atcp demẽtarũt, ut paternorũ prẽceptorũ dignitatis q̃ ſuę oblitus, iniquas pacis cõditiones à Cruciferis

Cazimiri regis tranſactio cũ Cruciferis.

acciperet potius, quàm erepta ab his bello repeteret. Ad quod quidem gerendum ſatis uiriũ præſertim acceſſione Ruſſię habere uidebat. Lite enim cũ eis ad extremum perducta, quemadmodũ ſuperius commemorauimus, cum ñ diris deuoti, nihil tamen authoritate Pontificia mouerent̃, ut iudicata facerent, facilè Cazimirus conceſſit petentibus, ut iure omni quodcunq;

ipſi

ipſi à maioribus ſuis haberent in Pomerania, Culmenſi, & Michalouienſi ditione, ſeſe poſterosq; ſuos iureiurando interpoſito, & literarum monumẽtis conſignatis abdicaret: ac de ſigillo etiam, quo diplomata regia ſignãtur, Pomeraniæ nomen eraderet, quo Cuiauiam ac Dobrinenſem ditionem ab eis reciperet. Itaq; conſtituto cum Magiſtro Cruciferorum congreſſu Inowuladislauiæ ad uiceſimãſecundã diem mẽſis Iulij, comitia quoq; ſuis indixit. Vbi abdicatio illa ſcriptis facta, Caliſſiæ uerò nõ modò regis, ueruetiã Zemouiti Viſnenſium, Zemouiti Cirneſiũ, & Boleslai Plocenſiũ Maſouiorum ducũ, procerũ quorundã Polonorũ, & primariarũ ciuitatum, nempe Cracouiẽſis, Poſnanienſis, Sendomiriẽſis, Sandecenſis, Caliſſienſis, Vuladislauienſis, et Breſtenſis diplomatis conſignata eſt. Epiſcopi uerò neq; ut ſignarẽt, neq; ut apparent, adduci ulla ratione potuere. Quo robore animi utinã rex ac cæteri, pceres fuiſſent. Annus aũt q̃ hęc acta ſunt, fuit 1343. Tam dãnoſa pace facta, recuperataq; Cuiauię ac Dobrini poſſeſſione, Cazimirus reliq; eiuſdẽ æſtatis & autũni tẽpore, Henrico Zeganenſiũ duci magnis uirib. bellũ intulit, ueritus ne Ioannes Boemorũ rex ſuppetias ei ueniret. Cauſa belli fuit, ut recuperaret Vuſchouenſe territoriũ, q̃d Teuthones Freiſtenſe uocãt, ab Henrico duce Glogouienſi huius Henrici auo interceptũ, & à maiore Polonia auulſum. Vbi ad oppidũ uentũ eſt, quaſſatis aliq̃t diebus deiectiſq; muris, captũ id eſt, nequicq̃ defendentib. Sileſijs. Quos capi rex iuſſit, & bona eorũ militib. diripienda conceſſit: cęterũ oppidanis parſum eſt. Inde pgreſſus, Stinauiã cæpit, ac diruit, agrũq; circũiacẽtem depopulatus eſt. Inde porrò ad Zeganũ cum duceret exercitũ, Hẽricus dux ſupplici legatione ad eum miſſa, ac deinde in caſtra ipſe cum fratrib. ſuis, Conrado, Ioanne, & Præmiſlo uenire iuſſus, pacẽ æquiſſimis legibus impetrauit, Vuſchouenſis tantũ territorij iure omni & uẽdicatione à ſe abdicata. Neq; uerò ademit rex oppidanis Vuſchouenſibus ius cudendæ monetæ, q̃d à duce acceperãt. Ita bellũ illud paucis diebus ſolutũ eſt. Collocauit aũt eodẽ anno Cazimirus rex filiã ſuã Elizabethã à priore uxore ſuſceptã, in matrimoniũ Boguslao duci ulterioris Pomeranię ſiue Scecinẽſiũ, quos Germani Stetinẽſes uocãt. Societatemq; cũ eo et fratrib. eius Barnimo & Varciſlao inijt his legib. ut mutuã ſibi opem ferrent contra quoſuis hoſtes, nominatim aũt cõtra Cruciferos, q̃ties opus eſſet, cum quadringentis galeatis, eosq; intra mẽſem ex q̃ eſſent admoniti mitterẽt, uel ipſi adducerẽt: ac in ſua quidẽ ditione utriq; auxiliarib. cõmeatũ & pabulũ ſuppeditarẽt, in hoſtico aũt ſibi quiſq; pſpiceret: munitiones ab hoſtib. recuperatę ut redderent ei, cui adẽptę fuiſſent. Quę uerò ad neutros prius pertinuiſſẽt, captę inter ſocios diuiderent: aut dato alteri dimidio precio, ab altero retinerent. Hoc tunc primũ fœdus Pomeranorũ ducũ cũ Polonis fuit, nõ minus metu Cruciferorũ, q̃ affinitate conciliatũ. Dos aũt puellę fuit uiginti millia ſexagenarũ Pragenſiũ, præter cæterã ſupellectilẽ & paraphernã, perãplã ſanè, & ſplendidã. Viciſſim aũt Boguslaus duũm millium ſexagenarum prouentus annuos nouæ nuptæ promiſit. Nuptiæ Poſnanię ſub finem Februarij ſequentis anni magna pompa celebratæ ſunt. Quo quidem anno magna uis locuſtarum ex Vngaria coorta,

1343 ann.

Cazimiri expeditio in Sileſiam.

Vuſchoua capta.

Stinauia diruta.

Pax cum Zeganenſi duce.

Vuſchouenſes hæ buerunt ius cudendæ monetæ.

Pomeranorũ ducum fœdus cũ Polono rege.

Dos regiæ filiæ.

Locuſtæ in Polonia.

Tartarorum excursio in Russiam & Poloniam.

coorta,& mox ingentes Tartarorum copiæ in Russiam & Poloniam inundauere à Dascone, quem rex Prȩmislię præfecerat,& Daniele Ostrogio,& nonnullis alijs Russis res nouas molientibus euocatę. Nam ij nacti tempus, quo rex Cazimirus longissimè aberat Cruciferorũ colloquijs, Silesico bello & filię nuptijs occupatus,missis clam legatis,admonuere Tartarorȩ principem siue Cæsarem,ne tributariam sibi Russiam à Polonis occupari pateret:non defuturã ipsi fidem suã operamcp pollicíti.Habebant aũt ij inuisum
„ Polonorũ imperiũ, cũ cp non libenter ferè externis parent homines,tum cp sectę ritibuscp suis,ne callidè sensim abolerent,metuebant. Videbant enim multos de suis ad nostros ritus, & ad Romanã,siue adeò catholicam ecclesiam se transferre,pluresqp in dies honorib.& alijs prȩmijs à rege ostentatis inuitari. Ab his igit excíti Tartari & adiuti,obiter trãscursa Russia,in Polonią magna ui cõtendũt. De quorũ aduentu cum tempori Cazimirus à suis è Russia certior factus esset,coacto celeriter exercitu,in Sendomirienſem tractũ obuiam eis,pfectus,positis in ripa Vistulæ statiuis,transitu fluminis arcere eos satis habuit, nõ ausus cum longè maiorib. copijs manus conserere. Eminus modò hinc balistis,illinc arcubus uelitatum est.in qua uelitatione,

Albertus Palatinus Sendomirienſis à Tartaris occisus.

Albertus palatinus Sendomirienſis, gente Habdanus, sagitta ictus cecidit. Tartari frustrà tentato multis in locis trãsitu Vistulæ,magno cum tumultu populabundi, & ferro atcp igni obuia quęcp uastãtes,per Lublinenſem tractum retrò abiere . Nec arcem Lublinenſem aliquot diebus oppugnatam,

Masouiorum cũ Silesijs bellum.

expugnare potuere . Memorat Dlugossus hoc ipso anno , Masouios malè pugnasse apud Olesniciam,siue Elsam,contra Silesios. Sed quòdnã id bellum fuerit,aut inter quos,aut quam ob rem excitatum, nõ reperio. Nec sanè

Lituania uexata ab Vngaris , & Boemis, & Cruciferis.

Masouij confines usquam sunt Silesijs. Contra Lituanos quidem expeditionem Ioannes Boemorũ rex cum Carolo filio Marchione Moraviæ, & Ludouicus Vngarorũ hyberno huius anni tẽpore magnis uirib. sed successu non satis pari apparatui,cum Cruciferis fecisse memorantur. Insequenti aũt

Ioãnes Cæcus rex Boem. bellum infert Polonis.

intulit Ioannes bellũ Polonię,Zeganẽsi,ut uidet bello,cuius paulo antè meminimus,puocatus. Ac tanto quidem ardore animi id fecit,ut cum senio laboribuscp confectus esset,ac alterũ quocp oculũ iam amisisset, tum deinde libenter se moriturum affirmaret,cum Cracouiæ muros manu uictrice passet. Sed eum spes sua fefellit. Et uenit is quidem per Opauiensem,Cessinensem,& Osuencimensem tractum in conspectu Cracouiæ cum maximis

Cracouiæ obsidio.

Boemorũ,Silesiorũ,atcp Teuthonum copijs,biduocp apud Cirinũ pagum Abbatis Mogilensis castra habuit.Sed nostris necp frumentari,necp pabulari liberè eum sinentibus,necp tamen pugnãdi copiam facientib.ueritus ne in angustũ redigeret,siue cõmeatu,ut scribit Æneas Syluius, deficiente,siue metu Vngaricorũ auxiliorũ Poloni à Ludouico nouo rege , Caroli filio & successore missorũ,ut uult Antonius Bõfinius,soluit obsidionẽ:bipartitocp agmine,quo plura populationib. cõplecteret, exercitũ reuerti iussit:ipse cũ paruo comitatu prȩcessit.Et unũ quidẽ agmẽ uersus Ilcussum, alterũ autem uersus Lelouiã abijt. Quod ubi didicere nostri ab exploratorib. bipartito & ipsi hostes abeũtes cõcito cursu insequũt. Et hos quidẽ apud Bialã pagũ,

illos

illos uero apud Pogoniã adepti, utroſq; magno impetu à tergo adoriunt, & re inopinata pauidos citò perturbant, & in fugam uertunt. Pauci famæ & honoris amãtes reſumptis animis inſultũ noſtrorũ pauliſper ſuſtinuere. Verùm ĥ quoq; paruo negocio, utpote pauci & perturbatis ordinibus, fuſi fugatiq; ſunt. Cecidere in utroq; prælio & fuga de primorib. Boemis, Zagiz Ptaſſek, & Alſo de Stramberk: captus Hinco Dubius: multi præterea de inferiorib. ordinibus cęſi, captiq;. Captiui Cazimiri iuſſu benignè curati ſunt: diu tamen captiuitatem pertulere. Ioannes rex accepto à fugientib. ſuis cladis nuncio, mœſtus in Boemiã redĥt. Noſtri cum uictoria non contemnendã prædã reportarunt. Palma rei bene geſtæ Prendotæ Galcæ gente Odrouanſio data: Itaq; magnis pręmijs & militari baltheo à Cazimiro is affectus eſt. Topori uerò Hinconis nomen, ab Hincone Boemo capto dein ceps uſurpare cœperunt. Annus quo hęc acta ſunt, fuit poſt Chriſtum natũ 1345. Paulo aliter hæc narrat Hagecus. Vult enim ipſe non regias copias à Polonis profligatas eſſe: uerùm alias quaſdam, quas tunc proceres quidam Boemi regi ſuo in auxilium adducebant. Exceſſiſſe tamen ſtatim Ioannem è Polonia magno incommodo accepto. Cauſam autem belli huius iuſt idem præbuiſſe Polonos, propterea quòd Opauienſem tractum priores infeſtaſſent, dum Boemo, qui Suidnicienſium ducem bello premebat, par pari referre ſtudent. Conatus eſt enim Ioannes rex Suidnicienſem ducẽ Boleslaum, Bernardi filium, qui unus inter duces Sileſiorum cum Polonis adhuc ſentiebat, ſubigere, oppugnauitq; Suidniciam: ſed repulſus, inde Landſhutam cæpit: nec multo pòſt rurſus amiſit, cum Boleslaus armatos curribus, prætextu mercium deuectos, eò clàm immiſiſſet, præſidiũq; Boemorum partim interfeciſſet, partim expuliſſet. Dlugoſſus, niſi fortè librarĳ hic error eſt, Suidnicienſium duci poſterius, quàm Polonis tunc bellum à Boemis illatum eſſe uelle uidetur. Neutrum autem bellum perſecutus eſt Ioannes, cùm ſtabiliẽdi Carolo filio imperĳ ſtudio, tum morte præpeditus. Principes electores Clemente ſexto pontifice max. & Philippo Francorum rege adnitentibus, filium ipſius Carolum Morauiæ Marchionem, Ludouico Cæſari uiuenti adhuc, ſed podagrico, ac diris deuoto, per fũ tempus ſuffecerunt. Nec diu poſtea uixit Ioannes. Nam cum Philippo Francorum regi affini ſuo ſuppetias contra Anglos iuiſſet, inclinante ad Anglos uictoria, in aciem ſe produci iuſſit, ibi'que interfectus occubuit. Perfecit is apud pontificem maximum, ut Pragæ deinceps eſſet Archiepiſcopus, qui ius haberet coronandi regis. Succeſſit autem Ioanni in regno Carolus filius Cæſar. Nec multo pòſt Ludouicus quoque Cæſar perĳt. Quo imperante, in pleriſq; Italię urbibus noui tyranni extitere. Qui poſtea Ducũ & Marchionum titulis, indulgentibus pontificibus, ſeſe cohoneſtarunt. Per idem tempus Ludouicus rex Vngarorum exercitum, in quo multi Poloni militarunt, duxit in Italiam, ut Andreę fratris, Neapolitanorum regis mortem ulciſceretur. Nam eum Ioanna uxor, eadem'que cognata ſtrangulauerat: & Philippum Tarentinum principem, & ipſum cognatum, thori regni'que conſortem fecerat. Quibus exactis, Ludouicus regnum in ſuam poteſtatem

Boemi profligati à Polonis.

Prendota Galca.

1345 ann.

Suidnicienſiũ duci bellum illatum à Boemis.

Landshuta amiſſa, et recuperata.

Carolus Cæſar et rex Boemorum.

Ioannis Boemorũ regis mors.

Pragenſis Archiepiſcopus.

Carolus rex Boemorum.

Ludouici Cæſaris mors.

Italiæ tyranni.

Ludouici regis Vngarorum expeditio in Italiã.

Ioãna regina Neapolitana ſceleſta & libidinoſiſſima.

Regnū Neapol. Ioannæ conceſſit Ludouicus.

tem redegit. Nec multo pòſt, admittente pontifice max. Ioannę id certo pacto reſtituit: illa uerò Auinionem urbem Narbonenſis prouincię pontifici

Auinio donatus Rom. pontifici.

in loco mercedis iure ſempiterno donauit: perfrictaq; ſemel fronte totā ſeſe

Leges Cazimiri regis.

libidinibus dedidit. Interim in Polonia nihil memorabile geſtum eſſe prodit, præter leges in comitijs Viſlicienſibus ſcriptas: quibus palatinorū & iudicum infinata poteſtas certis cancellis coercita eſt, ut ne ex moribus aut è libidine ſua, ſed è ſcripto iure deinceps iudicarent. Certę etiam mercedes eis & alijs miniſtris iudiciorū conſtitutæ ſunt, ut ne quid pręterea à litigantib. exigeret, mulctęq; quas iudices arbitratu ſuo dicebant & exigebant, definitæ. Ad hæc ſublatus mos barbarus, iuriſiurandi conceptis uerbis dandi, in

Iuriſiurandi barbarus mos ſublatus.

q̄ ſi quis uerbo lapſus eſſet, atq; adeò titubaſſet, cauſa quauis iuſta, cadebat.

Miraculum.

Nec illud ſanè ſilentio prætereundū eſt, q̄d eodem anno apud Cracouiā accidit. Nā cum conſcelerati quidā homines ſacrilega cupiditate adducti, ſanctiſſimum corpus Chriſti cum ferculo ſuo è templo omniū ſanctorū memoriæ dicato ſuffurati eſſent, atq; id ferculū non aureū, ut crediderūt, ſed ęreū

Bauolus pagus.

inauratū eſſe cōperiſſent, apud Bubalū ſiue Bauolū pagū ſuburbanū, q̄ erat in ditione collegij baſilicæ Cracouienſis, in cœnoſam paludē id impiè & irreuerenter abiecerunt. Mox locus crebris ignib. atq; faculis dies noctesq; aliq̄t perpetes colluſtratus eſt. Id miraculū cum ad epiſcopū perlatū eſſet, neq; cauſa tamē eius pateret, poſt indictū triduanum ieiuniū, epiſcopus eo cum ſolēni pōpa ſacerdotū, & ſupplicationib. pfectus eſt, repertūq; ſanctiſſimū corpus ingenti cū ueneratione eò unde ſublatū erat, retulit. In eo uerò loco, ubi id repertū eſt Cazimirus inſequenti anno auguſtū tēplū titulo corporis Chriſti de coctis laterib. ędificauit: ſucceſſuq; tēporis perā plū ſpaciū muro cōplexus nouū oppidū cōdidit, & Cazimiriā de ſuo nomine appellauit. In q̄ oppido monaſteriū etiā aliud excitauit ſodalitati monachorū ſiue eremitarū Auguſtinenſiū. Mortuus eſt eodē anno q̄ fuit poſt Chriſtū natū

Cazimiria cū tēplis cōdita.

1347. ann.

1347. Ioannes Grothus epiſcopus Cracouienſis. Qui præter uoluntatē Vuladislai regis Nankero ad Vuratislauienſem epiſcopā, ppter irā & contumeliā eiuſdē regis trāſeunti, ſucceſſor datus erat. Ei uerò Petrus Falcouius

Petrus epiſcopus Cracouienſis.

gēte Doliuius à collegio ſurrogatus eſt. Qui cum regio nomine legationē obiret apud pontificē max. intra uertentē annū Auinione mortuus ſucceſſorē accepit à pontifice Bozentā Iancouiū, gente Roſeū, decanū Cracouienſem, qui comes ipſi fuit itineris. Fuit aūt Grothus uir excelſi & cōſtantis animi, ita ut Cazimirū regē nouū oppidū Socolnicos, ppe Scarbimiriā con

Bozenta epiſcopus Cracouienſis.

Socolnici oppid.

dentē authoritate eccleſiaſtica, quēadmodū Dlugoſſus memorat, deſiſtere à cœpto cogeret, ppterea q̄ futurū erat, ut eo oppido condito Scarbimiria quę eſt in ditione præpoſiti Scarbimirienſis deſereret. Quin & patrociniū eiuſdē prępoſiturę, ut ita dicā, cōtedēte rege, ſibi & ſucceſſoribus ſuis epiſcopis uēdicauit. Sed paulò ante noſtrā memoriā uir clariſſimus Eraſmus Ciolcus epiſcopus Plocenſis, id ſimul & cęterorū ferè omniū primorū in unaquaq; eccleſia ſacerdotiorū patrociniū indulgentia Leonis decimi pontificis max. in regiā poteſtatē redegit. Anno deinde 1349. fecit Cazimirus rex

Scarbimirienſis præpoſitura.

Eraſmus Ciolcus epiſcopus Plocenſis.

1349 ann.

Rußicum bellum.

expeditionē in Ruſſiā, ut eā q̄q; partē eius, quā Lubartus & Keiſtutus uſurpabant

pabant, regno suo adijceret. Magnaq́ felicitate usus una æstate expugnatis, arcib. Lusco, Vuladimiria, Breste & Chelmo, ac cæteris in deditionē acceptis Valyniā omnē, Belzensemq́, & Brestensem tractū in potestatē suā redegit: Russos duces deditionē facientes retinere sua iussit, primarijs modo munitionib. Polonos præfecit. Et q̊ certior quietiorq́ ipsi esset Russiæ possessio, quoniā Vngarorū reges ad se eā pertinere antiq̊ iure, sicuti suprà memorauimus, contendebant, cum Ludouico rege eius gentis, assentiente etiā Stephano fratre Ludouici duce Slauoniæ ac Dalmatiæ transegit, & contra Cruciferos societatē inijt. Atq́ eundē Ludouicū certū sibi successorē in regno Polonorum designauit, si ipse sine masculis liberis decederet. Quòd si Ludouicus q̊q́ nullos masculos liberos relinqueret, Ioannes Stephani fratris eius filius rex Polonorū esset. Misit aūt tūc Ludouicus matrē suā in Poloniā, ut suo nomine iusiurandū à Polonis exigeret. Reuersus aūt à Russica expeditione Cazimirus, & secundis rebus, laudibusq́ hominū insolescens, neq́ de libidinib. quicq̄ remisit, sed palā concubinas Oposni & Cressouię alebat: & cū à Bozenta episcopo Cracouiēsi officij sui admoneret̄, nō modò nō resipuit, sed etiā subiectos ipsi homines in territorio Sendomiriensi per Ottonem Pileciū gente Toporū palatinū & pręfectū eius loci, indebitis tributis et laborib. uexauit. Porrò cū his de reb. episcopi Poloni pōtifici max. indicassent, isq́ moneri eū suo nomine uellet, Martinus cognomento Barisca, unus de uicarijs basilicæ Cracouiensis, q̄ solus id facere ausus est, in ꝓfluentē Vistulę demergi ab eo iussus est. uerùm nō diu scelus id diuina maiestas inultū esse siuit. nā & rex diris deuotus est à Bozenta episcopo, & pestis acerba quā epidemiā gręci uocant, quasi nos dicamus popularē, duob. illis annis Poloniā omnē peruasit: tanta ui grassata, ut pagos atq́ oppida hominib. uacua redderet. Ac initio quidē triduana febris ardens cum sputo sanguineo miseros mortales passim absumebat: deinde uerò in quintum ꝓlata diē, carbūculis et apostematib. enecabat. Quanq̄ aūt arcano id fiat Dei opt. max. iudicio, & ab hominū intelligentia abstruso, tamen nō nouū, neq́ inusitatū est, ꝓ principum peccatis, subiectā eis multitudinē pœnas expēdere. Nec Poloniā solū ea tūc uexauit, sed uniuersum ferè orbē terrarū peruagata est. Creditū aūt est uulgo, eā à Iudęis infectis ueneno fōtib. effectā esse. Itaq́ exquisitis supplicijs ij nullo neq́ sexus, neq́ ætatis discrimine, per Italiam, Germaniā, & Gallias affecti, & facultatib. spoliati sunt. Increbuere tunc per uniuersum ferè Christianū orbē greges uirorū pariter ac mulierum nudis umbilico tenus corporib. obābulantiū et flagellantiū sese, diuināq́ clementiā miserabilib. uocib. implorantiū, uexillis pręeuntib. Itaq́ in Poloniā q̊q́ ij tūc uenere ex Vngaria. Sed cū ea siue religio, siue superstitio à flagitijs & prauis dogmatib. nō penitus immunis esse deprehenderet̄, pœnis coercita & extincta est. Neq́ tamen hic tūc malorū finis Poloniæ fuit. Quin ubi pestis cōquieuit, Lituani ob ereptā siue pręreptam Russiā iritati, quāuis graui bello à Cruciferis, q̄ magna tūc habebāt Germanorꝝ et Gallorū auxilia, premerēt̄, tamē crebris excursionib. Sēdomiriensē tractū penè omnē uastarūt, fusis fugatisq́ nostris, si q̄ fortè obijcere sese ipsis ausi sunt. Russiæ q̊q́ eam

Volynia, Belzensis, Chelmensis et Brestensis prouinciæ à Cazimiro rege subactæ.

Cazimiri transactio de Rußia cū Vngaris.

Ludouicus rex Polonorum designatus.

Poloni iurarūt in uerba Ludouici regis.

Cazimiri flagitia & scelus in presbyterum.

Oposnum.

Cressouiæ.

Mart. Barisca demersus iussu Cazimiri.

Cazimirus iterū excommunicatus ab episcopo.

Pestis in Polonia.

Iudæi trucidati.

Flagellantes sese.

Lituani Sendomiriensem tractum uastarunt.

Russiâ Polonis ad Lituanos deficere.

partẽ, quã dudũ Lubarto Cazimirus eripuerat, Russis fidẽ mutantibus & pręsidia Polonorũ eijciẽtib. in potestatẽ suã redegerũt. Vuladimiria, Chelma, Belzo, & Breste, quã arcẽ Cazimirus cocto latere munierat, per deditionẽ potiti. Vnde liberius finitimã orã Polonię populabãt. Habet em̃ Breste situ uersus Poloniã Bugo flumine nauigabili, & paludib. permunitũ. Inde ad Leopolim excurrentes, cũ utrãq; arcẽ nouis muris et pręsidio Polonorũ munitã esse cognouissent, nõ tentata oppugnatione, circũiacentẽ orã omnẽ ferro & igni fœdè uastarũt. His tot tantisq; detrimentis excitus tandẽ Cazimirus anno Christi 1351. cõparatis magnis copijs unà cũ Ludouico Vngarorũ rege in Russiã rursus expeditionem fecit, uictisq; leui pręlio Lituanis, ac duce eorũ Lubarto (quãq; uariat Dlugossus, et Keistutũ hoc loco, nõ Lubartũ nominat) capto, arcẽ tractũq; omnẽ Vuladimiriensẽ recepit, exercitũq; dimisit hyeme appetente siue adeò remittẽte, ut uult Bonfinius. Nã is hyeme cõgelatis paludib. lacub. & fluminib. et nõ in Russia, sed in Lituania bellũ hoc gestũ esse memorat. Lubartus aũt, cũ religionẽ Christianã suscepturũ se esse unà cũ cęteris fratrib. deieraret, non ita multo pòst è captiuitate euasit. Verùm dimissus ne à rege, an cũ negligẽtius asseruaret, custodias frustratus, nõ satis liquet. Fidẽ certè fefellit, fœdusq; ictũ statim rupit. Vnde fit uerisimile, dimissũ esse icto fœdere, ut alibi Dlugosso placet. Ingressus aũt cũ tumultuaria manu in Russiã & Vuladimiriã ex impuiso adortus, in suã potestatem redegit, direptãq; incendit. Atq; ita omnem illum tractũ Russię dudum à Cazimiro sibi ereptũ, recuperauit. Haliciã quidem hic Dlugossus memorare uidetur, p Vuladimiria. Sed librarij fortassis id mẽdum est. Longissimè enim abest Lituanis Halicia, confinis Vngariæ & Valachiæ. Et repetitã quidem esse bello posthac à Polonis Vuladimiriã, inferius idem Dlugossus refert. Quãdo uerò eã amiserint, posteaquã semel ea tunc potiti sunt, alibi non prodit. Infestarunt deinde ijdem Lituani Sendomiriensem tractũ usq; ad Zauichostũ. Nec deerãt de nostris, qui se barbaris duces ad uastãdam patriã præberent. Inter quos insignes erãt, Petrus Psonca gente Ianinus, & Otto Scecarouicius de Topororũ familia: qui locorum & rerũ periti, clàm excursiones Lituanorũ dirigebant, & nostrorum consilia ipsis prodebant, ac sicubi cauendę essent insidię, aut uis nostrorũ, pręmonebant. Fortè autem accidit, ut Petrus à barbaris, in interiorem Poloniã excurrere destinantib. ad explorãda uada Vistulę præmitteret: inuentum autem uadum infixis in alueo fluuij pręlõgis stipitibus notauit, & renunciatum Lituanis redijt. Paulo pòst cum piscatores ad eũ locũ nauiculis aduecti, animaduertissent, id q̃d erat suspicati, euulsos stipites non longè in profundiori & uorticoso flumine infixerũt. Nocte intempesta Lituani, quo facilius nostros fallerent, & incautos transflumen opprimerent, ad Vistulã uenientes, secundum signa, monstrante Petro, traijcere incipiũt, & nõ pauci qui primi agmine in flumẽ sepręcipitauerãt, eius altitudine & uorticib. absorpti unà cum equis perierũt. Id ubi duces animaduertêre, dolũ subesse rati, Petrũ uti pditorẽ in ripa capite plexerũt: maioresq; insidias ueriti, interdiu latitãtes, nocturnis itinerib. recesserunt. Fert aũt postea Iagello, cũ esset rex factus, tã

Belzo.

Bugus fl.

Leopolis munita à Cazimiro.

1351 ann.

Rußicum bellũ.

Lubartus dux captus & elapsus.

Rußia à Lituanis recepta.

Lituani Sendomiriensem agrũ populati sunt.

Psonca & Scecarouicius proditores.

Piscatorũ fraus.

Petrus Psonca pditor iugulatus.

Petri,

Petri,quàm Ottonis bona propter proditionem illam confiscasse. Ac Sceca rouice quidem uix extremo tandem uitæ tempore magnis procerum precibus exoratus,Zaclicę Tarloni Ottonis nepoti reddidisse. Crissonouum uerò quod Petri fuisset,Lublinensi prefecturæ adiunxisse. Tartari quoq; per idem tempus ab Olgerdo euocati,Russiam inferiorem,quę Podolia dicitur quæ & ipsa in Cazimiri regis ditione iam erat,depopulati sunt. His tot tantisq; calamitatibus admonitus Cazimirus,tandem admissum in sacerdote necando scelus lacrymis & austeriore uita expiare instituit,missoque Albrico cancellario Dobrinensi absolutus, & societati ecclesiasticæ à Clemente sexto pontifice Maximo reconciliatus est. Simul autem impetrauit, ut sibi decima decimarum ab uniuerso ordine ecclesiastico totius Poloniæ quadriennio in subsidium aduersus barbaros Lituanos atque Tartaros conferretur: Itemque ne Vuratislauiensis ecclesia à Gnesnensis Archiepiscopi iurisdictione abstracta, Pragensi,quemadmodum contendebat Carolus Imperator & rex Boemorum,addiceretur. Restituit autem tunc Cazimirus ecclesiæ Cracouiensi immunitatem ademptam,cum quæ ad adscriptitios eorum et agrestes pertinebat,tum quę ad cõuectionem & uenditionẽ decimarum,rapinasq; coercendas: Adhec possessiones & prædia Radlouiensia, Vsuensia,cæteraq; in regione submontana,quæ per uim occuparat episcopo reddidit. Quarum rerum extãt adhuc eius diplomata in basilica Cracouiensi. Cõdidit etiã complura templa,partim cocto latere,partim secto quadroq; lapide,in quibus sunt,Sendomirience,Vislicience,Sidlouiense,Stobinicense,Sagoscense,& Gargouiense. Multaq; præterea ad placandã diuini numinis iram pia & præclara opera tunc ędidit. Extat in archiuio regio cõspiratio siue confœderatio nobilitatis maioris Poloniæ contra quemlibet hominem,excepto rege,anno Christi 1352 facta & conscripta,atq; uno & uiginti signis cõsignata,à qua excluduntur furti & latrocinij publici rei. Promittunt autem se non prohibituros,quominus pecudes & iumenta sua pignerentur. Quòd si regem uel præfectũ nõ exorauerint,solituros quicquid id fuerit, propter quod pigneratio facta erit. Vnde autem nata sit, & quid sibi uoluerit,quoue pertinuerit ea cõspiratio nõ liquet,nisi quòd iniurijs forte et asperitate prefecti regij expressa esse uideri potest. Inde quietę res domi foriscq; cõplures annos fuere. Cæterũ Prussiã Lituani crebris excursionib. infestarunt. Per ꝗd tẽpus Polonia pacis artib. magna cura studioq; regis efloruit,& nõ exigua ciuilitatis & elegãtię incremẽta accepit. Quę priusquã exponimus,libet rẽ miraculi loco habitã,quę tũc in Polonia accidit,nõ præterire. Anno Christi.13 3.cũ Martius,Aprilis,et Maius ultra mediũ uerno ac penè ęstiuo calore ad calamos et aristas segetes perduxissent, coorto derepẽte acri frigore et gelũ, nix duos cubitos alta terrã operuit,et in sextũ usq; diẽ durauit. Qua soluta postea cũ corruptas esse segetes omnes existimarẽt tãta pręter spẽ ubertas frugũ,quãta uix unquã aliàs, fuit. Anno deinde 1355. missi ad Ludouicũ regẽ Vngarorũ legati nomine totius Polonię retulerũt diploma eius,ꝗ is recipit,nũquã se neq; posteros suos ullũ tributũ aut exactionẽ ulli ordini Polonorũ neq; sacro,neq; pfano imperaturos, neq; iter

Proditorũ bona confiscata.

Tartari Podoliã populati.

Cazimirus absolutus.

Decima decimarum regi donata à pontifice.

Ecclesiastica immunitas Cracouiẽsis dioeceseos.

Decimarum conuectio et uẽditio. Radlouiensia & Vsuẽtia bona reddita episcopo.

Templa à Cazimiro condita.

Maiorũ Polonorum conspiratio.

1353. ann. Nix & gelu post medium Maium.

1355. ann. Ludouici priuilegiũ Polonis datũ de nouis exactionibus dãnisq; in bello acceptis.

facientes oneri cuiq; omnino futuros. Pręterea damna ac detrimẽta in expeditionib. quę fiunt ultra fines, accepta, omnib. exoluturos. Acceſſit eodẽ anno Maſouia ad ſocietatẽ cęterę Polonię, & regię autoritati ſeſe ſubdidit. Quod ut planius fiat, paulo altius quædã de Maſouiorum ducib. repetenda, ac de profundis tenebris, quantũ licebit, eruenda ſunt. Cõradus & Boleslaus, de quib. in Boleslao Pudico multa cõmemorauimus, Zemouiti ducis Maſouiorũ filij fuere. Ex his Cõradus cũ ſine liberis deceſſiſſet, Boleslaũ fratrẽ hęredẽ reliquit. Is porrò è Preislaua Ruſſa, ſiue Lituana priore uxore duos filios Zemouitũ et Troidenũ, è Boema uerò Vanconẽ ſiue Vẽceslaũ ſuſcepit. Hi poſt mortẽ patris Maſouiã ita inter ſe partiti ſunt, ut Zemouito Cieſcũ, Raua, Liuũ, Goſtininũ: Troideno Varſauia, Sochaſſouia, Viskiki, Cechanouia, Nouigrodũ, & Nouiduorũ: Vanconi uerò Plocẽſis tractus cederet. Ex his Zemouitus unicũ ſui nominis filiũ ſucceſſorẽ reliquit, de q̃ mox plura dicemus. De Troideno Boleslaus & Cazimirus nati ſunt: quorum Boleslaus Ruſſię principatũ adeptus, quemadmodũ ſuperius expoſuimus, ueneno extinctus eſt: Cazimirus uerò patri ſucceſſit. Porrò Vanconi unicus itidem filius Boleslaus hęres fuit. Atq; hi omnes ſocij, & ut ita dicã, feudatarij regis Cazimiri fuere: quanq; nõ cõperio, ſuane ſponte regis autoritatem ſecuti, an ui ſubacti ſint. Illud quidẽ in pactis fuiſſe cõſtat, ut ſi quis eorũ nullos mares liberos reliquiſſet, ei rex hęres eſſet. Itaq; cũ primus omnium Boleslaus Plocenſis orbus uita deceſſiſſet, Cazimirus rex hęreditatẽ adijt, arcemq; Plocęſem cocto latere muniuit. nec multo pòſt duob. millib. marcarũ pecunię à Cazimiro duce mutuò acceptis, eam ipſam arcem hypothecę nomine ipſi addixit. Neq; tamen diu ſuperſtes is ipſe dux Cazimirus fuit. Anno em̃ 1354 extremũ uitę clauſit diem, nullis & ipſe relictis liberis. Quocirca Cazimirus rex & Ploſcũ, & ditionẽ eius omnẽ in ſuam redegit poteſtatẽ. Superęrat Zemouitus, qui ſibi legitimã ſucceſſionem ſecundũ fratres patrueles uendicabat. Veritus aũt rex, ne is ad Boemos uel ad Cruciferos deficeret, fraternãq; hęreditatẽ bello repeteret, ita cũ eo cõſtituit, ut ei totius Maſouię dominatũ traderet, dũmodo ille nõ hęreditario iure, ſed regia munificentia, & in feudũ, ut uocãt, ſe eũ habere, regiſq; maieſtatẽ ſe cũ poſteris ſuis comiter cõſeruaturũ, & cõtra q̃ſuis hoſtes barbaros iuxtà atq; Chriſtianos auxilio ſemper Polonis affuturũ, neq; cũ quoq; fœdus ullũ inconſulto rege ſanciturũ, ſolenni ritu & iureiurãdo, pſitereẽ. Cui rei dies dicta eſt Caliſſię ad ſextũ Cal. Ian. ãno Chriſti 1355. Itaq; uenit eò ad regẽ ex cõdicto Zemouitus cũ Nicolao Plocenſi epiſcopo, & magna caterua procerũ & equitũ Maſouiorũ, & publicè uexillũ ad pedes regis proiecit, & in uerba eius poſterorũq; regum Polonię iurauit. Ad hęc diplomate ſubiectionẽ ſuã teſtatus eſt. cuius diplomatis exemplũ extat apud Dlugoſſum, ex archiuio regio deſcriptũ. Quo illud etiã cautũ eſt, ut illa duo millia à Cazimiro duce in mutuũ accepta, rex nemini ſolueret: Plocenſem aũt tractum omnem, q̃ad uiueret, retineret, ſecundũ mortẽ regis in ditionẽ Zemouiti is unà cũ Viſſegrado & Plonſco eodem iure q̃ cætera recideret. Quoniã aũt Elizabetha Vãconis q̃ndã uxor, tũc uerò uidua, pleraq; mariti ſui bona dotis nomine

retine-

Maſouia Poloniæ redintegrata.

Maſouiorũ ducũ genealogia.

Maſouiæ diuiſio.

Maſouij in fide & clientela regis Polonorum.

Plocenſis ditio in poteſtatem regis uenit.

Ploſcum munitũ.

Pacta Cazimiri regis cum Zemouito Maſouiorum duce.

Maſouij iurant in uerba regis Polonii.

Pactum cum Venceslai uxore.

retinebat,ita de ijs cũ Zemouito rex transegit,ut post mortem uiduę ea quidem quę cis Vistulã erãt Zemouito,ea uerò quę ultra flumen,sibi primũ, ac post suam demũ mortem Zemouito cederent. Hęc tunc sic acta atq; trãsacta sunt. Interceſſere tamẽ pòst inter hos principes nõnullę bonorũ cõmutationes. Facit quidẽ Dlugoſſus & alterius Zemouiti Viznenſiũ ducis,qui anno 1345 mortuus sit,mentionẽ: itemq; Ianuſſij ducis Masouię. sed undé nam ij orti sint,aut quẽ hęredẽ Zemouitus hic reliquerit,quámue partẽ Masouię Ianuſſius obtinuerit,quãdo mortuus sit, quẽ denicq; ſucceſſorẽ habuerit,necq; ille,pdidit,necq; ego inuenio: niſi fortè Zemouiti ſenioris filij hi fuere,anticipatis temporib. à Dlugoſſo, q̃d in pleriſq; alijs etiã feciſſe eum deprehendimus,in hunc locũ cõiecti. Verùm de his ſuis locis uidebimus: nũc ad Cazimirũ regẽ reuertamur. Qui cum Poloniã atq; Ruſſiã partim bellis ſuperioríb. & excurſionib. barbarorũ, partim peſtilentia exinanitã, minus cultã,minusq; populoſam eſſe cerneret, Teuthonici generis hominib. ſiue accitis,ſiue ultrò ueniẽtib. agros attribuit. quorũ nõ exiguę reliquię in ſub montana & Vngaris finitima regione & Ruſſia in hodiernũ uſq; diẽ manent,utentes lingua craſſiore ac nõ diſſimili ei qua in Sileſia & Pruſſia uulgò utunt̃. eorũ cura & opera Polonia frequẽtari & cultior eſſe pagis & oppidis cœpit. Sunt eñ frugaliores ac diligentiores in re parãda ac tuenda q̃ Poloni,& lautius habitãt: ita ut facile etiamnũ appareat per pagos & oppida iter faciẽtibus,ubi illi,ubiúe Poloni habitẽt. uidemusq; ruere muros oppidorum quorundã ab illis,quod uel nomina teſtificant̃,conditorũ, poſtea q̃ à Polonis habitant̃,& adminiſtrant̃. Fuit aũt in eos, Theutonas inquam, & in cæteros oppidanos & agreſtes propenſior & indulgentior Cazimirus: nec eos grauioríb. laboríb. uel exactionib. aut ullis iniurijs pręfectorũ ſuorum,ſiue adeò procerũ atq; nobilitatis premi paſſus eſt,animaduertendo in eos qui aliquid eiuſcemodi auſi eſſent,ita ut uulgò ruſticorũ ſiue plebeiorum rex uocarẽt. Nec ipſos modò Teuthonas iure ſuo Saxonico ſiue Magdeburgẽſi uti permiſit: ſed ſuis quoq; Polonis id indulſit. Quoniã ueròab ijs iudicijs ad Magdeburgẽſe tribunal prouocabat̃, non ſine infamia Polonorũ,& magno ſumptu ac diſpendio litigantiũ,ſuſtulit eam prouocationem Cazimirus, & in arce Cracouienſi ſupremũ & prouinciale iudiciũ Theutonicũ conſtituit,ad q̃d,puocationes omnes ab inferioríb. iudicib. ex tota Polonia minore fierẽt. Cui quidẽ iudicio pręſidet peritus eius iuris aduocatus cum ſeptẽ ſcabinis (ſic eñ appellari eũ quęſitorẽ cũ iudicib. uſitatũ eſt) quos magnus procurator arcis legit de certis oppidis atq; pagis. Ab eo quoq; iudicio ad regem eſt prouocatio: à quo extrema cauſæ cognitio binis ſex oppidorũ ſiue ciuitatũ decurionib. ſeu conſulibus, neutri litigantiũ ſuſpectis,delegat̃: à quibus nõ eſt prouocatio. Sunt aũt eæ ciuitates, Cracouia, Sandecia,Bochna,Velicia,Cazimiria,& Ilcuſſum. Tametſi receptum eſt poſterius, ut rex ipſe etiã cũ cõſilio de ijs,puocationib. quę à ſupremo illo iudicio Cracouiẽſi fiunt,ſi uelit,cognoſcat. Habẽt aũt ſuprà memorati ſeptem iudices cum quęſitore ſuo ab eodem Cazimiro immunitatem omniũ onerum atq; exactionum regiarum,necq; iudicari à quoq; niſi rege, aut peculiariter delegatis

Germani incolæ Poloniæ.

Germani diligentiores patresfamilias quàm Poloni.

Plebeiorum rex.

Iudicij Teuthonici ſupremi inſtitutio Cracouiæ.

Sex ciuitatum iudicium.

delegatis ab eo iudicib. possunt. Ita tunc Cazimirus populosiorem cultio-
remq; externis colonis Poloniã reddidit: & ne ij cum indignitate sua ac to-
tius reip. ius aliunde petere necesse haberent, prouidit. Coercuit etiam suc-
crescentia rursus latrocinia, unius maximè splendidi & potentis uiri suppli
Borcouicius palatinus latro. Napiuonum familia. cio. Fuit is Mathias Borcouicius, ortus equestri Napiuonum familia: cuius
insigne est, ceruus inter cornua lupum gestans, palatinus Posnanien sis, uir
impiger: qui cum prædones clàm receptaret, quos punire debuit, consuetu
dine turpis lucri captus, ducem se ipsis deinde præbuit. Quę res cum ad re
gem crebris querimonijs hominũ perferret, nec ille tamen quamuis admo
nitus & obiurgatus ab incœpto desisteret, captus est Calissiæ, cum eò fortè
ad regem uenisset: & in Ostinensem arcem deportatus, in tetro & obscuro
carcere inedia uitam finiuit. Cuius mortem cum Ioannes frater ulcisci uelle
Cosminum et Zazia confiscata. diceret, iussu regis interfectus est. Bona eorũ, in quibus erant Cosminum &
Zazia munitiones, cõfiscata sunt. Filius uerò Mathię profugus, cũ ex Mar
chia Brandeburgensi in Polonos mercatores atq; equites postea grassaret,
quodã tempore in oppido Rosrassouo ab agrestibus trucidatus, pœnas de
dit. Fuere, ut habet Dlugossus, qui existimarẽt causam tam dirę mortis Ma-
thię palatino fuisse, q; de stupro reginę insimulatus esset. Sed quę nã ea re-
Heduigis reginæ mors. gina fuerit, Dlugossus nõ meminit. Secunda quidẽ Heduigis, cum quinde-
cim annis in Zarnouecio castello quasi relegata, honestè tamen & lautè ha-
bita uixisset, ad extremũ biennio ante hanc palatini necem, à patre, nemine
prohibente, domũ reducta est, & paulò post è uiuis excessit. Nec diu cuncta
tus Cazimirus, tertiã duxit, Heduigim Henrici Glogouiensiũ ducis filiam.
1358 ann. Post cuius nuptias anno sequenti, qui fuit 1358. illud quod diximus suppli
cium de palatino Posnanensi sumptũ esse Dlugossus memorat. Insequenti
Ecclesiastici ordinis cum equestri controuersiæ in Cracouiensi diœcesi compositæ. anno cõtrouersię quædã de iure decimarũ, de iurisdictione ecclesiasticorũ
iudicũ, de uisitationib. & exactionib. archidiaconorũ, prępositorũ, & paro-
corum, de nouis parœcijs instituendis, de moderatione immunitatis clerico
rum, ac de semestrib. uacantiũ parœciarũ reditibus, qui iam inde à Nancle-
ro episcopo in instauratione basilicę Cracouiensis usurpabant, inter Bozen
tam episcopũ Cracouiensem, & nobilitatem Cracouiensis & Sendomirien
sis cõuentus exortæ, interueniente rege & Iaroslao cognomento Bogoria
Gnesnensi archiepiscopo, extinctę sunt: & Lublinensis, Lucouiensis, ac Sece
chouiensis territorij homines, ppter uastitatem ex Tartarorũ & Lituanorũ
crebris incursionibus, immunitate decimarũ spacio triginta annorũ dona-
tæ. Statimq; illis ipsis diebus Cazimirus ignominiosam fecit expeditionẽ
in Valachiã. Quã priusq; persequimur, explicanda est origo gentis, si quid
Daciæ descriptio modò certi è tantis tenebris eruere possumus. Dacia secundũ ueterem geo
graphorũ descriptionẽ, Tyra fluuio, quem nos Nestrũ uocamus, ab ea Sar-
matię parte quę nobis Russia & Podolia est, diuidit: ab occidente sole lazy
gas Metanastas finitimos habet: ab oriente Hierasso, quem Pruthũ nunc di
ci opinor, & Istro siue Danubio fluuijs ab inferiore Mœsia, quæ nunc Bul
garia est: à meridie uerò eodem Danubio à superiore Mœsia, quę nunc Bo-
sna & Seruia est, disiungit. Ea post multa bella cum Romanis gesta, ad ex-
tremum

tremum à Traiano Imperatore, quemadmodū ſcribit Eutropius, ſubacta, et in formā prouincię redacta eſt. Cum aūt bellis ſuperioribus exhauſta eſſet, infinitas hominū copias ex toto orbe Romano idem princeps ad agros urbesq; colendas eò tranſtulit. Sed tamen haud ita multo pòſt, ſub Galieno ac deinde ſub Aureliano imperatorib. barbari eam uindicarunt. Deinde Gothi eam ſub Gratiano principe poſſederūt. Ita ex illa colluuie Romanorum & barbarorū cōmercijs & cōnubijs cōmixtorum, Valachi orti, Daciam ueterem patriam etamnum retinent, lingua noua ex ueteri ſua barbara & Romana confuſa ac corrupta utentes: tametſi Ruſſicā quoq; & Slauicā linguā in uſu habent, ſiue propter uicinitatem & cōmercia, ſiue q; à Slauis ea quoque gens, quemadmodū cæterę in eodem tractu à Mæoti palude & Ponto uſq; ad Adriaticum mare pertinentes, ſubacta fuit. Gens dura, bellicoſa, & fraudulenta. Vnde uerò & quando Valachi dici cœperint, non comperio. Vulgaris quidem eſt opinio, ſed nullo ueteri authore nixa, à Flacco quopiam ſiue prę fecto, ſiue domino eos nomen hoc accepiſſe, ut primum Flacci, mox corrupto à finitimis barbaris uocabulo Vulaſſi et Valachi appellarentur. Polonorum quidem atq; adeò Slauorum omnium lingua, non modò hi populi, uerumetiam omnes Italici generis Vulaſſi & Vuloſſi dicunt: Quod ipſum etiam argumento eſt Italicam hanc gentem eſſe. Agros nō magnopere colunt Valachi, ſed armentis atq; gregibus alendis ferè uictitant, eo quòd optimis paſcuis abundet eorū regio. Inde fit fortaſſe, ut noſtris ali quanto maiores oues & boues ibi naſcantur: quorum maximam ac penè infinitam uim non modò finitimis Ruſſis atq; Vngaris, uerumetiam Polonis, Pruſſis, Sileſijs, Boemis, Germanis, Slauis, Italis, Turciſq; quotānis ſuppeditant. Religionem Chriſtianam colunt, ſed Græcorum ritu. Obſcura et ignota penè uſq; ad hæc tempora, quæ nunc perſequimur, ea gens fuit. Primumq; hoc nomen in Vngarorū hiſtoria reperio tempore Caroli regis: qui anno Chriſti 1330. contra Bazaradum Valachorum regulum, quem illi Slauico nomine Voieuodam uocāt, latinè palatinum dici uſus obtinuit, bellum geſſit, eodem ferè quo Cazimirus noſter euentu. Vocatur etiam Moldauia hæc ipſa regio, ſed utrum à flumine, an aliunde, nōdum ſatis compertum habemus. Poſteriori quidem tempore gens una in duos dominatus ſecta, nominib. quoq; diſtingui cœpit, ſic ut ij qui ad orientem & ſeptentrionem uergunt, & Podoliæ finitimi ſunt, Valachorum nomen retineant: qui uerò meridionale Tranſyluaniæ latus attingunt, Multani à noſtris, à cæteris uerò Trāſalpinenſes Moldaui et Valachi uocentur. Huic ergo genti huiuſmodi de cauſa bellū fecit Cazimirus. Mortuo Stephano Voieuoda Valachorum, duo filij eius Stephanus & Petrus de principatu contendebant. Petro quamuis natu minori, tamē propter liberalem indolem & morū ſuauitatem plures fauebant. Et acceperat is etiā ab Vngaris auxilia. Itaq; nullo negocio dominatum occupauit. Excluſus dominatu Stephanus, ſimul & inſidias fratris metuens, in Poloniam cum nonnullis ſuæ factionis nobilibus Valachis ad Cazimirum regem profugit: & cum ſe in poteſtate & clientela eius fore polliceret, facilè ab eo impetrauit, ut ſe ad paternū dominatū ui &

Dacia à Traiano imper. ſubacta. Eutropius.

Valachorum origo.

Valachorum lingua.

Slauica lingua unde apud Valachos.

Valachorum mores.

Valachi unde dicti.

Valachorum ſtudia.

Religio Valachorum.

Voieuoda Valach.

Moldauia.

Tranſalpini ſiue Multani.

Valachicū bellū, eiuſq; cauſa.

armis reduceret. Igitur Cazimirus conscriptum è minore Polonia & Russia exercitum non contemnendum, initio mensis Iulij in Valachiam cum legatis & Stephano misit. Nec malè Polonis ea succedebat expeditio principio. In uelitationibus enim & particularibus certaminibus ferè superiores euadebant. Petrus ubi se imparem esse animaduertit Polonorū uiribus, ad dolum se conuertit. Et quo facilius incautos falleret, clàm per internūcios cum exulibus redit in gratiam. Superanda erat Polonis interiorem Valachiam ingressuris sylua densa & impedita, quæ Ploniny à soli sterilitate uocatur. Eam igitur Petrus cum suis insedit: & quà nostri iter facturi erant, arbores succidit, ita ut truncis tamen utcunq; hærerent. Vbi nostri indaginem illam ingressi sunt, ibi coorti ex insidijs Valachi, arbores succisas ui impellunt, ab extremis orsi, ita ut cæteræ mutuò sese impellerent. Qua ruina nostri sic obruti sunt, ut qui obtriti & extincti nō sunt, uiui tamen ferè, debilitatis & collisis mēbris, in hostiū potestatē uenirēt. Pauci de extremo agmine salui euasere. Capta sunt in eo conflictu tria uexilla magna Cracouiensiū, Sendomirensium, & Leopolienſium. Signa minora militaria seu gentilitia nouem, Topororum, Leliuiorū, Lissorum, Rauiorum, Gryphiorum, Strenauiorū, Habdancorū, Polucosarū, & Stremeniorū. Cazimirus clade hac ad se perlata, mœstus, ac de proditione exulū questus, de redimēdis captiuis ad hostē misit, & facilè impetrauit. Fuerunt aūt inter eos maximè insignes Nauoius Tēchius, Andreę palatini Cracouiensis filius, et Sbigneus Olesnicius, Sbignei eius, q̄ postea fuit episcopus Cracouiēsis et Cardinalis presbyter, auus. Cladē Valachicā alia nō minor domestica post unū annū cōsecuta est è pestilentia: quę cum per populos latè serperet, Poloniam quoq; sex mensibus autumnalib. & hibernis afflixit, ita ut in oppidis atq; pagis dimidiā fermè partem hominum absumeret. Cracouię quidem uiginti millia mortuorum censa sunt. Magis autem ea in nobiles & locupletes, quàm in uulgus grassata est. Cruciferi uerò ope Ludouici Marchionis Brandeburgēsis, qui fuit filius Ludouici Cæsaris, Lituaniam tribus excursionib. uehementer tunc afflixerunt, Keistutumq; ducem Gedemini filium cæperunt. Sed is commutatione captiuorum liberatus est: nec multo pòst iterum ac tertium captus, custodias frustratus euasit. Anno sequenti qui fuit 1361. Cazimirus rex missis Auinionem ad Vrbanum quintum pōtificem max. Innocentij successorem, oratoribus impetrauit, ut in Russia cathedra metropolitica, Cracouiæ uerò siue adeò Cazimiriæ noua Academia instituereturtur: id quod Carolus Imperator & rex Boemorū Pragę iam fecerat. Atq; illud quidem perfectū est eodē anno, primusq; Archiepiscopus Leopoliēsis fuit Cristinus, homo equestris ordinis, quanquā nō memorat cuius gentis fuerit, à Gnesnensi Archiepiscopo præsente rege consecratus. Academiæ uerò cœptum opus, magna parte ædificiorū consequentib. annis magno sumptu excitata, ad finē tamen tunc perductum non est, Cazimiri morte intermissum. Inuidere ipsi fortasis fata hanc gloriā, ut integra solidaq; Vuladislao Iagelloni maneret. Præterea repullulans rursus inter episcopū Cracouiensem & regē, sacrumq; & profanum ordinem controuersia de iure decimarum et interdictorū, eodem anno

Ploniny.

Poloni à Valachis cōtrucidati.

Nauoius Tencinius.

Sbigneus Olesnicius.

Pestis.

Lituania uastata à Cruciferis.

Keistutus Lituanus ter captus à Cruciferis.

1361. ann.

Pragensis academia.

Archiepiscopa in Russia instituta.

Academia Cazimiriæ inchoata.

anno arbitrio Iaroslai archiepiſcopi Gneſnẽſis, qui tunc fortè Cracouiẽſem diœceſim uiſitabat, ex cõpromiſſo ſedata eſt. Cuius decreti exemplũ extat in conſtitutionib. regni & ſynodalib. uulgò editis. Hoc eodẽ anno Vuratislauia fortuito incẽdio cõflagrauit. Inſequẽs annus annonę penuria et fame apud Polonos & uicinos populos inſignis eſt. Ac ueris quidẽ tempore læ tę arriſerũt ſegetes. Iunio uerò menſe tẽpeſtates & aquilones cũ pluuijs co-orti florem ſegetũ decuſſere, & iam coaleſcẽtia grana corrupere. itaq; fame uulgò laboratũ eſt. q̃d malũ tamen regis beneficentia & ſolertia nõ ſine ma gno reip. fructu mitigauit. Erat in regijs prædijs atq; horreis ingens uis fru menti è ſuperiorũ annorum ubertate reliqua. Id frumentũ rex externis qui-dem ac ditiorib. ſuis iuſto precio uendi iuſſit: plebs uerò egena partim, com mutatione rerum frumentũ accipiebat, partim opus faciendo merebat. Quo quidem tempore cõplures arces & oppida muris, uallis atq; foſſis munita ſunt: piſcinę, aggeres, & aquęductus multis in locis facti. Atq; inter cætera alueus à Cracouia Bochnã uſq; per quinq; miliaria duci inſtitutus, quo de riuata ac immiſſa aqua ex Viſtula, ſal, ligna, ac cæteræ merces ultrò citroq; nauib. uel ratib. portarent. uerùm is alueus perfectus non eſt. Redegit aũt et pecuniã nõ modicã Cazimirus è frumẽto uendito. Quæ ſplendori eius an-no ſequenti nõ minimũ ſuffragata eſt in nuptijs neptis, filiæ Boguslai ducis Scecinenſiũ: de quib. breuiter cõmemorabimus. Inimicitię erãt inter Caro-lũ Imperatorẽ & Boemorũ regẽ, & Ludouicũ Vngarorũ regem, qui gener Caroli fuerat, leuib. quibuſdã iniurijs, ut fit inter uicinos populos, excitatæ, ſed cõuicio Caroli ſic auctę, ut bellũ utrinq; magnis uirib. apparareť. Ludo uicus Cazimirũ cũ Ruſſorũ ac Tartarorũ auxilijs, & per eum Sigiſmundũ Danorũ regem Boguslai propinquũ in ſocietatẽ belli pertraxerat. Carolus Boemiã, Morauiã & Germaniã omnẽ ad arma cõcitabat. Hoc ubi accepit Vrbanus pont. max. de pace cũ utriſq; diligẽter egit per legatũ ſuũ, Ioannẽ quẽpiã ſodalẽ Frãciſcanũ, uirũ prudentẽ & eloquentẽ. qui cũ impigrè iam ad Carolũ, iam ad Ludouicũ & Cazimirũ recurreret, Carolũq; eò adduxiſ ſet, ut is ſatisfacturum ſe eſſe aduerſarijs de conuicio reciperet, mitigatis ea re Ludouici & Cazimiri animis, nõ modò pacem inter inimicos reges, ue-rumetiã affinitatẽ cõfecit, nempe ut Carolus imperator neptem Cazimiri re gis, Elizabethã Boguslai filiã, quartã uxorem duceret. Tertiam eñ, Annam Bernardi Suidnicienſiũ ducis filiã, per quam Suidnicienſem dominatũ ſibi & ſucceſſoribus ſuis Boemorũ regib. quęſiuit, paulo antè morte ſublatã ami-ſerat, cum Venceslaũ filiũ ex ea ſuſcepiſſet. Nuptijs dictus locus Cracouiæ ad Liberalia, q̃d Carniſpriuiũ uulgò uocant. Cõueniũt eò inuitati à Cazimi ro reges, Ludouicus Vngarorũ, Sigiſmundus Gothorũ ſiue Danorũ, et Pe trus Cypriorũ, Pontò & aduerſo Iſtro in Valachiã, & inde terreſtri itinere per Ruſſiã Cracouiã aduectus: prẽterea duces Otto Bauarorũ, Zemouitus Maſouiorũ, Boleslaus Suidnicienſiũ, Bernardi defuncti frater, Vuladislaus Oppolienſiũ, & Boguslaus cũ ſponſa filia. Ad extremũ uenit Carolus cum ſplendido comitatu. Cui uenienti omnes principes atq; reges cũ Cazimiro Cracouia ad unũ miliariũ obuiã profecti ſunt, & nõ modicũ ſpaciũ pedib.

Vuratislauia arſit.

Fames in Polonia.

Munitio arcium & oppidorum.

1363 ann.

Inimicitiæ inter Carolum Imper. & Ludouicũ regem Vng.

Legatus pontificius.

Pax & affinitas inter reges.

Regum & principũ conuentus Cracouiæ.

Caroli Imperatoris aduentus Cracouiam.

progressi, quod idem facere imperatorẽ cognouerant, amicè inter se consalutarunt. Cum autem urbi appropinquaret Carolus, sponsam cum patre & magna puellarum ac matronarũ caterua obuiam habuit. Deductusq; cum ingenti pompa in arce, Cazimiro petente, diuertit. cæteris in urbe hospitia distributa. Omnes aũt hi principes aduenientes in extremis Poloniæ finibus Cazimiri iussu comiter & perhumanè accepti ac deducti, liberaliter & magnificentissimè habiti sunt, durantib. usq; in uicesimum diem nuptijs & conuiuijs. Et cum abundè omnia ad nutum suppeditarentur hospitibus regiorum procuratorũ atq; dispensatorũ prouidẽtia, tamẽ ne quid magnificentiæ desideraret, magna dolia in foro seu circo urbis collocata sunt, alia uini, alia auenę plena, unde sumerẽt quantum quisq; uellet. Pręerat aũt procuratorib. ac dispensatorib. omnib. regijs Verincus Germanus, consul Cracouiensis, quem Cazimirus propter singularẽ industriã atq; dexteritatẽ in rebus agendis thesauro suo pręfecerat, & omniũ cõsiliorum suorũ nõ modò participẽ, sed moderatorẽ propemodũ habebat. Is igitur cũ esset ditissimus, non habuit satis nuptias illas regio nomine q̃q; splendidissimè administrare, sed ut sua quoq; magnificẽtia Polonię splendorem adderet, Imperatori, regibus, ducib. & procerib. eorũ domi suę cõuiuiũ magnifico apparatu dedit, & ampla munera omnib. largitus est: inprimis autem regi suo Cazimiro, ita ut quę ei donauit, plus quã centum millib. florenorum æstimata esse dicant. Nuptijs ritè peractis, & fœdere sempiterno inter reges icto, et iureiurãdo firmato, & missis inter se ultrò citroq; amplissimis muneribus, domos quisq; suas diuersi discesserũt, ad fines usq; regni à Polonis proceribus deducti. Dedit aũt Cazimirus sororis filię in dotem centũ millia florenorum. Quoniã aũt habebat Cazimirus uxorẽ, & ex ea iam filiã unam atq; alteram susceperat, remisit ei Ludouicus rex Vngarorum ius succedendi ea conditione, si quem is filiũ post se relinqueret. Infestata est etiã deinde hoc ipso anno Polonia peste populari. Sequẽtis uerò anni hyems tã fuit aspera et niuosa, ut feras q̃q; bestias in syluis & uolucres extingueret. Adiecit deinde Cazimirus animũ ad recuperandã eam partẽ Russię, quã ante tredecim aut quatuordecim annos defectione Russorum magis q̃ ui Lituanorum amiserat: indictaq; toti Polonię expeditione, cũ magnis copijs aduersus Russos et Lituanos profectus est. Cum aũt Belzensiũ fines primùm attigisset, uenit ad eum Georgius dux eius orę, & placato rege imperata facere pollicitus, impetrauit ut ditionem illã suam retineret. Itaq; ibi nihil hostile nostri fecere. Quin & Chelmensem ditionẽ cum Chelma arce de Lituanis captã Cazimirus ei adiecit. nam Lubarto petenti ueniã dare noluit. In Volyniã deinde sue Vuladimirienſem tractũ exercitũ promouit: & cũ nemo pugnãdi copiã faceret, Luscũ, Vuladimiriã & Olescũ arces ui in deditionẽ suam redegit: cęteras per deditionẽ accepit. Atq; ita Lubarto eiecto, oram illam omnem subactam ac tributariã factam Alexandro duci Michaelis Coriathi filio, Gedemini nepoti, addixit. Et quo facilius eum in fide & officio contineret, Luscum & Vuladimiriam ipse retinuit, præsidiaq; ijs arcibus imposuit. Deinde successu tẽporis Vuladimiriã, cum lignea fuisset, lateritio muro muniuit.

Nuptiarũ apparatus.

Verinci Germani dignitas ac magnificentia.

Dos nepti à Cazimiro rege data.

Pestis.
Hyems aspera.
Russicum bellũ.

Georgius dux Belzensium.

Chelma Russica capta.

Volynia subacta & Alexãdro tradita.

Luscum & Vuladimiria arces Polonorũ præsidijs munitæ.

Vuladimiria muro constructa.

Et Ale-

Et Alexander quidem in Cazimiri fide perstitit: Georgius uerò ambigua fide aliquoties postea rebellionẽ tentauit. Porrò Lituani nunq̃ deinde, q̊ ad uixit Cazimirus, neq̃ Russiã, neq̃ Poloniã infestarunt, eo ꝙ satis habebãt negocij cũ Cruciferis, & ꝙ pręsidia cõtra eos opportunis locis rex collocarat: Masouiã semel duce Keistuto impune depopulati sunt, ad Poltouiãusq̃ ꝓuecti. Quo oppido direpto incenseq̃, quippe ꝙ munitũ nõ esset, arx q̊q̃ cum plurimis mortalibus, q in eam se cum facultatib. suis receperant, cõflagrauit, barbaris materiã incendio subijcientib. Neq̃ memorabile ullũ Cazimiri regis factũ post subactã Russiam quatuor illis annis, quib. postea uixit, memorat̃, nisi q̊d cum Petro q̊q̃ Lubussensi episcopo, quem bonis quibusdã spoliarat, transegit, ea lege, ut episcopus Lubussensis bona, quæ antiquitùs intra fines regni Polonici iã inde à tẽpore Henrici Barbati ducis habebat, retineret, regẽ aũt dominũ & patronũ suũ agnosceret: & ꝙ comites Dreni ipsi quoq̃ cum ea ipsa arce et Santoco se inditione Cazimiri & regũ Polonorũ antiquitùs esse, ac deinceps fore iurati professi sunt: itẽq̃ ꝙ idem rex magna parte Polonię peragrata. in Prussiã se cõtulit, cum pacato comitatu, uidendi Marieburgi aliarũq̃ arciũ & oppidorũ, quę Cruciferi frequẽtia & permunita & bene cõstituta habuere, gratia, ut ad eorũ exemplũ Poloniã etiã magis cultã redderet. Vbi perhumanè & honorificè à Cruciferis quocũq̃ adijt, acceptus est. Quin & inimicitias cũ Carolo imperatore suscepit, idq̃ siue sua sponte et aliqua iniuria prouocatus, siue Ludouici regis Vngarorum gratia: qui hoc ipso tempore bellũ Carolo indixisse, & Morauiam infestasse memorat̃. Extat quidem in Archiuio Cracouiensi fœdus & societas Cazimiri cum Ludouico anno Christi 1369. disertè contra Carolũ Imperatorẽ & regem Boemorum inita. Nec illud silẽtio prętereundũ est, ꝙ per hoc tempus metalla Bythomiensia, plumbi cum argento intermixto feracia, euanuerunt, post interfectos crudeliter ab oppidanis publico consilio duos sacerdotes, Petrum parœcum oppidi, & Nicolaum, qui ipsi erat à sacris concionib. Neq̃ hac modò pœna Bythomienses facinus illud luerunt, sed etiã ab episcopo Cracouiensi interdicto perculsi & honore omni priuati sunt, damnatiq̃, ne qui ex posteritate eorũ deinceps sacris initiarent̃, aut ulla sacerdotia obtinerent. Sed ab interdicto & cęteris pœnis post biennium demum apud pontificem max. permagno se redemerunt. Erat aũt tunc episcopus Cracouiensis Florianus Morscius, gente Ielitius, Castellani Sendomiriẽsis filius, post Bozentam, qui Bozentino arci & oppido nomen dedit, amissoq̃ uisu obijt. Sub hoc ipsum tempus Boleslaus dux Suidniciensium & Iauoriensiũ mortuus, Carolũ Imperatorẽ & regẽ Boemorũ affinẽ suũ ex pacto hęredẽ reliqt. Ita tũc Silesiæ q̊d reliquũ fuerat, Boemorũ regno adiectũ est. Sed iã Cazimiri mors stylũ nostrũ ad se reuocat. Anno igit̃ Christi 1370. cũ hyemẽ Cracouię Cazimirus exegisset, uere appꝓpinquãte in maiorẽ Poloniã ꝓfectus, per ęstatẽ ibi cõmoratus est. Deinde autũno inde discedẽs in Sẽdomiriensi tractu & in Russia uenationib. hybernũ tẽpus dare decreuerat: iãq̃ Prædboriã, q̊d oppidũ in Siradiensi tractu est, peruenerat, cum eum grauis casus afflixit. Fortè em̃ ad sextũ Idus Septemb. qui dies Mariæ

Masouia uexata à Lituanis.

Poltouia incensa.

Cũ Lubussensi episcopo transactio.

Comites Dreni et Santoci dedunt se regi Pol.

Cazimirus rex in Prußiam ꝓfectus.

Cazimiri cũ Ludouico fœdus cõtra Imperatorẽ.

1369 ann.

Bythomiensiũ metallorũ interitus.

Bythomiẽsiũ pœna ob interfectos sacerdotes.

Florianus episcopus Cracouiensis.

Bozentinum arx & oppidum.

1370 ann.

Prædboria.

Cazimiri casus.

Dei matris natalis anniuersario & solenni ritu à Christianis celebrat, uena tũ in pximas syluas, frustra dissuadẽtib. nõnullis pijs hominib, pfectus erat: ubi dum cupidius ceruum fugientem impedito loco & inter uepres persequit, labente magno cum impetu equo q̃ uehebat, uehementer homo senex & carnosus cõquassatus est, ita ut febre exagitaret. Relatus aũt Prædboriã,

Sendomiria fructuum optimorũ ferax.

& citò medicorũ ope releuatus, Sendomiriã cõtendit. Vbi cum spretis medicorũ prescriptis, intẽperantius uiueret, et pyris, malisq̃, ac cęteris fructib. quos locus ille, pducit eximios, sese ingurgitaret, balneisq̃ nimiũ uteret, in febrim recidit. Neq̃ tamen tã acris ea fuit quin rheda uehi posset, medicis Cracouiã, pficisci suadentib. q̃ ibi faciliorẽ esse medicationẽ dicerent. Itaq̃

Chrobrzany.

Sendomiria Chrobranos, pfectus, cum ex agitatione itineris grauiore æstu urgeret, frigidã aquã præter sententiã medicorũ bibit. Atq̃ inde maiores flãmas cõcepit. Quibus medicorũ arte mitigatis, lectica in Copriuunicense monasteriũ delatus, succolantib. aulicis, octo dies ibi quieuit. Releuatusq̃ aliquãtulũ, iter institutũ, psecutus est. Offeci aũt cũ alterius de medicis Matthæi permissu mulsam bibisset, rursũ deterius habere cœpit: sed tamẽ Corcinũ, atq̃ inde post aliq̃t dies pridie Calendas Nouẽbr. Cracouiã delatus, languebat magis. Quærit deinde ex medicis, nũ iã Cracouiã peruenissent, tacitè eos admonens, pmissorũ, quib. ei Cracouię certã q̃dãmodo sanitatem erãt polliciti. Deinde eos rogat, ut uerè ac liberè sibi dicerent, an de uita sua desperarent. Sed ijs, ut fit, bonã spẽ ostentantibus, nihilominus cũ destitui se

Vuladislaus dux Oppolienſis.

uirib. animaduerteret, accito episcopo Cracouiensi Floriano, ac Vuladislao duce Oppolienſi sororis suæ nepote, quẽ Ludouicus rex Vngarorũ illis ipsis diebus ad uisendũ eũ miserat, itẽq̃ insigniorib. nõnullis de cœtu sacro

Testamentum Cazimiri regis.

basilicę Cracouiensis, ad hęc et aulicis ministris suis, in Christina religione, uti Christianũ decet mori se, pfessus est, testameniũq̃ cõdidit, q̃ multa multis cũ satellitib. tũ nothis filijs suis, plurima Cazimiro Scecinẽsiũ Pomeranorũ duci, largitus est: quędã etiã Gnesnẽsi & Posnaniẽsi basilicis: Cracouiẽsi uero crucẽ illã insignẽ, quã Leopoli deportarat, cũ inclusa portione ligni crucis Christi. Duab. uerò filiab. è tertia uxore susceptis, stragulã uestẽ omnẽ, ac dimidiũ aureæ, argenteę, & gẽmeę supellectilis: reliquum aũt eiusdẽ supellectilis matri earũ uxori suę legauit. administrationẽq̃ siue executionem testamenti Ioanni Strelcio cognomẽto Suchyuilco, decano Cracouiensi &

Cazimiri mors.

Cãcellario regni cõmisit. His ritè peractis, sacris mysterijs de more, pcuratus Nonis Nouẽb. uitã cũ morte cõmutauit, ac tertia die pòst, in basilica Cracouiẽsi ad dextrã aręmaximę honorificè sepultus est, ubi extat adhuc eius mo-

Ætas.

numẽtũ cũ imagine sculpta in marmore. Regnauit aũt Cazimirus annos triginta septẽ, uixit sexaginta: pacis q̃ belli artib. et operib. clarior: unde etiã

Magni cognomẽtum unde.

magni cognomẽtũ solus hic inter Polonorũ principes non tã uirtute bellica et uictorijs meruisse uidet, q̃ operib. magnificis. et plurimarũ arciũ et oppidorũ munitione, et q̃ omniũ sũmorũ pariter et infimorũ hominũ erga se beneuolẽtiã ijsdẽ qb. collegerat uirtutib. hoc est, iustitia, facilitate, humanitate, elegãtia,

„ et clemẽtia, ad extremũ retinuit. etem̃ ad gloriã q̃dẽ plus ualẽt bellicæ uirtu-

„ tes. Pręsẽs uerò hominũ beneuolẽtia leniorib. his uirtutib. facilius cõparat.

Magis

Magis illas ferè homines admirantur, sed has gratiore memoria prosequun-
tur. Tametsi bellicæ quoque gloriæ non expers fuit cùm alibi, tum in Rus-
sia maximè: quam à maioribus suis amissam, maiore felicitate quàm sudore
recuperauit. Hic princeps inextricabiles iudiciorū laqueos resecuit: leges
barbaras & iniquas, quoad tunc potuit, uel sustulit, uel correxit: adeunti-
bus facilis & comis: querimonias etiam infimorum benignè & patienter
audiuit: tenuiores à potentiorum ui & iniuria uindicauit, sic ut æquior ple-
bi, quàm nobilitati esse uideretur: captos ab hostibus suos promiscuè re-
demit: ne cuiquam oneri esset, cauit: seueritate, ut medici solent ustionibus
& sectionibus, non nisi necessariò usus est: Poloniam superiorum tempo-
rum bellis & alijs calamitatibus uastam & infrequentem, populosiorem
reddidit, & ad meliorem cultum redegit, maximè indulgentia in agrestes,
ac Teuthonum colonijs deducendis. Arcium uerò & oppidorum in Polo-
nia plerorumque omnium munitiones, ac templa lateritia, eius sunt opera.
Hic enim Cracouiensem arcem exornauit, cuius tamen exornationis uix
iam ulla extant uestigia: Cazimiriam Vistula disiunctam à Cracouia, Ve-
liciam Scauinam, Ilcussum, Bendinum, Lelouiam, Sēdomiriam, Vislíciam,
Sydlouiam, Radomiam, Oposnum, Vauelniciam, Lublinum, Calissiam,
Pysdros, Stauissinum, Velunum, Coninum, Petricouiam, Lenciciam, Plo-
scum, Inouulodum, Leopolim, Sanocum, Crosnam, Cichouum oppida &
castella mœnibus cinxit. Arces Posnaniensem, Calissiensem, Sendomirien-
sem, Lublinensem, Leopoliensem utramque, Pysdrensem, Siradiensem, Ve-
luniensem, Lenciciensem, Colensem, Plocensem, Nepolomicensem, Sidlouí-
ensem, Prædboriensem, Bresnicensem, Boleslauecensem, Ostressouiensem,
Premisliensem, Landiscoronensem, Bendinensem, Lelouiensem, Zorstinen-
sem, Ocecensem, Crepiciensem, Secechouiensem, Solecensem, Zauichosten-
sem, Corcinensem, Coninensem, Náclensem, Velenensem, Medirecensem,
Crusuicíensem, Zlotoriensem, Bydgostiensem, Lubassouiensem, Trebouu-
liensem, Halicíensem, Tustanensem, Oposnensem, Prissouiensem, Rauen-
sem, & Vissegradensem uel denuò muniuit, uel uetustas refecit. Templa ue-
ro præter ea quæ suprà enumerauimus, Nepolomicense, Corcinense, Sole-
cense, Oposnense, Lapsicense, & in arce Cracouiensi duo, quorum alterum
sancti Michaelis, alterum S. Georgij nomine dedicatum est, è conspectu ue
rò eiusdem arcis Rupense diui Stanislai cæde nobile, item'que ptochodo-
chium siue hospitale Stradomiense condidit. Præterea Corcini, Petricouiæ,
Calissiæ, & Lenciciæ monasteria: quibus omnibus amplam & luculentam
supellectilem, ad cultum diuinum accommodam attribuit. Mogilense
quoque monasterium imperfectum consummauit. Basilicam etiam Craco-
uiensem exornauit. Eius etiam opus sunt tabernæ mercatorum & propo-
larum in circo Cracouiensi. Fuit & uiuarium sub arce Cracouiensi ad Vi-
stulam: cuius uestigia se uidisse Mathias Mechouiensis paulo ante nostra
tempora memorat. Zemouitum Masouiorum ducem episcopo Posna-
niensi, ut decimas de noualibus agris reddi in sua ditione iuberet, con-
demnauit. In summa, publica regis huius acta, & opera pleraque
omnia

Cazimiri uirtutes et præclara facta.

Arces & oppida munita à Cazimiro magno.

Templa à Cazimiro condita.

omnia laude digna sunt: ac eo quidem magis, quòd dissimilem habuit successorem. Cæterùm domestica uita fuit impurior, in cibo potuq; intemperans: in libidines uerò ita proiectus, ut præter greges concubinarum, cum quibus magis quàm cum iustis uxoribus consueuerat, Boemam quandam Rochicianam, captus eius pulchritudine, in loco iustæ uxoris haberet, promissa ei conceptis uerbis (cum aliter potiri ea non posset) fide matrimonij, interueniente Abbate Tinecensi thyara ornato: quem mulier episcopum Cracouiensem esse credidit. Sed eam deinde cum caluam & scabiosam esse comperisset, eiecit, & Iudææ cuiusdam Hester consuetudine usus est, de qua Nemiram & Pelcam filios suscepit. Nam filias natas, ut Iudaica religione permanerent, matri indulsit. Huius Hester opera gens Iudaica magnas prærogatiuas in Polonia à rege adepta est, cùm nouas, tum quas ipsis olim Boleslaus dux Calissiensis in sua ditione concesserat. Quin & periculi illius, quod Carolus rex Vngarorum cum uxore & duobus filijs à Feliciano intentatum adijt, Cazimiri huius libidinem in causa fuisse existimant. Itaque iusta pœna diuinitus affectus esse uidetur Cazimirus, quòd nullos post se mares liberos reliquit. Quamuis autem tam libidinosus ipse esset, tamen continentes sacerdotes singulari fauore prosecutus est. Quòd si industria dexteritateq; etiam præditi essent, multum eis utebatur: & quamuis plebeij & obscuro loco nati essent, nobilibus eos non modò exæquabat, uerumetiam anteponebat. Curabat autem ut omnes sacerdotes, quoad fieri poterat, sacerdotia sua per se ipsi præsentes administrarent. Statura procera fuit & corpulentus, capillo denso & crispo, promissa barba, uoce sonora, sed balbus aliquantulum. Cazimiro etiam regnante, ut ne pios homines suis laudibus defraudemus, Mathias Golanzeuius, gente Toporus, episcopus Vuladislauiensis, qui duos & quadraginta annos episcopi munere functus est, basilicam Vuledislauiensem nouam cõdidit in oppido, cum prius sub arce fuisset. Aliud item templum Vitalis martyris memoriæ dicatum in eodem oppido construxit: arces Vuladislauiensem & Racianzum cocto latere muniuit. Deinde senio confectus, & usu orbatus, Sbilutho propinquo suo præposito Vuladislauiensem episcopam concessit. Quanquam postea pœnituit eum facti, cum non pro meritis ab illo tractaretur. Iaroslaus uero Scotnicius, gente Bogorius Archiepiscopus Gnesnensis permulta præclara monumenta reliquit, quæ aptius infrà recensebuntur. Per hoc tempus Cruciferi Prussienses atq; Liuonienses, & Lituani mutuis populationibus, & munitionum euersionibus, inter se certabant, nonnunquam etiam ad manus ueniebant, & quidem Marte uario. In Germania uerò Heluetiorum siue Suitensium societas, ante septuaginta ferè annos instituta, per iniurias principum, quibus ij ciuitates affligebant, magna cœpit incrementa.

Vitia Cazimiri.

Iudæorum prærogatiuæ in Polonia unde sint.

Effigies Cazimiri.

Vuladislauiensis basilica noua.

Vuladislauia & Racianzum arces munitæ ab episcopo.

Heluetiorum incrementa.

Sed iam librum hunc unà cum Cazimiri regno finiamus: sequentesq; externi generis regibus dedicemus.

MARTINI

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORM.

LIBER TREDECIMVS.

PROOEMIVM.

PER nongentos aliquãto plures annos, quibus historia ab initio usq; ad mortem Cazimiri secundi regis decucurrit, semper Polonia sui generis reges atque principes habuit, Venceslao Boemo, de quo in superiore libro pertractauimus, excepto. Qui q; unus inter nostrates interiectus est, nec diu apud Polonos regnauit, in numerum quodammodo à nobis redactus est, ne seriem narrationis interrũperemus. Deinceps uerò quod reliquum est temporis usq; ad hoc tempus, quo hæc scribimus, cum Cazimirus rex moriens, quemadmodum superius cõmemorauimus, nullos mares liberos reliquisset, exteri apud Polonos regnarũt, nẽpe Ludouicus Vngarus, et gener eius Vuladislaus Iagello Lituanus cum sua posteritate, quæ in hunc usq; diem durat atque regnat. Quæ tempora dum persequimur, nemo à nobis exactam eorum omnium, quæ ĩj reges usquam gesserunt, rationem expectabit. Quanquam enim per reges atq; principes historiam ducimus, tamen instituti nostri est, nõ tam uitas regum ipsorum atq; principum, quàm res gestas Polonorum persequi. Quocirca, quæ Ludouicus, de quo mox scribere aggrediar, siue in Vngaria, siue in Italia, siue usquam aliàs gessit, quæq; ĩj qui post eum in Polonia regnarunt, quæ quidem ad Polonicã historiã nõ pertinebũt, uix et obiter attingemus. Lituanicas uerò res à tẽpore Iagellonis regis, q; coniunctæ erũt cum Polonicis, nõ ferè omittemus, nisi si quę erũt quę minus ad nos pertinere uidebunt. Hæc semel prefati, iã susceptũ opus à morte Cazimiri secundi regis, psequamur.

Externi reges.

LVDOVICVS VNGARORVM ET POLONORVM REX.

CERTIOR factus de graui morbo, ac mox etiam de morte Cazimiri regis Zemouitus dux Masouiorũ à Ioãne filio, quẽ hac de causa ministerio regis addixerat, illico Ploscũ, Rauã, Vissegradũ, Gostininũ, & Sochassouiã arces in suã redegit potestatẽ, dedentib. eas ultrò præfectis, cũ q; sciebant ex pactis cõuentis eas Zemouito deberi, tũ q; munerib. & pollicitationib. ab eo corrupti erãt. In utraq; etiã Polonia & in Russia, post uulgatã mortẽ regis, noui quidã motus excitati sunt à finitimis. Nam Hasso siue Hessus quispiã, Ottonis Marchionis Brandeburgensis, qui fuit filius Ludouici Bauari Cæsaris, præfectus cum didicisset, pditione triũ Saxonũ, qui in præsidio Santoci erant, arcẽ eã à paucis custodiri, & à cõmeatu imparatã esse, præfectumq; eius Sandiuoiũ Viriũ Castellanũ Bninẽsem abesse, cum tumultuaria agrestiũ ferè manu eò accurrit, arcẽq; oppugnatã acrius, tandẽ Sendiuoio Slessinio impigro iuuene, qui cessantib. Saxonib., pditoribus. cum paucis suis arcẽ defendebat, uigilĩs & labore cõfecto, per de-

Zemouitus Masouiorũ dux munitiones quasdã occupat.

Santocum Polonis ereptum.

Sendiuoius Slessinus.

ditionẽ accepit. Ex alia uerò parte Lubartus Lituanus cum Keistuto fratre & expeditis copijs Vuladimirienſem arcẽ in Volynia poſteaquam primo impetu capere nõ potuit, circũſedit. Prẽerat arci Petraſſius Turſcius de tractu Lencicienſi. Is quãuis diutius obſidionẽ ſuſtinere potuiſſet, tamen Alexandro duce, cui Volynios parère Cazimirus iuſſerat, Cracouiã, pfecto, cũ necũde quicq̃ opis expectaret, ferocitate & minis Lituanorũ territus, arcẽ ligneã ueterẽ quã tuebat dedidit. Acceptã Lubartus ualido prẽſidio firmauit. Nouã uerò, quã Cazimirus duobus annis magna cura ſumptuq̃ cocto latere muniuerat, neq̃ tamen cõſummauerat, diruit, & ſolo ẽquauit. Inde in Lublinẽſem atq̃ Sendomiriẽſem tractũ excurſionẽ fecere ĩdẽ barbari, magnasq̃ prẽdas egere. Ac inter alia Lyſſecẽſe ſiue Caluimõtanũ monaſteriũ diripuere. Vnde cum inter aliã prẽdã portionẽ crucis Chriſti auro inclusã aſportarẽt, & ad fines Poloniæ peruenirent, memorabilis res accidit. Plauſtrũ em̃ q̃ crux cũ cẽtera prẽda uehebat, nulla ui, neq̃ iumẽtorũ, neq̃ hominũ loco moueri potuit: quin ſubitò cõcidebãt exanimati homines, eq̃, & boues, quicũq̃ id plauſtrũ attigerant. Obſtupefacti re noua Lituanorũ duces, cum ex Ruſſo quopiã miraculi & cladis ſuæ cauſã cognouiſſent, mox crucẽ cum Chorabala quodã nobili captiuo, libertate donato, ad locũ ſuũ remiſerunt: ipſi cum reliqua prẽda domos ſuas ſalui peruenère. Neq̃ em̃ erat qui noſtros in arma cogeret, ut fit ſoluta diſciplina omni morte principis. Nã Ludouicus rex Vngarorũ, quem Cazimirus multo antè ſucceſſorẽ ſibi deſignarat, licet mox de morte auũculi certior factus eſſet, tamen cõtinuit ſeſe domi: & quorſum cõſilia Polonorũ uergerent, expectabat. Verebat em̃, ne ĩj mutata ſententia alĩj regnũ mandarent. Erant em̃ ſuperſtites duæ filiæ Cazimiri. Erat & Cazimirus Scecinenſiũ dux nepos ex filia. Erant etiã Cuiauienſiũ & Maſouiorũ duces, ppinqui & neceſſarij. Matrẽ tamen ſuã Ludouicus Cazimiri regis ſororẽ celeriter prẽmiſit. Nec ita multo pòſt uenerũt ad eũ Viſſegradũ è comitijs Polonorũ oratores, Florianus epiſcopus Cracouienſis, & Ioannes Strelcius Cancellarius Poloniæ, rogantes ut primo q̃q̃ tẽpore in Poloniam ueniret, regnũq̃ deſtinatũ ſuſciperet, ac prẽſentia ſimul & impẽdentia pericula depelleret. Audita ille legatione aliquãdiu, quid faceret, deliberauit. Cunctanti cũ & noſtri orãdo, & Vngari, pceres ſuadẽdo inſtarent, tandẽ reſpondit: Nõ ſatis intelligere neq̃ hos q̃d ſuadeant, neq̃ illos quid petant. È neutrorũ em̃ id re fore, ſicuti ne duobus quidẽ gregib. expediat, unũ habere paſtorẽ. Satis et abundè eſſe negocij uni populo prælo et incõmodo ab uno adminiſtrari poſſe. Ita tũc Ludouicus. Sed tãdẽ uictus precib. oratorũ, annuit. Bõfinius, audita morte Cazimiri auũculi, ſtatim eũ, ingenti delectu habito, in Poloniã pfectũ eſſe, regnũq̃ teſtamento legatũ à pceribus & legatis populorũ petiuiſſe, et facilè impetraſſe ſcribit. Venientẽ pceres Poloni cũ frequenti nobilitate, ad Sandeciã obuiã pgreſſi, excepere, et Cracouiã deduxere. Ibi rurſus armatę ciuitatis occurſu honorificè cõſalutatus eſt. Poſtero die rogatus publicè à Ioanne Cãcellario, an teſtamẽtũ Cazimiri regis ratũ eſſe iuberet, prẽcipitãter aſs ẽſus eſt. Sed admonitus ab his qui

Vuladimiria à Lituanis per deditionem recepta.

Petraſſius Turſcius.

Lituanorum excurſio in Poloniam.

Lyſſecenſe monaſterium direptũ. Miraculum.

Ludouici regis cũctatio.

Elizabetha regina Vng. uenit in Poloniam.

Polonorum oratores ad Ludouicum.

Sapiens dictum.

Regna plura non bene ab uno adminiſtrari.

Ludouici regis ad uentus in Poloniam.

qui ꝓximi de ſenatu aderãt,multũ detrimenti eam rem Polonię allaturã eſſe ꝓpter ꝓfuſas donationes & legata Cazimiri,& ꝙ de fide q̃q̃ ſcripturę teſtamenti dubitaret,ad ſenatũ ea de re per Vuladislaũ Oppolienſiũ ducem retulit.Senatus porrò,ne quem offenderet,cęteras quidẽ omnes donationes ualere: de ea uerò qua Scecinẽſi duci Siradienſis,Lęnciciẽſis,quã poſt mortẽ Zemouiti auunculi ſui Cazimirus recuperauerat, ac Dobrinenſis ditio, itẽq̃ arces Cruſuicia, Bydgoſtia, Vulotouũ, & Valcia cum ſuis territoriis donabant,itẽq̃ de ea quæ fiebat nothis filiis Cazimiri,apud terreſtres iudices,quos uocãt,diſceptandũ eſſe cenſuit.Itaq̃ Pelca Zãbrus iudex Sendomirienſis, & Vilcius Naborouius ſubiudex Cracouienſis, lecti iudices, re bene perpenſa,decreuerũt eas donationes irritas eſſe debere,ꝙ nõ de ſententia ſenatus factæ,ualde damnoſę eſſent reipub. Cui decreto ſenatus rogatus à rege,ſubſcribere noluit.Et ſanè in utrã q̃ partẽ res erat perdifficilis de Scecinenſiũ duce.Nã ſi is omnib. iis quæ ſibi donata erãt,potitus eſſet,permultũ regi detractũ eſſet:cauendũq̃ erat,ne fretus ea potentia regnũ inuaderet: ſin repulſam pateret, bellũ ab ipſo & à Carolo Imperatore,cũ q̃ ſoror eius nupta erat,expectandũ. Quocirca ita cũ eo trãſegit Ludouicus,ut is in Dobrinẽſi tantũ ditione,et Bydgoſtia,Vulotouo,et Valcia acquieſceret,cętera regi relinqueret.Quib.rebus tũc peractis,de coronatione rurſus noui regis archiepiſcopo et maiorib.Polonis ſcrupulus iniectus eſt,ꝙ ij cõtendebant ut ea Gneſnę more ueteri fieret.Sed Ludouicus ꝓximorũ regũ Vuladislai aui et Cazimiri auũculi exemplũ in ea re ſecuturũ ſe eſſe dixit.Quo reſpõſo ſedatis maiorib.Polonis,decimoſeptimo die Nouembris ab Iaroslao archiepiſcopo Gneſnenſi, adſtantib. Floriano Cracouienſi, & Petro Lubuſſenſi epiſcopis in baſilica Cracouienſi diadema ſolenni ritu accepit. Nec tñ deſideriũ Cazimiri defũcti regis ex animis hominũ rex nouus euulſit:imò plus etiã accendit,cũ nõ modò diſſimilis eſſet Cazimiri,ſed ne adiri quidẽ à noſtris ſine interprete poſſet:quin res q̃q̃ Polonicas negligere ac parui facere uideret,ac nõ modò nõ intẽderet animũ ad recuperãda ea quę ſuperiori tẽpore à Polonia auulſa erãt,uerũetiã enormẽ donationẽ adiiceret,qua Vuladislao duci Oppoliẽſiũ, Vngarię palatino,Oſtreſſouiẽſẽ et Velunẽſẽ tractũ omnẽ,q Rudenſis olim dictus eſt,itẽq̃ Olſtinẽſe,Crepicienſe,et Bobolicẽſe territoria in tractu Cracouienſi, adhæc Breznicienſe in Siradienſi ditione, donauit.Sed tamen tũ ab hoc ipſo Vuladislao, tum à Cazimiro Scecinenſi (quanq̃ de Vuladislao uariat Dlugoſſus) ſolenne iuſiurandũ accepit, ꝙ perpetuò in poteſtate ipſius et regũ Polonię deinceps futuri eſſent,& ꝙ ilę omnes eorũ ditiones regno accreſcerẽt,ſi ij nullos mares liberos relinquerẽt. Exequias deinde magnificentiſſimas et ſumptuoſiſſimas auũculo mortuo apparauit. Vbi permultũ argẽti facti baſilicæ Cracouienſi oblatũ atq̃ donatũ eſt,& infinita penè hominũ multitudo lachrymis,plãctu,& eiulatu ingens defuncti regis deſideriũ teſtata eſt,præſertim ꝙ cũ eo ſucceſſionẽ regũ ſuorũ uetuſtiſſimã à Piaſto uſq̃ ꝓpagatã, extinctã eſſe cerneret, regnũq̃ ad externũ regẽ perueniſſe, q lõgè abfuturus eſſet. Quod cũ Ludouicus animaduertiſſet, ueritus ne quã filię Cazimiri nouãdarũ rerũ occaſionẽ Polonis darẽt,ablegauit eas in Vngariã; & cõſtituto ibi iudicio,perſecit ut nõ

De legatis Cazimiri iudicium.

Iudices delegati.

Tranſactio Ludouici cum duce Pomeranorum.

De coronatione controuerſia.

Ludouicus rex Cracouiæ coronatur.

Ludouicus ingratus Polonis.

Ludouici profuſa donatio, Oppoliẽſium duci facta.

Pomeranici et Oppolienſis ducis iuſiurandũ regi Poldatum.

Cazimiri filiæ relegatæ & exheredatæ.

ex iusta uxore natæ, atq; exhæredes pronunciarent. Quod adeò ingrati hominis facinus, nõ sine iusta diuini numinis uindicta factũ esse uideri potest, ut filiç Cazimiri, paternarũ libidinũ et stupri, ingenuæ puellç Feliciani filiç oblati in codẽ penè loco q̃ ille deliquerat, pœnas luerent. Post hęc tñ Annam Vilelmo comiti Ciliæ, Heduigis Romero cuidam duci nuptui tradita est. Vt uerò postulatis maiorũ Polonorũ satisfaceret Ludouicus, in maiorẽ Poloniã post paucos dies, pfectus est, & biduũ Gnesnç cõmoratus, paratũ sibi in basilica Gnesnensi soliũ ascendere noluit, affirmãs id neq; sibi, neq; Polonis decorũ fore, ut coronationẽ Cracouiç peractã quasi in dubiũ reuocaret. Deinde Cracouiã reuersus, cũ animos Polonorũ uexatione, uiolentia, & rapinis Vngarorũ offendisset, neq; de recuperãdo Santoco & Vuladimiria cõsilij quicq; iniuisset, mox in Vngariã redijt, Transalpinensiũ Voieuodæ defectione excitus, omni gubernatione Poloniç matri cõmissa. Nec mora cũ duob. exercitib. Transalpinẽsem Moldauiã ingressus, alterũ qdem in syluis circũuentũ ab hostib. amisit, cũ altero uictor dẽsectores in suã redegit potestatẽ: & ne tã facilè ij deinceps rebellarent, Seuerinũ oppidũ instaurauit, prę sidioq; firmauit. Interim Elizabetha mater eius in Polonia muliebri usa cõsilio, iuuenes et imperitos homines in senatũ allegit, cõplures q; bonos et graues uiros magistratib. mouit, & nihili homines atq; assentatores eis suffecit. Ac inter alios inprimis Prædislaus Goluchouius palatinus Calisiẽsis uir magnanimus & moderatus, prçfectura maioris Poloniç motus, eiq; Otto Pilecius successor datus esse memorat. Quã rẽ egrè tulere maiores Poloni, & parêre Ottoni, quãuis & genere & uirtute prçstãti, detrectabãt, ppterea q; nullas is habebat possessiones in maiore Polonia, atq; ita cõtra leges prçfecturã obtinebat. Sed tñ homo splendidus & liberalis, ut quẽq; de nobilitate factiosissimũ & sibi maximè aduersariũ esse nouerat, ita os eius comitate & munificẽtia sua primũ obstruxit: sic aliquãto patiẽtius deinde imperiũ eius ferri cœptũ. Sed cũ ora illa Poloniç finitimorũ latrocinijs infestaret, neq; Otto domesticis opib. quas ibi nullas habebat, cõpescere ea posset, & nobilitas uulgo eius odio militiã detrectaret, cessit inuidiç, et prçfectura se abdicauit. Cui Sẽdiuoius Subinius indigena successor datus est. Neq; is tñ satis prędonũ uim & furta coercuit. Pestilẽs hic itẽq; sequẽs annus Polonis fuit. Prodigiũ etiã insigne Posnaniç accidit. Basilica eñ cum adhçrẽte sibi turre dextra de cœlo tacta est, ita ut perrupto culmine & angulo turris, parua fissura facta in fornice, in sacellũ regiũ fulmen penetraret: ac cęteris rebus intactis, solas Prçmisli regis & Rixæ uxoris eius imagines confringeret. Insequẽs annus nihil ferè memorabile habet, præter quędã de Iaroslao Archiepiscopo, nẽpe q; is Zemouitũ Masouiorũ ducẽ ecclesiastico interdicto perculit, eoq; adegit, ut duorũ pagorũ donatione ipsi satisfaceret, p eo q; Petrassius Cristini palatini Plocẽsis filius, bona eius ecclesiastica in Masouia, iubẽte uel certè cõniuẽte Zemouito latrocinio infestasset, uexasset q;. Nec multo pòst senio cõfectus et oculis captus Iaroslaus, cũ supra triginta annos archiepiscopus fuisset, Nicolao Cossutouio prçposito Gnesnẽsi, ppinq; suo archiepiscopã cõcedere statuerat. Sed cũ is impudè sine regia cõmẽdatione et collegij Gnesnẽsis cõsensu Auinionẽ ad Gregoriũ undecimũ põtificẽ max. ea

Vngarorum uiolentia.

Elizabethæ reginæ administratio regni commissa.

Ludouicus Transalpinam recuperat.

Seuerinum.

Goluchouius motus præfectura maioris Poloniæ.

Otto Pilecius præfectus maiori Poloniæ contra leges.

Sendiuoius Subinius præfectus maiori Poloniæ.

Pestis.

Prodigium.

Zemouitus Masouiorum dux diris deuotus, quòd nõ coerceret bonorũ ecclesiasticorũ inuasores.

Iaroslaus cæcus abdicauit se archiepiscopa.

der ese

de re se cõtulisset, infecto negocio inanis redijt. Necp tñ Iaroslaus dimittẽdę archiepiscopę cogitationẽ deposuit, sed Ioañẽ Suchyuilcũ iuris canonici Doctorẽ, cuius antea mẽtionẽ fecimus, sororis filiũ successorẽ sibi legit. uerùm isq; pluscũlũ negocij in cõficiẽda re habuit, palã cõmendãte, et clàm impediente eius causam Ludouico apud pontificẽ max. Ad extremũ tamẽ noua regis cõmendatione & collegij approbatione adiutus, uoti compos factus est. Iaroslaus uerò Pomeranicis & Opatouicensib. possessionib. ac decimis in ora Calissiensi indulgentia pontificis max. ad usum suum retentis, in Landense monasteriũ secessit, & biennio ferè ibi exegit. Deinde pertęsus monasterij, Calissiã cõmigrauit, ubi intra uertentem annum uita excessit. Permultum hic archiepiscopã amplificauit, & ornauit. Nam Louiciã, Opatouicũ, Vneouiã, & Camenũ arces cõdidit. aulas archiepiscopales Gnesnę, Lenciciæ, Veluni, Calissię construxit. Louicienses reditus primus ita auxit, ut cũ antea census duas marcas nõ excederet, tunc ad octingentas perueniret. Aedificauit etiam templa Gnesnę, Calissię, Curelouię, Opatoueci, & Vneouię, ubi & collegiũ sacerdotũ instituit, & monasteriũ Benedictinis condidit, ac Tinecẽsis abbatis iurisdictioni id subdidit. Dotauit idem nouã parœciam in oppido nouo Crepicienſi rogatu Cazimiri regis. Atq; ob eam rem iurisdictionem sibi posterisq; suis archiepiscopis in ea parœcia, in Cracouiensi diœcesi sita, usurpauit, cõniuente Bozenta episcopo Cracouiensi, qui dotare eã noluit. Istiuarta emñ amnis eo loci Gnesnensem et Cracouiensem diœceses dirimit. Memoratẽ etiã de eo illud excelsi animi facinus, cp cũ iuuenis adhuc Bononiensis academię rector esset, trãstulit inde academiã sua autoritate, propter Britannũ siue Anglũ quendã scholasticũ à magistratu urbis capite plexum: nec prius eã restituit, donec pro cęde Angli satisfactũ est. Ferẽ aũt Iaroslaus mãdasse moriẽs, ut cadauer suũ nõ ostio, sed pertuso pariete in basilicam sepeliendũ inferret, cp nõ ritè nec; ordine archiepiscopũ se factũ esse diceret. Hęc de Iaroslao suffecerint: quæ omitti certè hic à nobis non oportuit. Per hoc tempus Ludouicus rex cũ Carolo Imperatore in gratiã redijt, ac filiam suã natu maiorẽ Mariã, filio eius Sigismũdo, è quarta uxore suscepto, paruulo etiamtum despondit, & in aula sua ipsum educauit. Pater uerò Marchiã Brandeburgensem ab Ottone Ludouici filio ipsi emit. Cum aũt duas filias ex Elizabetha Stephani Bosnensiũ reguli filia susceptas, duoq; regna haberet Ludouicus, utriq; filię uiuens cupiebat prospicere, ita ut altera apud Vngaros regnaret, apud Polonos altera. Ac apud Vngaros quidem iam uni prospexisse uidebatur: de altera aũt solicito, fortuna siue consilium talem occasionem obtulit. Poscebat is Polonos uectigal, quod regium & poradline, quasi rastrale dicitur, duodenos grossos latos, & singulos modios siliginis & auenæ in iugera siue laneos, quemadmodum antiquitùs pendi solitum erat. Negabant proceres sacri pariter & prophani ordinis: quòd ab eo Poloniam immunem factam esse liberalitate Cazimiri dicerent. Cumq; ille admonitus à nõnullis, promissam modò, non etiam datam esse à Cazimiro immunitatem illam argueret, solutum enim esse id uectigal, quo ad uixerit Cazimirus, tandemeò rem deduxit per internũncios, ut si alter-

Ioannes archiepiscopus Gnesnensis.

Iaroslai mors.

Louicia, Opatouicum, Vneouia, & Camenum arces conditæ.

Louicienses reditus.

Vneouiense collegium.

Fines diœceseon.

Iaroslai archiepi scopi magnus animus.

Iaroslaus non ritè factus archiepiscopus.

Sigismundo Caroli filio Ludouicus rex filiã suam despondit.

Marchia Brandeburgensis à Carolo Imperatore empta.

Poradline uectigal immunitum.

Poloni alterã de filiabus Ludouici reginam sibi desti narunt.

utrã de filiabus suis regnare deinceps apud se Poloni iussuros se esse recipe rent,binos tantũ grossos quotãnis deinceps in iugera pẽderẽt, quib.regẽ agnoscerẽt:ab reliquis pensiõib.& onerib.quę regib.ac ducib.antiquitus

Polonorum equitum immunitas & libertas.

debebant,cuncta nobilitas atq; subiecti homines perpetuã uacationẽ & im munitatẽ haberent, prętercq; si rex nouã arcem cõderet, aut ueterẽ tempore belli reficeret,tunc ut nobilitatis subditi cũ regijs opus facerẽt. Accepere cõ ditionem Poloni.atq; inde in hodiernũ usq; tempus manet uectigal hoc i

Episcoporũ subditi immunes à poradlmæ uectigali.

ta imminutũ regi.tametsi episcopi tunc id suos agricolas pẽndere passi non

Cracouiensis ecclesiæ immunitas

sunt,defendẽtes mordicus Boleslai Pudici & Cazimiri remissionẽ. Cuius quidẽ remissionis,Cracouiẽsi dũtaxat ecclesię factę,extãt diplomata utriusq; que principis in basilica Cracouiensi.Monasteriorũ uerò adscriptitij,prę se

Honores & magistratus ne supprimantur.

ctis regijs exigentib.&cõniuẽtib.episcopis aliquãdiu totã ueteri more pẽ dere coacti sunt. Illa q̃q; in pactis fuere, ne rex magistratũ siue honorẽ ullũ perpetuũ supprimeret,néue externo cuiq; cõferret, ac ne præfecturã quidẽ

Externi & illustres ad honores & magistratus non admittendi.

arcis cuiusq; aut oppidi, quę iurisdictionẽ adiunctã habeat,imò ne indige nę quidem illustri ducũ genere orto. Hæc ita tunc cõuenere Cassouiæ anno

1374 ann.

post Christũ natum 1374. Nunc iam nouos motus,quibus Polonia dein ceps exagitata est,persequamur,paulo altius repetito principio. Zemomy

Ducum Cuiauiensium propago.

slus Vuladislai Loctici frater tres filios moriẽs reliquit.qui sic patrimoniũ inter se partiti sunt, ut Prȩmislo Bydgostia cederet, Lesco Inouuladislauia, Cazimiro Gnesouia. Ex his solus Cazimirus liberos reliquit,Elizabethã & Vuladislaũ cognomẽto Albũ. Atq; Elizabethã quidem cum Caroli re

Ludouici secunda uxor.

gis Vngarorũ uxor, Loctici filia educandã suscepisset,Bosnensiũ regi Ste phano in matrimoniũ collocauit,de qua Elizabetha itẽ filia nata est,quę se

Vuladislai ducis Cuiauiæ acta.

cunda Ludouici regis uxor fuit. Vuladislaus uerò cũ patri & Prȩmislo pa truo,cõcedente rege Cazimiro successisset,causamq; de ui & alieno agro u surpato quodã tempore apud eundẽ regem dicere iussus esset, furore perci

Bydgostia in potestatem regis redacta

tus temerè Bydgostiã repudiauit: nec eam pòst ullis precib.recuperare à Ca zimiro potuit. Postea Gneuucouiã quoq;,acceptis mille florenis,regi cõces

Gnewcouia.

sit:& peregrè profectus,cum per multa loca peruagatus esset,tandẽ Cister

Gnewcouia empta.

cium ueniens,monachus factus est. nec multo pòst mutato cõsilio Diuione in Burgũdia Benedictinorũ sectę sese addixit:et cõplures annos ibi cõmora tus, & ororis Cazimiriq; regis liberalitate sustẽtatus est.Cũ igit̃ pceres q̃s dam de maiorib.Polonis nouarũ rerũ cupidos,pœnitere externi regis et ab

Vuladislaus monachus accersitur ad regnum.

sentis,muliebrisq; dominatiõis cœpisset,cõmunicato clã inter se cõsilio, le gationẽ ad acciendũ Diuiõe Vuladislaũ misere, q; nemo eo ꝓpinquior Ca zimiro et Vuladislao regib.agnatus uiueret.ac facilè is,ut erat leuis,in spem &cupiditatẽ adipiscẽdi regni adductus est.Quoniã aũt diaconus iam erat, Auinionẽ ad põtificẽ max. obtinẽdę indulgẽtię siue dispẽsationis causa cõ tendit,legatis Basileę se expectare iussis.Et q̃uis nihil à pontifice impetras set,tamẽ Basileã,atq; inde legatorũ suasu,dimissis eis in Vngariã dissimula to,ꝓposito ad affinẽ regẽ ꝓfectus est. apud quẽ reginę,ꝓpinquę suę magnis precib.perfecit,ut ad põtificẽ max.,ꝓ se legationẽ mitteretq̃ sibi mutato ordi ne,et abiecta,ꝓfessiõe,possessiões et principatũ obtinere liceret.sed repulsam

etiamtum

etiamtũ paſſus,clàm ſe cũ quatuor tantũ comitib.ex Vngaria ſubduxit,et ue niẽs Inouuladislauiã arcẽ ex impuiſo occupauit.Et mox oppidanos accitos in uerba ſua iurare iuſſit. Inde Gneuucouiã,eadem celeritate uſus,in poteſta tẽ ſuã redegit, Romliconẽ Zlotorię arcis prẹfectũ in agro fortè repertũ cẹ pit,& Zlotoriã q̃q; eodẽ die per deditionẽ accepit,cum necẽ præfecto ſub arcem abducto minaret,ni ea ſibi dederet.Ita tribus arcib.uno die potitus, cũ uolũtarij multi ad eum concurrerent,ſumpta maiore fiducia poſtero die Sarleiũ arcem oppugnare adortus,tertio die in deditionem accepit.Hẹc ad Sendiuoiũ Subinium præfectũ maioris Poloniæ cum perlata eſſent,celeri- ter Ludouicũ regem de ſtatu rerũ Cuiauienſium certiorem facit: ſimulq; fa cta nõ contemnanda manu de nobilitate,ad reprimẽdos conatus Vuladiſ- lai contendit. Obſeſſa primũ Inouuladislauia,cum nihil eſſet ſpei in Vula- dislao,deditionẽ fecit. Qua re permotus Vuladislaus,ſimul & ab ijs qui cũ eo ſe coniunxerant, deſertus, reliquas quoq; arces reddidit, promittente ei Sẽdiuoio clementiã et munificentiã regis. Qua diutius expectata cũ fruſtra ret,& inopia premeret,rurſus eadẽ quæ prius moliri,ſuadentib.& incitan- tib.quibuſdã improbis,inſtituit. Sed cũ Sẽdiuoius præfectus conſilia eius ſenſiſſet,ratus,ita ut erat,Scripinium ſororis ſuæ uirum,quẽ Zlotoriæ præ fecerat,ſenem inertem & ebrioſum,inſidijs eius maximè opportunum eſſe, amouere eum à præfectura uolebat: uerùm ab eo & ſorore ſua, ne id face- ret,exoratus eſt. Ad hũc ergo fallendum ſubornat Vuladislaus piſcatores, qui eum allato Torunia uino inebriarent. Quod cum factum eſſet,ſopito eo pariter et cuſtodibus, ut ferè ad exemplum heri familia ſeſe compo.it,nocte intempeſta miſſa à Vuladislao manus, ſcalis admotis arcem,cuſtodes, præ fectumq; cæpit: ſed Criſtinum propinqui poſtea mille florenis redemère. Hinc rurſus magnus egentium, ære alieno oppreſſorũ,& facinoroſorũ ho- minũ concurſus ad Vuladislaum factus eſt.Inter alios etiam Vlricus Bod- cæ Drenij, qui ſuperiori tempore inopem Vuladislaum facultatibus ſuis ſuſtentauerat, filius,impiger iuuenis cum aliquanta peditum equitumq; ma nu in auxilium eis ueniens,Racianzum arcem epiſcopi ex itinere capere ni- xus eſt:ſed repulſus ab ijs qui in arce erant, Gneuucouiam oppugnauit: & fauentibus atq; adiuuantibus oppidanis,arcem incendit,prẹfectumq; arcis Gerardũ Sloneuiũ uiuũ in poteſtatẽ ſuã redegit: quem Sendiuoius poſtea magno redemit. Infeſtabat aũt Vuladislaus ex arce Zlotorienſi maiorẽ Po loniã latrocinijs uſq; adeò ut Sendiuoius ſolus cũ maioribus. Polonis repri- mere eũ nõ poſſet. Itaq; & laſcus Cmitha, gente Srenauius,præfectus Sira- diẽſis,cũ nobilitate Siradiẽſi,ad reſtinguendũ gliſcẽs incendiũ, pfectus eſt. Verũ eius currus, & impedimẽta cũ alia uia ſubſequerent,à Vuladislao in tercepta ſunt. Iaſcus tñ nihilo ſegnius cũ Bartholomæo Veiſemburgio præ fecto Breſtẽſi cõiunctis copijs, Vuladislao ad uexãdos Inouuladislauienſes numeroſã magis q̃ bellicoſã multitudinẽ ducẽti,apud Gneuucouiã occurrit, cõfertoq; prẹlio facilè eũ fudit fugauitq;. Nactus aũt nauiculã Vuladislaus fugiens, Viſtulam traiecit, & in Zlotorienſem arcẽ ſe recepit. Et quamuis Sẽdiuoius prẹſidiũ militũ in munitione Iaroslai Sluzeuij ad arcẽdas excur-

ſiones

Vuladislaus dux res nouas molitur in Polonia.

Sarleium arx.

Subinius præfectus obſtat conatibus Vuladislai ducis.

Vuladislai noui conatus.

Scripinius per ebrietatem Zlotoriam amiſit.

Gneuucouia incenſa.

Iaſcus Cmitha.

Vuladislaus dux uictus.

siones eius collocasset, agebat ille tamen nihilo minus prædas ex uicinia. Quare maiore ui Sendiuoius contra eum bellum gerere instituit, maiorib. Polonis cunctis, & Cuiauñs sumere arma iussis, accitoq; etiam in auxilium Cazimiro Scecinensiũ duce. Ab his copñs Vuladislaus in arce Zlotoriensi oppugnatus ac circũsessus aliquandiu, non modò sustinuit obsidionẽ, uerumetiã non leuibus incõmodis ac detrimẽtis obsidentes se afficiebat. Nocturno enim tẽpore, expeditos milites ex arce nauigñs emittebat, q̃ preteruecti silẽtio castra obsidentiũ, non modò eos qui lõgius è castris egressi erãt excipiebãt, uerumetiã extrema statiua infestabãt: quin machinis etiam quibusdã artificiosis oppugnationi intentos ex arce cõuulnerabãt, & summouebant. earũ uerò machinarũ opifices & administri erãt duo molitores, quorum alter Zlotoriã Vuladislao ꝓdiderat, alter, cui nomen Hanco, Brestensis moletrinę hęres, captus superiori tempore à Vuladislao. Cum aũt hic ipse Hanco exitũ illius belli & obsidionis, quam diu sustineri nõ posse propter cõmeatus penuriã uidebat, secũ reputaret, metuens ne fraudi sibi esset hostes patrię iuuisse, cõsiliũ cępit prodẽdę arcis. sed re cõiecturis quibusdã deprehẽsa, subiectus quæstionib. rationẽ et ordinẽ omnẽ meditatę proditionis aperuit. Quib. rebus exploratis, emisit Vuladislaus Hanconis generũ ad hostes cũ mandatis Hanconis de proditione. Lętus ea re Sendiuoius, cũ gloriã captę arcis et cõfecti belli solus obtinere cuperet, Cazimirũ quidẽ ducem cęterosq; proceres cõsiliũ suũ celauit: ipse uerò intempesta nocte, quemadmodũ cõstitutũ erat, cũ expedita suorũ manu, sine ullo strepitu, ad arcem accessit: patefactaq; porta cũ iam uigintisex milites immisissent, anteq; ipse cũ cęteris ingressus est, milites Vuladislai, qui hæc supernè clàm obseruabant, celeriter cratẽ portę impendentẽ deiecere: cuius pondere & clauis ꝓminentib. insignes duo milites Poloni, Fridericus Vedelius, te Vscensis dominus oppressi sunt. Nec mora, illustrata ignib. arce, uigintisex illi q̃ primi ingressi erant, saxis & iaculis undiq; cõiectis obruti sunt. Ita in insidias pręcipitatus Sendiuoius, tot fortib. uiris amissis, tristis atq; cõfusus in castra redijt. Illucescente uerò die fremens ob acceptã ignominiã, totis uirib. arcem oppugnauit usq; ad uesperã, nec tamẽ capere eam potuit. In ea oppugnatione Cazimirus Scecinensiũ dux saxo per cassidem ictus in capite, nõ diu postea uixit. Postero die cũ Vuladislaus de retinẽda arce desperasset, crematis palàm ante arcem molitore ac genero eius, itemq; ñs quorũ opera arcem intercepe rat, deditionẽ fecit: & ad regem in Vngariã missus, decẽ millia florenorũ ab eo pro Gnecouiensi territorio accepit. Ad hęc abbatia quadam luculenta in Vngaria donatus est. In qua aliquantisper cõmoratus, Diuionẽ redijt, ibiq; resumpto monachi habitu uitam finiuit. At illi qui eum ad res nouandas in Polonia adiuuerant, partim uoluntariũ sibi ipsi exiliũ indixere, partim carcere & bonorũ cõfiscatione dãnati, pœnas dedère. Aliquanto aliter Albertus Crantius hęc de Vuladislao duce, quẽ ipse Albũ uocat, ac toti Poloniæ uult prefuisse, cõmemorat. Sed quorsũ attinet omnes omniũ opiniones perseq;? Pertęsa Polonicorũ motuũ Elizabetha Ludouici regis mater, excesserat Polonia, & perãplos reditus in Dalmatia de Venetis dudũ recepta, à fi-

Hanco proditionem molitus.

Cazimirus Scecinensium Pomeranorum dux interfectus.

Vuladislai exitus.

Alb. Crantius.

Elizabetha in Poloniam redijt.

lio

lio acceperat. sed nõ ita multo pòst, pœnitẽtia ducta, indulgente eodẽ, in Poloniã redijt. Veniẽti cũ magno & splendido comitatu proceres Poloni Cracouienses & Sendomiriẽses apud Sandeciã gratulabũdi obuiã prodierunt. simulq; renunciarũt, compertũ se habere ab exploratorib. suis, Lituanos de inuadenda uastandaq; Polonia consilium iniuisse. At illa muliebri leuitate, quietos & securos eos esse iussit: filiũ em̃ suum tam longis grauibusq; manibus prędítũ esse, ut ad solũ nomẽ eius nõ modò Lituani, sed & cunctę in circuitu nationes cõtremiscãt. Nec mora, Lituani cũ ualida manu è Lituania & Russia coacta, ducib. Keistuto, Iagellone, Vitoudo, Lubarto, & Georgio, per cursо magnis & clandestinis itineribus, propter uastitatẽ, Lublinẽsi tractu, quicquid loci in Sendomiriẽsi tractu est inter Sanũ & Vistulã flumina, populabũdi & uastabundi magna celeritate peruagati sunt, ita ut permulti mortales de nobiliorib. quoq; & locupletiorib. uel in fuga, uel in domib. suis incauti à barbaris opprimerent. Itaq; permagna ea barbarorũ pręda fuit: quã integrã, nihil usq; hostile passi, abegere. Per idem tamẽ tempus ipsi quoq; à Cruciferis Prussiensib. domi suæ magno incõmodo affecti sunt, sex territorijs Samagitię una atq; altera excursione peruastatis. neq; tamẽ Elizabetha quicq; de lusib. & choreis atq; symphonia, quib. mulier octogenaria nimiũ indulgebat, clade illa mota, remisit, donec eam pręsentius aliud malũ percuteret. Vngari qui cũ regina uenerãt, domestica cõsuetudine fœnũ atq; auenã, cum Cracouiã siue ad mercatũ, siue ad priuatũ cuiusq; usum importaret, passim diripiebant. Id Prędborius Brezius nobilis adolescens, ne ipse quoq; pateretur, familiã suam armatã ante domum suam, quę ad portam urbis Cazimirienſem siue Bochnenſem sita erat, obseruare iussit. ibi cum Vngari in fœnum quod aduehebat, impetũ facerẽt, Prędborij uerò ministri prohiberent, iurgiũ atq; prælium inter Vngaros & Polonos ortum est. Quod cum cõcursu utrinq; suis opem ferentiũ atrocius fieret, missus à regina Iascus Cmitha prębectus Cracouiensis ad sedandũ tumultum, sagitta Vngarica in turba in collum percussus, ex equo defluxit, & expirauit. Ibi necessarij & familiares eius furentes, facto undiq; cõcursu in Vngaros coorti, magnam cædem fecere: nõ eorũ tantũ qui se in tumultu illo obtulerãt, sed eorum quoq; qui in hospitijs ac diuersorijs inuenti sunt. Centum sexaginta Vngari eo die trucidati ferunt. Atq; ij modò salui fuerũt qui in arcem effugere potuere. Triduo dein de arx clausa, & ab armatis obsessa fuit. Annus quo hæc acta sunt, fuit post Christum natum 1376. Paruo aũt interiecto tempore, Elizabetha mœsta in Vngariã reuersa est, Petro Cmitha Iasci filio in solatiũ necis paternę prębecto Lencicienſib. dato. Per hoc tempus Gregorius pontifex eius nominis undecimus cum cathedrã & curiam pontificiã post septuagesimũ annum Auinione Romã retulisset, accepissetq; Turcas Amurathe primo duce, traiecto nauibus Genuensiũ Hellesponto, plurimas Grecorũ & Constantinopolitani Imperatoris, à quo cõtra rebelles principes in auxiliũ ex Asia prius euocati erant, urbes cępisse, magnaq; strage Bulgaros, Serbos & Albanos profligasse, Italię metuens, undiq; subsidia corrogabat. Itaq; & in Poloniã ea de re legatum misit Nicolaũ Maioricensem episcopũ, qui coacta Vneouię synodo

Muliebris stultitia.

Lituanorum excursio in Polomã.

Samagitia uastata à Cruciferis.

Elizabetha musicis & choreis dedita.

Vngarorũ uiolentia & rapinæ.

Prædborius Brezius.

Iascus Cmitha interfectus ab Vngaris.

Vngarorũ cædes Cracouiæ.

1376 ann.

Petrus Cmitha præfectus Lenciciæ.

Pontifex Auinione Romã migrauit.

Turcæ Græciam inuaserunt.

Legatus pontificius in Poloniam.

Synodus Vneouiæ.

T episco-

Contributio. Vuratislauiensis episcopæ uacatio.

epiſcoporũ,uix illud impetrauit,ut bini groſſi de unius marcę,puẽtu cõferen tur.Quoniã aũt epiſcopus Vuratislauiẽſis Prędislaus Pogoreliuspaulo an tè uita exceſſerat,relicta magna pecunia,pręter cõtributionẽ redegit legatus ex illahęreditate triginta millia aureorũ:et inſuper octo millia annua pactus eſt põtifici,donec aliquis Prędislao ſucceſſor dareť.cuius appbationẽ ob id pontifex in ſeptimũ annũ diſtulit. Sequenti anno Ludouicus nouos prę fectos in Polonia de ſentẽtia matris inſtituit.In maiore quidẽ Polonia Doma

Præfecti Poloniæ.

ratũ Pirſchniciũ,trãslatoCracouiã Sendiuoio Subino.In Cuiauia uerò amo tis Bartholomęo Veiſemburgio,&Bartholomęo Socolouio,Petraſſiũ Ma lochã:propterea ꝙ hic ꝙdẽ pluris ꝙ illi prędecturę illius fructus redimeret, Domaratus uerò multis Vngaris in cędeſuprà memorata ſaluti fuiſſet.Quo niam aũt Ludouicus excurſionib.Lituanorũ in Poloniã,& Belzenſiũ ducis defectione motus,bellũ contra eos parabat,datis Domarato ex Vngaria re uertenti mandatis ad epiſcopos & uniuerſum ordinẽ eccleſiaſticũ totius Po

Subſidium ab eccleſiaſtico ordine regi negatum.

lonię,ſubſidiũ ab eis et ab eorũ agricolis ad piũ bellũ cõtra barbaros hoſtes petiuit. Negatũ eſt, ueritis epiſcopis ne munificẽtia illa ſua in morẽ, & mox

Ruſsicum bellũ.

inde in legem abiret. Nihilo tamen minus proſequi inſtitutũ bellũ perrexit Ludouicus:indictaꝙ toti Polonię expeditione,et omnib.ad Sẽdomiriã cõ uenire iuſſis,ipſe cũ nõ contemnẽda Vngarorũ manu tranſmiſſis Sarmaticis

Sanocum.

montibus,per Sanocũ rectà Sendomiriã profectus eſt.Ibi conuentu habito, recenſitiſꝙ copijs,cũ abũdaret uirib.& multitudine, partẽ exercitus in qua erant Cracouiẽſes & Sendomiriẽſes cũ Sendiuoio ad recipiendã Chelmam miſit:ipſe cum reliquo ad Belzũ caſtra mouit. Ac Sendiuoius quidem intra

Chelma recepta.

octauũ diem Chelma potitus,Grabouecią quoꝙ & Grodlũ & Seuoloſſum

Grabouecia. Grodlum. Seuoloſſum.

munitiones cępit:deinde ad regem,Belzũ adhuc obſidentẽ,reuertit. erat enĩ arx ea natura loci permunita.Itaꝙ fame rex prędidiarios ad deditionẽ com

Belzum.

pellere decreuerat. Venit interim in caſtra regis Keiſtutus duxLituanorum,

Georgius dux Ruſſorum regi ſe ſe & Belzũ dedidit.

ex hoſte pacificator factus,& his legibus pacẽ impetrauit,ut Georgius dux ſeſe Belzumꝙ regi redderet,ac Lituani captiuos omnes Polonos redderẽt. Quę cũ impleta eſſent,Ludouicus Georgij blanditijs & pollicitationib.deli

Ludouici facilitas.

nitus,nõ modò Belzũ ei reddidit, ſed etiã Lubaſſouiã,& cẽtũ marcas ãnuas in ſtipendiũ è ſalinis Bochnenſib.adiecit,acctpto ab eo iureiurãdo,ꝙin fide atꝙ clientela Polonorũ ſemper futurus eſſet.Fortaſſis aũt & illud adiumen

Iurgium inter Polonos & Vngaros.

to fuit Georgio atꝙ Lituanis, ꝙ orto inter Vngaros & Polonos iurgio,ac Petro Safranecio nobili Polono in faciem ab Vngaro quopiã uulnerato,ad ſeditionẽ & cędem mutuã res ſpectare cœperat. Itaꝙ Petri quidẽ dolorem

Peſcoua ſcala Petro Safranecio donata.

rex donato ei territorio cũ arce Peſcoua ſcala, mitigauit:exercitũ uerò, ne ꝙd maius malum iritatis utrinꝙanimis excitareť,ſtatim dimiſit.Septem uexilla

Topororũ uires.

tunc habuiſſe ſola Topororũ familia fertur.Bis poſteà rurſus Ruſſiã à Litua

Epiſcopæ in Ruſſia conditæ,Præmislienſis, Vuladimirienſis, quæ nunc fortè Chelmenſis eſt.

no duce uexatã eſſe,biſꝙ eiectis barbaris à rege pacatã,Bonfinius memorat. Cũ aũt ipſi uber & fertile ſolũ Ruſſię placuiſſet, & frequẽtari eam à catholi cæ fidei cultorib.animaduerteret,miſſa Auinionem ad Gregoriũ eius nomi nis undecimũ pontificẽ max.legatione,effecit ut duæ ibi cathedrę epiſcopa les,nimirũ Pręmislię & Vuladimiriæ,Haliciæ uerò archiepiſcopalis inſti

tuere

tuereť. Ita qui quidē Dlugoſſus ſcribit. Sed ſi prius metropolis Leopoli cō ſtituta fuit, quemadmodū nos ſuperius ex eiuſdē Dlugoſſi ſententia ꝓdidimus, epiſcopalē Halicię cōſtitutā eſſe oportet. Vna em̄ archiepiſcopalis eſt in Ruſſia, & ea quidē Leopoli. Ego initio Leopoli epiſcopalem cathedrā regnante Cazimiro inſtitutam fuiſſe dixerim. Neꝙ enim Archiepiſcopus uſquam inſtituiť qui nullum in ditione ſeu prouincia ſua epiſcopū habeat, ſicut tunc in Ruſſia nullus fuit: ſed cū Ludouici opera plures epiſcopi fierent, metropolim Halicię conſtitutā eſſe, quæ poſtea Leopolim translata ſit, epiſcopatu Camenecią translato. Cæterū quoniā propenſiore erat animo Ludouicus in Vngaros, q̄ in Polonos, Vngaris adiungere Ruſſiā inſtituit, Polonis à quibus ſubacta fuerat, ademptā. Obtinebat in ea nonnullas prę fecturas & ampla territoria Vuladislaus dux Oppolienſiū Ludouici beneficentia iure hęreditario donata, ita ut iam dux Ruſſorū uulgò appellareť, & ipſe hunc titulū uſurparet. Quo facilius igiť Ludouicus id quod cogitabat perficeret, dedit Vuladislao Dobrinenſem ditionē atꝙ Bydgoſtienſem, quę antiquitus Viſſegradenſis uocata fuit, excepta Valcia & Slochouia territorijs, quę nuper Cazimiri Scecinenſiū ducis morte ex pacto receperat: item atꝙ Inowladislauią, Gneuucouią, Zlotoriā et Sarleium, quę à Vuladislao albo duce, quemadmodū dudum memorauimus, redemerat. Et ea quidem lege hæc ei dedit, ut ſacramento adactus, in clientela, quod feudū uulgo uocāt, regum Polonorū ſemper eſſet, & ad ſolos maſculos hęredes ea tranſmitteret. Ruſſicas aūt præfecturas ab eo recepit, & Vngaris eas attribuit. Recenſet aūt Bonfinius Emericū Agrienſem epiſcopū, Georgiū Zudarem cum fratribus, deinde Emericū Bebecum, & Ioannem Zapolęum, qui Ruſſiam Ludouici nomine cum imperio obtinuerint. Suſpecta & moleſta ea res de Ruſſia Polonis fuit: ſed muſſanť ferè principū et potentiū iniuriæ. Nec ſanè tunc in promptu erat, quid ea re facerent abſente rege, aut quomodo uoluntati eius refragarenť. Quin alia magis pręſentia mala eos à ſenſu illius, quod in diem differebat, auertebant. Increbuerant latrocinia: creuerat audacia perditorū et improborū hominum. Debilior prædę erat potentiori: uis, nō ius ualebat: iudicia uel ſilebāt penitus, uel potentiorū iniurię cōtra tenuiores ſuffragabanť, ꝓpterea ꝙ nemo unus uindex legū, ſcelerū q̄ ultor erat, quē cęteri omnes reuererenť. Hęc publica quidē mala, ſed cū plurimorū priuato dolore coniuncta, tolerabilius illud uideri faciebant, quod ad neminem priuatim pertinebat. Itaꝙ de præfecturis Ruſſię patienter tunc latum: de domeſticis uerò incōmodis crebris literis atꝙ nuncijs, et querimonijs multorū cum rege actū. Quib. ille cōmotus, cū ipſe nō ueniret in Poloniā, ꝙ negaret aurā Polonicā ſe ferre poſſe, Vuladislaū Oppolienſem pro ſe gubernatorē et uicariū miſit, Et erat quidē id nō ingratū plebi ac tenuiorib. Cęterū nobilitas cū, ꝓceribus duobus conuentib. altero Viſlicię, altero uerò Gneſnę actis, negarunt ſe homini externo, quē ipſi ſibi principē nō cōſtituiſſēt, parituros eſſe, ꝓpterea ꝙ id cōtra leges & inſtituta maiorū ſuorū eſſet. Atꝙ cū his mādatis legati de primorib. è comitijs ad regē miſſi, facilè effecerunt ut is Vuladislaū reuocaret. Verebať em̄, ne Poloni ea offenſa ad res nouas incitarenť. Interim aūt dū

Halicienſis archiepiſcopa Leopolim translata.

Camenecenſis epiſcopa.

Ruſsiam Ludouicus Vngaris attribuit.

Vuladislaus dux Ruſsiæ.

Dobrinenſis & Bydgoſtienſis tractus Vuladislao ꝓ Ruſsia datus.

Bydgoſtienſis Viſſegradenſis olim.

Gneŵcouia.

Poloniæ mala ob abſentiam regis.

Vuladislaus dux gubernator Poloniæ.

Conuentus Viſlicię & Gneſnæ.

Poloni non parē externo.

Legatio Polonorum ad regem.

hęc ita fiunt,uectigal,quod raſtrale ſuperius appellauimus,& quod ad duos groſſos à Ludouico redactũ eſſe diximus, dimidiũ eius q̃d antiquitùs pendebatur,iuſſu regis ab eccleſiaſticorũ agrorũ cultorib. exigi cœptum eſt,hoc eſt ſeni groſſi,& ſinguli modĳ ſiliginis & auenę in iugera, negantib. exactorib. regĳs,gratiã illã q̃ nobilitati facta ſit,etiã eccleſĳs & ſacro ordini factã eſſe. Debere aũt eccleſiaſticos homines ęq̃ bonię facere, q̃ dimidiũ ferè eius uectigalis ſibi ſuisq; agriculis remittat. Quod ſi recuſẽt,integrũ ſe ueteri more exacturos: ita em̃ ſe à rege in mandatis habere. Quocirca Ioannes archiepiſcopus Gneſnenſis ſynodum Caliſſiã cõuocauit,unde legati in Vngariam miſſi Florianus epiſcopus Cracouienſis,ac Dobrogoſtius decanus impetrarunt,ut eodem iure,quod ad illud uectigal attinet,cum nobilitatis bonis ecclesiarum bona cenſerent. Hæc uſq; ad annum Chriſti 1378. octo annis regnante Ludouico in Polonia acta ſunt, eo ferè ordine quo hic à nobis conſcripta ſunt. Per quod tempus Lituani & Cruciferi mutuis ſe excurſionibus & cladib. uehementer afflixerũt: & Carolus Imperator extremo anni tẽpore uitam cum morte cõmutauit, cum aliquãto ante Venceslaum filium natu maiorem adoleſcentulũ,regem Boemis deſignaſſet,ac deinde,redemptis magno principib. electoribus,Cęſarem feciſſet. Hoc eodem aũt anno & ſequentibus aliquot nõ uſquequaq; tranquillę res fuerũt in maiore Polonia. Quanquam publico conſilio nullũ bellum geſtũ eſt: ſed priuatis conſilĳs & latrocinĳs propemodũ cùm à Polonis finitimi populi, tum ab illis Poloni infeſtati,& uis ui ultrò citroq; ,ppulſata eſt. Primùm em̃ Borcouĳ Pomerani hominis equeſtris ordinis, Valcienſes oppidanos ita uexarũt,ut cũ oppidũ id ſortuito incendio conflagraſſet, aliò ciues cõmigrare populariter uoluerint, ni Domaratus pręfectus maioris Polonię cum expedita ſuorũ manu ingreſſus in Pomeraniã Borcouios,peruaſtatis eorũ prędĳs,uicis atq; pagis,coercuiſſet. Deinde Sendiuoius Virius,Caſtellanus Bninẽſis, gente Nalẽcius ditionẽ Suatobori Scecinenſiũ ducis,qui Cazimiro fratri germano (ex alia tamẽ matre) defuncto ſucceſſerat,igni ferroq; depopulatus eſt,adiutus ope Ioãnis Zarnicouĳ,iudicis Poſnaniẽſis fratris filĳ. Cauſa uerò hoſtilitatis denũciatę hęc fuit,q̃ Sẽdiuoius Cazimiro duci cum Ottone Brãdeburgenſi Marchione bellũ gerẽti aliquãdiu cũ numeroſa cohorte militauerat,nec ei Suatoborus Cazimiri hęres merita ſtipẽdia perſoluebat. Suatoborus uerò uaſtatione agrorũ ſuorũ cõmotus,coacto de ſuis iuſto exercitu,accitisq; Stargardenſiũ & aliarũ maritimarũ ciuitatũ auxilĳs equeſtrib. & pedeſtrib. Polonię fines ingreſſus ad arcẽ Zlopẽſem,quæ erat Ioãnis Zarnicouĳ, caſtra metatus eſt. Poſtero die nõ ita multo poſt ortũ ſolis,arcẽ ui capere adortus,uſq; ad ueſperũ caſſo labore ſuos defatigauit, niſi q̃ nõ paucos fortes uiros aridas foſſas ſub teſtudine trãſgreſſos, & alĳs ac ſecurib. munitionẽ perfringere conatos,ſaxis teliſq; ſupernè obrutos,amiſit. Inducię deinde in poſterũ diẽ factæ interueniẽte Suliſſio Vedelio,ſepeliendorũ interfectorũ cauſa. Quib. ſepultis Suatoborus pridiana clade deiectior ab obſidione diſceſſit, bipartitoq; agmine circũiacentes pagos exuſſit. nec multo pòſt pacẽ cũ Sendiuoio fecit, cum ei debitorũ ſtipendiorũ pariter ac damnorũ nomine ſatisfeciſſet. Nec tamẽ diu frui optata pace Suatoborus potuit, Etem̃ anno ſequẽti, q̃ fuit 1380

Synodus Caliſsiæ. Raſtralis uectigalis moderatio ex agris eccleſiaſticis.

1378 ann. Cruciferorũ cum Lituanis bellum. Carolus Imperator obijt. Venceslaus Cæſar & rex Boemorum.

Borcouiorum latrocinium.

Sẽdiuoius Virius Pomeraniam infeſtat.

Zlopũ oppugnatum.

1380 ann.

Ioannes

Ioannes Vedelius, cum à Ioanne Zarnicouio arcem ac territoriũ Zlopense hypothecæ nomine utendumfruendum accepisset, facta de assectis suis ac de Zlopensibus Tusnensibusq; aliquanta pedestri equestriq; manu, in Scecinẽ siũ fines excursionem fecit, ratus impunè id facinus sibi fore, propterea q; sciebat Suatoborũ alio bello cum Brandeburgensibus & alijs Pomeranis gerẽdo distineri. Sed eum spes fefellit. Reuertentẽ em̃ cum luculenta præda è Piricensi ora abacta Suatoborus cum expeditis copijs in finib. Polonię cõsecutus est. Et poterat quidẽ Vedelius cum suis in arcẽ Zlopensem propinquã euadere, sed cũ prædã partã nollet amittere, nihil motus paucitate suorũ, qui rusticani ferè & oppidani erãt, manus cũ longe ualidiori hoste cõseruit, pœnasq; temeritatis dedit. Cecidere in eo prelio de Polonis quadringenti quinquaginta, centũ in propinq; lacu submersi periere. Nec tamen Pomeranis incruenta cessit uictoria. Per hoc tempus, q̃d certè silentio prætereundũ nõ est, machinã æneã, quã à sono terribili bõbardã uocant, certissimo uitæ & uirtutis humanę exitio, Germanus homo apud Venetos excogitauit. Insequẽs annus Elizabethæ senioris reginæ, matris Ludouici regis, & Zemouiti Masouiorũ ducis morte insignis est. Ac Zemouitus quidem moriens, duos filios, Ioannem & Zemouitũ è priore uxore Nicolai Opauiensiũ ducis filia susceptos hæredes reliquit, ita ut Ioanni Varsauiensis, Zemouito Plocensis ditio cederet. Ex altero aũt matrimonio Zambicensiũ ducis filiæ Henricum filiũ & duas filias susceperat. Atq; ex his alterã Vuladislao Oppoliensi, alterã uerò Casimiro Scecinensi, ac deinde uiduã Henrico Bregẽsi Ludouici filio in matrimoniũ collocarat. Henricũ uerò sacris initiatũ, Plocẽsem & Lẽcicien̄sẽ prępositũ fecerat. Et Lencicien̄sem quidẽ nõ sine ui & iniuria Pelcæ Garbouij, cui id sacerdotiũ Archiepiscopus Gnesnensis cõtulerat. Nam & possessiones eius sacerdotij manu armata inuasit, & Louiciã cũ exercitu obsedit, nec prius soluit obsidionẽ, donec Pelca Henrico ius suũ concessit. Porrò matrẽ huius Hẽrici Zemouitus, cũ in eã deperiret, per satellites iugulauit, q; adulterij insimularet. Sed cũ postea facti uehementer pœnituit, cũ nihil certi de crimine eius cõperisset, liberosq; ex ea susceptos persimiles sibi esse cognouisset. Fuit aũt Zemouitus hic liberalis, ne dicam, pdigus, eoq; grauior suis, dum crebris exactionib. exhaustũ, pfuso sumptu ęrarium replere cogit. Multa ab ineunte ętate ecclesijs largitus, prouectior factus, eas uexauit & afflixit. Atq; ob id diris nõ semel deuotus & anathemate perculsus. Cæterùm Ludouicus rex matre defuncta, cũ assiduis & grauib. Polonorum querelis fatigaret, ut reipub. Polonæ constituendę, iudiciorũq; aliquã rationẽ iniret, Budã eis comitia indixit ad mediũ quadragesimæ. Erat res noua, multaq; se cũ ferebat incõmoda, ac etiã periculo procerib. atq; nobilitati, & uniuersæ reipub. ad exteras oras per tanta locorũ interualla euocari, frequentes tamen pceres eò, pfecti sunt, frequẽtiores multo ex alijs ordinib. q̃s priuatę iniurię factaq; spes iudicij regij excitarat. Multa ibi uariaq; de administratione reipub. absẽte rege, ac de sũma iudiciorũ iactata. Ad extremũ de sentẽtia regis paucis appbantib. summa rerũ Polonicarũ iudiciorũq; trib. nẽpe Zauissæ Curosuãcio, gẽte Roseo, episcopo Cracouiẽsi, qui nõ ita pridẽ Floriano mortuo

Vedelius infestat Pomeraniam.

Poloni à Pomeranis uicti.

Bombarda inuenta.

Elizabethæ senioris reginæ mors.

Zemouiti Masouij ducis mors & liberi.

Henricus præpositus Plocensis & Lencicien̄sis.

Zemouitus uxorẽ occidit.

Zemouiti mores.

Polonorum comitia Budæ.

Triumuiri in Polonia.

Zauissa episcopus Cracouiẽsis.

tuo successerat, et Dobeslao Castellano Cracouiensi Zauissæ fratri germano & Sendiuoio Subinio palatino Calissiensi & prefecto Cracouiensi mãdata. Iudicia uerò nulla ibi exercuit Ludouicus, uerùm omnia ad uicarios illos suos, siue triumuiros (nihil em̃ uetat eos et hoc nomine appellare) reiecit. Ad hęc aũt fecit potestatem Zauissæ episcopo, omniũ magistratuũ & honorum quicunq; uacaturi essent, exceptis Castellania & palatinatu Cracouiensi, in Polonia conferendorũ. Ita cõuentus ille solutus est, & calamitosi homines spe iuris sui obtinendi frustrati, mœsti domos reuertère. Porrò triumuiri illi propositis de iure dicendo edictis, cum obire Poloniã à Cuiauia & maiore Polonia orsi cœpissent, noua, sed tamen falsa spe rursus animos hominum erexerunt. Et audierunt ij quidem in compluribus oppidis magno hominũ concursu querimonias multorum: sed nusquam ius dixerunt, omnibus Calissiã se sequi iussis, quòd eò Zauissam episcopum, sine quo iudicare nolebant, uenturum esse sperabant. Nam is profectus nõ erat cum cæteris, sed magistrum Ioannem Nassichouicium Archidiaconum Cracouiensem, & cancellarium suum pro se miserat. Hoc aũt responso accepto, omnis illa querentium multitudo maledictis incessens regem atq; triumuiros, dilapsa est. Vexata sunt eo anno in Polonia nonnullis in locis bona ecclesiastica. Nam Vuladislaus quidem dux Oppoliensium uetuit in Dobrinensi tractu decimas dari Plocensi episcopo. Insuper de agricolis eiusdẽ episcopi, quaternos & uicenos grossos in iugera seu laneos exegit. Sed anathemate perculsus à Dobeslao episcopo, interueniente Ioanne Archiepiscopo Gnesnẽsi, & Sbiluto episcopo Vuladislauiensi, in arce Zlotoriensi cum eo in gratiam redijt, ac de omnib. iniurijs satisfecit. In maiore uerò Polonia, cum Domaratus prefectus eius oræ, iussu regio expeditionem contra Bartholomæum Choteliũ sine Cosminium, uiciniam omnem latrocinijs ex Odalanouia arce sua infestantem, fecisset, crudeliter admodum uulgus equitũ in bona Gnesnensis & Lubussensis ecclesiarũ debacchatum est: Bartholomæo uerò petenti pax data his conditionibus, ut regi arcem territoriumq; omne traderet: æstimationem uerò eius, hoc est, decem et octo millia florenorum acciperet: deducta tamen inde ea pecunia, quę Gallis mercatorib. quorũ merces Bartholomæus diripuerat, numerari debuit. Nec multo pòst, Vneouia arx Archiepiscopi Gnesnensis, à Bernardo Garbouio intercepta est. Pręerat ei arci Pelca Bernardi frater prępositus Curelouiensis, qui inuitatus ad conuiuiũ à Petrassio Malocha prefecto Lenciciẽsi & Cuiauiensi, rixa de uenationib. quibusdã cũ Nicolao Castellano Lenciciensi excitata, ab eo interfectus est. Sed ne Castellanus q̃dem fugiens, manus ministrorũ Pelcę euasit. Cognita ergo cæde fratris Bernardus, arcẽ occupauit: et q̃ paratior esset ad sustinẽdã uim et obsidionẽ, si qua alicũde afferret, pecudes permultas mactatas in arcẽ importauit, hominũ quãtũ potuit in societatẽ adsciuit, et cũ his thesaurũ Archiepiscopi diripuit. Nec prius arcẽ Archiepiscopo reddidit, q̃ impunitatẽ facti simul ac direpti thesauri, Domarato prefecto maioris Polonię, Petrassio Malocha et q̃busdã alijs ꝓcerib. interueniẽtib. pactus est. Receptã arcẽ archiepiscopus Petro et Nicolao fratrib. tenẽdã et administrãdã cõmisit. Insequẽtẽ annũ 1382. aliq̃t primorũ episcoporꝝ, et regis mors,

Potestas conferẽdi honores & magistratus episcopo data.

Plocensis episcopæ iniuria.

Bartholomæi Chotelij latrocinium.

Odalanouia regi quæsita.

Vneouia intercepta & reddita.

Pelca præpositus Curelouiensis occisus.

1382 ann.

mors, subsecutiq; motus nobilem faciunt. Primùm enim pridie Idus Ianuarij Zauissa episcopus Cracouiensis in prędio suo Dobrouoda, seu repenti no & uehemẽti morbo, seu de scala lapsus, cum aceruũ fortè ad cõstuprandã rusticanã puellã ascenderet (uariat em̃ fama) extinctus est. Cuius funus cum põpa militari à Dobeslao patre, & Creslao fratre Castellano Sendomirienſi elatũ esset, ferunt noctu in basilica Cracouiẽſi, ubi sepultus est, exauditos esse strepitus & hinnitus eq̃rũ discursantiũ, dęmonũq; uoces uociferantiũ: Proficiscamur meretricatũ. Et mirũ est, sed multorũ sermonib. celebratũ, hoc ita ferè usu uenire in hac basilica, nõ modò post funera nõnullorũ clarorũ hominũ, ut aliqua terriculamenta existant, uerùm etiã ut principũ, episcoporũ, atq; etiã prędatorũ, ut ita dicã, & canonicorũ propinquę mortes signis quibusdã prænuncient. Instituit aũt hic episcopus in basilica Cracouiẽſi collegiũ q̃ddã sacerdotũ, quos mansionarios uulgò uocant: alioq; profanis negocijs, & uoluptatibus magis, quàm diuinis rebus addictus. Præfuit Cracouiensi ecclesiæ annis duobus & dimidio. Successit aũt ei Ioannes Radlicius, regius medicus & cãcellarius Poloniæ, Ludouici regis fauore adiutus. Zauissam post alterũ mensem Nicolaus Curnicius Posnanienſis episcopus secutus est. carcinoma te morbo in genitalibus membris biennio, ac deinde febre quartana et gutturis atq; linguę exulceratione tanta, ut usum sermonis amitteret, afflictus et extinctus: homo garrulus, cõtentiosus, & amãs litiũ. Et intra paucos dies Ioannes q̃q; archiepiscopus Gnesnensis decessit: uir dexteritate ingenij prudẽtia atq; cõmendatior uulgo dũ priuatus uixit, q̃ in magistratu præcipiti iracũdia, in ecclesiasticos homines dictis ac factis cõtumelioſus, nec satis acer defensor & uindex suorũ. In agnatos plus æquo propensus. Diripuerunt aũt ij supellectilẽ omnẽ & facultates defuncti. Quin & bona Archiepiscopalia uexauerunt, & Vneouiã uix tandẽ successori eius Bozentę, gente Seligio reddidere. Porrò Zemouitus Plocensiũ dux cum Archiepiscopũ defunctũ esse uita accepisset, facta manu pagos archiepiscopales populatus est, Louiciamq; obsedit. Legato autem Gneinensis collegij Andreæ Ceretensi episcopo, qui uicarius siue à suffragijs erat Archiepiscopo, causas belli sciscitanti, respõdit, ad se pertinere, ut bona Archiepiscopi, quæ à maioribus suis profecta essent, obtineret dum cathedra illa uacat. Neq; tamen id se postulaturũ fuisse, si Louiciam canonicus quispiam, ac non inimicus suus Derslaus Iuenius Castellanus Gnesnensis teneret. Quo responso accepto, maturauit collegium noui Archiepiscopi electionẽ. Electus est autem Dobrogostius Nouiduorius iurecõsultus, Cantor Gnesnẽsis, ac decanus Cracouiensis, gẽte Nalencius. quo postulante soluit Zemouitus obsidionem. Sed tñ Archiepiscopã Dobrogostius tũc adeptus nõ est, aduersãte ipsi Ludouico rege, q̃ eũ Zemouito, ut sibi in regno Poloniæ succederet, fauere Domarati prefecti delatione accepisset. Cumaũt Dobrogostius pręter sententiã regis Romã ad põtificẽ max. unà cũ Nicolao Posnaniẽsi episcopo designato, pfectus esset, Taruisij uterq; à Venetis, à Ludouico subornatis, captus est ac detẽtus aliquãdiu. Bozẽta uerò Seligius, q̃ regius, pcurator Cracouię fuerat, ab Vrbano sexto põtifice max. q̃ Gregorio succesſit, Archiepiscopus renunciatus est. Posnanienſis uerò episcopus Ioannes

Zauissæ episcopi mors pudenda.

Cracouiensis basilicæ prærogatiua.

Ioannes Radlicius medicus episcopus Cracouiensis. Garruli & contẽtiosi episcopi supplicium.

Ioannis archiepiscopi mors & mores.

Archiepiscopi bona direpta.

Bozenta archiepiscopus.

Dobrogostio electo Archiepiscopo, rex obstitit.

Bozenta archiepiscopus.

Ioannes cognomento Cropidlo, Boleslai Oppolienſiũ ducis Vuladislai fratris filius, adoleſcens admodum factus eſt. In utroq; perperã Vrbanus Ludouico regi petenti gratificatus eſt, ut in ſchiſmate, quo tũc eccleſia Romana differebat, fauorẽ eius ſibi adiũgeret, ſiue adeò retineret, & bene merenti gratiam referret. Miſerat emm Ludouicus eo poſtulante Carolũ fratris filiũ cum exercitu in Italiã, ut Ioannam reginam Neapolitanam, cuius ſtudio æmulus Vrbano à Gallis Cardinalibus excitatus erat, Clemens ſeptimus, ulciſceret. Per idem tempus Ludouicus rex cum languere ſe ac ſenſim uiribus deſtitui ſentiret, ut uiuens adhuc res filiarum ſtabiliret, indixit Polonis comitia ſub finem Iulij Zuolenum ſiue Zolium, quod oppidũ eſt in Scepuſio. Quò cum frequens ſenatus cõueniſſet, ſucceſſores ſibi deſignat in regno Polonorũ Mariam filiam natu maiorem cum Sigiſmundo ſponſo eius, Marchione Brãdeburgenſi, Caroli Imperatoris & regis Boemorum, ex Elizabetha nepte Cazimiri regis filio, quartũdecimũ annũ tunc agente. In quorum uerba proceres Poloni iuſſu Ludouici ſtatim iurarunt. Eundem'ne aũt Sigiſmundum Vngaris & Polonis, an hunc quidem Polonis propter uicinitatẽ Marchię Brãdeburgenſis, Guilelmum uerò Auſtriorum ducem Leopoldi filium, cui minorem natu filiam Heduigim uxorem deſtinarat, Vngaris propter ſimilem cauſam atq; commoditatem regẽ dare uoluerit, nõ conſtat. Soluto conuentu Zolienſi, profectus eſt Sigiſmundus in Poloniam cum primoribus & non contemnenda Vngarorum manu, ad ſedandos inteſtinos motus, et adeundã uiuente adhuc ſocero poſſeſſionem. Veniens aũt in maiorem Poloniam, Coſminũ arcem & oppidũ, itemq; Nabyſſice & Coſmineciũ caſtella Bartholomæi Chotelij, cp is latrocinari non intermitteret, in poteſtatem ſuã redegit. Odalanouiã uerò circumſedit. Nam eã Bartholomæus poſt priorem obſidionem ex pacto non tradiderat. Deinde cum aliò feſtinaret Sigiſmundus, nouis pactis cum Bartholomęo initis, in Maſouiam contendit, ut Zemouitũ ducem detrectantem, per uim ſacramento adigeret. Nam Ioannes frater eius ultrò iam id fecerat. Itaq; uaſtare ditionem Zemouiti Sigiſmundus cœpit. Interim Ludouicus rex tertiadecima die Septembr. Tarnauiæ ſeu Tirnauię quo conuentũ Vngaris edixerat, uitã finiuit. Mortem eius cometes prænunciauit. Quo nuncio accepto Sigiſmundus omiſſo in præſens Zemouito, Poſnaniam ſe recepit, Ludouici uerò funus Albã regiã, ubi regum Vngarorum ferè ſepultura eſt, ſolenni pompa elatum eſt. Regnauit aũt Ludouicus apud Polonos quidẽ duodecim annis, apud Vngaros uerò uno & quadraginta: uixit ſex & quinquaginta. Statura fuit mediocri, prominentibus oculis atq; labris, capillo barbaq; criſpa, ſereno uultu, humeris parũ incuruis. Moribus uerò ita temperatis fuit, ut foris bella acriter & excelſo animo gereret, domi placabilitate & iuſticia pacem coleret: utrobiq; prudẽtia & animi moderatione ſingulari eſſet: in cõtumaces ſeuerus, in ſupplices clemens: maleficio iuxtà ac beneficio ſuperari ſe non patiebat: in doctos uiros fuit propenſior. Nã & ipſe ſtudia bonarũ literarũ atq; artium libenter coluit. Nec ferè quicquã inconſulta aſtrologia ſolitus erat auſpicari. Pietatis atq; religionis ita fuit obſeruans, ut nõ in poſtremis duceret, Iudæos & Cumanos falſorũ deorũ cultores

Schiſma in eccleſia.

Ludouicus rex Carolum fratris filium cum exercitu miſit in Italiã.

Polonorum comitia in Scepuſio.

Sigiſmundus rex Polonorum deſignatus.

Sigiſmundi aduẽtus in Poloniam.

Maſouia uaſtatur à Sigiſmundo.

Ludouicus rex mortuus.

Ludouici effigies & mores.

tores ad Christianã religionẽ adducere. Quod in Cumanis quidẽ assecutus est. Iudęis aũt cum neqꝫ minis, neqꝫ prẽmijs propositis persuadere posset, omnes pscripsit. Plebis nõ minorem q̃ nobilitatis curã gessit. Itaqꝫ nõnunqꝫ dissimulato habitu uicos & oppida perlustrauit, ut cognosceret quid de publicanis & exactoribus, iudicib. & magistratib. suis, ac de se denicꝫ uulgus hominũ assentandi nescium sentiret, multaqꝫ ex huiusmodi sermonibus in se suisqꝫ castigauit. Hic rex rebelles Vngaris Bulgaros, Bosnenses, Serbos, Croatas, Transalpinosqꝫ ad officiũ reduxit: Valachiã cũ Bogdano palatino in clientelã accepit: Dalmatiã Venetis eripuit. In Italia nonnulla bella gessit, quibus negocijs distentus, non potuit tantam, quantã res postulabat, curam rebus Polonicis intendere.

Ludouicus sermones hominum de se captauit.

Ludouici res gestæ.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER QVARTVSDECIMVS.

INTERREGNVM.

IVVLGATA morte Ludouici regis, Vngari, qui Russię pleraſqꝫ prẽfecturas, quemadmodũ suprà memorauimus, ab eo obtinebãt, Cremenecią, Olescum, Grodlũ, Lopatinũ, & Sniatynum arces cũ territorijs suis Lubarto Lucensiũ duci, magna ui auri & argẽti ab eo accepta, pdidere. Atqꝫ ex eo ferè tẽpore Lituani Volynensem orã sibi usurpare cœperunt. Nec tñ eã pditionẽ impunètulere Vngari. Etẽm à regina Vngarorũ Elizabetha sempiterna infamia notati, bonisqꝫ multati, & partim capitali pœna, partim tetro carcere dãnati sunt. At in Polonia, cũ Sigismundus Marchio rex iã esset designatus, nõ magna re magna facta est uoluntatũ cõmutatio. Postularũt ab eo, pceres cũ frequenti nobilitate, ut Domaratũ à prę fectura maioris Polonię amoueret. Quod cũ negasset Sigismundus, omnis illa multitudo quę ad eũ cõfluxerat, domos dilapsa est. Profectus aũt Posnania Gnesnã uenit: acceptusqꝫ à Bozenta nouo archiepiscopo honorificè, solẽnes ibi exeqas Ludouico regi peregit. Inde in Cuiauiã diuertit. Ibi denuò maiorũ Polonorũ legatione de amouendo Domarato solicitatus, cũ durius & minaciter respõdisset, sic animos eorũ à se alienauit, ut mox cõuentu apud Miloslauiã habito, legationẽ mitterent ad minores Polonos, ut ij conuentum secũ pariter de statu reipub. ac de nouo rege apud Radomscos agere uellent. Obsecundatũ est. Lecti de, pcerib. atqꝫ nobilitate minoris Polonię cõstituto loco cũ maioríb. Polonis ad uicesimã quintã diẽ Nouemb. conuenere, eoqꝫ inclinabãt plurimorũ sententię, ut Heduigim Ludouici natu minorẽ filiã Zemouito Masouiorũ Varsauiensiũ duci uxorẽ cum regno darent. Tuebantur Sigismundi partes Bozenta archiepiscopus, ac Domaratus præfectus maioris Poloniæ. Itaqꝫ res ad contentionem & altercationem uenerat. Tandem ita decretũ est, ut memores pactorum cũ Ludouico initorum, & iurisiurandi sui essent, neqꝫ progeniem Ludouici à regno excluderent. Cæterùm eum de

Russia ab Vngaris præfectis Lituanis prodita.

Lucensium.

Volynia in potestatem Lituanorũ redacta.

Proditores pœnis affecti.

Sigismundus cur contemptus sit à Polonis.

Miloslauia.

Comitia Radomscis de nouo rege creando.

generis Ludouici regem crearent, qui in Polonia præsens per se ipse regnũ administraturus esset. Quo quidem uerbo tacitè Sigismũdus excludebatur.

Comitia Vislitiæ.

Altera deinde comitia minorũ Polonorũ Vislitiæ ad sextam diem Decembris habita: q̃ uicissim legati maiorum Polonorũ uenerunt.

Sigismundus uenit ad comitia.

Venit & Sigismundus Marchio cũ Bozenta Archiepiscopo ac Domarato prefecto, ne deesset causæ suę.

Oratores Elizabethæ reginæ.

Aduenerunt aũt & à regina Elizabetha oratores, Stephanus Agriensis, & Ioannes Canadiensis episcopi. Atq; hi facta dicendi potestate, gratias egerunt Polonis, q̃ fidem datã Ludouico de filiabus eius seruarent: idemq; deinceps etiam ut facere pergerent, hortati sunt. Deinde postularũt, ne sententiam præcipitarent, neu quem penitus regem sibi sumerent, donec à regina matre de filiabus constitutũ esset, utram in Vngaria, utrã in Polonia regnare uellet. Cupidè hæc oratio à cõuentu audita est, q̃ cum decreto Radomscensis cõuentus, & cũ uoluntatib. omniũ ferè congruebat. Itaq; in eam sententiã itum est, placuitq; alia comitia Siradiã ad uicesimã sextam diem Februarij sequentis anni indici, & ibi certum à regina responsum expectari, nec quicq; deprecãte Sigismundo: qui utrum q̃ fortasse regnum obtinere cupiebat. Offenderat aũt is Polonorũ animos, tum ꝓpter Domaratũ, tum q̃ eiici

Sigismundi offensæ apud Polonos.

Polonos cum cibũ sumpturus esset, patiebat: & q̃ sacerdotium quoddam in Polonia, repudiatis procerũ precibus, Boemo cõtulerat. Quocirca repulsam passus, Vislitia discedens, Cracouiã diuertere uoluit. Sed eum Dobeslaus

Sigismundus exclusus Cracouia.

Curozuancius Castellanus Cracouiensis nõ intromisit, ueritus ne eã uel dolo, uel ui accitis mox ex Vngaria militibus in potestatem suam redigeret, indeq; promissis & largitionibus proceres & nobilitatem corrũperet, & sibi adiungeret. Ita acceptus à Polonis, in Vngariã redijt. Sumptus tamen ei de publico suppeditati sunt, q̃ad per Poloniã iter fecit. Vbi in Vngariã uenit, reperit Mariã sponsam suã ab Vngaris iam, nõ reginã, sed regem renũciatã & coronatã. Sed ibi quoq; maiores etiam motus eum excepere, alienata ab eo socrus uoluntate, siue ut ipsa cum filia arbitratu suo regnaret, seu qua alia iustiore de causa. Quæ res ipsum quidem & sponsam eius in extremũ periculum adduxit, socrui uerò exitio fuit. Etenim cum mulieres arbitratu Nicolai Garæ Palatini regnarent, eũq; & necessarios eius, cæteris neglectis, ornarẽt, ac de alio rege è Gallijs accersendo clàm consilia caperent, moti indignitate rei plerique proceres, Carolũ Neapolitanũ regẽ, Ludouici defuncti regis fratris filiũ ex Italia euocarunt. Cuius aduentu cognito Mariam ferunt cum Sigismundo nuptias acceleraſſe: excessisse tamen Sigismundum ex Vngaria in Boemiam, metuentem Vngarorum insidias, quemadmodũ scribit Bõfinius. Carolus uerò partim dolis, partim aperta ui regnũ adeptus, haud multo pòst reginæ senioris opera interfectus est. Quo facinore perpetrato, mulieres se curæ omnium ad inferiores partes regni, & uersus Croatiam iter fecere. Ibi Ioannes Horuatus præfectus Croatiæ, quem illi Banum uocant, Caroli, cui ipse studuerat, mortem ulturus, impetũ in reginas fecit: trucidatisq; palatino & Blasio Farcasso Caroli interfectore, ac cæteris dissipatis, Elizabethã quidem in profluentem demergi iussit, Mariam uerò aliquandiu asseruauit. Ad extremum Sigismundo Budam uenienti, & bellũ contra se comparanti, eam remisit,

Maria regio diademate coronata ab Vngaris.

Sigismundus ingratus etiam socrui.

Nicolaus Gara Palatinus Vngar.

Carolus ab Vngaris ad regnum uocatur.

Sigismundus excessit Vngaria.

Carolus rex Neapol. & Vngar. interfectus.

Horuatus Banus Croatiæ.

Elizabethæ reginæ mors.

Maria in custodia asseruata.

remisit. Ita demum eodem anno, quo Iagello apud Polonos, Sigismundus apud Vngaros regnare cœpit. Hæc de Vngaricarum rerum eius temporis statu paulo prolixius hic persequi libuit, q̃ planior historia nobis decurrat. Ad quam iam reuertimur. Iniecta erat nonnulla spes regni Polonici Zemouito Masouiorũ duci: quam Bartholomæus Chotelius siue Odalanouius homo audax & factiosus auxit, cum ad eũ ueniſſet, operã q̃ suã & fidem ei pollicitus esset. Visum est aũt, facilius eum uoti cõpotem fore, si quas munitiones Poloniæ in potestatem suam redegisset: itaq̃ ad eam rem profectus Bartholomæus acceptis ab eo copijs, Calisiam arcem noctu intercipere conatus est. Et iam quispiã de militibus eius portã arcis terebra perforauerat, immissaq̃ serra, capax hominis foramen faciebat: & alij murũ ascendere nitebãtur, cum exauditus est à uicino pistore strepitus, excitiq̃ uigiles, saxis alijs q̃ telis fortuitu oblatis hostem ad irruptionẽ intentũ supernè simul & ex æquo cominus repulerunt. Inde reiectus Bartholomæus munitionẽ suã Cosmineciũ nõ ita pridẽ à Sigismundo Marchione captã, recepit. Chotheciã item præsidio cõmuniuit. Et Prosna amne transmisso Cosminũ contendit. Verùm illinc à præsidio Domarati præfecti repulsus, Parscũ Michaelis Thomassij munitionem octo diebus obsedit: eoq̃ dominũ loci adegit, ut is deserto Domarato in partes suas transiret. Maiora aũt in dies incrementa factio Bartholomæi capiebat, odio Domarati, q̃ ille (ueris ne criminib. an inuidia hominũ, nescio) tantũ sibi uulgo cõflarat, ut publico decreto nobilitas pleraq̃ omnis pareˆre ei detrectaret. Quin cum is satisfacere in Vislicienſib. comitijs, minorib. Polonis arbitris, uellet, responsum est: Non aliter satisfacturũ esse, nisi si magistratu abierit. Auxit uerò maiorẽ in modũ odiũ eius fama (uerá ne an falsa, incertũ est) q̃ in Saxonibus, Boemis, & Cassubijs copias comparare diceret, quibus aduersariorũ contumaciã reprimeret, & uinculis, contumelijs, bonorũ direptionib. & alijs malis eos coerceret. Quæ cõsilia eius ut præuerteret nobilitas, authore ac duce Vincentio de Cẽpa palatino Posnaniẽsi arma sumpsit, Bartholomæumq̃ cum Masouijs adiutorib. sibi adiunxit. Primũq̃ medio Ianuario ad Pysdros itum, & oppidũ post tertiũ diem in deditionem acceptũ est. Arx deinde post triduum dedita, saluis dimissis qui in præsidio eius fuerant, cũ equis, armis, & facultatib. Inde ad Calisiã castra mota sunt. Sendiuoius uerò Suiduua Castellanus Naclẽsis cũ parte copiarũ Posnaniã missus, ut esset præsidio illi oppido, ne quid hostile à Domarati præsidio, q̃d in arce cum Predipelco Stasseuio Medirecensi Castellano erat, pateret. Miserant em̃ ij simul & alij quidã oppidani publicè legationẽ ad Vincentiũ palatinũ, q̃ in potestate eius futuri essent, si cõtra uim Domarati defenderent. Ad uenienti aũt Calisiã Vincentio, oppidani portas oppidi aperuere. Arx à Domarati præsidio, cui Ioannes Lencosſinius Lencicienſis Castellanus præerat, tenebat. Nam ipse Domaratus in Saxonas, Cassubios, & Pomeranos, exercitus cõparandi causa, profectus erat. Obsessa est igit arx Calisienſis, cum esset expugnatu difficilis, excursionesq̃ factæ in agros & pagos aduersariorum. Dum aũt obsideret, aduenit Conradus Olesnicenſium dux cum expedita manu, à Derslao Iuenio Castellano Gnesnenſi Domarati fratre in auxiliũ euocatus.

Sigismũdus quãdo adeptus regnũ apud Vngaros.

Zemouitus Masouius ad regnũ aspirat.

Bartholomæi Chotelij conatus.

Calisia tentata.

Domarati odiũ.

Bellum ciuile Polonorum.

Vincentius Cempius palatinus Posnanienſis.

Conradus Olesnicenſium dux.

tus. Verùm ubi uidit aditũ arcis à Vincentio interſeptũ eſſe, retulit pedem, & grauiter obiurgatus à Vincentio, domũ rediit. Cæterùm apud Poſnaniã remiſſius cuncta fiebant. Nam Suiduua domum modò quandã in oppido è regione arcis caſtelli loco munierat, ad prohibendas hoſtium in oppidum eruptiones. Exteriore uerò porta, quæ in agrũ uergit, ij qui in arce erant liberioribus excurſionib. aduerſariorũ & eccleſiaſtica bona depopulabant. Porrò Suuiduę minus liberę erant magisq; damnoſæ excurſiones. Necalibi res quietiores fuere à factione Domarati: quę Naclũ, Labiſſinũ, Pacoſsũ, Medirecíã, Sbanſinũ, Medichodiam, Velenum, & Keplouiam arces atq; caſtella obtinebat, & ex his uicinią omnem armis infeſtabat. Erant aũt in partibus Domarati inſigniores Grimala Oleſnicius Coſtrinenſis, Andreas Suiradouius Camenẽſis, Caſtellani, Virbenta Smoguletius, Theodoricus Margoninius, propinqui & neceſſarij eius, prętер eos quos paulò antè cõmemorauimus. Fuitq; miſerabilis tunc facies maioris Poloniæ, cum nullus penè locus, nulla cuiuſq; poſſeſſio, nemo neq; uir, neq; fœmina extra munitiones & præſidia utriuſq; partis uexationũ, direptionũ, & aliorum malorũ, quæ bellũ ſecum trahit, exors eſſet. Nam quicunq; ab alteris ſtetiſſet, alterorũ iniuriæ erat obnoxius. Ac ne mercatores quidem & inſontes agricolę expertes illarũ calamitatũ erant. Ad hæc peſtis popularis eo ipſo anno Poloniam, ſicut multas alias regiones infeſtauit. Aduenit deinde Domaratus cum externo milite, bellũ illatũ depulſurus: metatusq; caſtra in Piotricouice Suiduuę prędio, Vuoroncos & Samotulios oppida diripuit. Quę cum Suiduua ab exploratoríb. didiciſſet, Bartholomæũ, & Sremenſem Caſtellanũ cũ ſuis copijs clàm acciuit, noctuq; cum his ad Domarati caſtra cõtendit. Pręmonitus quidẽ erat de aduẽtu Suiduuę Domaratus. Verùm de Bartholomęo & Sremenſi Caſtellano nihil ſuſpicatus, cõtẽpto Suiduua, quem paruam manũ habere nouerat, quieſcere ſuos iuſſerat. Illuceſcẽte uerò die quintadecima Februarij hoſtes, ab his q in ſtatione fuerãt, magna celeritate adeſſe nunciant. Trepidat totis caſtris, nec ſatis ſpacij ad expedienda arma frenã dosq; equos fuit. Neq; uerò caſtra munita erant. Itaq; Domaratus cum ijs quos primùm ad manũ habere poterat, obuiã hoſti pgreſſus, nõ inſtructis ordinib. manus cum eo cõſerit. Et paruo negocio diſſipatis ſuis, in fugã actus eſt. Fugientes Suiduua lõgoeſt ſpacio perſecutus. Fortè Virbẽta Smoguletius trãs Vartã amnẽ cum centũ haſtatis equitib. & quingentis peditib. erat. Is igit de aduẽtu hoſtiũ ad oppugnanda caſtra Domarati noctu certior factus, in auxilium Domarati ueniebat. Cũ aũt cõperiſſet Domaratũ pfligatũ eſſe, nihil ea clade ſuorũ deterritus, cõcito gradu aduerſus hoſtes tetẽdit, palãtesq; per agros, dũ fugientib. inſtãt, nactus, magnã in eis ſtragẽ edidit. Interim Suiduua cum paucis expeditioríb. lõgius Domaratũ perſecutus, victor captiuis ſpolijsq; onuſtus reuertebat. Cognitoq; ſtatu ſuorũ perturbato, nihilominus contra nouum hoſtem ire pergit. Sed cõſpecta cominus multitudine conſternatus, proſpicere ſibi quemq; iubet. Ipſe in Oſtrorogum caſtellum Derslai Grocholę, Caſtellani Santocenſis concitato equo profugit, & uix perſequentium ſe Virbentę ac Domarati, qui iã ſeſe ex fuga recollegerat, manus euaſit. Magna

Peſtis.

Vuronki, & Samotuli oppida. Chotelium.

Domaratus profligatus à Suiduua.

Suiduua victus et fugatus à Smoguletio.

Oſtrorogum caſtellum.

gna utrinq; strages hominũ,uariante fortuna fuit. Ostrorogũ deinde Domaratus acriter usq; ad uesperum oppugnauit: sed cum nouas hostiũ copias in auxiliũ Suiduuę aduentare falsò accepisset,soluit postero die obsidionem,& in Obornicos oppidũ copias suas deduxit, indeq; quicquid loci inter Posnaniam,Bucũ, Vuroncos oppida, & Vartam fluuiũ interiacet,infestauit. Instabat iam tempus prędstitutũ comitijs. Quapropter Elizabetha regina,ut in Visliciẽsib. comitijs anni superioris cõuenerat,flagitantib. Polonis proceribus,ac pericula ciuilis belli denunciantibus, Vesprimiensem episcopũ cum alijs duobus proceribus Vngaris misit Siradiam, qui Polonos de uolũtate sua certiores facerẽt. Hi reginę mandato proceres atq; nobilitatẽ iurisiurandi religione,quo se Marię natu maiori Ludouici filię,et Sigismundo sponso eius obstrinxerant, primũ soluerunt: deinde postularũt,ut regnũ ad Heduigim natu minorem decreto comitiorũ deferret, sed ut ea tamen, ubi ad proximum pascha in Poloniam deducta atq; coronata esset, triennio deinceps propter teneram & immaturam regno utroq; ætatem,in Vngaria apud matrem educaretur. Re in consultationem posita,uariæ dictæ sunt sententiæ: & aberat non cõtemnenda pars senatus atq; nobilitatis ex maiore Polonia,ciuili bello distenta. Itaq; placuit comitia ad uicesimã octauam diem Martij prorogari,et interim per legatos totius cõuentus nomine de pace inter dissidentes agi. Lecti ad eam rem Spitco Melstinius Cracouiensis,Sendiuoius Subinius Calissiensis palatini,Nicolaus Bogoria Zauichostensis Castellanus & Creslaus Sciucouius,uiri graues et prudẽtes cum literis Elizabethę reginæ ad eam rem cõscriptis. Qui cũ ad Calissiam accessissent,imperarũt præfecto arcis Ioanni Lencossinio,ut sibi arcem traderet: nec ille renuit. Quanq; non constat hic sibi Dlugossus. Nam aliquanto inferius post cõstitutas inducias, obsessam tamen esse nihilo minus Calissiam à factione Bartholomæi, quæ eadem Vincentij palatini Posnaniensis fuit, memorat. nisi fortè paruit legationi Vincentius, nõ paruit aũt Bartholomęus. Peruicit aũt Vincentius, ut ea Ioannis Calissiensis Castellani fidei cõmitteret. Inde reuersi Cracouiensis & Calissiensis palatini, in Vngariam ad reginam profecti sunt: sed qua de causa,non proditur. Reliqui uerò duo legati Posnaniam profecti, aduocatis dissidij capitibus,et Radimi tantũ amnis interlapsu diremptis,inducias usq; ad octauum Cal. Iulij,qui dies diui Ioannis Baptistæ natalis est,inter eos consecerũt,ea lege,ut arces Domaratus in potestate sua retineret. Frequentes deinde proceres atq; equites Siradiam ad cõstitutam diem cõuenere, et omnium penè sententię in Zemouitũ Masouiorũ ducem inclinatę erant,ut ei cum Heduigis Ludouici regis filię cõiugio regnũ mandarent. Aduenerat etiam Vuladislaus dux Oppolienſium, cũ quo Zemouiti soror nupta erat,nõ sine spe aliqua adipiscendi regni,ppterea quòd propinquitate Cazimirũ regem attingeret. Is igit Zemouiti fautorib. obnixè refragabatur: sed parũ abfuit, quin ab eis caperet,ni primorũ senatorũ authoritas interuenisset. Fauebat & Bozenta Archiepiscopus Zemouito. Atq; ei roganti,placerét ne regnũ Zemouito mãdari, magna acclamatione uniuersus conuentus assentiebat. Sed unus homo oratione sua mox omnium uolũtates cõuertit. Iascus is fuit,siue

Obornikioppidum.
Bucum.
Comitia Siradiæ.
Oratores Vngari ad comitia.
Poloni soluti religione iurisiurandi Mariæ & Sigismundo dati.
Comitia prorogantur.
Minorum Polonorum legatio ad maiores.
Poloni oratores ad reginam.
Siradiensia comitia.
Vuladislaus dux Oppolienſium ad regnum adspirat.

Ioannis Tencinij oratio.

Ioannes Tencinius Voinicienſis Caſtellanus, Andreę, qui fuit palatinus Cracouienſis, filius: qui impetrato ſilentio, in hanc ſententiã uerba feciſſe dicitur: Non equidẽ cõſenſum iſtũ & iudicia ueſtra reprehendo, proceres, nec à Zemouito alieno ſum animo: ſed uidete ne quã infamiæ labem nomini noſtro Polono aſpergamus. Ego ſi integra ea nobis res eſſet, liberaq́ prorſus ſuffragia tamen de re tanta conſultantibus, amplius deliberandum eſſe cenſerem. „ Periculoſa eſt em̃ in re qualibet inconſulta feſtinatio: & prȩceps conſiliũ ferè „ pœnitẽtia ſequit. Nũc uerò cũ mortui regis Ludouici filiæ fidẽ noſtrã obſtrinxerimus, perpẽdite cũ animis ueſtris diligẽtius, an ea prȩterita rectè nobis regẽ creare poſſimus. Eqdẽ fallendi iuriſiurãdi nunq́ uobis author ero. „ Quòd ſi quiſquã eſt in hoc cœtu, qui religionẽ illam iuriſiurãdi, ſanctiſſimũ „ ſocietatis humanę uinculũ, paruipendat, ab hoc mihi libere diſſentire liceat. Neq́ em̃ ego ita ſum inſtitutus, ut aut homines fidem meam ſecutos mentiendo, aut Deum mentium inſpectorem, quem uolens ſciensq́ iuriſiurandi teſtem adhibui, peierando fallã. A uobis quoq́ patres, & à genere noſtro talem mentem, ſeu uerius amentiã, Deus ut auertat, precor. Quid igitur faciemus? dicet aliquis. Ergone rege orbi, mutuis cędibus & inteſtinis bellis peribimus? Procul hoc omen Deus auferat. Quid ergo? Dicã q̃d ſentio. Differri ego hanc de creãdo nouo rege cõſultationẽ adhuc cẽſeo. Adſunt hic oratores ſenioris reginę: q̃ mandata ſiue adeò poſtulata ad nos attulerint, nõ ignoratis. His igitur ita reſpondendũ eſſe iudico. Non mutare uos id quod ſemel cum Ludouico rege ueſtro iureiurãdo dato cõſtituiſtis. Liberatos aũt à Sigiſmundi Marchionis fide, libenter in Heduigi minore natu filia Ludouici hidem ſeruaturos eſſe. Sed quòd Polonia tamdiu rege orba in maximo uerſet diſcrimine, petere uos etiam atq́ etiam à regina ſeniore, ut Heduigim filiam primo quoq́ tempore ad uos mittat, diadema ritu ſolenni ſuſcepturã, & nupturam uiro ſibi nobisq́ grato, & cum eo regnum adminiſtraturã. Quod ni ſi illa ad proximè uenturã Pentecoſtẽ deſiderio ueſtro ſatisfecerit, tum demũ teſtati, non per nos ſtare, quo minus pacta conuenta cum Ludouico ſeruentur, ſiue Zemouitũ, ſiue quem alium uidebitur regem creabimus. Neque enim eouſq́ cunctantem, ne dicam ludificantem nos reginam expectare debemus, dum funditus interimus. Cunctis ſententia Ioannis placuit. Igitur in eam itum, ac decretum factum eſt. In quo illud adiectum eſt, ut Heduigis aduenienſ, ſi regina eſſe uellet, reciperet ſe de conſilio Polonorum nupturam, & in Polonia cum uiro manſuram, & ſummo ſtudio annixuram eſſe, ut Velunenſem Dobrinenſemq́ tractum, & in Ruſſia quicquid Poloniæ detractum eſſet, recuperaret. Et cum hoc reſponſo oratores Vngari dimiſſi ſunt, ſolutusq́ conuentus. Inſtante autem Pentecoſte, frequentes proceres atq́ equites Sandeciam, qua Heduigim reginam deſignatam uenturam eſſe ſperabant, honoris illius cauſa profecti ſunt: ſed illa ad conſtitutum tempus non uenit. Cæterùm palatinus Caliſſienſis cum mandatis Elizabethæ ueniens, moram eius excuſauit, quòd diceret, eam cupientem ipſorum uotis ſatisfacere, Caſſouiam uſque peruenifſe, inde porrò commodè progredi non potuiſſe, imbrium ui & inundatione aquarum prohibitam.

Comitiorũ decretum.

In hoc

In hoc tamẽ eam esse,ut periculo se cõmissura sit potius, q̃ Polonorũ uolun tates offendat. Orare aũt,q̃d sine incõmodo ipsorũ fiat, ut ipsi Cassouiã ad se ueniãt,& melius atq̃ certius p̃sentes cũ p̃sente omnib. de rebus cõsti tuant. Efficax fuit oratio palatini: quocirca cętera multitudine domos reuer sa, primores de senatu, nempe Boleslaus Curosuancius Castellanus, Spitco Melstinius palatinus Cracouiẽsis, Iascus Tarnouius Sendomirienſis, Vin centius Campius Posnanienſis, Sendiuoius Subinius Calissienſis palatini, ac Domaratus Castellanus Posnaniẽsis, & p̃fectus maioris Poloniæ, Casso uiam profecti sunt. Ibi antiquato quadantenus decreto comitiorũ Siradien sium, noua pacta cum regina inita sunt: nimirũ ut ad tertium Idus Nouemb. quę dies diui Martini episcopi memorię sacra est, Heduigis iu Poloniã ueni ret, ac de sententia ampliſſimi consilij matrimoniũ iniret. Quod si ea deinde nullis liberis relictis decederet, ut Maria soror cum sua posteritate ipsi in re gno Polonorũ hęres esset, uicissimq̃ idem ius esset Heduigi secundũ Marię mortem in Vngaria. Ita sempiternũ fœdus inter Vngaros & Polonos san citum. Interim Zemouitus dux ex actis Siradienſiũ comitiorũ, & nõ ob scuris plurimorũ procerum studijs in magnã spem adipiscendi regni & con iugij Heduigis erectus, cum quingentis suis equitib. Archiepiscopo ac Bar tholomęo Cosminio comitantibus Cracouiã contendit, eo consilio, ut Hed uigim ex Vngaria uenientem, si potiri coniugio eius aliter nõ posset, ui rape ret. Nec eius aduentus in tam insigni comitatu latere Cracouienses potuit. Quapropter in urbem intromissus nõ est, ueritis ciuibus ne per uim eam oc cuparet: sed in ędibus p̃positi diui Floriani, quas Bozenta archiepiscopus, cum adhuc esset p̃positus eius templi, ędificarat, diuertit. nec ibi diu persti tit. Nam cum suspectũ se esse Cracouienſib. intelligeret, ueritus ne qua in se eruptio ex urbe fieret, postridie Corcinũ, quę etiam Noua ciuitas appellat, se recepit. Atq̃ ibi quindecim dies Heduigis aduentũ, ac deinde Cassouienſis conuentus exitũ p̃stolatus, in maiorem Poloniã p̃properè abijt, ut maio rum Polonorũ studia propensiora in se q̃ minorũ retineret, augeretq̃. Spit coni uerò Melstinio maximè infensus, q̃ aduersari eum sibi accepisset, oppi dum eius Xianzũ incẽdit. Creditũ est aũt aduentũ Heduigis ꝓpter insidias Zemouiti euitandas tamdiu ꝓgatũ fuisse. Ille uerò postea q̃ animaduertit nihil se dolis ꝓficere, ad apertã uim cõuersus est: missoq̃ Abraamo palatino Plocensi, & Creslao Dobeslai Crusuiciẽsis Castellani filio, cũ expeditis co pijs, pleraq̃ omnes Cuiauiæ munitiones in suã redegit potestatẽ, Petrassio Malocha p̃fecto, & Castellano Brestenſi, qui Crusuicię p̃erat, cuius no men nõ memorat, fauentibus. Et quanq̃ ijs ꝓpter nõ obscura studia in Ze mouitũ Stiborius Moscicius successor datus erat ab Elizabetha, serò tamen is ex Vngaria uenit, occupatis iam à Zemouiti exercitu arcibus: à Brestenſibus modò oppidanis crudelitatẽ Zemouiti formidantib. receptus est: sed nõ multo pòst excedere oppido coactus, cũ à Masouijs circũsessus esset. Ac cepto per deditionẽ oppido, multi oppidani in carcerẽ cõiecti, & bonis mul tati. Lencicia q̃q̃ per eundẽ Petrassiũ p̃fectũ in Zemouiti potestatẽ uenit. Igit accessiõe Cuiauię et Lẽcicię auctus animo uiribusq̃ Zemouitus, aperte iam

Poloni primores Cassouiam profecti.

Fœdus Vngarorum cum Polonis.

Zemouitus dux Cracouiam non intromissus.

Corcinum Noua ciuitas.

Spitco Melstinius.

Xianzum oppidum incensum à Zemouito

Cuiauiam Zemouitus redegit in suam potestatem.

Lencicia Zemouito dedita.

Iradiæ comitia.

iam regnũ ſibi uendicare: indictiſq; uniuerſę Polonię comitijs, Siradiam ad quintamdecimã diem lunij cędes & incendia cõminari his qui dicto audientes nõ eſſent. Aduenere Nicolaus Vuladislauienſis, & Stiborius Plocenſis epiſcopi, & Bozenta archiepiſcopus cum aliquãta maiorũ Polonorũ caterua. Ibi Zemouitus ab Archiepiſcopo rex renunciat, acclamantib. qui aderãt ex equeſtri ordine. coronabat etiam, ni quidam graues uiri diſſuaſiſſent. Cõuentu ſoluto, Zemouitus Caliſſiam cum exercitu cõtendit, arcemq; cum oppido obſedit. Ibi ſe cum eo cõiunxit Conradus dux Oleſnicenſiũ cum trecentis haſtatis aduenies, Odalanouiã mercędis loco, cõcedente Bartholomæo ſibi pactus. Quin ipſi quoq; maiores Poloni per idem tempus rurſus nouis motibus agitabant. Nam Coſtrinenſis & Camenẽſis Caſtellani, & Virbenta Smoguletius facta manu Znenã Archiepiſcopi oppidũ natura loci munitum capere conati ſunt: ſed oppidanis petentib. dierum aliquot inducias, dũ Archiepiſcopũ dñm ſuũ ea de re cõſulerẽt, cõceſſere. Atq; interim Gẽbice oppidũ, qd in Zemouiti partib. erat, diripuere. Bẽdimirus uerò Radicius eiuſdem factionis homo Camenũ oppidũ & arcem Archiepiſcopi per dedi-tionem accepit, cum Archiepiſcopũ à regina proſcriptũ, ſolum uertiſſe affirmaret. Porro Archiepiſcopus numeratis quadragintaquinq; marcis latorũ groſſorũ, donatiſq; inſuper decimis Palucenſibus, Znenã liberauit. Quo facto eius iritati Abraã palatinus Plocenſis, & Slauecius uexillifer Maſouiæ, qui Cuiauiã cũ præſidio tenebãt, Queciſſouũ oppidũ eiuſdẽ Archiepiſcopi cũ circũiacentib. pagis depopulati ſunt. Et iuſtè fortaſſis hęc mala tũc in Archiepiſcopũ ingruerũt, q; & cathedrã illã, excluſo alio qui rite electus erat, interuerterat, & pactorũ decretorũq; comitialiũ immemor, priuato conſilio ad Zemouitũ defecerat. Neq; hic tamẽ malorũ finis ei fuit. nam Domaratus Caſtellanus Poſnaniẽſis, qui iam prędectus maioris Polonię eſſe deſierat, ſucceſſore accepto Peregrino Vengleſſinio, Floriani epiſcopi Cracouienſis fratris filio, ex Vngaria reuerſus, cum ſocero ſuo Alberto palatino Cuiauienſi, Grimala & Virbenta gentilibus Znenam ad eum uenit: callidoq; cõmento perſuaſit, ut Grimalæ & Virbentę Znenã ad tempus obtinendã cõcederet, quod eum ab Elizabetha regina & Sigiſmundo genero eius hoſtem publicum iudicatũ eſſe diceret, miſſoſq; ab his ad ſummũ pontificem, qui amoueri eum ab archiepiſcopa peterent, q; cum Zemouito ſentiens perduellis & iuriſiurandi ſui fœderũq; publicorũ prędarícator eſſet. Pactus eſt tamẽ ab eis Bozenta archiepiſcopus, ut nihil hoſtile cuiq; facerent, neq; ullam poſtea impendiorũ rationem ducerent. Per idem tempus Glogouienſiũ duces Henricus et frater eius rati cõmodã ſe nactos eſſe occaſionẽ recuperandę Vuſchouiæ in interregno, dum maior Polonia ciuilibus bellis ardet, ſumptis armis oppidũ id ui capere adorti ſunt: ſed reiecti turpiter ab oppidanis, territoriũ omne populabũdi peruagati ſunt. Hos igitur ut reprimeret Peregrinus prędectus maioris Poloniæ, ſimulq; ut Caliſſię obſeſſæ opem ferret, delectũ habere inſtituit. ſed paucis cõuenientib. & nomina dantibus, nullum operæ precium fecit, bona tantũ eccleſię Poſnaniẽſis, et Lubinẽſis monaſterij depopulatus eſt. ad hęc Thomislaũ Viſſotã cũ fratre, q; Poneciam Conrado Oleſnicenſium

Zemouitus rex Polonorum renunciatus.

Caliſsia obſeſſa à Zemouito.

Cõradus dux Oleſnicenſium.

Poloniæ maioris motus.

Znena oppidum.

Gembice direptum.

Camenum interceptum.

Queciſſouum direptum.

Archiepiſcopi iuſta pœna.

Znena interuerſa.

Vuſchouenſe territorium uaſtatũ.

censium duci dedidissent,cępit et in uincula cõiecit.Deinde ad Ponecią pro-
fectus,arcem incensam à Silesijs præsidiarijs,aduentũ eius non ferentibus,in
staurauit, nõ sine pressura & calamitate agrestiũ adscriptitiorũ Posnaniensi
ecclesiæ,qui circum Crobiam atq; Dolscum sunt. Alterũ deinde delectũ a-
pud Vinecium episcopi Posnanienſis pagũ agere instituit.Ad quem frequen
tiores equites conueniebant. Sed eũ Bartholomęus Cosminius disturbauit,
cum ex inopinato impetum in eos fecisset, oppressosq; armis & equis exuis-
set,ac nõ nullos captiuos abduxisset.Hęc cũ ad minores Polonos,apud quos
quieta erãt omnia,et in Vngariam perferent,minores quidẽ Poloni fratrum
uicem doluêre,& indictis Cracouiam ad octauum Cal.Augusti,qui dies di
ui Iacobi apostoli memoriæ dicatus est,comitijs,exoratisq; Zemouito duce,
& Bozenta Archiepiscopo, ut ad ea comitia uenirent, de pace totius Polo-
nię & cõcordia ordinũ cum eis diligenter egêre. Vix tandẽ inducias bime-
stres cofecere. Tametsi perstitit nihilominus in obsidione Calissię Bartholo-
mæus, magnisq; incõmodis circumiacentes pagos et oppida, cõtemptis in-
ducijs,affecit,donec à Zemouito ueniente abscedere et quiescere iussus est.In
Cuiauia quoq; prefecti & legati Zemouiti aduersariorũ bona nihilo secius
uexabant.Porrò Elizabetha regina Zemouito indignata,Sigismundũ Mar
chionem generũ suum atq; Demetriũ Strigoniensem Archiepiscopũ cum
duodecim millibus armatorũ in Poloniã misit, ad coercendũ Zemouitum
& factionẽ eius, pacandamq; maiorẽ Poloniam. Transmisso aũt Sigismun-
dus Carpatho monte, apud Sandeciã statiua habuit. Quò cũ proceres Cra-
couienses & Sendomirienses siue ultrò,siue euocati ad eum cõuenissent, dis-
ceptatũ est,an Zemouito bellũ inferri fas esset,quòd alij negarent uiolandas
esse inducias, alij cõtrà iam ab ipso priore uiolatas esse cõtenderent. Vicitq;
hęc posterior sententia. Quapropter sumpsere & ipsi cũ Vngaris cõtra tur-
batorem publicę pacis arma.Per Radomiensem igitur oram pacato agmine
in Masouiã pariter Poloni et Vngari duce Sigismundo ingressi sunt,et Ze-
mouito nusq; faciente pugnandi copiã, ditionem eius omnẽ acerbè igni fer-
roq; uastarunt. Cęterũ Ioannis fratris eius ditione abstinuere, propterea quòd
is quiescebat, nec temerabat pacta cũ Ludiuico publicè de regno inita.Per
idem tempus Peregrinus Vengleſſinius præfectus maioris Poloniæ, fidu-
cia propinqui exercitus suarum partiũ erectus,facta aliquanta manu cũ Vin
centio palatino Posnaniensi Derslao Ostrorogo Santocensi,Sendiuoio Sui
duua Naclensi Castellanis, Arnoldo Valdouio, & nõnullis alijs, ad Gne-
nam castra posuit, quòd Archiepiscopus cũ Zemouito sentire uideret. Sed
repulsi ab oppido, in agrestes et suburbana sæuierũt,raptaq; præda Gnes-
nã,prefecti domos Archiepiscopi et sacerdotũ diripuere : Naclense territoirũ
quod à Domarati factione tenebat, uastauêre. Domaratiani aũt uicissim,cũ
pręter Lecnũ oppidũ prędas agerent,oppidanos ad excutiendã prędam ef-
fusos persecuti,oppidũ id cępere et incẽdere.Porrò Drogosius Chrobrius
prefectus Siradiensis Volboriã arcem episcopi Vuladissauiensis,conniuen
te Henrico canonico Vuladissauiensi, q tunc ei post mortẽ Sbiluti episcopi
pręerat,intercepit,oppidanosq; et agrestes finitimos uexauit,ratus his malis

Ponecia arx incensa à Silesijs,à Polonis instaurata.

Comitia Cracouiæ.

Inducię.

Cosminius turbator.

Vngarorũ expeditio in Poloniam.

Masouia uastatur

Polonia turbatissima.

Gnesne domus sacerdotũ direptæ.

Lecnũ oppidum incensum.

Volboria arx intercepta.

eò se adacturū esse collegiū Vuladislauiense,ut fratri suo Nicolao episcopā mandaret.Sed eū spes fefellit.Nā Troiano pręposito Posnanienſi et canonico Vuladislauiensi is mandatus est. Tametsi Vrbanus sextus pontifex max. reiecta ea electione, Ioannē Cropidlonē Oppolienſis ducis filiū,de Posnanienſi episcopa tranlatū Vuladislauiensē fecit. Cęterū Sigismundus peruasta Masouia, in Cuiauiā duxit exercitū,et Breste undecim dieb.obsedit.Inducię deinde semestres cū Zemouito usqꝫ ad pascha factę interuētu Vuladislai Oppoliēsiū ducis. A' q̄ Domaratus,cū studiū suū operamꝫ Sigismūdo ꝓbare uellet,cū Saxonib.et Pomeranis mercenarijs è Cuiauia prędas agens, apud Inouuladislauiā nō leue detrimentū acceperat,ꝙ per ditionē eius ipso inuito Cuiauiā infestasset. Interfuit aūt illis pactis etiā archiepiscopus:et cū è Sigismundo cognouisset,se falsis terroribus à Domarato circumuentū esse,ut Znenā necessariorū & gentilium eius fidei cōmitteret, discedēte Sigismundo,popoſcit eos ut eā sibi redderēt.Negantibus aūt illis,et impendiorū solutionē contra pacta cōuenta repoſcentibus,cōstituta re clàm cū maistro ciuiū et primoribus oppidanis aduenies,receptus est in oppidū:& eiectis ui Saxonibus Pomeranisꝫ prędiarijs, Iarandū decanū Gnesnenſem oppido prędecit. Dū hęc ita gerunt turbanturꝫ in Polonia, Lituani occasionē bene gerendæ rei nacti,Iagellone Olgerdi filio duce Masouiā inuasere, Drohicinum arcem quā Ioannes dux Masouiorū Keistuto duci socero suo, ciuili bello occupato,nō ita multo antè unà cū Melnico, Camenecia,& Surasſo interuerterat, obsidione uallauere. Fortè tūc aberat prędectus arcis Sasinus magister curię,siue,ut uulgo dicūt,Marsalcus ducis. Hic igitur ubi de periculo arcis, in qua nihil ipse prędidꝫ reliquerat, accepit, cū subitaria triginta hastatorū et sexaginta balistariorū manu accurrēs, et facto cuneo per medios hostes in arcē perrumpens,receptus est à suis. Qua eius audacia barbari despe potiundę arcis deiecti,abire parabāt. Interim Russi quidā,à quib. ora illa serè habitat,proditionē cū eis pacti,arcē incenderunt,et per funes in stationes hostiū sese demiserūt. Lituani arcē flagrantē summa ui oppugnarūt, ne quod spaciū nostris restinguendi incendij darēt. Ita plurimi mortales partim hausti incendio,partim hostilib.telis necati sunt. Prędectus uerò cū paucis reliqs omni ope desperata, uiuus in potestatē hostiū uenit. Turbauerat Polonorū mentes Elizabetha regina,ꝙ Heduigim filiā ad constitutū tempus ipsis nō mittebat. Itaqꝫ frustra expectato Nouembri atqꝫ Decembri mense, post initiū noui anni 1384.Sendiuoius Subinius palatinus Calisiensis et prędectus Cracouiensis, de sentētia episcopi et aliorū procerū Cracouiensis cōuentus, cū nobilissimorū quorumꝫ adolescentū comitatu ad Elizabethā, Iaderam usqꝫ Dalmatię profectus est. Statū rerum Polonicarū, & postulata procerū diligēter exposuit,minasꝫ precib. adiecit. Petebat aūt ab ea, ut quamprimū Heduigim ad breue tempus in Poloniā mitteret, coronatā mox ipsi remissum iri pollicebat,ut cū ipsa esset donec adolesceret. Obsidesꝫ ad eā rem nobiliū filios,qs secū adduxerat,dabat. Nectere moras Elizabetha,& aliā ex alia excusationē quęrere,ambiguisꝫ responsis Sendiuoiū ducere. Quibus rebus exacerbatus ille, irā nō obscurè prę se ferre,uellecꝫ discedere. Quod ubi regina

Ioannes Cropidlo Vuladislauiensis episcopus, Sigismundus Cuiauiam uexat. Breste obsessum. Inducię.

Znena recuperata ab Archiepiscopo.

Lituani Masouiā populantur. Drohicinū obsessum.

Drohicinum incensum.

1364. ann. Sendiuoius Subinius in Dalmatiā excurrit.

Reginæ consilia.

regina animaduertit, uerita ne is, in cuius potestate erat Cracouia, reuersus turbas cieret, Iascũ siue Ioannẽ Tarnouiũ Castellanũ Sendomiriensem ad occupandã arcem Cracouiensem misit: Sendiuoiũ aũt discedere uetuit. Nõ latebat Sendiuoiũ reginæ consiliũ. Itaq; unũ de comitib. fidelẽ curriculo mittit Cracouiã, q Tarnouij aduentũ anteuerteret, curaretq; ne arx ipsi dederet, etiã si ipse extrema patereť. Ipse uerò clàm sese ladera euoluens, ferè intra uigintiquatuor horas sexaginta milliaria bene longa, ut sunt Vngarica, crebrò mutando equos, emensus, Cracouiã lassus peruenit, et proceres de omnibus rebus certiores facit. Indixerãt Lelouiã comitia minores Poloni ad secundã diem Martij: sed adueniente Sendiuoio, Radomscos ea transtulere, ut maiores quoq; Poloni ad ea, ppinquitate loci inuitati uenirẽt, et in cõmune de repub. consulereť. Et frequentes ij cõuenère, cũ de legatione et reditu Sendiuoij cognouissent. Vbi cũ multa de superbia et frustratione Elizabethę, de sedandis intestinis dissidijs, ac de nouo rege creando, tractata essent, neq; tñ creationi noui regis malorũ finẽ allatura esse uidereť, propterea q; neq; foris pacẽ ob uiolata pacta cũ Ludouico inita, neq; domi quietẽ in tantis animorum atq; studiorũ dissensionib. habituros se esse iudicabant, ad extremũ placuit ut reginę animũ adhuc leuiore legatione pertentarent, si fortè legati humilitas, quæ magnã offensionem & alienationẽ animorũ significaret, pertinaciã reginę frangeret: deinceps uerò ne quis omnino ad eam neq; publicè, neq; priuatim proficiscereť. Statuta reginæ dies, octaua Maij, ut Heduigim Cracouię tandẽ sisteret, si regnare eam in Polonia uellet: ni faceret, aliter sibi prouisuros esse. Hęc ut ita rata manerẽt, iureiurando mutuo se adstringũt. Missus cũ his mandatis Prędislaus Vauelius equestri familia nõ illustri, cõmouit reginã, ita ut Sigismundũ generum suũ uiris, equis, armisq; instructũ ad gubernandam Poloniã, tantisper dum adolescit Heduigis, mitteret. Quod ubi apud Polonos proceres percrebuit, indignati, ludibrio se esse fœminę, eiusq; et Vngarorũ arbitratu sibi prefectos atq; adeò dominos imponi, et Sigismundũ peculiariter perosi, exercitũ cõtrahunt, et Sandeciã contendunt. Inde Lubouuliã siue Libliũ, quę tunc Vngaricæ ditionis erat, legationẽ ad Sigismundũ mittunt. monent, ne se inuitis in Poloniã ueniat. Si aliter faciat, p hoste se eum habituros esse. Itaq; repressit gradũ Sigismundus: sed illud uicissim impetrauit à Polonis, ut nõnulli de primoribus ad se uenirent, ac de rebus quibusdã secũ constituerẽt. Missi Spitcus Melstinius, Sendiuoius Subinius, & Ioannes Tarnouius: à q̃bus illud modò impetrauit Sigismundus, ut aduentus Heduigis ad Pentecosten u q; expectareť. Author exspectandi maximè Sendiuoius fuit, quòd ei Sigismundus receperat, liberaturũ se esse nobiles illos adolescentes, q post fugam ipsius laderę detenti & in custodia asseruati erant: q ferè propinqui erant Sendiuoij. Neq; tñ præstitit promissa Sigismundus, ppter motus fortassis illos Vngaricos, quorũ superius mentionem fecimus. Interim rursus nõ quiescebat maior Polonia: certatumq; est mutuis cędibus atq; captiuitatib. inter proceres et equites. Quin & castella quędã magna ui oppugnata: inter quę Bythinũ fuit Nicolai Lodij castellũ, qui quòd in Domarati partibus erat, obsessus in eo & oppugnatus est à Vincentio

Subinij celeritas.

Comitia Radomscis.

Senatusconsultũ.

Sigismundus Marchio uetitus uenire in Poloniam.

Poloniæ maioris motus.

Bythin castellum oppugnatum.

centio palatino, Peregrino prefecto Posnanienſi, et Suiduua Caſtellano Naclenſi. Verùm ij nõ paruis incõmodis in oppugnatione acceptis, re infecta

Induciæ. diſceſſerũt, pagos tamẽ adiacentes diripuerũt, et incenderunt. Inducię deinde inter diſſidentes factiones factę. Quas cum Suiduua et Viſſota Curnicius cõtemptu Domarati ſeruaturos ſe eſſe negarẽt, magnis incõmodis à Domarato affecti ſunt, direptis eorũ oppidis Cazimiro et Samotulis cũ adiunctis pagis. At uerò Cracouiẽſes et Sendomiriẽſes proceres ad octauã diẽ Maij, quemadmodũ conſtituerãt, conuentũ rurſus egere apud Sandeciam, Heduigiſq; aduentũ pręſtolabant, ſed cum ea nõ ueniret, placebat rurſus oratores mitti in Vngariã, ni Prędislaus Vauleius diſſuaſiſſet, q; diceret, aut ſe mendacij, aut conuentũ omnẽ leuitatis argutũ iri, ſi cũ coſtituiſſent et reginę denũciaſsẽt, neminẽ ſe deinceps neq; publicè neq; priuatim ad eã ꝓficiſci paſſuros eſſe, nouã legationẽ mitterẽt, cõtemptũq; iri eã legationẽ. Itaq; placuit in cõmune, ut mittẽda legatione pariter et creãdo rege ad tẽpus adhuc ſuperſederent. Sendiuoius uerò Subinius, cuius animũ in primis angebat nobiliũ puerorum detentio, priuatim in Vngariã profectus, perfecit tandem, ut Heduigis uigis in Poloniã ueniret. Comitati ſunt eam Demetrius tituli ſanctorũ quatuor Coronator. presbyter Cardinalis & Archiepiſcopus Strigonienſis, et Ioannes Canadienſis epiſcopus, & plures alij proceres Vngari. Ad cuius aduentus famã exciti Polonorum proceres cum frequenti nobilitate Cracouiam accurrêre: & qui tempori aduenerant, uenienti uſq; ad fines Vngariæ obuiam profecti ſunt. Deducta Cracouiam honorificè cum perampla ac ſplendida aurea, & argentea, et ſtragulę ueſtis ſupellectili, qualis decebat tanti regis filiam, Idibus Octobris, qui dies memoria diuę Heduigis Legnicienſis apud Polonos feſtus eſt, regina Polonię renũciata, & à Bozenta archiepiſcopo ſolenni ritu inuncta & coronata eſt, magna omnium lętitia et fauſta acclamatione: regniq; ampliſsimi adminiſtratio teneræ puellæ cõmiſſa. Lenitum erat in animis Polonorum regis deſiderium, propter ſuaues & liberales mores Heduigis reginæ, cum uerecundia, modeſtia, prudentia, decentiq; ſuauitate coniunctos: quarum uirtutum non uulgare condimentum erat forma corporis eximia: Neq; grauatim uiri muliebri imperio parituri eſſe uidebantur, niſi ad domeſticas procerum inter ipſos diſſenſiones ſedandas, & externorum bellorum impendentium metus parum authoritatis & præſidij fore in puella iudicaſſent. Nec ſatis in tuto reginæ pudor illa ætate, illaq; forma, & neceſſaria cum uiris conſuetudine ſine coniugio futurus erat. Ad hæc poſteritati quoque proſpiciendum erat. Itaque noua cura procerum animos inceſſit, de adiungendo nouæ reginæ marito, qui regiam dignitatem, & molem rerum maximarum rectè ſuſtinere poſſet. Deſtinarat quidem Ludouicus rex adhuc uiuens generum ſibi & ſucceſſorem ſiue in Vngaria, ſiue in Polonia, Vilelmum Auſtriorum ducem, & puerum admodum in aula ſua educarat, promiſſo ei Heduigis filiæ matrimonio: ſed nõ magnopere placebat Polonis eum habere regem, qui ꝓpter paternũ principatũ, longo ſpacio & interiectu terrarũ diſtantem à Polonia, longius aliquando à regno abfuturus eſſet: nec multum opis princeps tenui fortuna

Cazimirũ & Samotuli oppida direpta.

Sandeciæ conuentus.

Heduigis reginæ aduentus in Poloniam.

Heduigis coronatur.

Heduigis mores & forma.

De rege conſultatio.

Vilelmus dux Auſtriæ.

& potentia

& potentia domestica, Poloniæ in rebus dubijs afferre posset. Dum aũt diu tius de re tanta consultaẽt, cõmodũ aduenerũt oratores ab Iagello magno duce Lituanorũ. Cuius genus explicandũ nobis est prius, q̃ cętera ꝓsequimur. Erat apud Vitenen magnũ Lituanorũ ducem magister stabuli Gediminus, uir ambitiosus & excelsi animi, qui interfecto domino suo dominatum inter suos arripuit, & latè ꝓpagauit, subacta magna parte Russię. Huic septẽ fuere filij, Montiuidus siue Moniuidus, Narimũdus, Olgerdus, Iasnuta, Keistutus, Koriatus, et Lubartus: filię itẽ aliquot, de quib. unã Cazimirus secundus rex Polonorũ uxorẽ duxit, quemadmodũ superius exposuimus. Inter filios uiuẽs adhuc Gediminus dominatũ partitus est in hunc modũ, ut Montiuido Kernouia & Sloninũ, Narimundo Pinscũ, Olgerdo Creua, Keistuto Trocchi, Coriatho Nouogrodecũ, Iasnutæ uerò Vilna caput gentis obueniret. Nam Lubartus cum Russã uxorẽ Vuladimirienſiũ ducis filiã, quemadmodũ superius memorauimus, duxisset, ac socero hęres factus esset, nullã inter fratres sortem accepit. Ex his Olgerdus & Keistutus cõiunctissimè inter se uixere, & uegetiora nacti ingenia, molestè tulerũt, penes Iasnutã nihili hominẽ principatũ esse. Itaq; hi duo post mortẽ patris Iasnutę Vilna ac de principatu de turbãdi consiliũ cępere, diẽq; patrãdi sceleris inter se cõstituère. Obuenerat etiã Olgerdo in Russia Vitepscensis dominatus, cũ unicã ducis eius oræ filiã uxorẽ accepisset. Itaq; cum eò ꝓfectus esset, nõ uenit ad constitutã cũ Keistuto diẽ. Keistutus, ut constitutũ erat, cum nõ contẽnenda manu improuiso Vilnã adueniens, arcẽ utrãq; occupauit: Iasnuta inter primum tumultũ elapsus, in sylua à Keistutanis perquisitus, captus, & Vilnã reductus, in uincula à fratre cõiectus est. Aduenit paulo pòst Olgerdus. Ibi pręclarũ inter cõiunctissimos fratres certamen fuit, de principatu nõ ambiendo aut usurpando, sed recusando. Keistutus Olgerdo uelut natu maiori cõcedebat: Keistutũ uicissim Olgerdus sibi eum habere iubebat, quẽ e fortuna uirtusq; sua obtulisset. Tandẽ sic inter eos cõuenit, ut Iasnutę portionẽ inter se partirent, principatus tñ cum Vilna penes Olgerdũ maneret: neuter alterius ditionẽ inuaderet: sed uterq; alterius cõmoda perinde ac sua curaret. Si quid seu bello, seu quauis alia ratione deinceps uteruis quæsiuisset, ex æq̃ ut inter se partirent. His conditionibus fœdus inter eos ictũ, & iureiurãdo mutuo sancitũ. Iasnutę uerò Zaslauiẽsis tractus in Russia fraterna misericordia datus. Potitus magno principatu Olgerdus, multa cũ finitimis Cruciferis Prussiẽsib. atq; Liuonienſib. bella uario marte gessit, q̃ persequi hic nobis necesse nõ est. Suscepit autem è Maria Russa uxore Thruuerẽsiũ ducis filia duodecim filios, Iagellonẽ, Skirgellonẽ, Suitrigellonem, Boriſſum, Coributhum, Viguntũ, Corigellonem, Narimundum, Languinum, Lubartum, Andream, & Buthauum. Ex his omnibus Iagellonem natu maximum dilexit pater, quòd esset præclara indole, successorem'que sibi in principatu, annuente Keistuto, designauit. Habebat & Keistutus sex filios, Vitoudum, Patricium, Totiuilum, Sigismundum, Voidatum atque Dougotum. Sed Vitoudum & ipse successorem sibi præ cæteris designauit, quòd is & effigie, & uirtutibus, & uigore animi expressius patrem referebat. Inter hos duos Iagellonem inquam &

Lituanorum ducũ stirps & propago.

Gediminus.

Gedimini filij.

Lituaniæ diuisio inter filios Gedimini.

Olgerdi & Keistuti amicitia.

Olgerdus Vitepscum dotale accepit.

Keistutus Vilnæ potitus.

Iasnuta captus à fratre.

Præclarum certamen.

Fœdus inter Olgerdum & Keistutum.

Zaslauiẽsis damnatus.

Olgerdus princeps seu magnus dux Lituaniæ.

Olgerdi uxor & filij.

Iagello princeps signatus.

Vitoudus.

Vitoudũ patrueles, ſumma erat animorũ & uoluntatũ cõniunctio. Mortuo deinde Olgerdo, anno Chriſti 1381. Iagello paterno principatu, fauente Keiſtuto, potitus eſt. Erat apud eũ gratioſus in primis Voidilo quiſpiã ruſticanę & obſcuræ ſortis homo, callidus & impiger, qui cũ primũ piſtrinã apud Olgerdũ exercuiſſet, & induſtriã ſuã ꝓbaſſet principi, cubicularius, ac deinde pocillator ei factus eſt, fuitq́ꝫ in intimis Olgerdi, quoad is uixit. Neq́ꝫ Iagello quicquã de paterna beneuolentia in eum diminuit: quin ſororẽ ei ſuam in matrimoniũ collocauit. Quę res nõ leuiter Keiſtutũ offendit. Id ubi animaduertit Voidilo, ueritus ne eius authoritate honoris et gratię periculũ adiret apud principẽ affinẽ, criminari Keiſtutũ apud Iagellonẽ inſtituit eoq́ꝫ: cõſilijs ſuis iuuenẽ perpulit, ut is clàm fœdus cũ Cruciferis Pruſſienſib. aduerſus patruũ iniret. De eo fœdere Keiſtutus, Oſterrodẽſis cõmendatoris, qui filiam eius Ioanni Maſouiorũ duci nuptã de ſacro fonte ſuſceperat, proditione certior factus, tamen Vitoudo filio chari patruelis crimina diluente, quieuit, donec Iagello bellũ contra Polocenſes imperium ſuũ detrectantes ſuſcepit: quo cum ei Magiſter Liuonienſiũ Cruciferorũ ſuppetias ueniſſet, tunc uerò ſublata omni dubitatione Keiſtutus, contractis raptim copijs Vilnã inuaſit, & in poteſtatem ſuam redegit. Accitoq́ꝫ Vitoudo filio (neq́ꝫ em̃ is arma contra amicũ cęperat) deprehenſa fœderũ monumenta oſtendit. Sed ab eo tamẽ exoratus, Vilnam modò cum ſummo priucipatu Iagelloni ademit. Cęterùm Creuam & Vitepſcũ retinere eum paſſus eſt. Voidilonẽ uerò in crucẽ egit. Sed nõ multo pòſt, dum Keiſtutus Coributum rebellẽ armis ad officium reducere nitit̃, ſiue ut Lituanorũ annales habent, Nouogrodecũ Seuerienſe oppugnat, Iagello nõ modò Vilnã proditione recepit, uerumetiã Trocchos oppugnatos per deditionem accepit. Deinde nouos uterq́ꝫ cõpararunt exercitus: Keiſtutus è Samagitis ferè, Iagello è Pruſſis & Liuonib. ille ut recuperaret Trocchos, hic ut defenderet. Sed cum in conſpectũ ueniſſent, antequã infeſtis ſignis cõcurrerent, Iagello Keiſtutũ & Vitoudũ perſpeciẽ colloquij ſeuocatos cępit: & Keiſtutũ quidem cathenis uinctũ, & Creuã miſſum in carcere necauit. Vitoudus uerò Vilnæ in cuſtodia diutius aſſeruatus, neq́ꝫ Lituanorũ, neq́ꝫ Magiſtri Pruſſienſiũ Cruciferorũ, neq́ꝫ fratrum & patruorũ deprecationib. liberari potuit. Poſtea Creuã miſſus, & morti deſtinatus, uxoris miſericordia doloq́ꝫ liberatus eſt. Nã ea cum liberã haberet cõmeandi ad uirũ poteſtatẽ, nocte quadã cõmutato cum una de duabus pediſequis habitu, ueſte muliebri indutum eduxit. Emiſſus ille, in Maſouiã ad Ioannẽ ducẽ affinẽ ſuũ, atq́ꝫ inde in Pruſſiã ad Cruciferos cõfugit. A quibus obiurgatus primũ q́ꝫ aduerſo demũ tẽpore ſuo ſocietatẽ ipſorũ expeteret, deinde benignè recreatus, & bene ſperare iuſſus eſt: Iagello uerò dominatu pacato potitus. Quãquã em̃ fecerũt Cruciferi cũ Samagitis, q Vitoudo nõ obſcurè fauebãt, impetũ in Lituaniã, Trocchosq́ꝫ munitionẽ expugnarũt Sed mox inde eiectià Iagellone è Ruſſia reuerſo, ad ſua ſeſe receperunt. Hæc altius repetere libuit cũ ꝓpter Iagellonis genus, tũ ut lucẽ afferremus hiſtorię quã deinceps de Lituanicis & Pruſſicis bellis, quatenus ad inſtitutũ noſtrũ pertinere uidebunt̃, perſequemur. Nũc ad intermiſsã ſeriẽ narrationis reuertamur. Ab hoc igit̃

Voidilo ex humili fortuna euectus.

Iagellonis fœdus clandeſtinum contra Keiſtutum.

Iagello bellum infert Polocenſibus rebellibus.

Vilna à Keiſtuto intercepta.

Voidilonis exitus.

Iagello Vilnã recuperauit.

Keiſtutus captus & in carcere necatus.

Vitoudus in cuſtodia ſeruatus.

Vitoudi uxoris amor cõiugalis et uirtus.

Vitoudi fuga in Pruſſiam.

Iagellone

Iagellone missi oratores, Skirgello & Boriſſus fratres principis, & Hanulo præfectus Vilnenſis, perã pla munera Heduigi reginæ attulerunt: cõiugiũ eius regnũq; dotale principi ſuo petiuerunt, multa magnaq; pollicentes, quę ad amplitudinem reipub. Polonæ, & ad incrementũ religionis Chriſtianæ pertinere uidebant. Nõ ſurdis auribus oratio illa à procerib Polonis audita eſt. Cęterùm Heduigis abhorrebat à barbari matrimonio. Propoſitę oratorib. cauſæ, quã ob rem nõ impetrarent, quib. de rebus ueniſſent, nimirũ q; Chriſtianæ cũ barbaro nuptę eſſe nõ liceret, & q; pacta iam quędã cũ Vilelmo Auſtriorũ duce de matrimonio prius interceſſiſſent, adiecta ducentorũ milliũ florenorũ pactione, ni pactis cõuentis ſtatũ eſſet. Ad hęc oratores reſpõderunt: Quod ad religionẽ Chriſtianã attineret, Iagellonẽ cum cęteris fratrib. Chriſtiana matre natũ, iam inde ab ineunte ętate Chriſtiana religione imbutũ, nõ alienũ ab ea gerere animũ, quãuis eius myſteriis de more initiatus nõ ſit. Sed q; multis principib. uiris petentib. hactenus negauit, id eum Heduigi & matrimonio eius daturũ eſſe, ut ſe pariter & fratres, & gentẽ ſuã omnẽ Chriſtianis myſteriis initiari ſit curaturus. Illa uerò ducẽta millia ipsũ etiã pręſtaturũ, & ſi neceſſe ſit, exoluturũ eſſe, theſaurosq; ſuos omnes & maiorũ ſuorũ in Poloniã cõportaturũ, & Lituaniã Poloniæ adiuncturũ, ut eodẽ deinceps cũ ea imperio cenſeat. Permouebãt hæc magnopere Polonorũ animos. Magna uidebat fore ad amplitudinẽ regni Lituaniq; acceſſio. Peruti le nõ modò pacẽ, ueruetiã auxiliũ ſibi eius gentis adiũgere, cuius hoſtiles excurſiones, quib. magna pars Poloniæ ſuperiori tẽpore ad uaſtitatẽ redacta eſſet, perdifficulter cohiberent: pręclarũ & gloriosũ nomini Polono, ſi eius opera Lituania religionẽ Chriſtianã ſuſciperet. Verùm tñ nihil pręter ſenioris reginę ſententiã his de rebus ſtatuendũ eſſe uiſum eſt. Ad quã Heduigis etiã puocabat, cũ aliter, q cerũ poſtulationẽ rectè refutare nõ poſſet. Itaq; ad Elizabethã oratores in Vngariã ire iuſſi: miſſiq; cũ eis de cõuentu Polonorũ Nicolaus Bogoria Zauichoſtenſis Caſtellanus, Vulodicus Ogrodnecius pincerna, ſiue ſuppĩcerna, ut uulgo uocãt, Cracouiẽſis, et Criſtinus Oſtrouius pręfectus Cazimiriẽſis, optatũ reſpõsũ retulere. Reſpõdit eñ eis Elizabetha, ſi id Poloni ex re ſua publica foreexiſtimarẽt, nõ remoraturã ſe eſſe eorũ cõmoda, neq; religionis Chriſtianę incremẽta pręciſurã. Nec multo pòſt in Croatiã cũ altera filia tẽdẽs, ab Horuato Banode medio ſublata eſt: quemadmodũ ſuperius memorauimus. Hoc reſpõſum Elizabethę cũ in Poloniã relatũ eſſet, de uniuerſi cõuentus ſententia (in q̃ tñ pauciaderãt de maiore Polonia, ſiue q; Zemouito ferè fauebãt, ſiue q; inteſtino bello diſtinebant) Lituani oratores dimiſſi, & Vulodicus atq; Criſtinus ſuprà memorati, itemq; Petrus Safranecius, et Hincia Roſcouicius legati ad Iagellonẽ cũ eis miſſi ſunt, ut eũ ad cõiugiũ Heduigis & regnũ Polonorũ uocarẽt, & ſecũ adducerẽt, ſi is ſupramemoratas cõditiones accepiſſet, et iureiurãdo ſuo ſtabiliſſet: una inſuper adiecta, de recuperãdis ijs q̃ in eũ diẽ à iuriſdictione Polonorũ regum quomodocũq; exciderãt. Cũ Zemouito aũt trãſegit regina, his cõditionib. ut is munitiones in Polonia ſub interregno captas redderet: ac, q ijs decẽ millia ſexagenarũ Pragenſiũ ab ipſa acciperet: Cuiauiã aũt hypothecę nomine retineret,

Iagellonis legatio ad reginam et Polonos proceres.

Conditiones futuri matrimonij.

Lituani oratores in Vngariam profecti.

Elizabetha regina interfecta.

Polonorum legati ad Iagellonem.

Conditio adiecta.

Reginæ pacta cũ Zemouito Maſouio.

retineret, donec ea pecunia sibi numerarent. Captiui utrinq; dimitterent liberi. De iniurijs intra inducias ultrò citroq; illatis & acceptis, delecti utrinq; arbitri arbitrarent. Pactũ quod de Lencicia cum procerib. Polonis Zemouitus iniuerat, esset irritum. Denicq; Moglinense monasteriũ idem Zemouitus recuperaret, ac redderet. Dum hæc ita fiunt, interim Vilelmus Austrius certior factus de statu rerum Polonicarũ, ac de propensa Heduigis reginæ erga se uolúntate, siue eius ipsius nutu, ut creditum est, à Gneuossio Daleucio gente Stregomio, Succamerario Cracouiensi (cui sese illa cõcredebat) ne ipse sibi deesset, admonitus, & adductus, cum splendido comitatu & apparatu magnisq; diuitijs Cracouiã inopinatus aduenit. Sed arcis ingressu Do besla Curosuancij Castellani Cracouiensis, & aliorũ procerum authoritate prohibitus, in urbe diuertit. Conuenitq; cum eo identidẽ Heduigis regina in cœnobio diui Francisci luce clara, aulico suo uirorũ & puellarũ comitatu stipata & choreis indulsit. Quin fama etiã seu uera seu falsa uulgatum est, cã cõsumandi cum illo matrimonij, priusquã Iagello ueniret, tanta cupiditate flagrasse, ut cum ille thalamo eius arceq; arceret, ipsa portã arcis clausam effringere, & in urbe optatis nuptijs cum eo defungi tentarit, nisi Demetrius Goraius thesaurarius regni ei dissuasisset. Intelligẽs aũt Vilelmus apertè sibi Polonos, pceres aduersari, simul de aduentu Iagellonis certior factus, post aliquantã morã clàm sese euoluit Cracouia, depositis apud Gneuossiũ thesauris quos secum apportarat. Vnde Gneuossius postea multas amplasq; possessiones sibi cõparasse existimatus est: sed quę tamen à liberis eius deinde turpiter distractæ ac dilapidatæ sint. Aduentabat iam cum fratrib. Iagello & cũ magno comitatu Lituanorũ. Sed ei Heduigis nupturã se nõ esse præ se ferebat, Vilelmi amore capta: cui se à patre desponsam esse, eodẽq; lecto paruulã cum paruulo cubuisse asseuérabat. Ab Iagellone uerò eò magis abhorrebat, q eum breui statura, deformem, & barbarũ barbaris moribus esse accepisset. Negabant proceres, ualere id matrimoniũ quod inter impuberes contractũ esset. De Iagellone aũt orabant reginã, ut maiorem reipub. & sanctissimæ religionis propagandę, q̃ suarũ uoluptatũ rationem duceret. Vbi emollitus est muliebris animus, cùm multiplici persuasione et precibus tum relatione Zauissæ Olesnicij, qui ad contẽplandã speciem moresq; Iagellonis per speciẽ salutandi missus utraq; cõmódiora opinione in illo esse renunciaret, tum demũ pauci proceres ei obuiã profecti sunt: in quibus principem locum Spitco Melstinius palatinus Cracouiensis obtinebat: qua re magnã is apud Iagellonẽ gratiã iniit: plures eum Cracouiæ cum regina expectarũt. Aduenit aũt Cracouiã Iagello duodecima die Februarij anno Christi 1386. qui fuit quartus post Ludouici mortem, habens in comitatu suo cũ alios cõplures duces atq; proceres Lituanos atq; Russos, tum Borissum & Suitrigellonem fratres germanos & Vitoudũ patruelem. Iam enim eũ sibi recõciliauerat, et è Prussi areuocarat, cõcesso ipsi Grodnẽsi dominatu, Breste, Drohicino, Melnico, Bielsco, Surasso, Camenecia, te Volcouisco oppidis atq; territorijs, pactus sibi fidem & obsequiũ eius, ita ut is ne legatos quidem q̃quã se inscio mitteret. Lituanorũ annales etiã Volyniã et Podoliã Vitoudo tunc

Vilelmi Austrij aduentus Cracouiam.

Vilelmus arcis ingressu excluſus. Heduigis reginæ amor erga Vilelmum.

Gneuoßij Dauelicij opes.

Heduigis alienus animus à nuptijs Iagellonis.

Iagello uenit Cracouiam.

1386 ann.

Iagellonis cum Vitoudo reconciliatio & pacta.

tunc datã esse à Iagellone memorant. Sed certiora sunt quæ nos ab ipso Vitoudo literis mandata & cõsignata, in Archiuio regio uidimus. His igit̃ comitatus Iagello uenit. Aduenies, in thalamo Heduigim reginã, magna cũ admiratione eximię formę eius, salutauit: postridie uerò perãpla ei dona cũ Vitoudo, Borisso, & Suitrigellone misit. Sed iã Iagellonis aduentus interregni & quartidecimi libri finem nobis faciat.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM,

LIBER QVINTVSDECIMVS.

VVLADISLAVS IAGELLO REX.

DE origine & moribus Lituanorũ scripsimus in superioribus libris, quantũ quærendo inuestigare, & ex uetustatis situ eruere potuimus. Nunc de religione pauca, quæ ad rẽ pertinent, nobis repetenda sunt, anteq̃ Iagellonis regnũ stylo persequamur. Ad hæc usq̃ tẽpora, quæ nunc persequimur, fuit gens Lituanica prisc̃ multorũ deorũ, seu uerius dæmonũ superstitioni dedita. Quin & ignẽ pro deo colebat, & eum in celebrioribus locis atq̃ oppidis perpetuũ asseruabat. Fulmini q̃q̃ quod Percunũ uocabat, diuinũ honorẽ tribuebat. Lucos & eximias quasdã arbores in syluis sacrosanctas habebat, ita ut uiolare eas ferro nefas esset, nec impunè erat tale quicquã ausis. Nam uiolentia dæmonũ uel interibant subitò, uel mẽbro aliquo capiebant̃. Viperas item atq̃ serpentes diuinitatis non exortes esse credebat, & alebant̃ ĩ quasi lares quidã familiares in singulis domibus atq̃ familijs, & lac eis libabat̃, & galli gallinacei immolabant̃. Eratq̃ inauspicatũ & exitiabile toti familię, quenquam ex his occidisse, aut uiolasse. Erat aũt apud eos quotannis solenne sacrificiũ sub initiũ mensis Octobris, post collectas fruges, ad q̃d frequentes cum uxorib. & liberis & seruitijs cõueniebant, ac toto triduo epulabant̃ de his q̃ dijs mactarãt & obtulerant. E`bellis etiã reuertentes manubias, & unũ aliquẽ de captiuis eximiũ uictimę loco igni cremabant. Corpora mortuorũ cum preciosissima supellectili, qua uiui maximè usi erãt, & cũ equis & armis cremabãt, et ad busta, ppinquorũ lacte, melle, et mulso parentabãt. Hos igit̃ errores cæterasq̃ omnes superstitiones Iagello, priusquã cũ Heduigi matrimoniũ iniret, una cum fratrib. & proceribus, atq̃ uniuerso comitatu suo, exceptis ĩs q̃ iam apud Russos initiati erant, abdicare iussus, quarta decima die mensis Februarij à Bozẽta archiepiscopo & Ioanne episcopo Cracouiensi sacro fonte ablutus, & Christiana religione initiatus, Vuladislai nomen accepit, & mox matrimoniũ cũ regina solenni ritu cõtraxit: Lituaniãq̃ omnẽ cũ Samagitia, & ea parte Russiæ quę in ditione eius erat, Polonię iure sempiterno adiũxit, & in unũ corpus redegit, iureiurando interposito. Ad hæc Vitoudus cum Michaele duce Zaslauiensi, & Lubarto, pro ipso his ipsis de rebus reginę & proceribus Polonis fidẽ suam obstrinxere, & obsidum loco fuere. Quarto aũt die pòst unctus ab Archi-

Lituanorũ superstitiones.

Dij Lituanorum.

Serpẽtes pro dijs habiti.

Sacrificium solenne.

Humanæ uictimæ

Funerum ritus.

Iagello baptisatus Vuladislai nomẽ accepit.

Lituania Samagitia & pars Russiæ adiuncta Poloniæ.

Fide iussores & obsides.

Vuladislaus Iagello coronatur.

epiſcopo diadema regiũ nouũ ſuſcepit. Nam uetus in Vngariã à Ludouico

Corona Polonica in Vngariã aſportata.

aſportatũ, nondũ ad eam diẽ reportatũ erat. Sequenti die in urbẽ ſolenni põ-

Lituani & Ruſſi duces iurãt in uerba regis & reginæ.

pa deductus, & in foro poſito ſolio collocatus, iuſiurandũ à Cracouienſibus & aliis oppidanis de more accepit. Lituani q̃q; & Ruſſi duces atq; pceres, qui tunc aderãt, in uerba regis & reginę iurarũt: cõſignatisq; diplomatis in fide & clientela ipſorũ & regni Polonici ſe cum ditionib. ſuis deinceps ſem per fore promiſerũt. Idem poſtea cęteri quoq; fecerunt. Extantq; in archiuio regio ejuſmodi diplomata ſub titulis & ſignis Demetrij Coributhi Nouogrodenſiũ Seuerianorũ ducis, et octo ducũ procerũq; eiuſdẽ ditionis, p Coributho fide iubentiũ: Skirgellonis, Alexandri, Vigunti Kernouienſis, Theodori Lubarti Lucẽſis & Vuladimiriẽſis, Baſilij Pinſcenſis, Volodimiri Kiouienſis, Simonis Languini filij, quẽ rex Nouogrodo pręfecit: Georgij Dougoti, Georgij & Andreæ Michaelis filiorũ, ducum. Indultũq; eſt cõuiuijs, choreis, & luſibus cõplures dies. Per quos dies Magiſter Cruciferorũ Pruſſiẽſiũ Cõradus Celner ſpreta inuitatione regis et reginę, qua ad nuptias per Demetriũ Goraiũ inuitatus erat, hoſtiliter in Lituaniã, uacuã tunc ducib. & militib. duplici agmine inuaſit: & longè lateq; eã depopulatus, Lucõliã arcẽ ui cępit: & Andreã Iagellonis fratrẽ apud Ruſſos religionẽ Chriſtianã profeſsũ, q̃ authore & cõcitatore expeditionẽ illã in Lituaniã ſuſceperat, cũ præſidio in ea reliquit. Cui ſe Polocenſes q̃q; dediderũt. Ruſſorũ hiſtoria non à Pruſſienſibus, uerùm à Liuonienſib. Cruciferis Andreã hunc adiutũ eſſe memorant. Quod ſanè probabilius eſt. Quandoquidẽ uiciniores ij ſunt Polosco & Lucõliæ: extãtq; in archiuio literæ inducіarũ, anno ſequenti inter Lituanos et Liuones cõſtitutarũ. niſi forte et hi et illi operã Andreę nauarũt. Id q̃d inde nõ malè colligit, q̃ noſter Dlugoſſus memorat, Cruciferos duplici agmine Lituaniã tunc infeſtaſſe. Eodẽ aũt tẽpore ex cõpoſito Ruſſorũ Smolenſciorũ dux Suetoslaus Lituaniã & ipſe circum Vitepſcũ & Orſam uexauit, & Meſcislauiã oppugnauit. Hæc ubi accepit Iagello, mox Skirgellonem & Vitoudũ cũ Lituanis & cum Polonis uoluntarijs in Lituaniã miſit, qui feſtinantes, cum Cruciferorũ exercitũ Lituania exceſſiſſe didiciſſent, Lucõliam partim trucidato, partim eiecto Andreæ præſidio, receperũt. Inde ad Meſcislauiã, pfecti, nihilo maiori negocio omnem eã orã in poteſtatem ſuã redegerunt, Suetoslaoq; interẽpto filiũ eius Georgiũ, iurare in uerba Vuladislai et Skirgellonis iuſsũ, Smolẽſcijs pręfecerũt. Poloſcũ q̃q; recuperarũt, ac de authorib. defectionis pœnas ſumpſerũt. Dedit et Andreas dux poſtea temeritatis ſuę pœnas, toto triẽnio in arce Chẽcinẽſi ſqualore carceris cõfectus. Cęterùm rex ipſe Iagello, perfectis ritè ſolẽnib. regni mãdati cerimonijs, ad pacãdam maiorem Poloniã animum intendit: profectusq; eò cum Heduigi regina & magno comitatu armatorũ minorum Polonorũ, Poſnanię paſcha ſacrũ peregit: & Grimaliorum atq; Nalenciorum familias capitalibus odijs diſſidentes, cum ducibus ſuis Domarato & Vincentio palatino, de quibus ſuperius multa commemorauimus, in concordiam redegit. Bona eccleſiaſtica à quibuſcunq; per uim ſiue dolum occupata erant, iuſtis dominis reſtituit. Bartholomæum Coſminium prædonicam exercentem, & uenire ad ſe recuſantem

Cruciferi Lituaniam populãtur.

Lucomlia capta.

Andreas regis frater.

Polocẽſiũ deditio.

Smolenſciorũ dux Suetoslaus Lituaniam infeſtat.

Lucõlia recepta.

Smolenſci à Lituanis & Polonis ſub acti.

Poloſcũ receptũ.

Andreas dux in carcerem compactus.

Vuladislaus rex in maiorem Poloniam profectus.

Grimalij & Naſencij reconciliati.

Eccleſijs bona ſua reddita.

Barth. Coſminius proſcriptus.

tem proſcripſit: Odalanouiã uerò arcem in ſuam poteſtatem redegit: Ioannẽ Venetium, gente Plomeniũ, iudicem terreſtrem, ut uocant, Poſnanienſis conuentus, qui propter iniuſta iudicia, & ſcelera perpetrata, cruenti dęmonis cognomentum meruit, confiſcatione bonorũ & carcere puniuit. Cum aũt Gneſnam ueniſſet Vuladislaus, & commeatum, ſeu ſtationem, ut uocant uulgò, à collegio eius baſilicæ petiſſet, nec impetraſſet, ferẽ more barbarico pigneraſſe facultates adſcriptitiorũ eccleſiæ: ſed cum eam ob rem ſacris ciuitati interdictum eſſet à Nicolao Strosbergo præpoſito & uicario Archiepiſcopi, Poſnania orto, reprehenſus à regina Vuladislaus, pignora capta reddi iuſſit. Ibi illa ſuſpirans: Pignora quidẽ reddemus, inquit, agreſtibus, cæterùm lachrymas quis eis reddet? Pium reginę dictum, & ſempiterna memoria dignum. Sic tunc res maioris Poloniæ perturbatas admodum, placide Vuladislaus compoſuit. Autumnus totus cum ęſtate his rebus conſtituendis datus: Hyeme & ſubſequentis anni initium Vuladislaus nouus rex ingenti procerum & equitum Polonorum caterua ſtipatus, unà cum regina in Lituaniam ſe cõtulit; Archiepiſcopum Gneſnenſem & multos ſacerdotes ac pios homines ſecum duxit. Zemouitus etiam & Ioannes Maſouiorum, & Conradus Olesnicenſium duces eum comitati ſunt. Conuentu Vilnam indicto ad initium quadragenariį ieiunį, conuenerunt eò Skirgello Trocenſiũ, Vitoudus Grodnenſium, Volodimirus Kiouienſium, & Coributus Nouogrodenſiũ, duces fratres principis, & infinita equitũ plebisq; multitudo. Ibi de religione Chriſtiana populariter ſuſcipienda, ac de exterminãdo cultu falſorum deorũ & omni ſuperſtitione, diligenter actum, ipſo rege maximã ei rei nauante operã, nõ ſolum hortando & orando, & pręmijs inuitando, ſed etiã docendo, cum noſtri ſacerdotes linguæ imperiti eſſent, ipſe aũt Ruſſicam callens, Polonos loquentes intelligeret. Ægrè gens barbara maiorũ ſuorũ religiones relinquebat. Sed cum iuſſu regis ſacer ignis extinctus, templũ araq; eius diruta, & adytũ, unde oracula à ſacerdote edebanẽ, euerſum Vilnę eſſet, necatiq; ſerpentes, & ſucciſi luci nulla cuiuſquã lęſione, quod pręter opinionem barbarorũ acciderat, tũ uerò barbari uanitate ſua agnita, alacriores ad principũ ſuorum religionem facti, et aliquot diebus capita religionis, quod Symbolũ uocaẽ, & orationem Dominicã, pio rege nullũ laborem ſubterfugiente, edocti, Chriſtianis myſterijs de more initiati ſunt. Sed cum immẽſi laboris eſſet, ſingulos ſacro fonte tingere, nobilioribus tantũ hic honor habitus: reliquũ uerò uulgus turmatim diſtributum, aqua luſtrali ſiue ſacra à ſacerdotib. cõſperſum eſt, unumq; nomen cuiq; turmæ tam uirorum q̃ mulierũ inditum. Plurimam ex his multitudinem rex aduectis è Polonia pannis laneis & calceis ueſtiuit, cum ad eum diem gens illa conficiendarum earũ rerum ignara eſſet, ſed aduectitijs tantum nobiliores uterẽtur: nam uulgus agreſte peronib. magna ex parte etiam nunc utiẽ, & lineis ueſtibus pelliceiſq; tunc utebatur. Baſilica deinde Vilnæ condita, & reditibus amplis atq; ſacerdotijs locupletata, ac diui Stanislai memoriæ à Bozenta archiepiſcopo cõſecrata eſt. inſtitutusq; in ea epiſcopus, Andreas Vaſſilo Polonus, gente laſtrembicius, de Franciſcanorum ſodalitate: qui Elizabethæ reginæ à confeſſionibus fuerat.

Odalanouia regi quæſita.
Iudex iniuſtus punitus.
Cõmeatus ſeu ſtationes ab eccleſiaſticis reginegatæ.
Heduigis reginæ pietas.
Vuladislai regis cum regina profectio in Lituaniam.
Lituanorum conuentus.
Vuladislai Iagellonis ſtudiũ, p. pagandæ religionis Chriſtianæ.
Ignis ſacer extinctus, & luci ſuciſi.
Vuladislaus rex euãgeliſtæ & catechiſtæ functus officio.
Baptiſatio Lituanorum.
Lituanorum ueſtitus.
Vilnenſis epiſcopa & baſilica cõdita.

Parœciæ primæ Lituanicæ.

Septẽ prętерea parœcię à rege cõstitutę dotateq́ꝫ, Volcomiriensis, Missogolensis, Nemencinensis, Mednicensis, Creuensis, Obolcẽsis, et Hainensis. His omnib. tẽplis regina plurimã supellectilẽ ad cultũ diuinũ accõmodam largita est. Remissa deinde regina in Poloniã, Vuladislaus rex totũ annũ propagandæ in Lituania religioni Christianæ uacauit, plurima'que loca per se ipse obiuit. Dobrogostiũ uerò Posnaniensiũ episcopũ ad Vrbanũ pontificẽ allegauit, eiq́ꝫ se dicto audientẽ fore solenni regũ Christianorũ more promisit. Deinde Vitepscũ & Poloscũ profectus, nouos motus sedauit, sumpto de seditiosis supplicio. Inde Vilnã reuersus, Skirgellonẽ fratrẽ pro se summę rerum apud Lituanos præfecit: legẽ cõdidit, ne Russis & catholicis matrimoniũ inter se cõtrahere liceret, nisi Russus uel Russa à suis ad nostros deficeret. Aliã item, qua bona ecclesiastica omni onere, labore, pensione, & iurisdictione principis & profanorũ quorũuis liberauit. Sorori Alexandræ, Zemouito iuniori Masouio in matrimoniũ collocatę, magno apparatu nuptias fecit. Radomiẽsem ditionẽ nouo affini in dotẽ ꝓmisit. Reuertens aũt in Poloniã, per Russiã inter fecit, Creslaũq́ꝫ Curosuanciũ Castellanũ Sẽdomiriẽsem Lusco præfecit. Leopoli Petrũ palatinũ Moldauiæ siue Valachię cũ procerib. ipsius solẽni iureiurãdo adactos, in fidẽ & clientelã accepit, cũ ij ab Vngaris sub interregno defecissent. Nec diu post discessũ regis quietę res fuerũt in Lituania. Cũ em̃ esset ęmulatio inter Skirgellonẽ & Vitoudũ, & indignũ duceret Vitoudus, excelsi animi uir, deteriori parêre, nec respõdere ꝓmissis suis & spei meritisq́ꝫ eius Vuladislaũ, nec ignoraret Skirgelloni homini feroci, & lingua manuq́ꝫ prõpto, & q per ebrietatẽ cõpotores suos plerũq́ꝫ ferro peteret, uicissim se suspectũ esse, metuens eius insidias, Grodno & Breste arcib. suis ualido pręsidio firmatis, in Masouiã ad Ioannẽ ducẽ sororis suæ maritũ cũ Anna uxore profugit: inde ad Zemouitũ eius fratrẽ se cõtulit. Sed cũ ab utroq́ꝫ malignius tractaret̃, in Prussiã ad Cruciferos cõtendit. A' quib. comiter acceptus & habitus est, q́ꝫ ij per eũ facilè se Samagitia & Lituania potituros esse sperarẽt. Cõmoratus aũt ibi aliquãdiu, administrationẽ rei familiaris & linguã Germanicã aliqua ex parte didicit. Interim Lituania et Cruciferorũ Prussiensiũ pariter & Liuoniẽsiũ armis uexata est: et in duas factiones, quarũ altera Vitoudo, altera Skirgelloni fauebat, diuisa, intestinis dissidijs laborare cœpit. Veritus aũt Vuladislaus rex, ne Vitoudus Vilna, q̃d caput gentis esse diximus, Russorũ impensius ipsi fauentiũ ꝓditione per inscitiã & ignauiã Skirgellonis potiret̃, misit eò Nicolaũ Moscorouiũ procancellariũ Poloniæ cũ mediocri militũ Polonorũ præsidio, & apparatu bellico, ut arcẽ utrãq́ꝫ tueret̃. Icerat quidẽ Vitoudus fœdus cũ Cruciferis, & spe potiundę Lituaniæ ab eis onerabatur: sed cum suspectam eorum fidem, siue uana suspicione, siue coniecturis quibusdam habere cœpisset, clàm sibi per internunciũ, Vuladislaũ regẽ, proditionem Russorũ & Lituanorũ metuentem, recõciliauit: et accepta ab eo spe adipiscẽdi sũmi principatus, siue magni ducatus, ut uulgò dicũt, in Lituaniã inscientib. Cruciferis reuertit, & in itinere tres arces Cruciferorũ Samagitis cõfines, Iurgẽburgũ, Mergẽburgũ, et Nauãzũ, cũ uelut socius et amicus intromitteret̃, cępit et exussit, pręfectis et pręsidiarijs militibus

Heduigis reginæ pia munificẽtia.

Vitepscum et Polosco pacata.

Skirgello Lituaniæ præfectus à rege.

Lex de matrimonio disparium in religione.

Ecclesiastica immunitas.

Alexandra regis soror cum Zemouito Masouio nupta.

Lusci præfectus Polonus.

Valachia in fidẽ regis Poloni uenit.

Lituanorum ducum dissensio.

Vitoudi fuga in Masouiã, & mox in Prussiam.

Lituania uexata à Prussis & Liuonijs.

Nicolaus Moscorouius cum exercitu in Lituaniã missus.

Vitoudus regi reconciliatus, redit in Lituaniam.

Cruciferorum arces à Vitoudo exustæ.

militib. Cruciferorũ partim cęsis, partim in seruitutẽ abductis, ut aliq̃ tñ cũ munere ab hostib. ad suos rediret. Cum aũt spem sibi datã à rege diutius duci uideret, cõsiliũ cępit Vilnę per ꝓditionẽ capiendę. Verũ fraude intempestiuè detecta, spe frustratus in Prussiã, recõciliatis sibi per literas et internuncios Cruciferis, sese recepit, indeq́ biennio Lituaniã cũ auxilijs Cruciferorũ infestauit. At in Polonia lites & simultates inter regẽ et reginã suspicionib. quibusdã ac susurronũ delationib. excitatæ eousq́ increuerant, ut nõ longè essent à dissidio, ni se primores interposuissẽt. Cõuenit tandẽ, ut delatores utrinq́ ederent. Editus Gneuossius Daleuitius succamerarius Cracouiẽsis, q̃ sanctissimã fœminã Heduigim reginã clàm apud maritũ regẽ, pbri insimularat, q̃ diceret, absente illo Guilelmũ Austriũ secretò Cracouiã uenisse, et aliq̃t dieb. cũ regina cõsueuisse. Qua de re satisfecit regina regi iureiurãdo. Cęterũ Gneuossiũ iudiciũ de infamia Vislicię in cõuentu procerũ institutũ est. Ibi in accusatus, damnatusq́ Gneuossius, cũ nõ ꝓbasset q̃ dixerat, nec dixisse se negare posset, ex decreto iudicij, mẽtitũ se esse clara uoce et latratu subter scamnũ edito, ꝓfessus est. Est aũt ea grauissima apud Polonos et infamię plena mendacij retractatio, q̃ fit publicè latratu canino adiuncto. Ita sublata omni suspicione, amor cõiugalis est inter regẽ et reginã redintegratus. Per illud tẽpus cũ Bozenta Archiepiscopus Gnesnensis esset mortuus, Ioannes Cropidlo, quemadmodũ prius Posnaniẽsem, ac deinde Vuladislauiẽsem sedẽ inuaserat, Gnesnensem etiã, neq́ suffragijs collegij, neq́ regis cõmendatione adiutus, unius de duobus, q̃ de pontificatu maximo tunc cõtendebant, authoritate inuadere conatus est. Sed rege aduersante neq́ Gnesnensem adeptus est, et Vuladislauiensi excidit, Henrico Legnicensi duce successore accepto. Cũ aũt pertinacius de Archiepiscopa litigaret Cropidlo, captus à Sbigneo Brezio Marsalco regni, et omnib. facultatib. exutus, regisq́ iussu dimissus, inopem uitã aliquot annis egit, donec Camenensis episcopus in Pomerania, ac deinde Henrico mortuo, et Nicolao Curouio successore eius ad Archiepiscopã translato, Vuladislauiensis iterũ rege indulgẽte factus est. Bozẽtę aũt Dobrogostius Nouoduorius episcopus Posnanensis, q̃ Cropidloni Vuladislauiã translato successerat, uolũtate regis successor datus est. Fecit deinde Vuladislaus rex anno Christi 1390 expeditionẽ in Lituaniã, ut glisces inter Lituanos et Russos studio partiũ dissidiũ reprimeret, Vitoudiq́ potẽtiã frangeret, atq́ excursiones arceret: cuius iuuandi gratia Cruciferi Prussiensis exercitũ in Germania et alijs exteris oris cõparabãt. Tenebant Vitoudi prędijs arces Breste, Camenecia Polessensis, et Grodnũ, è q̃bus crebrę fiebãt in finitimas oras excursiones. Eas igit arces primũ rex in potestatẽ suã redigere adortus, Breste intra decimũ diẽ cępit, et Hinciã Roscouiciũ equitẽ Polonũ cũ prędidio ibi collocauit. Inde cũ Poloni milites impatiẽtia frigoris (nã initio Februarij hęc agebant) et pabuli cõmeatusq́ penuria missionẽ efflagitassent, cũ aulico suo comitatu, et paucis uolũtarijs, q̃ nongentorũ numerũ nõ explebãt, ad Camenecią castra mouit, captamq́ nullo negocio arcẽ Zindrami Mascouicij eqtis Poloni fidei cõmẽdauit. Inde porro nihil paucitate suorũ ac dubia Lituãorũ et Russorũ fide deterritus, trãsmisso Nemẽo fluuio,

Vitoudus iterum transit ad Cruciferos.

Lituania à Vitoudo uexata.

Simultas inter regem et reginã.

Gneuoßius Daleuitius infamia notatus.

Mendacis obtrectatoris pœna apud Polonos.

Ioannes Cropidlo Archiepiscopa excluſus à rege, & Vuladislauiensem episcopam amisit.

Cropidlo episcopus captus.

Dobrogoſtius Archiepiscopus Gnesnensis.

1390 ann.

Vuladislaus rex ducit in exercitum.

Breste captum.

Camenecia capta.

Grodnũ obsessũ. ad Grodnum cãstra metatus est. Ibi cõuenere ad eũ Skirgellonis, Volodimiri, & aliorum Lituanorũ ac Russorum ducũ atq; procerũ non contemnendę copię. Coributhus uerò Nouogrodensiũ Seuerianorũ dux, cũ Russis de religione sentiens, per seipse cum insigni equitatu in castra regis fratris uenit. His copijs Grodnũ, cũ non facile ui caperet, obsessũ est. Non latebãt hęc Vitoudũ: nec ignorabat is, Grodnẽsis diuturnã obsidionẽ ferre nõ posse. Propterè igit cũ nõ parua Prussorũ & Cruciferorũ manu in auxiliũ suis aduenit, ac cis Nemenũ è regione arcis castris positis, nouã arcẽ in aggesto de terra tumulo munire instituit. Verũ nihil ea re obsessi relevabant. Et iam inferior arx inspectante ipso expugnata erat. Igitur intermisso cœpto opere, Vitoudus ferreã cathenã nauibus deuectã per flumen ad arcẽ deligauit, eaq; cõtinuatis nauibus in flumine pontẽ iunxit, q̃ facilius laborantib. suis subueniret, cõmeatũ supportaret, ęgros atq; saucios ad se transferret, et, p his recentes submitteret. Contra id opus regij milites ingentes piceas siue pinastros in ripa succisas, et in amnẽ deiectas secundo flumine implerũt, quę impetu rapidi amnis celeriter delatę cathenam perruperũt, nauesq; nõnullas cũ hominib. obluctantib. attriuerũt ac demerserũt. E' quib. unus q̃spiã Germanus, in ulteriorem ripam ad regia castra frustra inclamantibus suis, ut in undis periret potius, quàm in hostiũ potestatẽ ueniret, enatauit. De quo rerum hostilium status omnis cognitus est. Insequenti aũt nocte Vitoudus cũ suis desperata defensione arcis, fugienti similis discessit, et arx post quinquagesimũ obsidionis diẽ in deditionẽ regis uenit. Nec sanè multo leuior ea obsidio obsidentibus q; obsessis fuit. Tanta em̃ rerũ penuria pressi sunt, ut uix ater ac de silligine pariter cũ spicis molita factus panis (quali etiamnũ uulgus Lituanorũ ferè utitur) militib. ad uescendũ suppeteret: equis uerò frondes arborũ ac uetus palea de rusticanis tugurijs detracta, ac per quatuor decim miliaria petita pabuli loco esset. Ab ea Grodni deditione q̃d egerit Vuladislaus, nõ reperio. Nisi fortè tũc, pfectus in maiorem Poloniã, Varcislaũ ducem Pomeranorũ Scecinensiũ ritu solenni iuratũ, in fidem et clientelã suam atq; regni, et in societatẽ contra Cruciferos Prussienses accepit. Extat em̃ in archiuio regio diploma Varcislai hoc anno cõscriptũ, q̃ is profiteť se iusiurandũ eo nomine regi et regno dedisse, idemq; Boguslaũ fratrẽ facturũ esse Pysdris, et, p tertio fratre Barnimo itidem promissurũ esse promittit. Recipit etiam se Naclum regi esse redditurum, recepta ab eo Bydgostia. Extat & alterum diploma omnium horum trium fratrum biennio antè conscriptum & consignatum, quo ij redditam sibi esse à rege Bydgostiam testatum faciunt, certumq; modum auxiliorum & muniorum uti clientes patrono, regi pollicentur. Quomodo autem Naclo potiti fuerint quod reddebant, & Bydostia quam repetebant rursus amissam, nihil compertum habemus: nisi fortè ininterregno ac cuili bello maiorum Polonorũ munitiones illas interceperãt: aut Naclũ quidem interceperãt, Bydgostiã uerò post mortẽ Cazimiri itidẽ ducis Pomeranorũ Scecinensiũ, siue fratris siue, ppinq; sui iure successionis sibi uendicabãt. Superius em̃ memorauimus, eã inter alia ipsi à Cazimiro magno testamẽto legatã, & à Ludouico cõcessã, rursusq; post mortẽ eius recuperatã esse. Interea uerò dum

Vitoudus cũ Cruciferis. Grodnensis arx capta.

Obsidentium patientia. Panis Lituanicus.

Pomeranorũ duces in fidem et clientelã regis Poloni ueniunt.

Bydgostia cõcessa Pomeranis ducibus.

dum rex expeditione Lituanica occupatus fuit, ferẽ Heduigis regina alterũ de Polonis exercitũ comparasse, et Iaroslauiam, Prȩmisliã, Grodecum, Haliciã, Trebouuliam, superiorẽ Leopolim, & alias quasdã arces in Russia meridionali in potestatẽ suam redigisse, eiectis Silesijs et Vngaris, quorũ fidei arces ille à Ludouico rege olim cõmendatę erant. Maturescentib. aũt segetib. cum Lancastro Henrici regis Anglorũ filius, cũ permagna Anglorum, Francorum, Teuthonumq; uoluntariorũ manu in Prussiam piæ cõtra barbaros militię opinione uenisset, triplici agmine in Lituaniã itũ est, Vitoudi uindicandi restituendiq; prętextu, reuera aũt ut Lituaniã sibi Cruciferi subiugarent. Ducebat aũt unum agmen Vitoudus, alterũ Maister Liuonienſiũ Cruciferorũ, tertium ipse dux belli Conradus Valerodus Magister Prussienſiũ. Apud Cauunũ, q̃d oppidum in cõfluente Nemeni et Vilię fluuiorũ sitũ est, eæ copię cõuenere. Inde ad Trocchos peruentũ, & oppidum id crematũ est. Hinc ad Vilnã castra mota. Ibi regię hosti aduentanti occurrere, cõmissoq; prælio terga dedere, multis fortib. uiris amissis: inter q̃s clari maximè fuere, duces Simon Iasnutæ, Hilebus Suetoslai filius, & Ioannes Leo. Deinde arx Vilnensis inferior, quam Curuã uocãt, uix dũ obsessa, à proditorib. Russis & Lituanis succensa est. Ex q̃ incendio cum sese Corigello frater regis subduceret, ab hostib. exceptus et capite plexus est. Cętera multitudo omnis in ea arce partim absumpta incendio, partim ferro hostili crudeliter cæsa. Ad quatuordecim millia hominũ ibi perijsse existimant. Superiorem arcem Poloni cũ Nicolao Moscorouio præfecto tenebant, nec aut clade suorum & cõflagratione arcis, aut minis hostiũ & ostentatione capitis Corigellonis, ac neacerrima q̃dem oppugnatione, qua pars muri nõ exigua deiecta erat, ad deditionẽ compelli poterãt. Veriti aũt proditionẽ, ipsi inter se custodias ac cętera defendendę arcis munia, submotis Russis atq; Lituanis, partiti sunt. Loca deiecti muri uel humo fimoq; opplebãt, uel corijs pecudũ et iumẽtorũ laxe prętendebãt, et sic bombardarũ ictus eludebãt: denicq; corporib. suis hosti irrumpere conãti aditũ obstruebant. Skirgello quoq; regius frater, noctu ferè cũ suis Lituanis et Russis erumpẽs, nõ paruis detrimẽtis atq; cladib. hostes afficiebat. Cũ aũt plus minus tres menses arx irrito labore obsessa et oppugnata esset, primis demum Octobris diebus hostes magna nõ modò, pfanarũ, sed et sacrarũ q̃diũ uastitate, et inermiũ hominũ atq; infantiũ cæde perpetrata, ac obsidiõe discessere. Nõ paucos tñ & ipsi fortes uiros in ea obsidiõe desiderauere. In his fuit Algardus comes Hoensteinẽsis. De ducib. aũt hinc Narimũdus Iagellonis, illinc Totiuilus Vitoudi frater periere: hic q̃dẽ bõbarda ex arce ictus, ille uerò in singulari certa mine uictus, captus et pedib. ex Vlmo iussu Vitoudi suspensus, et sagittariorum spiculis cõfectus. Depopulatus est deinde finitimã Prussię Samagitiã. Vitoudus cũ cõmendatore Ragnetensi, et pręfecto Insterburgensi, qbus hoc negocij datũ erat à Cruciferis. Porrò Vuladislaus rex opẽ laturus afflictę patriæ, mense Nouembri cũ magno apparatu armorũ, cõmeatuq; copioso uenit in Lituaniã, et nutãtes dubiosq; Russorũ et Lituanorũ animos liberalitate et largitione maximè lanearũ uestiũ, quarũ permagnã uim secũ apportarat, confirmauit. Et q̃niam Nicolaus Mosco-

Russia munitiones receptæ ab Heduigis regina.

Cruciferi Lituanis bellũ inferũt.

Cauunũ oppidũ.

Trocchi incensi.

Lituani fusi à Cruciferis.

Arx Vilnensis inferior incensa à proditoribus Russis.

Corigello dux captus et occisus.

Strages Lituanorum.

Vilnensis arx superior à Polonis defensa.

Narimundus & Totiuilus duces interfecti.

Vitoudi excursio altera in Lituaniam.

Vuladislai expeditio in Lituaniã.

Moscorouius prę fectura se abdicabat, ppter Skirgellonis superbiã et crudelitatẽ, hostium q̃ potentiã, et Russorum atq̃ Lituanorũ fluxam fidem, Ioannem Olesnicium Polonũ gente Dembniũ, successorem rex ei dedit. Skirgellonẽ uerò ut Vilna amoueret, Kiouiensi orę præfecit. Drohicinensẽ tractũ cũ Drohicino Melnico, et Bielsco arcibus Ioanni seniori duci Masouię hęre ditario iure donauit, pactus ut is tractus, sicut ad Poloniam pertinebat, ita deinceps quoq̃ pertineret. Idem autem eius nomine dux regi præstaret q̃d alij duces in Lituania præstent. Deinde hyeme rex in Poloniã reuertit. Cum Silesijs ducib. Henrico Glogouiensi atq̃ Stinauiensi, et Conrado secũdo Olesnicensi et Cosiensi inducias pepigit: ea cõditione, ut ij Calisiã ad se ueniret, ac de cõtrouersijs atq̃ damnis datis secũ transigerẽt. Vnde apparet ipsis aliquid disidij cũ Polonis intercessisse. De quo tamẽ nihil præterea compertum habemus. In Lituaniã deinde milites in supplementũ, commeatum, atq̃ arma Olesnicio transmisit. Æstate sequenti rursus Vitoudus cũ Cruciferis ad Vilnã duxit exercitũ, spe proditionis ab ijs, quibus exosus erat Skirgello, faciendæ, inductus. Cognito uerò aduentu hostiũ Olesnicius præfectus, oppidũ, ne receptaculo esset hostib. cremauit: septisq̃ de uiridi robore pluribus in locis extructis, aditũ ad arces impediuit, et in uenientes hostes ad ędẽ Virginis matris, quã Franciscani sodales obtinent, impetũ fecit: nullo q̃ de suis amisso in arcẽ se recepit. Animaduersa nostrorũ audacia, desperataq̃ ob amotũ Skirgellonẽ proditione, Vitoudus et Cruciferi paucis diebus soluerunt obsidionẽ: & ne nihil egisse uiderent, reuertentes, Vilcomiriam & Nouogrodecũ castella supra Viliã fluuiũ à Skirgellone condita, ut cępêre & incendêre, interfectis nostrorũ pręsidijs. Duabus deinde alijs excursionibus eadem æstate, Lituaniam populati, Mednicos & Velzanos in Samagitia exussere. Hyeme uerò ad Cauunũ, q̃d regio pręsidio tenebatur prouecti, tres munitiones in circuitu excitarũt, Naugardũ, Metemburgum, et Ritteruerderũ. Et hæc q̃dem extrema Vitoudo cũ suis cõcessa. Reliquas uerò duas Cruciferi suis pręsidijs firmarũt, et ex his subiectã orã infestarũt. Porrò Ioannes Olesnicius, ut hostiũ conatus reprimeret, Alexandrum Vitoldi fratrem cũ expeditis copijs ad expugnandas eas munitiones misit. Et tentauit is q̃dem Ritteruerderũ, sed mox infecta re discessit, cũ propè abfuisset, quemadmodũ postea cognitũ est, ut id caperet. Cęperat iam Vuladislaũ eius belli satietas, ppter Polonicas occupationes, quibus distinebat, & magnitudinẽ sumptuũ. Cogebat enim per omne id bellũ frumento, lardo, leguminib. et pecudibus submittendis, nõ modò pręsidiariorũ, sed et Lituanorũ ipsorum nobiliũ atq̃ populariũ inopiã releuare, ne regionẽ hostilibus excursionib. peruastatã, et alioq̃ incultã ferè atq̃ sterilem desererent, & hostib. occupandã permitterent, né ue ipsi ad eos deficerẽt. Itaq̃ Henricum Zemouiti Masouij filiũ, q̃ Plocensis episcopus post Stiborij mortẽ designatus erat, subornat, ut ad Vitoudũ pfectus clàm de pace ageret. Sublatus erat ueneno per eos dies Alexander Vigũtus regis frater, qui ppter industriam atq̃ dexteritatem in reb. agendis & mores minimè barbaros, regi charus fuerat, et Bydgostiã Inouuladislauiamq̃ ab eo acceperat, et Vuladislai Oppoliensium

Ioannes Olesnicius. Drohicinensis tractus Ioanni Masouiorũ duci donatus.

Cum Silesijs inducię.

Vitoudus Vilnam rursus oppugnat.

Vilcomiria et Nouogrodecum oppida incensa.

Mednici et Velzani uici exusti. Cauunũ obsessum

Commeatus Lituanis è Polonia suppeditatust.

Henricus dux designatus episcopus Plocensis.

Vigundus dux ueneno extinctus.

ensiũ ducis filiã uxorẽ duxerat, sed nullos ex ea reliquerat liberos. De cuius morte Vitoudus uulgò insimulatus est. Hoc igit extincto, facilius de pace inter regẽ & Vitoudũ conuenit, cũ rex ei principatũ siue magnũ ducatum posthabitis fratrib. germanis superstitibus, pollicitus esset, cũ ꝙ illos ignauos et uenationib. modò atq; ebrietati deditos esse cerneret, tũ ut se molestia belli Lituanici, et metu insidiarũ Vitoudi liberaret. Hac igit cõditione Henricus Vitoudũ Vuladislao reconciliauit: et ipse iam Hypodiaconus repudiato sacerdotio, filiã Vitoudi Ringalã uxorẽ duxit. Sed paucis dieb. ueneno extinctus, temerati uoti pœnas dedit. Qua re cognita, Bonifacius pontifex, cũ Plocense collegiũ sacerdotũ aliũ sibi episcopũ eligere cũctaret, Mamphiolum, ꝓpinquũ suum episcopũ dedit Plocensibus. Sed cũ is possessionẽ episcopę adipisci nõ posset, aduersantib. ducibus, sacroq; et equestri ordine, Iacobum Corskeuiũ siue Curduanouiũ equitẽ Polonũ, iureconsultũ et auditorẽ palatij apostolici, in locũ eius suffecit. Atq; hic quoq; ægrè receptus est. Vitoudus aũt rebus suis cũ Vuladislao ex animi sui sentẽtia compositis, Cruciferos atq; Teuthonas mercatores in Ritteruerdero castello secũ cõmorantes cõprehendit, et incenso castello uinctos in Lituaniã secũ abduxit. Abeuntem Cruciferi è reliquis duob. castellis persecuti, et adorti, paruo negocio fusi fugatiq; sunt, et castella à Vitoudo ui capta, et exusta. Veniens aũt Vilnã Vitoudus cũ captiuis, et nõ contemnẽda prẽda parta de Cruciferis, honorificè ab Olessnicio, quemadmodũ rex iusserat, acceptus est. Quibus de rebus certior factus Vuladislaus, ad finẽ mensis Iulij, ꝓperè in Lituaniã profectus, apud Ostrouũ Vitoudũ cũ suo comitatu supplicẽ obuiũ habuit, et clementer eũ cõsolatus, cũ Skirgellone in gratiã reduxit, cũ ei rex, ꝓmitteret, ac diplomate etiã caueret, se Vilnã, Vitepscũ, Mereciam, & Gartenũ arces ipso inscio nemini traditurũ esse. Vbi Vilnã uentũ est, ibi rex Vitoudũ amoto de prẽfectura Olessnicio, summę rerũ apud Lituanos atq; Russos prẽfecit, accepto ab eo iureiurãdo, ꝙ in fide & clientela Polonorũ semper futurus esset. Hoc idẽ Anna uxor eius, ꝓ se et ꝓ marito spopõdit, et literis consignatis cauit. Id adeò anno Christi 1392 actũ est. Nec tñ datus Vitoudo principatus, pacẽ Lituanis attulit. Nã Suitrigello & Skirgello indignè tulerunt, ꝙ germani fratres Vitoudo patrueli posthabiti essent. Ac Suitrigello quidẽ cũ minus animi et uiriũ haberet, ad Cruciferos profugit: & Lituaniã cũ eis ultrò in Vitoudũ incitatis, crebris populationib. diuexauit. Per ꝗd quidẽ tẽpus Surasscũ, Barthenã, & Stramelã arces Cruciferi de Lituanis cępere. Skirgello uerò maiore animo et opib. prẽditus, ex æmulatione & iurgijs ad testatas cũ Vitoudo inimicitias uenit. Quorũ malorum sedandorũ causa rex rursus cũ regina anno sequenti in Lituaniã cõtendit, Skirgellonẽ adiecto ei Cremenecensi, Starodubensi, et Starotrocensi tractu, placauit. In posterũ si ꝗd noui dissidij inter eos ortũ esset, cõuenit ut reginæ arbitrio staret. Ita quidẽ Dlugossus, & post eũ Miechouiensis. Verùm extãt Vitoudi literæ, ꝗbus is testatũ facit, se cum Skirgellone in gratiã re dijsse, et societatẽ cõtra quemlibet, excepto rege Polonorũ, iniuisse. Ac se quidẽ Kiouiensem dominatũ armis quærere, ipsiq; & hęredib. eius iure sempiterno tradere debere: Vuladislaũ uerò regẽ, se assentiente, Cremenecią et Stoscum eidem donasse, ꝓpterea ꝙ is patrimonio in

Vitoudus regi reconciliatus.

Henricus Masouius Hypodiaconus uxore ducta ueneno sublatus est.

Plocensibus episcopus à pontifice datus.

Iacobus Corskeuius auditor palatij Apostolici.

Vitoudos Cruciferos damno & clade afficit.

Vitoudi reditus in Lituaniam.

Vitoudus princeps, seu magnus dux Lituanorum creatur.

Vitoudus iurat in uerba regis Polonorum.

1392 ann.

Suitrigello ad Prussos transijt.

Lituania uastatur à Cruciferis.

gratiã ſuam ceſsiſſet. Lituanica hiſtoria hic Skirgellonis mentionẽ nõ facit. Sed Coributhũ fratrẽ eius, detrectantẽ imperiũ Vitoudi, cõparato exercitu cũ Vitoudo cõflixiſſe: uictumq; Nouogrodecũ, ubi uxorẽ & liberos habebat, fugiſſe, et cũ his expugnata arce à Vitoudo captũ eſſe. Atq; hinc nata eſſe uidet ſponſio Alexandri Rezanenſiũ ducis pro Coributho regi facta, & literarũ monumentis, q̃ extant in archiuio regio, ſignata, cũ eum rex è uinculis liberaſſet. Nec multo pòſt Andreas quoq; frater eius, q Chencinis aſſeruabat, dimiſſus eſt, Vitoudo et aliis quibuſdã ducib. interueniẽtibus, regiq; fideiubentib. pro ipſo. Theodorus uerò dux Vuladimirienſis (Lubartus is fuit, ni fallor) dominatũ Seuerienſem tũc à rege accepit, pmittens cõſignatis etiã literis, in fide & poteſtate regis ſemper ſe futurũ eſſe. Ita cõſtitutis rebus Lituanicis, rex et regina in Poloniã reuertère. Orſam deinde iuſſu regis à Vitoudo expugnatã eſſe, Lituanica pdit hiſtoria, Vitepſcũ uerò per deditionẽ receptũ, eiecto Suitrigellone, q Theodorũ quendã aucupẽ orę illi nuper à rege poſt mortẽ matris prefectũ excluſerat, & per dolũ interfecerat. Atq; hęc fortaſſe Suitrigelloni cauſa ad Pruſſos fugiendi fuit. Occurriſſe aũt Vitoudo eam expeditionẽ faciẽti duces Odruſcenſes, Smolenſcẽſem uerò Vitepſcum ueniſſe, & omnes pfeſſos eſſe, ſe in poteſtate ipſius Vitoudi eſſe. Vere aũt proximo eundem Vitoudũ Zitomiriam & Kiouiam in poteſtam ſuam redegiſſe: amotoq; Vuladimiro duce, Skirgelloni eam, ſicuti promiſerat, tradidiſſe: à Skirgellone uerò Cercaſſos & Suinigrodũ munitiones captas eſſe. Nec multo pòſt ipſum ad uenationẽ, pfectũ, à monacho quodã Ruſſo Metropolitæ uicario ad uillam inuitatũ, uenenatoq; poculo de medio ſublatũ, in Piezaris honorificè ſepultũ eſſe. Sunt aũt Piezari ſpecus uaſtiſsimus apud Kiouiam, illuſtrium Ruſſorum ſepultura nobilis. Dlugoſſus in arce Viſſegradenſi occiſum propter intolerabilẽ crudelitatẽ refert. Proſequit deinde Lituanica hiſtoria, Vitoudum Kiouienſibus miſiſſe ducẽ Ioannem Olgemundi filiũ, Rezanenſem autẽ tractum per Simonem ducem magna ex parte uaſtaſſe. Ipſum uerò Smolenſcum contendiſſe, ac ducem eius orę Glebum rebellantẽ amouiſſe, et aliũ Smolenſcis præfeciſſe: eoq; ad Vitoudũ ueniſſe Baſiliũ ducẽ Moſchorum, generũ, et honorificè ac liberaliter acceptum eſſe, ac dimiſſum. Tartaros deinde à legato Vitoudi, Olgerdo duce pfligatos, cęſis trib. eorũ ducib. qbus Podolię tributũ pendebat: Theodorũ aũt Coriathi filiũ Podoliæ ducẽ imperiũ Vitoudi detrectantẽ uictũ, captumq;, et Bratislauiã, Camenieciã, Smotriciam, Scalã, Ceruonygrodũ, & omnem Podoliã in poteſtatem redactã eſſe. Poſtea uerò Vitoudũ Vuladislao regi petẽti partem Podoliæ cũ ſuprà memoratis arcibus conceſſiſſe, quadraginta millibus florenorũ ab eo acceptis. Hæc ita bona fide è Lituanica hiſtoria hic retullimus. Tametſi q; ad Podoliã et Camenieciã attinet, uel erraſſe, uel data opera ſeriem rei deprauaſſe uidet ſcriptor, qſquis ille fuit. Primũ em̃ ut demus Lituanis, eam oram Podoliæ Tartarorũ incurſionib. deſolatã, à Coriathi filiis occupatã, ab eiſdemq; arces ſuprà memoratas, excepta Bratislauia, munitas eſſe: uiciſſim illi nobis cõcedant oportet, id q̃d ſuperius expoſuimus, Ruſſiam meridionalẽ et Podoliã uſq; ad Cremenieciã à Cazimiro magno Polonorũ rege ſubactã eſſe: idq; nos nõ leui cõiectura collegimus, ſed pactis ipſorum ducum

Coributhus cũ uxore & liberis captus à Vitoudo.

Andreas dux dimiſſus.

Theodorus dux Seuerienſis iurat in uerba regis.

Orſa capta.

Vitepſcum receptum.

Odruſcenſes & Smolenſcenſes duces ſubditi Vitoudo.

Skirgello dux Kiouiæ.

Cercaſſi & Suinigrodum.

Skirgellonis mors.

Piezari.

Ioannes dux Kiouienſium.

Rezania uaſtatur.

Baſilius Moſchorum dux gener Vitoudi.

Tartari profligati à Lituanis.

Podolia ſubacta à Vitoudo, & pars eius regi Polono uendita.

De Podolia uerior hiſtoria.

Podoliam non à Vitoudo, ſed à Cazimiro rege ſubactam eſſe.

ducum Lituanorũ, inter ꝗs fuit Georgius unus de Coriathi filijs, Theodori huius frater, quẽ à Valachis ei orę finitimis interfectũ Lituanica hiſtoria memorat, cõprobauimus. Deinde cũ ut quęcꝫ ora ad regnũ adiũcta eſt, ita eius orę palatinus in ampliſsimo ſenatu regio locũ tenet, Podolię palatinus Belſenſem prędecedit. Iam aũt hoc tempore cuius res geſtas nũc perſquimur, Belſenſis tractus, in ditione Polonorũ erat: imò ſequẽti aut certe tertio anno pòſt Zemouito Maſouiorũ duci, à rege donatus eſt. Ad hęc, ſicut cęterę Ruſsię q̃ in ditione Polonorũ regũ tunc erat, ita Podolię quoꝫ Vngaros rex Ludouicus prędecit, ſicuti nos ſuprà memorauimus. Et extãt in archiuio regio binę literę Theodori ducis Podoliæ ac domini de Muncatio, q̃ arx eſt in Vngaria, paulo poſt hæc tẽpora ſcriptę, qbus teſtatũ facit, ſe cũ Vuladislao rege Polonorũ tranſegiſſe, et cũ Podolia ipſi ſe in fidẽ et clientelã tradidiſſe. Poſtremò extat exemplũ diplomatis ipſius Vuladislai regis ſubtitulo et ſigno Alberti Archiepiſcopi Gneſnenſis, ex ipſo exemplari deſcriptũ, q̃ rex indicat, Camenecẽſem arcẽ ac territoriũ Vitoudo et hęredib. eius in feudũ, ut uocãt, à ſe dari, idꝫ anno Chriſti 1394 factũ eſſe. Quod quidẽ tempus congruit cũ eo, q̃ ſcriptor illè eandẽ Camenecią cũ cęteris eius orę arcib. Vitoudum per uim cępiſſę memorat. Quo fit, ut ſit ueriſimilius, Vitoudũ, cũ partẽ Podolię eam, in qua eſt Zitomiria, & Cercaſsi, in poteſtatẽ ſuam redigiſſet, Camenecią quoꝫ de Vngaro duce partã, precario tñ à rege, ut q̃ ad regnum pertineret, obtinuiſſe. Reliquũ uerò eius orę Vngarũ indulgẽtia regis deinceps quoꝫ retinuiſſe. Per hoc aũt tempus Cruciferi Pruſsienſes incitãte Suitrigellone, Lituaniã crebris excurſionib. longe lateꝫ uexarũt: munitiones etiam nõnullas cęperũt, & caput gentis Vilnã tentarunt, ſpe ſubornatæ per Ruſſos monachos, pditionis et incendendarũ arciũ: ſed cum ab uno ex ipſis detecta eſſet pditio, ſumptumꝫ de cõſcijs ſupliciũ, Cruciferi re infecta receſſerunt. Erant quidẽ ad manũ Lituanis nõ cõtemnenda Polonorũ partim à rege miſſorũ, partim uoluntariorũ auxilia: ſed nuſꝫ tñ ad uniuerſam prælij dimicationẽ cũ hoſte uentũ eſt. Satis habuere noſtri ex inſidijs hoſtiles uires carpere, nõnunꝫ etiã ipſi in hoſtilẽ agrũ populabundi excurèrе. Quo factũ eſt, ut nõ minus incõmodi acceperint Cruciferi, q̃ intulerint. Dum hæc ita geruntur in Lituania, interea rex et regina ſtudijs pacis occupati, muros arcis Cracouienſis, q̃ humiles ad eam diem fuerãt, altius excitarũt, prędectis uigilũ, ꝗs Burgrabios uocãt, ſtipendia auxerunt, et ut ſingulos eqtes ſagittarios in pmptu ſemper haberẽt, iniunxerunt. In ſuburbano etiã Cracouienſi ſeptentrionali, & in ora Clepari oppidi, monaſteriũ titulo S. Crucis inchoarunt, et in eo Slauos Benedictinę ſectę Praga accitos, q̃ Slauica lingua ſacris operarentur, collocarũt. Quanꝫ aũt templũ id atꝫ monaſterium conſumatũ nõ eſt, morte Heduigis reginę intermiſſum, cantatũ tñ ibi et ſacra facta Slauica lingua uſꝫ ad ſuã ætatẽ Dlugoſſus memorat. Aliud item monaſteriũ in eodẽ ſuburbano occiduo, titulo S. Marię in arena Carmelitis ſodalib. mẽdicantib. cõdidère. Pſaltarum quoꝫ ſiue pſalteriſtarũ collegium in baſilica Cracouienſi ijdẽ inſtituère, attributo eis de ſalinis ſalario. Sub idem tempus Ioanne cognomento Paruo epiſcopo Cracouienſi mortuo, ſucceſſor à collegio deſignatus eſt Setegius ſiue Secechus Chmielicius canonicus. Sed rege et regina

1394 ann.

Cruciferi uexant Lituaniam.

Vilna oppugnata.

Cracouienſis arx firmata.

Burgrabij.

Templa circum Cracouiam.

Sacra Slauico ſermone.

Electio epiſcopi abrogata.

gina postulantib. Bonifacius nonus pōtifex max. Ioanne abrogato, Petrum Vissum iurecōsultū prępositū Vuladislauiēsem et cancellariū reginę, eque-stri Brogorū siue Aceruorū familia ortū nō optimo consilio episcopū fecit. Sed luit is pōst ambitionis suę pœnā. Venit per eadē tempora in Poloniā Sigismundus rex Vngarorū, uisendæ Heduigis reginæ causa. A' qua dies aliq̄t Sandeciæ perhumanè habitus, & post longos tractatus de rebus publicis et priuatis dimissus, in Vngariā reuertit. Id adeò post Marię reginę, Sigismundi uxor, Heduigis uerò soror fuerat, mortē factū esse, ratio temporū argumēto est. Scribit em̄ Antonius Bonfinius, Multū negocij Sigismundo Croatas, Bosnenses, Bulgaros, Valachos, atq; Transalpinos, mulieris & externi regis imperiū aspernatos exhibuisse. armisq; ad officium reuocatos, cęteros quidē qeuisse, Stephanū uerò utriusq; Valachię palatinū denuò rebellasse. Interim aūt dū eū bello persequit Sigismundus, Mariā reginā obsi-se: eoq; cognito, Vuladislaū regē Polonorū cū ualido exercitu in Vngariā inuadere conatū esse, ut Heduigis uxoris nomine hęreditariū regnū in potestatē suā redigeret: sed occurrēte sibi ad fines Poloniæ Ioanne Canysa Strigonienſi archiepiscopo cū armata manu, cœpto destitisse. Extāt etiā in Archiuio regio diplomata fœderis cū Mircio Bessarabię siue Trāsalpinę Moldauię palatino fœderato regis Vngarorū à Vuladislao paulo ante hoc tēpus icti: q̄ cautū est, ne Vuladislaus inscio Mircio Vngarorū regi bellū inferat, inducias uerò aut fœdus, si q̄d reges inter se icerint, approbet. Inde fortassis ortū est illud colloquiū Sigismundi cū Heduigi nō officij gratia, quē-admodū Dlugosso placet, sed de stabiliēdo regno suo apud Vngaros. Quos ille sibi iam inde ab initio infensos, in Heduigim uerò uti iustā hęredē Ludouici regis, ppensos esse nō ignorabat, ut ea delinita et assenti ēte trāquillius regnaret. Per idē tēpus Henricus episcopus Vuladislauiēsis in fidē Vuladislai regis cōcessit. Vtrò ne aūt, an ui adactus, nō cōperimus: ac ne illud quidē, cur aut quando à rege defecerit: nisi q̄ uerisimile est, cū Cuiauiā rex & regina Zemouito Masouiorū duci hypothecę nomine tradidisset, eū quoq; cū Cuiauijs Zemouiti fidē secutū fuisse. Tametsi extāt literę Zemouiti quarto demū anno pōst scriptę, qbus is testatū facit: Decē millia sexagenarū, quarum nomine Cuiauiam tenuerit, à rege et regina sibi soluta esse: nec tñ adiecit, reddat ne, an iam prius reddiderit Cuiauiā. Extant etiā Vuladislai Oppolienſium ducis literę per hęc tempora scriptę: quibus ille Cuiauię quoq; ducem se nominat, ita ut eam dotis nomine in pignus accepisse à Zemouito uideri possit. habebat enim eius filiā Agathiam in matrimonio. nisi fortè q̄ Inouuladislauiense territoriū habebat in Cuiauia, Cuiauię ducē (ut faciunt uulgò principes) sese uocitabat. Fecit quidē per illud ipsum tempus rex bellum huic Vuladislao: nec tamē reperio Cuiauiam obnoxiā fuisse eius belli incōmodis, prę sertim cū in Dobrino id gereretur. Quin regi tunc aduersus Vuladislaū Cuiauij militarūt. Causæ autē belli regi hæ fuisse memorantur, ut se religiōe iurisiurādi, q̄d initio regni sui dederat de recuperādis ijs ditionib. q̄ superiori tēpore à Polonia aduersę erant, exolueret, et illū detrectantē imperiū suū coerceret: nā neq; reddebat ille q̄, pdiga Ludouici regis donatione, quēadmodū suo loco expositum, acceperat: neq; iusiurandū dabet, se cū illis ditionib. infide et potestate Polonorū iure feudi, ut uocāt, semper fore:

in quo

Petrus Vissus episcopus Cracouiensis

Sigismundi regis Vngarorū aduentus in Poloniam.

Rerū Vng. dec. 1. lib. 2.

Vuladislaus rex conatus Vngariā inuadere.

Mircius Transalpinensis palatinus fœderatus Polonis.

Vuladislauiensis episcopus iurauit in uerba regis.

Vuladislaus dux Cuiauiæ.

Vuladislai regis bellum cum Vuladislao duce Oppolienſi.

in q̃ rex acq̃eturus erat. quinetiã cõtẽptim atq; superbè legatis regijs respõderat, ac tumulis etiã cõplurib. excitatis ditiones illas suas ad Zitnũ oppidũ ab reliqua Polonia disiũxerat. Ad hęc Inouuladislauiẽse, Vuladislauiẽse, Tussnẽse, atq; Tucholiẽse territoria rege incõsulto Heduigi filię, q̃ cũ Alexãdro duce nupta fuit, donarat. Magistro aũt Cõrado Valrodio atq; ordini Crucifer orũ Prussiẽsiũ, primũ Zlotoriã sex millib. sexcẽtis triginta duob. aureis Vngaricis, mox totã Dobrinẽsẽ terrã q̃nquaginta millib. oppignerauerat. Quo facilius aũt eũ incautũ rex opprimeret, cũ q̃ncq; modò cõsiliarijs (q̃nã uerò hi fuerint, nõ ꝓdit) rẽ cõmunicauit. Cũ Zemouito iuniore Masouiorũ duce genero suo, & affine Vuladislai de q̃busdã cõtrouersijs, siue eæ fuerũt de Cuiauia, siue de dote sororis suę, q̃d ueri similius est, bona eius cõditione assẽtiẽte regina trãsegit, et Belsẽsẽ, Lubassouiẽsẽ, Buscẽsẽ, Grabouicẽsẽ, Hrodiẽsẽ, Seuolossẽsẽ, et Lopatinẽsẽ prę fecturas iure sẽpiterno et in hęreditatẽ ei dedit, his legib. ut eas nõ nisi regno Polonico subiectis hominib. uendere posset: expeditiones bellicas cũ rege et Polonis obiret, nec bellũ cuiq; rege incõsulto inferret. His ita, puisis, et indicta toti Polonię expeditiõe, Cristinũ Ostrouiũ Castellanũ Sẽdomiriẽsẽ cũ parte copiarũ aduersus Dobrinũ prę misit: siue ut Vuladislaũ à suspicione, ꝓpinquoris belli auerteret, siue ut dupli ci bello uires eius distineret: ipse cũ reliq̃ exercitu, cũ se Cristinũ subseq̃ simulasset, deflexo itinere ad Oistinũ castrametatus, tertio die eã arcẽ expugnauit. Ad cęteras deĩde arces, partitus cũ Spitcone Melstinio palatino Cracouiẽsi copias, aduẽtu Zemouiti et Ioãnis ducũ Masouiorũ auctas, ꝓpere discurrit, ne q̃d perterritis respirãdi spaciũ daret, intra 7 diẽ Crepicia, Velunũ, Ostrefouia, Breznicia, Bobolice, et Grabouia in deditionẽ accepta. Zẽstochouiense & Velunẽse suburbanũ monasteriũ haud multo antè à Vuladislao duce cõdita, unà cũ possessionib. suis edicto pij regis intacta ab huius belli clade mãsere. Reliqua erat una arx Boleslauecia loco arteq; munita supra Prosnã flumẽ sita. Quę quia armis, pręsidio, et cõmeatu, secũdo flumine importatis abũdabat, septẽ ãnis obsidionẽ pertulit. At Cristinus Castellanus Sẽdomiriẽ sis, ut primũ Dobunensẽ orã attigit, adiũctis sibi Cuiauijs, Dobrouunicos arcẽ circũsedit. Sed cũ accepisset Magistrũ Crucifer orũ Prussiẽsiũ Cõradũ cõtra se cũ ualidis copijs aduẽtare, soluit obsidionẽ. Ipse uerò Vuladislaus dux è Silesia regias ditiones latatrocinãtis in modũ infestauit, mercatorũ Polonorũ ad Vuratislauiẽses nũdinas, ꝓficiscẽtiũ merces et facultates cũ curribus diripuit. Cõfluebãt em̃ ad eũ etiã è Polonia multi, partũ q̃ suis bonis, ꝓfusis, aliẽis inhiabãt, partim q̃ rei capitalis dãnati aut, ꝓscripti erãt, aut cõsciẽtia scelerũ suorũ, ꝓfugerãt. His igit̃ iritatus rex, in ditionẽ eius paternã cũ exercitu impetũ fecit, castella q̃dã et oppida cępit, agros pagosq; depopulatus est, et Oppoliã primariũ eius oppidũ cũ duab. arcib. obtedit. Et implorauit q̃dẽ Vuladislaus dux Venceslai Cęsaris et regis Boemorũ opẽ, sed nõ impetrauit, ꝓpterea q; icerat is paulo antè fœdus cũ rege Polonorũ, q̃ sexcẽtorũ hastato rũ, ac totidẽ balistariorũ auxilia cõtra quẽuis hostẽ, cõtra rebelles aũt subditos societatẽ principes hi sibi inuicẽ, ꝓmittebãt. Quã q̃ exeperat Vẽceslaus electiores imperij, Vuratislauiensẽ episcopũ atq; ciuitatẽ, ducesq; Polonos & Silesios Boemorũ cliẽtes, uerũ eatenus modò, ut ne necesse haberet cõtra eos Polono auxilia mittere. Sed reuera ignauia Cęsaris incausa fuit, q; cliẽti

Zitno oppidum.

Dobrinum oppignoratum Crucifiris.

Consiliũ regis cũ quinq; consiliarijs.

Transactio regis cum Zemouito.

Russiæ pars magna Zemouito Masouiorum duci data.

Cristinus Ostrouius.

Oistinum expugnatum.

Arces in deditionem acceptæ.

Zenstochouiense monasterium conditum.

Boleslauecia septem annis obsessa.

Poloni Dobrinum infestant.

Vuladislaus dux latrocinium exercet.

Oppoliensis tractus uastatus à rege Polonorum.

Vuladislai regis fœdus cum Venceslao Cæsare & rege Boemorum.

Vuladislaus dux cum rege reconciliatus.

opitulatus nõ est. Cũ igit̃ in illo nihil esset spei, Vuladislaus dux Cõrado Olesnicẽsiũ, & Bernardo Nemodliensiũ siue Falkẽbergẽsiũ ducib. fratre suo deprecatorib. ad Vuladislaũ regẽ, missis ut uult Dlugossus, pacẽ impetrauit his cõditionibus, ut ablata mercatoribus bona restitueret, rex uerò Lublineciã et Strelce arces, et pręterea nescioquę castella et oppida de ipso capta, iure belli retineret: quæ mox Spitconi Melstinio utẽda fruẽda dedit. Cęterũ extat in archiuio regio transactio Boleslai & Bernardi ducũ Oppoliẽsiũ, et fratris ipsorũ Ioãnis (Cropidlonis nimirũ) episcopi Camenẽsis cũ Vuladislao rege sub Oppolia, defũcto interim, ut uidetur, Vuladislao, facta, & nouẽ signis signata, qua disertè cauetur, ut illi ipsi duces Oppoliã, Glogouiã, minorẽ uidelicet, Strelce ac Domarazũ arces, oppida ac territoria deinceps retinerẽt, sicut Vuladislaus patruus ipsorũ tenuisset: prouiderẽt aũt ne quid nocumẽti inde regi Polonięq́ꝫ inferretur: captiui utrinq́ꝫ ut redderẽtur: Boleslauecię, quę à pręsidio Vuladislai defũcti Agathię uxoris eius nomine tenebatur, ne quid cõmeatus uel auxilij cõtra regẽ submitterẽt: curarẽt autẽ ut arx ea nemini alij q̃ regi Pol. dedat̃: De Olesno uerò & Lublinecia ne quid negocij facesserent Spitconi Melstinio. Omnia tñ hæc ut ita fierent, ne q̃d iuri regis Boemorũ derogarent. Fide iusserũt aũt ducib. ꝓ supramemoratis, cuncta hęc rata firmaq́ꝫ fore, Venceslaus episcopus Vuratislauiẽsiũ, Ludouicus Bregensiũ, Cõradus Olesnicensiũ & Gozlensiũ, & Pręmislaus Opauiensiũ duces, ꝓmittentes cum rege se futuros esse contra illos, si quid fefellerint. Magistratus uerò urbani Oppoliæ, Glogouiæ, Strelce, & Crepiciæ promiserũt se sine ulla tergiuersatione oppida illa suo regi certisq́ꝫ procerib. Polonis ab eo designatis dedituros esse, si suprà memorati duces sui pactis nõ steterint. Hæc nos, q̃ Dlugossum seq malumus. Oppignerauit aũt postea Melstinius Lublineciã, Olesnũ, & Gorzouũ Præmislo duci Cessinensiũ, et filijs eius Boleslao et Pręmislo mille marcis Pragensib. Eiusq́ꝫ rei monimentũ extant literæ ab ijsdẽ ducib. cõsignatæ. Dlugossus aũt memoriæ ꝓdidit, Vuladislaũ regẽ ea bona reddidisse Bernardo supramemorato Oppoliensiũ duci, cũ is Heduigim filiã Melstinij uxorẽ duxisset, ac Boleslaueciã regi Vuladislai ducis defuncti uxor reddidisset. Hoc ipso aũt anno nempe 1396. Sigismundus rex Vngarorũ cũ Turcę, duce Baiazete Amurathis filio, Thracib. Gręcis, et Macedonib. deuictis, Mysos, hoc est, Bulgaros & Rascios uexarent et Vngaris abstraherent, coadunato è uarijs gentib. Christiani nominis ingenti exercitu, infeliciter pugnauit apud Nicopolim: elapsus tñ, traiecto naui Danubio Constantinopolim fuga delatus est, & inde aliquanto pòst Rhodũ, ac deinde in Dalmatiã & Vngariã reuersus. Interim aũt Turcę anno sequenti Vngariæ ꝓuincias fœdè populati sunt, cũq́ꝫ Sigismundus rex perijsse putaret, Vuladus Bessarabię palatinus & comes Seueriensis cũ ditione sua in fidẽ et clientelã Vuladislai regis Heduigisq́ꝫ reginæ Polonorũ, uti hęredis Vngariæ ultrò concessit. Alij præcedenti anno funestũ illud Christianis prælium cõmissum esse prodidere. Militauerunt autem in eo bello cõtra barbaros etiã Poloni uoluntarij, & nõnulli ex ijs fortiter dimicãtes occubuere. In quib. nobiles in primis fuere Basilius Castellanus Vissegradensis cum Rolando filio, et Thomas Calscius. Sciborius uerò Sciboricius gẽte Ostoius fugiẽs cũ rege

Lublinecia & Strelce in tractu Oppoliensi Spitconi donata.

Oppoliensiũ ducum cum rege Polonorum transactio.

Lublinecia & Olesnum duci Cessinensium oppignerata.

1396 ann. Sigismundus rex Vngarorũ à Turcis profligatus apud Nicopolim.

Vuladus bessarabiæ palatinus in fidem & clientelam regis Polonorum uenit.

Sciborius Polonus armatus Danubium tranauit.

rege & Vngaris cũ nauim ingredi nõ posset,insequentib. Turcis, ita ut erat armatus, in Danubiũ se,piecit & enatauit, charusq; postea Sigismundo regi fuit. Insequenti anno Vuladislaus rex iratus Cruciferis Prussiensib. q; ij uio lato fœdere arma cõtra se mouissent, Dobrinũq; improbè interuertissent,simulq;(& magis quidẽ fortasse)q; Lituaniã infestare nõ intermitterẽt,& magnã Samagitiæ partẽ occupassent,bello eos persequ cogitabat.Sed abhorrebãt ab eo bello procerũ Polonorũ animi,q; nõ ignorabãt se uniuersam Germaniã in se cõcitaturos esse. Itaq; re in consultationẽ posita, cũ maxima pars senatus quieta cõsilia magis probaret,placuit ut cõuentus cum Cruciferis ijs de rebus Inouuladislauiæ agerẽt, ad eũq; cõuentũ ut regina modò cũ proceribus proficisceretur:uerebant eam,ne rex dolore acceptarũ in Lituania iniuriarũ exacerbatus,asperiore aliq; dicto intẽpestiuũ bellũ excitaret. Neq; tñ sic eq; aliquid à Cruciferis impetrari potuit. Sed nectere ij moras & excusationes, nostrorũq; patientiã eludere, ut sibi diuturnitate tẽporis possessionẽ Dobrini firmarent. Ibi Heduigis reprehensa eorũ cùm præsenti auaritia & fœderis atq; iurisiurandi uiolatione, tũ superiorũ tẽporũ ingratitudine & impietate qua in patronos suos Polonos usi erant,disertè quasi fatidico ore adiecit: Se quidẽ uiuente nihil eos aduersi pro illis ausis passuros esse: post mortẽ uerò suã maximis incõmodis atq; cladib. suis illa omnia expiaturos. Ita tũ crebus infectis,neq; certa pace,neq; aperto bello Inuuladislauia discessum est. Hoc aũt anno Vitoudus expeditionẽ illã in Tartaros, cuius paulo antè è Lituani ca historia mentionẽ fecimus,feciss memoratur,ac tribũ unã Tartarorũ,quam illi Ordã uocant,cũ pueris & mulierib. abegisse,partẽq; captiuorũ regi et procerib. Polonis dono misisse. Reliquos in media Lituania supra Vacã amnẽ prope Vilnã agris attributis collocauisse. Qui manent ibi usq; in hodiernũ diẽ,boni ac diligentes patresfamiliâs & uirtutis priscę armorũq; nõ immemores. Ritus aũt patrios Machometicę superstitionis adhuc seruãt. Tametsi negãt ij se à Vitoudo subactos,uerùm ciuili bello domo pulsos, siue adeò in auxiliũ cõtra Cruciferos à Vitoudo euocatos,in Lituaniã ultrò ueniss,& in eo quẽ incolũt loco à Vitoudo sibi cõcesso domiciliũ fixisse. Cui rei argumẽto est illud, q; ij in hanc usq; diẽ liberi legib. suis uiuũt,ex æq; cum Lituanis magni ducis imperiũ agnoscentes. Verùm utut est de ijs,victorẽ quidẽ certè exercitũ è Scythia tunc Vitoudus reduxit, autrecepit, si quidẽ per legatũ id bellũ gessisse fert. Inescatus aũt hac uictoria & re bene gesta,annũ quidẽ unũ quietiet cõparãdis maioríb. copijs dedit. Quo q̃dẽ ãno Sigismũdus rex Vngarorũ Cracouiã,siue uisẽdi regis et reginę,ut uult Dlugossus,siue res suas stabiliẽdi causa magis etiã aliẽatis ab eo post cladẽ illã Nicopolẽsẽ Vngarorũ animis,et nõ obscurènouas res moliẽtib. iterũ ueniss fert. Insequẽti uerò ãno 1399. Vitoudus,necq; cũ dissuadẽtib. rege et regina,alterã expeditionẽ fecit in Tartaros:adquã permulti de Polonica et Germanica nobilitate glorię cupidi nomina dedère. Multi Heduigis reginę,aduersos eius expeditionis successus prędicẽtis, authoritate de,pcinctu retracti sũt. Fuerũt aũt in ea expeditione de Polonis maximè insignes Raphael Tarnouius Iasconis siue Ioãnis Castellani Sẽdomiriẽsis filius,Sẽdiuoius,Ostrorogus Dobrogostius,Samotulius, Ioãnes Glouacius palatinus Masouiẽsis,Ioãnes Dãbrouius,Varsius Michouius,

Cõsultatio de bello Cruciferis inferendo.

Conuentus reginæ cum Cruciferis.

Heduigis reginæ uaticinium.

Vitoudi expeditio prior contra Tartaros.

Orda.

Tartari in Lituania collocati.

Sigismundus rex Vngar. uenit Cracouiam.

1399 ann. Contra Tartaros altera Vitoudi expeditio.

Nobiliores Poloni qui ad bellũ Tartaricum nomina dedere.

Podolia Spitconi Melſtinio donata ſiue oppignerata.

uius,Socha Plocẽſis palatinus,Thomas Verincus,& illuſtris in primis Spitco Melſtinius palatinus Cracouienſis,ac dominus inferioris Ruſſiæ ſiue Podoliæ, quã ei Vuladislaus rex ante duos annos fruſtrà reclamante regina cũ ꝓceríb. donarat,ſiue adeò certo pacto obligarat, ea lege, ut accitus à rege ad ꝙduis bellũ cum auxilijs præſtò eſſet. Recenſitis apud Kiouiã copijs Vitoudus bonę ſpei plenus,Scythiã cũ infeſto exercitu ingrediť. Imperabat tunc apud Tartaros Tamerlanes, humili quidẽ loco natus,uerùm ſcientia rei militaris & felicitate eò potentię ꝓuectus,ut duodecies cẽtena millia hominũ haberet in exercitu:ac Turcis ꝓfligatis, imperatoreq; eorũ Baiazete capto, & in ferrea cauea feræ in modũ ſecũ circũuectato, & Iberia, Albania, Armenia, Perſia, Meſopotamia, Aſia et Ægypto incredibili celeritate uaſtatis, orbẽ terrarũ terrore ſui nominis impleret. Iãq; tranſmiſſis Sula et Pſola fluminib. ad cãpeſtria Tartariæ,& ad Vorſclã amnẽ Vitoudus nemine repugnante peruenerat,cũ Edigã unũ inter duces Tartarorũ potentiſſimũ Tamerlanis legatũ cũ innumerabilib. copijs obuiũ habuit. Ibi cõſternatis noſtrorũ animis,reginæ monita in mentẽ ueniebãt. Itaq; ſuadente maximè Spitcone,de pace cũ barbaris agi placuit: neq; illi pacẽ aſpernabanť. Verùm id maiorũ conſiliũ quaſi timidũ ferociores plerique cũ reprehenderẽt,re uniuerſę dimicationis diſcrimini cõmiſſa,uicerũt barbari,nõ incruenta quidẽ uictoria. Quod ni multitudine abũdaſſet,uirtute noſtrorũ ſuperati fuiſſent. Cecidere de noſtris plurimi,nec inulti tñ. In his fratres regis,Andreas et Demetrius Coributhus, & alij nouẽ duces Lituani & Ruſſi: pauci uiui capti. Vitoudus cũ Suitrigello patruele,Oſtrorogo,& Samotulio,cũ inclinari aciẽ ſuorũ cerneret,pernici fuga euaſit. Melſtinius cũ ſeu fuga,ſeu ducis hoſtiũ indulgentia, cui uirtutẽ & prudentiã ſuã inter colloquendũ de pace ꝓbarat,ſaluus eſſe poſſet,inter cõfertiſſimos hoſtes honeſtiſſimè occũbere maluit, quemadmodũ ipſe optarat et prędixerat Paulo Zucouio ſiue Sciucouio timorẽ illi exꝓbrãti: Sciucouius uerò ille dictis q̃ factis fortior, Therſitæ in morẽ, primus propemodũ fugã inijt. Nec diu Tamerlanes ei uictoriæ ſuperſtes fuit,eo ipſo anno extinctus. Porrò Tartari cõtinuantes cursũ uictoriæ, in Lituaniã populabũdi uſq; ad Luſcũ excurrerũt. Kiouiẽſes tñ trib. millib. rublorũ oppidũ agrũq; ſuũ redemerũt. Cõtinet aũt in ſe rublus apud Lituanos centũ groſſos. Sub idẽ ferè tẽpus Heduigis regina filiã Elizabethã Bonifaciã primo partu enixa eſt,eiq; poſt tertiũ diẽ extinctæ nec ipſa diu ſuperſtes fuit,& in lęua parte baſilicæ Cracouienſis ante arã maximã ſepulta eſt, elata magnificentiſſimo funere, multorũ regũ & ſummi põtificis Bonifacij noni ſplendidis legationib. celebrato. Tametſi nõ ad exeq̃as,uerũ ad leuãdã de ſacro fõte,plẽ regiã,rege ipſo inuitãte eę miſſę erãt. Fuit aũt Heduigis ſingulari pietate et ſanctimonia uitę prædita, ab omni faſtu,leuitate,et iracũdia aliena. Ocij iuxtà ac alienorũ à ſuo ſexu atq; dignitate negociorũ fugiẽs,tẽpus omne ſuũ uel diuino cultui, uel lectioni eorũ q̃ ad pietatẽ mores q; formãdos pertinerẽt,uel denicq; audiẽdis & leuãdis uiduarũ,pupillorũ,et aliorũ miſerabiliũ hominũ querimonijs impertiebat. Facultates uerò ſuas,quas ampliſſimas è paterna domo ſecũ aduexerat,liberaliter inuſus egẽtiũ,in cultũ diuinũ,et in publicas utilitates expẽdebat. Ac præter ea q̃ ſuperius cõmemorauimus,uiuẽs aras duas in baſilica

Tamerlanes princeps Tartarorum maximus.

Baiazetes Turcarum princeps à Tamerlane captus,& incauea circumuectus.

Sula fl.
Pſola fl.
Vorſcla.

Tartarorũ victoria de Lituanis et Polonis.

Duces cæſi à Tartaris.

Vitoudi fuga.

Melſtinij mors præclara.

Tamerlanis mors.

Tartari Ruſsiam uaſtarunt.

Rublus.

Heduigis reginæ mors & laudes.

Cracouienſi

Cracouiensi dotauit: Pragæ uerò domum peramplam Lituanis, qui honestis disciplinis operam darent, siue emit, siue condidit, possessionesq; peramplas, unde eis sumptus suppeditarentur, adiecit: quæ domus Reginæ uulgo dicta, Dlugosi tẽporibus hæreticorũ furori intacta unà cum possessionibus suis fuit, sed ad nostram memoriam non permansit. Moriens uerò quicquid habuit reliquum in supellectili, partim egenis dilargiendum, partim ad excitandã Cracouiæ & consummandã Academiam, quam Cazimirus magnus Cazimiriæ inchoauerat, legauit: nuncupatis executoribus ultimæ uolũtatis suæ, Petro episcopo, & Ioanne Tencinio Castellano Cracouiensi. Donauit etiam basilicæ Cracouiensi uestẽ ad sacra peragenda factam, margaritis & lapidibus preciosis distinctam: duo anni tẽpora, Quadragesimam & aduentũ Domini religiosa abstinentia & ieiunio semper coluit. Delicias, pompas, & ostentationem diuitiarum contempsit, ita ut cum propinqua partui, regali cultu atq; magnificentia exornare cubiculum regis absentis literis iuberetur, respondisse ei feratur, se pompam omnem & inanem splendorem pridem abdicasse: nec insciam esse, sæpe mortem partui comitem esse. Tum autem rectius se uilitate & neglectu mundani fastus diuinæ benignitati, quę sterilitatis probrum à se amouerit, responsuram esse. Feruntur autem ob sanctitatem eius, miracula quædam ad tumulum eius postea fuisse edita.

Lituanorum collegium Pragæ.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM, LIBER SEDECIMVS.

VSTIS reginę peractis, Vuladislaus rex mœstissimus, ac de retinẽdo regno addubitãs, quòd non ignorabat se externum uxoris nomine apud liberrimam gentem eò usq; regnasse, in Rusiã secesit: cogitabatq; ultrò regno se abdicare, & ad paternum principatum reuerti potius, quàm ut ui & armis summa cũ ignominia pelleretur. Sed hæc eum cogitantem, primores Poloni placidè cõsolati confirmarunt, cum ei studia sua in posterũ quoq; detulissent. Quod si quam id ei dubitationem faceret, quòd alienus amissa uxore nihil iam hæreditarij iuris in regno haberet, ostendebant ei malo remediũ, quod ipsa etiam Heduigis regina moriens indicasse ferebatur, nimirũ ut Annam Vilelmi Ciliæ comitis filiam, cuius sororem iam Sigismundus rex Vngarorum post Mariam in matrimonio habebat, secundã uxorem duceret. Eam enim iustam regni hæredem esse, propterea quòd Cazimiri regis neptis esset. Placuit consilium Vuladislao. Quocirca missi oratores ad Hermannum patruum puellæ (nam pater iam obierat) Ioannes Obychouius Castellanus Sremensis, Hincia Rogouius, & Ioannes Ostrouicius, optata omnia retulere, simulq; sponsam ad sedecimam diem Iulij mensis anni sequentis Cracouiam adduxere: & cum ea nullius linguæ præter Germanicam gnara esset, octo menses condiscendæ linguæ Polonicæ operam

Vuladislaus cogitat regnum relinquere.

Secundæ nuptiæ Vuladislai.

Rex in Lituaniâ profectus.

dedit, priuſquam nuptiæ celebrarentur. Interea rex in Lituaniam profectus, pacta & fœdera cum Vitoudo & Lituanis, ſuo Polonorumq; nomine renouauit: ubi promiſſum eſt, & literarum monumentis cautum, ut ſi Vitoudus ſine liberis decederet, in regis & regni Poloni poteſtatem reciderent omnia quæcunq; is poſſediſſet, unà cum magno ducatu: exceptà dimidia parte Nouogrodeci, cum quatuor prædijs, quæ Sigiſmundo Vitoudi fratri cedere debeat: ea quidē lege, ut is tamen regi & regno ſit ſubiectus: exceptis etiam bonis dotalibus Annæ uxoris Vitoudi, quæ poſt eius demum obitum ad regē atq; regnum redire deberēt. Hęc adeò anno Chriſti 1401 acta eſſe, è literis ea de re tunc conſcriptis & conſignatis conſtat. Reuertens autem rex è Lituania, quoniā à nuptijs propter deformitatem ſponſæ abhorrebat, procerib. Polonis interuenientib. menſe Februario apud Biezum oppidum cum Ciliēſibus proceribus conuentum habuit: nouiſq; pactis initis, ſeu priorib. cōfirmatis, liberalibus diebus nuptias peregit: cui celebritati Anna reginæ mater, Cazimiri regis filia, & Vitoudus cum Anna uxore interfuere. Coronationem uerò nouæ reginæ in ſequentem annum dilatam eſſe Miechouienſis refert. Per hæc fermè tempora Academia Cracouienſis ex teſtamento Heduigis reginæ, & cumulatiore liberalitate regis condita eſt: duæ domus ſiue collegia excitata, alterum philoſophis & theologis in platea, quæ Iudæorum tunc fuit, nunc diuæ Annæ nomine nuncupatur: alterum iureconſultis & medicis, quà ex urbe ad arcem itur. Acciti'que magiſtri & doctores omnis generis è Pragenſi Academia, cenſus'que his in perpetuum attributi à rege è ſalinis & telonio: & adiuncta omnia ſacerdotia apud diui Floriani, præter præpoſituram, ut uocant. Auctior deinceps ea ipſa Academia, & locupletior multorum & maximè doctorum ipſorum beneficentia reddita, magnopere quodam tempore ſtudijs dialecticis, mathematicis, philoſophicis atque theologicis effloruit. Quietæ tunc res erant in Polonia, eoq; florebant pacis ſtudia. Non item alibi. Apud Boemos quidem & Germanos Carolus Cæſar, qui ſe totum compotationibus, luſibus & nequitiæ dediderat, ita ut cum de arcis cuiuſdam ſuæ conflagratione nuncium accepiſſet, rogaſſe dicatur, An cella uinaria incendio ſuperfuerit: ita contemptibilis fuit, ut primùm à Pragenſibus ciuibus caperetur, & aliquot menſibus aſſeruaretur: inde uerò cum euaſiſſet, iterum à proceribus quibuſdam, Sigiſmundo fratre conſcio, captus, Viennam cuſtodiendus deduceretur. Inde quoq; cum elapſus eſſet, à principibus electoribus imperio amoueretur: & Robertum Palatinum Rheni, Bonifacio nono pontifice max. approbante, ſucceſſorem non inuitus acciperet. Infeſtata eſt etiam tunc ab Vngaris quidem Morauia: Boemia uerò à Myſnenſibus & Morauijs Marchionibus, incitante Sigiſmundo: ne Vngaria quidem pacata fuit. Nam Sigiſmundus rex, dum fraterno regno inhiat, ſuū penè amiſit: captus quidem & ipſe eſt à ſuis Vngaris ob ſeueriorem in aduerſarios ſuos animaduerſionem, poſt Nicopolenſem cladem: & filijs Nicolai Garæ in cuſtodiam traditus, in arce Socloſſenſi adſeruatus eſt. Ladislaus uerò rex Neapolitanus,

Pacta cum Vitoudo et Lituanis renouata.

1401 ann.

Vuladislai regis ſecundæ nuptiæ.

Academia Cracouienſis condita.

Quibus diſciplinis potiſſimum floruerit Cracouienſis Academia.

Carolus imperator bis captus, & ab imperio amotus.

Robertus Cæſar.

Boemia et Morauia uexatæ.

Sigiſmundus rex captus ab Vngaris.

litanus, Caroli interfecti filius, ad regnum euocatus: qui tamen è Dalmatia Neapolim reuerti necesse habuit, siue pulsus à Sigismundo, cum is è custodia dimissus esset, siue ad comprimendos nouos motus eius gentis reuocatus. Iam & Galeatius Vicecomes, dux Mediolanensium, totam fermè Italiam ad arma concitarat, & Florentini contra eum Robertum Cæsarem magna mercede & promissis in auxilium euocarant. Verùm is re infecta ex Italia in Germaniam se recepit. Porrò tota respublica Christiana duos tunc habebat pontifices iam inde ab Vrbano & Clemente. nam Clementi Galli, & qui cum eis sentiebant, Benedictum eius nominis tertiumdecimum natione Arragonensem, Vrbano uerò Itali Bonifacium nonum: eoq; per hoc tempus defuncto, Innocentium septimum, & huic mox Gregorium duodecimum suffecerunt. Hos alij principes & populi, illum alij sequebantur. Ipsi pontifices se inuicem execrabantur, & pro schismaticis habebant, & studia principum, multa indulgendo & conniuendo, sibi comparabant: & tamen pro se uterque concordiæ in ecclesia redintegrandæ, uel cum iactura pontificatus dignitatis'que suæ se studere, iureiurando etiam interposito & chirographis, præ se ferebant. Ita tunc perturbatus erat omnino status Christiani orbis. At in Polonia tranquilla ferè erant omnia: itaque per aliquot illos annos nihil in ea memorabile gestum esse memoratur, præter quòd perduellium quorundam uias publicas infestantium latrocinia tunc Vuladislaus rex coercuit, expugnata per aulicum suum comitatum Sorsteno arce in Morauia, quæ illis receptaculo fuerat. Fuere autem latronum illorum principes, Grotus Slupecius de Rauiorum familia, & Ioannes Rogala, quod etiam equestris familiæ nomen est, castellanus Vuladislauiensis. Quorum hic quidem captus, multis annis carcerem pertulit, donec in Zauisij Nigri gratiam dimissus est: ille uerò euasit, sed arx eius Conari in tractu Sendomirienſi diruta est. Latrocinandi uerò occasionem ei dederat prior proscriptio, ob cædem Ioannis Ossolinij castellani Vislicienſis, dum disceptant inter se de limitibus agri præbendæ Sendomirienſis, quam filius Ossolinij obtinebat, patratam. Vlricus uerò Dreni hæres, Vuladislai regis & regni potestati sese subdidit, ea lege, ut si decederet sine liberis, arx ea regi cederet, præfecti'que arcis deinceps etiam ipso uiuente in uerba regis iurarent. Per idem tempus apud Posnaniam, cum diuinum Christi corpus in specie panis (quemadmodum antiquissimo totius ecclesiæ Christianæ ritu & ipsius Christi & apostolorum eius instituto in templis publicè uulgò distribuitur) ab infelici quadam muliercula ore sublatum, ut Iudæis ad ludibrium uenderetur, mutata'que sententia in pratis suburbanis eius oppidi abiectum esset, miraculis quibusdam insignibus proditum est, & repertum. Itaque templum in eo loco Vuladislaus rex condidit, & sanctissimi corporis Christi titulo dedicauit. Tarnouiæ uerò collegium sacerdotum Petrus episcopus Cracouiensis, Ioanne domino loci palatino Sendomirienſi petente, & redituum partem de suo conferente, instituit. Per hoc ipsum tempus Dobrogostius, siue Bonauentura Ar-

Ladislaus rex Neapolitanus ab Vngaris expetitus.

Galeatius dux Mediolanensium.

Schisma in ecclesia Christi.

Sorstenũ arx expugnata ab aulico Vuladislai comitatu.

Grotus Slupecius et Ioannes Rogala latrocinantur.

Conari arx diruta.

Drenũ arx regi dedita.

Christi corpus in pratis Posnanien. repertum.

Templum corporis Christi in suburbano Posnanienſi.

Tarnouiæ collegiũ sacerdotũ institutum.

tura archiepiſcopus Gneſnenſis mortuus, ſucceſſorẽ accepit Nicolaum Curouium, gente Srenauium: qui Vuladislauienſem quoque epiſcopam, unde transferebatur, fauente rege toto biennio ſimul retinuit. Anno ſequenti, qui fuit à Chriſto nato 1403, Valachiæ palatinus Alexander, & mox Romanus Petri filius, cum è poteſtate & uinculis Suitrigellonis à rege liberatus eſſet, iurati unà cum conſiliarijs in uerba regis, in poteſtate eius atque regni ſe eſſe, foreque profeſsi ſunt: Romanus uerò etiam ſocietatem belli contra quoſuis hoſtes, Pruſsis atque Lituanis propter locorum intercapedinem exceptis, promiſit. Bogullaum uerò Pomeranorum ducem rex in aulam ſuam ſuſcepit, octingentarum marcarum ſtipendium ipſi pollicitus, ut quoties opus eſſet, cum centum haſtatis ſibi militaret. Porrò Vilelmus marchio Miſnenſis, fœdus & ſocietatem cum eodem rege pepigit: itemque Vngari proceres cum Polonis: quo cautum eſt, ne alteri contra alteros regibus ſuis opitulentur. Ad regem quoque Vuladislaum ijdem pòſt de pace ac fœdere oratores cum certis mandatis miſêre: ſed an inter eos conuenerit, non liquet. Ac ne illud quidem conſtat, quid his fœderibus cauſam præbuerit: niſi fortè odium Vngarorum, & perpetratum facinus in regem ſuum Sigiſmundum. ſed magno ſtudio Vuladislaus deliberando eo laboraſſe fertur, ita ut regnum quoque à proceribus Vngaris ſibi oblatum contemneret: quin Sandeciam profectus eſt, ut propinquitate loci terrorem Vngaris obijceret. Euaſitque tunc Sigiſmundus miſericordia nobilis matronæ, cuius filijs in cuſtodiam traditus erat. Non parum autem & Sciborius Sciboricius eques Polonus ipſi commodauit, propterea quòd armis Polonorum & Boemorum ſuperiores Vngariæ partes, Poloniæ & Morauiæ finitimas, in fide eius continuit, complures que aduerſariorum munitiones in ſuam poteſtatem redegit, & proceres quoſdam captos in uinculis habuit: & cum neruo belli, pecunia inquam, deficeretur, à Vuladislao rege decem millia marcarum Polonicarum accepit mutua: pro hiſq; nouam Marchiam, quæ ſimul cum ueteri hæreditario iure ad Sigiſmundum pertinebat, ipſi oppignerauit. Cuius rei monumentum extat in archiuio. Quanquam tunc non niſi quatuor millia ei numerata ſunt: nec de reliqua pecunia poſtea numerata, neque de poſſeſsione Marchiæ regi tradita, quicquam inuenio. At Vitoudus magnus dux Lituanorũ, cum Smolenſcijs rurſus rebellibus bellum gerebat: fretuſq; Polonorum auxilijs, arcem Smolenſcum, in quam ciues & nobiliores quiq; uxores, liberos & fortunas ſuas cõtulerant, aliquandiu obſeſsã & oppugnatã cepit, magnasq; opes in ea repertas partim Vuladislao regi trãſmiſit, partim militibus, ut quiſq; meritus erat, dilargitus eſt. Cæteras uerò arces in deditionem accepit, & principatũ omnem in formam prouinciæ redegit: dux in Vngariam profugit, & in miniſterio Sigiſmundi regis uitam finiuit. Cum Cruciferis quoque Pruſſienſibus & Liuonienſibus bellum paruo tempore intermiſſum, Suitrigellonis opera ipſi recruduerat. Nunquam is tamen hoſtibus ditionem ſuam infeſtantibus occurrere auſus eſt: uerùm Liuonienſes cum præda reuertentes

Nicolaus Curouius archiepiſcopus. 1403 ann.

Valachiæ palatini iurant in uerba regis.

Miſnenſe fœdus.

Vngarorũ procerum cum Polonis fœdus.

Vuladislai regis ſtudium erga Sigiſmundum.

Sciborij Sciboricij fides erga Sigiſmundum regem.

Noua Marchia Vuladiſlao regi oppignerata.

Smolẽſcij ſubacti à Vitoudo.

Smolẽſciorum dux profugus.

Cruciferi Lituaniã infeſtãt.

reuertentes, ueſtigijs clam ſecutus, cum ij diuerſi domos abijſſent, agros eorum uiciſsim longè latéque uaſtauit, pagos uicoſq; incendit: ac Zuinam munitum oppidum ui cepit atque diripuit: arcem uerò oppido imminentem in deditionem accepit, incenſiſq; arce pariter & oppido, cum ingenti præda in Lituaniam ſe recepit. Nec multo pòſt rurſus Lituania hinc à Pruſsienſibus, illinc à Liuonienſibus Cruciferis uehementer peruaſtata eſt, multiſq; mortales in ſeruitutem abacti. quos Vitoudus permutatione captiuorum liberauit. Tandem Vuladislaus rex afflictæ patriæ uicem miſeratus, Suitrigellonem fratrem exulem è Pruſsia reuocauit, magno ære alieno, quod ibi contraxerat, exoluto. Ac ne quod ei cum Vitoudo nouí diſsidij ſeminarium relinqueret, Podoliam ei quinque millibus marcarum Pragenſium à filijs Spitconis Melſtinij redemptam, conceſsit: itemque Strium, Zidaſſouiam in Ruſsia, Sidlouiam, Stobniciam, atque Drugniam in Polonia: ad hæc mille quadringentas marcas annuas è ſalinis adiecit. Nec tamen ea liberalitas regis, animum Suitrigellonis ſanauit. Conuentum deinde rex cum Pruſsicis Cruciferis apud Racianzum epiſcopi Vuladislauienſis oppidum, ad Pentecoſten anni ſequentis habuit: ubi ſic de pace conuenit, ut rex quinquaginta millia (licet quadraginta ſint apud Dlugoſſum) florenorum Cruciferis exolueret, Dobrinumq; & Zlotoriam reciperet: uerùm ut ratas tamen Magiſtri donationes atq; largitiones haberet, & pacta à Cazimiro magno cum eis cõuenta rata eſſe iuberet. Deinde ut Nouogrodi magni dominatus regi, Samagitia uerò Cruciferis cederet: ipſi uerò, ut omni iure quod habebant in Lituania, ſeſe abdicarent: nec paterentur hoſtilem aliquem exercitum per ditiones ſuas in Lituaniã tranſire, neq; ipſi per eã ſine permiſſu regis copias ſuas ducerent: neq; receptarẽt proſcriptos è Lituania, ac ne profugos quidem propinquos regis: deniq; ut liberã mercaturam atq; ſocietatem haberẽt inter ſe Lituani atq; Pruſsi. His autem conditionibus implendis annuũ tempus conſtitutum. Sic neceſſaria magis, quàm ſpecioſa pace facta, Vuladislaus rex inuitatus à Magiſtro, Toruniã cum magna parte procerũ diuertit, triduoq; ibi manſit, ſplẽdidè & magnificè acceptus: per quos dies ſimulachro equeſtris pugnæ inter Teuthonas & noſtros edito, cũ ſuperiores illi ferè eſſent in eo genere, in quo ſunt exercitatiſsimi, ad extremum tamen Dobeslaus Oleſſnicius unus de noſtris palmam & brabium obtinuit. Dum autem Vuladislaus obequitans, ſitum, munitionem, atque ædificia urbis contemplatur, ſordibus culinæ à muliercula quapiã ſeu caſu, ſeu data opera perfuſus, mulierculæ morti ob id deſtinatæ impunitatẽ impetrauit. Inde diſcedens in maiorẽ Poloniam diuertit, æſtateq; ibi exacta, & particularibus conuentibus habitis, qui tunc primùm haberi propter nouam rem cœperunt: Corcinum, quo comitia toti Poloniæ ad undecimã diem Nouembris indixerat, uenit: perfecitq; precario, ut ſibi redimendi Dobrini cauſa, agraria contributio noua omnium ordinum conſenſu extra ordinẽ decerneretur, nẽpe deni groſsi in iugera, ab agreſtibus tantum & oppidanis culta. Ex qua contributione cum ordinaria illa binorum groſſorum, quam Raſtralem appellaui-

Zuina oppidũ & arx Liuoniæ à Vitoudo capta & incenſa.

Lituania rurſus uexatur à Cruciferis.

Suitrigello reuocatus è Pruſſia.

Podolia et præfecturæ quædã in Polonia Suitrigelloni attributæ.

Pax & pacta cum Cruciferis Pruſsienſibus.

Vuladislaus rex Toruniã profectus.

Dobeslaus Oleſſnicius.

Rex perfuſus à muliercula.

Vuladislai clementia.

Comitia Corcini.

Agraria ſiue iugeralis cõtributio noua decreta.

Sũma exactæ pecuniæ.

mus, coniuncta, ad centum millia marcarum tunc redacta esse memorantur. At nunc quando longè cultior atque populosior est Polonia, ne ad quadraginta quidem millia peruenit. Vuratislauiam deinde rex splendido plus quàm quinque millium equitum comitatu profectus est, cum Venceslao rege Boemorum, illo postulante, congressurus. Animaduertebat enim Venceslaus, quamuis stupidus, cœnoque uoluptatum penitus immersus, se de summa rerum periclitari. Bis captus, & ab imperio amotus erat: palàm ab eo Sigismundus frater, ut sibi regno Boemorum cederet, contendebat, & non obscurè fauebant ei Boemi proceres. In gratiam eius etiam dux Austriæ Morauiam infestare uidebatur. Quo igitur obuiam iret conatibus aduersariorum Venceslaus, & regnum suum stabiliret, regis Poloni amicitiam & societatem certo fœdere sibi adiungere satagebat. Itaque aduenientem perhumanè lauteque accepit, non sine admiratione opum eius: ita ut etiam Sbigneo Brezio cum sexcentis equitibus antecedenti, regem in eo comitatu adesse ratus, extra urbem obuiam prodisse dicatur. Octo diebus de fœdere inter consiliarios regum tractatum est: & eò res propemodum perducta erat, ut Boemus Polono Silesiam omnem redderet, Polonus illi uicissim cum quadringentis hastatis equitibus, quoties opus esset, præsto esset. Sed uel indigna res uisa est Polonis proceribus, Boemis esse obnoxios, uel certè Ioannes Smiritius consilio & authoritate præstans inter Boemos superueniens rem infecit. Dum hæc ita fiunt, nihilo tamen magis fida pax Polonis fuit à Cruciferis. Etenim cum expedita manu clàm in Masouiam ingressi, Ioannem ducem Cirnensium nihil hostile suspicantem, in prædio quodam, siue apud Zlotoriam arcem, quam tunc ligneam ædificabat, cæpere: & equo impositum, ac subter aluum equi pedes indignè colligatum, arce incensa secum abduxere: non multo pòst tamen, à rege de uiolato fœdere admoniti, dimiserunt. Dimissus, paulo pòst in eam curam diligenter incubuit, ut nouum prælatorum & canonicorum, & item uicariorum collegium in templo & parœcia Varsauiensi institueretur. Et institutum id est ab Alberto Iastrembecio Posnaniensi episcopo, cum Ioannes dux luculentos reditus de bonis suis, ac de decimis à Plocensi episcopo permutatione quadam acquisitis, utriq; illi collegio, atq; parœcias aliquot & quædã alia sacerdotia, suppressis ueteribus titulis, addixisset. Anno à Racianzensi conuentu circumacto, alter conuentus Gneuucouiæ à rege & Cruciferis de perficienda pace inchoata habitus est. Ibi noua res à Cruciferis oblata, negocium omne infecit. Postulabant ij, ut rex Pomeraniæ nomen in inscriptionibus & sigillis suis non usurparet, quemadmodum cum Cazimiro rege multo antè cõuenerat. Negabat ille: cõsiliarijs dissuadentibus. Itaq; Cruciferis Dobrinum non reddentibus, infecta pace discessum est. Tametsi extant in archiuio regio literæ Conradi magistri, hoc ipso tempore scriptæ: quibus testatum facit, quinquaginta millia Vngaricorum florenorum pro Dobrino & Zlotoria sibi numerata esse. Nec melior euentus fuit alterius conuentus cum Vitoudo in Lituania. Sed tamen is cum

Vuladislai cũ Venceslao Boemorũ rege congressus apud Vuratislauiã.

Vẽceslai regis Boemorũ fortuna.

Marsalci Poloni comitatus.

Acta inter Polonos & Boemos.

Ioannes Masouiorum dux captus à Cruciferis.

Varsauiæ collegium sacerdotum institutũ.

Gnewcouiensis cõuentus cũ Cruciferis.

Pax cum Cruciferis infecta.

Pecunia pro Dobrino numerata à rege.

ægrè

ægrè se aduersus potentiam & uim Cruciferorum defenderet, mox dein de cessit ipsis Samagitia. Detrectabant Cruciferorum imperium Samagitæ, & nocturnis incursionibus atque insidijs præsidium eorum affligebant, Vitoudumq; obsecrabant, ne se immanibus Teuthonibus prodere ret. Sed uincebat utilitatem necessitas. Itaq; iussu principis obsides dedere Cruciferis. Quo facilius uerò eos Cruciferi in officio continerent, tres arces in Samagitia condidêre. Duas supra Neuazam fluuium, tertiam uerò in confluente Nemini atque Dubezæ. Profugerat iterũ in Prussiam Suitrigello, spe totius Lituanię per Cruciferos potiundæ: sed Podoliam nihilominus præsidijs suis tenebat. Itaque conuentu Gneuucouienſi soluto, rex eò profectus, omnem eam cum arcibus in deditionem recepit, orto à Camenecia ciuitate initio: præfecturaḿque eius oræ Petro Saffranecio Polono mandauit. Ab Alexandro Valachorum Palatino, iam inde à duobus annis sibi addicto, & consiliarijs eius Cameneciam euocatis, solenne iusiurandum, quod in fide & clientela sua, reginæ, ac filiorum, & regni Polonici permansuri essent, accepit. quanquam idem anno superiori Romanus Palatinus & ipse fecerat: cuius rei extant monumenta in archiuio regio utriusque diplomata: unde credibile fit, eos inter se de principatu contendisse. At in maiore Polonia Thomas Vengleſsinius Castellanus Sendomirienſis, & præfectus maioris Poloniæ, Drahimum arcem ab ijs qui religiosam militiam diui Ioannis nomine profitentur, interceptam, quadriduo expugnauit: eiectóque præsidio, in potestatem suam redegit. Vitoudus uerò pacem nactus à Cruciferis, eodem anno, qui fuit 1406 transmisso Vgra flumine, primam fecit in Moschos expeditionem, siue proferendorum finium gratia, siue iniuria prouocatus à genero, duce gentis, Basilio. Parua & obscura initiò gens Russorum fuere Moschi, quemadmodum primo libro indicauimus: sed iam tunc accessione finitimarum gentium, partim successionibus iustis adiunctarum, partim ui uel fraude subactarum, non parua incrementa cæperant. Nec tamen elici ad pugnam potuere. Peruastata igitur longè latéque eorum regione, Vitoudus præda onustus in Lituaniam redijt. Fuerunt eius expeditionis socij Vitoudo complures de nobilitate Polonica, qui præda hostili magnopere ditati sunt. Maiore ui postea Vitoudus in id bellum, anno uno intermissum incubuit, fretus maioribus Polonorum, quibus Sbigneus Brezius Marsalcus præfuit, & Cruciferorum auxilijs: & usque ad Occam fluuium permagnum populabundus peruenit. Quo minus autem fluuium transmitteret, Suitrigellonis patruelis armis prohibitus est. Nam is seu leuitate quadam ingenij, siue inuidentia stimulatus, Brancko & Starodubo arcibus, quæ in Seueria Vuladislai regis beneficentia obtinebat, incensis, ad Basilium hostem Vitoudi transfugerat, bonaḿque illi nauabat operam, exercitum Vitoudi ex insidijs & iniquis locis lacessendo. Atque hinc potest colligi, Suitrigellonem aut non ad Cruciferos profugisse paulo ante id tempus, sicuti nos dudum è Dlugosi sententia narrauimus: aut certè ex formula fœderis cum

Samagitia concessa Cruciferis.

Samagitæ detrectarunt Cruciferorum dominatum.

Neuaza fl.

Dubeza fl.

Suitrigello iterum ad Prussos fugit.

Podolia redacta in ditionẽ Polonorum.

Valachiæ Palatini cũ proceribus iurant in uerba regis Cameneciæ.

Drahimũ arx recuperata à Polonis.

Moschicũ bellum Vitoudi.

Vgra fl.

Moschi.

Sbigneus Brezius dux copiarum Polonicarum.

Suitrigello Moschis adest contra Vitoudum.

Vitoudo

Vitoudo icti ab eis exactum siue excluſum, cum hoſtibus eius Moſchis ſeſe coniunxiſſe. Impetrauit tandem à Vitoudo pacẽ Baſilius æquis conditionibus. Qua conſtituta, Vitoudus properè equos permutãdo, in Lituaniam ad uxorẽ (ut erat in Venerem pronus) cõtendit. Exercitus uerò eius ſine imperio & ordine ex Moſchouia decedens, cum per uaſtata dudum à ſe, & ab ipſis etiam Moſchis, loca iter faceret, fame afflictus: & magnis incommodis propter cœli intemperiem in limoſo ſolo affectus, & à Tartaris etiam, quos Moſchus uelut cliens patronos in auxilium acciuerat, à tergo & ab lateribus incurſantib. uehementer uexatus eſt. Verùm iſ tamen uirtute Polonorum atq; Cruciferorum, pedeſtri magis quàm equeſtri, prælio uicti pulſiq; ſunt. Poloni amiſsis armis & equis reuertentes, liberalitate regis abundè recreati. Lituanica hiſtoria nullam belli cuiuſquam à Vitoudo contra Moſchos ſuſcepti mentionẽ facit: & quidem trans Occam non Moſchica, ſed Rezanenſis ditio eſt, quam à Vitoudo uaſtatam eſſe conſtat: quæ quamuis nunc Moſchorum duci pareat, tunc quidem ſuum adhuc habebat ducem, Olgum nomine. Per hoc tempus Iacobus Cobilenius, gente Grimalius, Nicolaus Chranſtouius Stregomius, & Andreas Tencinius Toporus, de adulterio Annæ reginæ à rege inſimulati ſunt. Et Chranſtouius quidem ſolum uertit, Cobilenius uerò triennio in arce Leopolienſi in carcere aſſeruatus eſt: Tencinio, quod minus ſuſpectus eſſet, nihil actum. Obiurgatus autem rex à ſenatu de nimia credulitate, & probro reginæ, iudicium in delatores inſtaurauit: ubi Clemens Moſcorouius caſtellanus Viſlicienſis & præfectus Cracouienſis delator editus, publicè & ſolenni ritu dicta ſua reuocauit, & mendacij ſe ipſe damnauit. Per idem tempus Cracouiæ uulgò in Iudæos impetu concitatæ multitudinis, nequicquam prohibentibus Moſcorouio præfecto, & Nicolao Lituos procuratore arcis, ſæuitum eſt: direptæ & incenſæ eorum domus: ſerpſitq; per plateas aliquot, etiam in Chriſtianorum tecta, incendium. Quin & ædes diuæ Annæ, circum quam tunc erant Iudæorum domicilia, conflagrauit: Academia, quam collegium maius uocant; ægrè à ſtudioſis iuuenibus defenſa. Magnam autem Chriſtiani in Iudæorum pueris, quibus parſum erat, educandis, & Chriſtiana religione imbuendis, curam impendêre. Adulti quoque, qui cædi ſuperfuere, plericq; ultrò Chriſtiani facti. Inuidia opum fraude & uſuris quæſitarum, & opibus aucta licentia, ac ſcelera flagitiaq; impunita, ipſis cladis illius cauſæ fuere. Porrò in Lituania poſt Moſchicam illam expeditionem, qua uires Lituanorum uehementer attritæ erant, Cruciferi nullum cupiditati ſuæ modum ſtatuentes, nouas inimicitiarum atque belli cauſas quærere, neq; iniurijs abſtinêre. Quib. rebus adductus rex Vuladislaus, cum ad pacem quamuis iniquam pronior, quàm ad iuſtum bellum eſſet, conuentum cum Vlrico Iuningo magiſtro Cruciferorũ Pruſſienſium apud Cauunum oppidum egit. Sed nihil æqui à feroci Teutone, & ex manſuetudine aliena maiores ſpiritus ſumente, impetrare potuit: amicè tamen miſsis ultrò citroq; muneribus diſceſſum eſt: Cruciferis bellum, quod meditatum nondum maturauerant, diſsimulantibus.

Lituanicus exercitus incõmodo affectus.

Moſchi cũ Tartaris uicti.

Rezania à Vitoudo uaſtata.

De ſtupro reginæ inſimulati.

Moſcorouius Caſtellanus Viſlicienſis de mendacio damnatus.

Iudæi Cracouiæ direpti & contrucidati.

Cracouiæ incendium.

Conuentus regis & magiſtri Cruciferorum apud Cawnum.

Nec diu-

Nec diuturna tamen ea dissimulatio fuit. Nam ut reuertit rex in Poloniam, uiginti naues frumento onustas è Cuiauiensibus horreis suis secundo flumine Vistula ad mare misit, ut inde porrò aduerso Nemeno in Lituaniam ducerentur, subuẽturus genti suæ inopia ex malo prouentu frugum tunc laboranti: eas naues Cruciferi intercepere. Missi ad eos repetitum res legati, Nicolaus Curouius archiepiscopus Gnesnensis, Nicolaus Michalouius Sendomirienſis, Ianussius Tuliscouius Calisiensis, & Vincentius Granouius Naclensis Castellani, re infecta rediere, causificantibus Cruciferis, arma ijs nauibus contra se barbaris supportata esse. Mox & alteram iniuriam adiecere. Etenim Lituanos mercatores apud Ragnetam uiolarunt, & merces eorũ diripuerunt. Hac gemina iniuria iritatus Vitoudus, prior bello persequi Cruciferos adortus, Rumboldum Marsalcum clàm cum expeditis copijs in Samagitiam misit: præsidia Crucifererorum, quæ erant cum Michaele Cochmeistro præfecto siue aduocato nouæ Marchiæ, uel cæpit, uel interfecit, uel eiecit, & Samagitiam omnem iam inde ab initio à Crũciferorum imperio abhorrentem in suam ditionem redegit. Venêre deinde anno sequenti, qui fuit 1409 post Christum natum Obornicos ad regem legati Cruciferorum, questum de erepta Samagitia, captisq; & cæsis ibi præsidijs suis: & cum bello sibi tantam iniuriam ulcisci necesse esset, propterea quòd res repetitæ à Vitoudo non redderentur, quærebant ex rege, esset'ne illi opem laturus? Fluctuabat animo Vuladislaus, quid faceret: si deesset Vitoudo, Cruciferis eum atq; patriam suam planè prodebat: sin opitularetur, omnem difficilimi belli molem in se & Poloniam, commodiorem prædas agentibus & bellantibus, quam Samagitia est, attrahebat: & abhorrebant ab eo bello Polonorum animi. Itaq; ad amplissimum consilium atq; comitia rem integram reiecit: neq; certi quicquam legatis tunc respondit. At illi elati superbia & impatientia, & protestati, non à se, uerùm à rege fœdera uiolari, minabundi discessere. Comitia deinde rex Lenciciæ ad decimam septimam diem Iulij habuit. Inde, cum omnia prius experiri, quàm ad arma uenire, in commune placuisset, tres legati ad Magistrum missi, ijdem qui prius, ultimo excepto. Postulabant hi à Magistro, ut conuentu constituto amicè cum rege de omnibus iniurijs transigeret. Regis enim, non Vitoudi proprium & hæreditarium esse dominatum Lituaniæ. Excandescere Magister, & moram pati nolle, confestim'q; arma se Lituaniæ illaturum esse minari. Ibi archiepiscopus non ferens Magistri superbiam: Desinas, inquit, nos bello terrere. Si arma contra Lituanos cęperis, uicissim arma nostra domi tuæ senties. Quod dictum in mandatis'ne archiepiscopus à rege acceperit, an bili percitus, inconsideratiùs protulerit, incertum est: optatum quidem certè Magistro accidit. Quocirca statim is subiecit: Bene se rem habere, cum sententiã regis teneat, caput se potius petiturum, quàm pedes: & culta magis, quàm inculta: agros uberes potius, quàm syluas & solitudines. Ita tunc legati impatientia bellum appro peratum est. Nec mora, dictis facta Magister adiecit. Dimissis enim legatis, ad medium Augusti mensis cum exercitu Dobrinum magna ui oppu

Naues Poloniæ cũ frumento interceptæ à Cruciferis.

Polonorum legati ad Magistrum.

Mercatores Lituani interfecti à Cruciferis.

Samagitia recepta à Vitoudo.

1409 ann.

Cruciferorum legati ad regẽ.

Comitia Lenciciæ.

Poloni oratores ad Cruciferos.

Magistri Conradi ferocia.

Archiepiscopi responsum animosius quàm consideratius.

Dobrinum captum & incensum.

gnatum, cępit & incendit. Polonos, qui arcem defendebant, unà cum præfecto arcis Iacobo Plominio capitali pœna affecit. Inde Ripinum & Lipnum oppida primo impetu capta uastauit, magnáq; in oppidanos & agrestes crudelitate debacchatus, ne teneræ quidem ætati & muliebri sexui pepercit. Inde motis ad Bobrouunicos castris, arcem oppugnare orsus, in deditionem accepit: quamuis defendi ea diutius, arte, præsidio & commeatu munita, potuisset. Quare præfectus arcis Varcislaus Gotartouicius de Lissorum familia, fœdum carcerem postea regis imperio pertulit. Cæteri uerò equestris ordinis, qui in præsidio fuerant, infamia notati. Tametsi ea infamia Bartholomæus, Plomycouius, unus de his, anno sequenti, cum multa fortis uiri opera in prælio Gruneualdensi edidisset, sese liberauit. Nunquam tamen postea satis compos rationis fuit, cum semel dolore infamiæ de statu mentis dimotus esset. Zlotoria deinde acriter oppugnata, post octauum diem in deditionem Cruciferorum uenit, cum magna pars defensorum ictu balistarum & bombardarum interfecta esset: reliqui captiui abducti, cum de commutatione captiuorum postea cum Vitoudo conuenisset, tamen Cruciferorum perfidia, cum ij suos recepissent, dimissi non sunt. In Bydgostia expugnanda cum plusculum laboris sentirent, propterea quòd arx ea munitissima erat, per proditionem, corrupto præfecti uicario, quem Burgrabium uocant, ea potiti sunt. Quo cognito, præfectus arcis Thomas Venglessinius, qui etiam totius maioris Poloniæ præfectus erat, absens magno mœrore confectus, non ita multo pòst uita excessit, & successorem Vincentium Granouium castellanũ Naclensem accepit. Rex ubi hæc crebris certisq; nuncijs accepit, minimè cessandum sibi ratus, expeditionem & ipse toti Poloniæ, Russię & Lituaniæ cõtra Cruciferos indixit: minores Poloni cum Russis ad Volboriam, maiores ad Lenciciam conuenire iussi. Quod ubi factum est, recensito apud Radeouiam exercitu, ad Bydgostiam sub finem Septembris castra admouit, arcemq; obsedit. Ibi Magister, cum retinere se eam posse diffideret, Conradũ Olessnicensium ducem ad regẽ cum his mandatis misit, ut rex Venceslaum regem Boemorum de Bydgostia secum pariter arbitrum caperet. Quanquam aũt hoc ille agebat, ut apparatum regium eluderet, non abnuebat tamen Vuladislaus, si non modò de Bydgostia, uerùm de cuncto Dobrinensi tractu, atq; adeò de omni cõtrouersia, Magister illum sibi arbitrum ferret. Iam enim hyems appetebat, nec Vitoudus cum Lituanis ueniebat: missóque excusandi sui causa ad regem nuncio, inducias suadebat. Dum cunctatur Magister conditionem oblatam à rege accipere, Bydgostia post octauum diem à Polonis expugnata, & mox refecta, præsidióque munita est. Magister ad Suece suos conuenire iusserat: quod ubi rex cognouit, partem copiarum statim eò misit: pulsi dissipatíque, qui primi de hostibus conuenerant, & castris exuti. Interea interuenêre oratores regis Venceslai, Conradus senior dux Olessnicensium, & Ienco Vratislauiensium ac Suidnicensium præfectus: bellumq;, inducijs utriusque partis consensu, usque ad uicesimam quartam diem sequentis anni constitutis,

Ripinũ et Lipnum oppida direpta.

Sæuitia Cruciferorum.

Bobrouunici dediti.

Varcislaus Gotartouicius proditionis dãnatus cum alijs compluribus.

Plomycouius uirtute infamiam deleuit.

Zlotoria dedita.

Bydgostia prodita.

Vincẽtius Granouius præfectus maioris Poloniæ.

Polonorum expeditio contra Cruciferos.

Bydgostia recepta à Polonis.

Prußi apud Suece malè accepti.

Induciæ inter Polonos & Cruciferos.

constitutis, diremêre, ut interim Venceslaus de totâ controuersia inter dissidentes arbitraretur. Quo nomine senatus regius uulgo malè audijt, quasi corruptus à Cruciferis, non satis decoras sibi inducias confeciſſet. Ita tunc ab armis discessum est. Quanquam Sigismundus Coributus frater Vitoudi, cum nihil adhuc de indicijs compertum haberet, è Lituania excursionem fecit cum Lituanis in Prussiam: ac tribus oppidis hostilibus, plurimisque pagis direptis & incensis, magnam prædam reportauit. Quos ut ulciscerentur Cruciferi, qui excusationem ignorantiæ non accipiebant, mense Martio anni sequentis clàm per auias solitudines atque syluas tacito agmine progressi, transmisso Netupa amne, & statione Lituanorum apud Iascrum, prodente eam fumo, oppressa, in Volcouiscos improuisò impetum fecere: multosque mortales, qui ad rem diuinam festo die conuenerant, uico incenso, captiuos abduxere. Vitoudus uerò cum septem milliaribus ab eo loco abesset, ac de aduentu hostium certior factus esset, raptim in inferiores syluas cum uxore sese abdidit, donec discessisse eos cognouit. Sub initium autem huius belli Prussici, concilium Pisis in Hetruria apertum est, extinguendi schismatis causa, quod supra quadraginta annos, binis, ac interdum ternis de summo pontificatu contendentibus, rempublicam Christianam afflixit. Ad id concilium Petrus Vissus episcopus Cracouiensis profectus est. Cæteri uerò episcopi Polonici, itémque Academia Cracouiensis, collegium Plocensis basilicæ, quæ tunc episcopum non habebat, & Abbas Tinecensis, legatos misere. Sed non modò non oppressum, sed auctum etiam ibi schisma est, cum duobus, Angelo Corrario, qui Gregorius duodecimus, & Petro Lunensi, qui Benedictus tertius decimus appellatus est, nec quicquam reiectis, tertius Petrus Cretensis de sodalitio Franciscano pontifex creatus esset, Alexandri quinti nomen adeptus. Causa reijciendi duos illos fuit, quòd ij, cum sanctè uterque promisisset se abituros esse pontificatu, redintegrandæ ecclesiæ gratia: ubi id Cardinales postulassent, ludificabantur eos, qui fidem suam secuti essent, ac ne ueniebant quidem ad concilium. Secutus est autem Vuladislaus rex concilij authoritatem, cum superiori tempore Gregorium pro pontifice habuisset: ac decanatus Cracouiensis, & præposituræ Gnesnensis conferendæ ius sempiternum ab eo accepisset. Per idem tempus Praga, ac mox tota Boemia nouis motibus agitari, Ioanne Husso, & Hieronymo Pragensi authoribus, cœpit: uicinasque Morauiam, Silesiam, & Germaniam, ac Poloniam etiam partim pestifero nouæ hæreseos ueneno afflauit, partim cædibus & incendijs exercuit, & multis magnisque incommodis uehementer afflixit, ab ambitione & contentione scholastica orto initio. Rege Venceslao nõ modò non compescente, sed cõpendij sui causa alente etiam contentionem, cum dictitaret, anserem (hoc enim Husi cognomen apud Boemos sonat) aurea sibi oua párere. Ac suppresit quidem utcunque incendium id oriens Sbinco archiepiscopus, quoad uixit: sed cum ipsi Albicus medicus, homo auarus succesisset, nec multo pòst, emptam archiepiscopam auariori etiam

Venceslao regi Boemorum arbitrium delatum.

Lituani Prussiam uastarunt, & tria oppida incenderunt.

Lituania uicissim uexata à Cruciferis.

1410 ann.

Netupa fl.

Vitoudus in syluã sese abdidit.

Concilium Pisanum.

Boemici motus.

Hussicæ sectæ initium & incrementum.

Venceslai regis auaritia.

Hus.

Episcoporũ auaritia.

Conrado Veſtphalo uendidiſſet, atq; is muneris ſui negligẽs, pecuniam modò cùm ad propinquos ditandos, tum ad res ſuas dubias auarè corraderet, ac miſerè comparceret, diffudit id ſeſe longè lateq;, fomentũ ſubminiſtrante diſsidio pontificum, & crucis militia, quę iuſſu Ioannis uicesimi tertij põtificis contra Ladislaum regem Neapolitanũ per totum orbem Chriſtianum, uenia peccatorũ omniũ propoſita, cõcitabatur. Grauiter enim edictũ illud pontificiũ, ac deinde uitia ſacerdotum, Huſſus, ut erat diſertus, ſecũdo populo inſectatus eſt: & hoc quaſi gradu facto, mox cum ſacrum ordinẽ inuiſum uulgò reddidiſſet, Ioannis Vicleffi Angli hæretici praua dogmata unà cum Hieronymo diſſeminare cœpit. Quorum ſucceſſu inuitati Iacobellus & Petrus Myſnẽſes Germani, nõnihil & ipſi de ſuo ad ea dogmata adiecere. Inde uires ſumente multitudine, ducesq; improbos nacta, coitiones nõ modò cõtra magiſtratũ Pragenſem, ſed etiã contra regẽ ipſum uulgò haberi, & res gladijs, nõ uerbis geri, bonisq; eccleſiaſticis manus admoueri cœptę: mox omnia ſumma & ima permixta, iuraq; humana ac diuina euerſa, ita ut neq; Vẽceslaus rex, amiſsis ſemel per incuriã & cõniuentiã habenis regni, ſubuenire perditis reb. potuerit. Ac ne Sigiſmũdus quidẽ frater eius, qui poſt recuperatũ de Turcis Boſnenſe regnũ, & aduerſam cum Cyriſcelebe ſiue Calepino Baiazetis filio, ſiue Mahomete eiuſdẽ nepote, in Golubecijs cãpis pugnã, Roberto Cæſari mortuo ſucceſsit: aliquanto aũt poſt etiam regnum Boemorũm poſt Venceslaum ſuſcepit, multaq; cõſilio pariter & armis cõtra contumaces Boemos nequicquam tentauit. Sed nos ad noſtra redeamus. Reuerſus à bello Pruſsico Vuladislaus per maiorem Poloniã, apud Nepolomiciam comitia habuit. His peractis, legatisq; ad Venceslaũ regem, ad tractandum de pace cum Cruciferis, deſignatis, mox Breſte Lituanicũ cõtendit, & ibi cum Vitoudo de ratione totius belli gerendi ſecretò, ſolo Nicolao Tramba præſente, cõſtituit. Inde in Ruſsiã diuertẽs, uenationib. uacauit: confectamq; biſontiũ, onagrorum atq; ceruorũ magnam uim, & ſale cõditam, ſecũdis fluminibus Narua & Viſtula, Ploſcũ tranſmiſit. Inde porrò ſequentis anni, qui fuit 1410, initio, per Chelmenſem, in Lublinenſem & Sendomirienſem tractũ reuectus, nuſquã uenationes intermiſit. Inde cum eum Hermannus comes Cilię, frater patruelis Annę reginę, uiſiſſet, ac de congreſſu cum Sigiſmundo Vngarorũ rege inſtituendo cõfeciſſet, Ruſsia ac Podolia rurſus curſim peragrata, poſt paſcha Sandeciã pariter cum Vitoudo aduenit, quò iam cõplures proceres iuſsi cõuenerant. Expectabat etiã Keſmarci Sigiſmundus. Nec tamẽ conuenerunt reges. Sed miſsus à Vuladislao cum nõnullis proceribus Polonis ad Sigiſmundum Vitoudus, de ſtabiliẽdis cum eo in reliquos quatuor annos induciis, quę in ſexdecim annos olim pactæ erãt, id reſponſi accepit: ſi Vuladislaus bellum Cruciferis faceret, Sigiſmundũ eis deeſſe non poſſe. Etenim Roberto Cæſare per id tempus uita defuncto, adſpirabat is ad Romanum imperium (quod & conſecutus eſt) quamobrẽ gratiam Germanorũ principum, apud quos gratioſi erant Cruciferi, aucupabatur. Quin ipſi Cruciferi quadraginta millia numũm aureorũ ei promiſerant, ſi Polonis bellum indi-

Huſſi fauor apud Boemos ex edicto pontificio.

Ioannes Vicleffus hæreſiarcha.

Sigiſmundus rex Vng. Boſnam recepit, et à Turcis iterũ victus eſt.

Comitia Nepolomiciæ.

Rex in Lituaniam.

Venationes Ruſsicæ.

1410 ann.

Hermannus comes Ciliæ.

Vitoudus à rege ad Sigiſmũdum in Vngariam miſſus.

Sigiſmundus eur fauit Cruciferis.

Roberti Cæſaris mors.

Sigiſmũdus Cæſar creatus.

Sigiſmundus rex redemptus à Cruciferis.

lum indixisset. Cęterùm ad pacem cõponendam operam suam regi pollicitus est Sigismundus. Cum Vitoudo autem secretos sermones absq; arbitris habuit, quibus eum ad se allicere, & à fide ac societate Vuladislai, spe regni Lituanici iniecta, auocare conatus est. Verùm Vitoudus dolis Sigismundi intellectis, insalutato eo discesset. Sed intra unũ milliariũ consecutus eum Sigismundus, honorificè, magnis donis muneratũ, dimisit. Nec celauit is Vuladislaũ de Sigismundi cõsilijs atq; artibus: quibus etsi tunc captus non est, postea tamen irretitus fuit, quemadmodũ suo loco dicemus. Condidit autem per hosce dies Vuladislaus rex Sandeciæ monasterium Præmonstratensibus, quos uocant, monachis, abbatiq; eius curam propinqui ptochodochij mandauit. Ad bellũ deinde Prussicum summo studio cœpit incũbere, spe pacis, Cruciferorũ improbitate & iniquitate Venceslai præcisa. Nã is cum arbitriũ inter dissidentes ex cõpromisso ad se delatum recepisset, ut erat homo nihili, & uoluptatibus atq; ebrietati totus immersus: ne cognita quidẽ causa, de sentẽtia Iodoci Marchionis Morauiæ ita pronunciauit, ut nullam prorsus neq; iustitiæ neq; equitatis rationem duceret: ad hæc ineptissimè quę extra controuersiam erant, adiungeret, ut Poloni non nisi ex occidentalibus oris regẽ sibi deinceps peterent: Dobrinensem autem tractum, ut ipse uno anno obtineret, atque interim deliberaret, utri parti eum adiudicaret. Quæ sententia cum Germanica lingua à scriba recitari inciperet, nostri discessere, negantes se Germanicæ cõcioni propter linguæ imperitiam interesse uelle. Erat autem Iodocus infensus Vuladislao, propterea quòd is æmulũ suum Procopium contra se armis adiuuisset. Desperata igitur æqua pace Vuladislaus, dimissis in omnes partes literis restibus alligatis, quæ ex eo restium nomen obtinent apud Polonos, expeditionem cunctæ Poloniæ edixit. Ne quid aũt absente se & in Prussicũ bellũ intento Sigismundus turbaret, quemadmodũ præ se ferebat, Ioannẽ Scecocinijũ castellanum Lublinensem, & præfectũ Sandecẽsem, gẽte Odrouanzũ, cum omni Sciricien sis atq; Biecensis oræ nobilitate ad tutandã illam oram ab Vngaris reliquit: Vitoudum & aulicũ suum comitatũ, ut se ad bellum cõpararent dimisit: militem mercenarium cum ductoribus ordinũ atq; centurionibus metandorum castrorum, & instruendarũ acierum peritis è Boemis atq; Morauis, de sententia Sbignei Brezij marsalci (alijs aduersantibus, & sumptuum magnitudinem, dubiamq; & infirmam externorum militum fidẽ caussificantibus) acciuit: cum Sbigneus diceret, uictoribus quidem illis uictos hostes stipendia pensuros esse: si uerò uicti fortè essent, pro cæsis captisq; nõ fore qui ea peterent: fidelem aũt operam eos nauaturos esse in cõspectu eorũ, apud quos stipendia facerent, dimicantes, & infamiã ignauiæ siue perfidiæ ex disciplina militari metuẽtes. Misit tamẽ iterum Vuladislaus legationẽ ad Sigismundũ regem, eumq; & fœderũ, & promissi de tentãda pace inter se & Cruciferos admonuit. Et prolixè quidem ille promisit, ipsum se ad Cruciferos ea de causa profecturũ esse: sed mutata sententia, Nicolaum Garam Vngariæ, & Sciborium Sciboricium Polonũ Transyluaniæ palatinos, & Georgium Kersdorfum Sile-

Sigismundi regis Vngarorũ artes.

Monasterium Sandecense.

Venceslai regis Boem. arbitrium inter Polonos & Cruciferos.

Iodocus Marchio Morauiæ infensus Vuladislao regi.

Restes.

Prussicum bellum.

Ioannes Scecocinius Odrouanzus.

Sciricienses & Biecenses nobilitas relicta in præsidio contra Vngaros.

Centuriones et rei militaris periti acciti è Boemia.

Mercenarij milites externi an utiles sint.

Legati Sigismundi ad Cruciferos.

sium legatos misit in Prussiam, non tam pacis tractandæ, quàm quadraginta millium florenorum à Cruciferis emungendorum causa. Benigneque ij legati habiti à Vuladislao, & in Prussiam usque eius iussu atque sumptibus deducti sunt. Nihilo tamen magis remittebat is institutam expeditionem. Erant in aula & ministerio Sigismundi complures Poloni equestris ordinis, & in his nobiles in primis, Zauisius cognomento Niger, & Ioannes Farureius Garbouij fratres germani, gente Sulimęi, Thomas Calscius Roseus, Albertus Malscius Nalẽcius, Dobeslaus Puchala Venauius, Ioãnes Broglouius Grimalius, & Scarbicus Gorius Habdancus, qui propter prędara merita sua non contemnendas facultates & possessiones in Vngaria, beneficentia eius regis adepti erant. Qui omnes ubi regem suum Vuladislaum ad Prussicum bellum proficiscí, & Sigismundum ad uiolandum cum eo fœdus pronũ esse senserunt, relictis possessionibus, & ingentibus Sigismundi pollicitationibus repudiatis, memorabili exemplo Vuladislaũ secuti sunt. Nec malè eis postea respondit Vuladislai gratitudo & liberalitas. Proficiscens autem is ad bellum Prussicum, Nicolaum Curouium archiepiscopum Gnesnensem Cracouiæ cum imperio reliquit: & quacunqꝫ iter faciebat, profusa in egenos largitione utebatur. Cum autem Slupiam, quod oppidum episcopi Vuladislauiensis sub Lyssecensi monasterio situm est, peruenisset, biduo ibi commoratus, diluculo ad ædem sacram, ligno crucis Christi celebrem, in excelso monte positam, pedes ascendebat, nec nisi uesperi ad sumendum cibum in oppidum descendebat, cum totum diem precationi flexis genibus in templo uacasset. Iam induciæ cum Cruciferis expirarant: Poloniꝯqꝫ equites, quos rex de aulico comitatu suo ad præsidium Inouuladislauiæ, Breste & Bydgostiæ præmiserat, initium belli fecerant, incensis compluribus pagis in ripa Vistulæ, Magistro Crucifero-rum cum legatis Sigismundi non sine perturbatione animi inspectante. Sed furore eius mitigato, legati decem dierum inducias, per quas de pace ageretur, rursus confecerunt. Quæ quidem induciæ, tametsi nihil per eas de pace actum est, tamen ex re nostrorum fuere: quòd nondum copiæ ad constitutum locum conuenerant. Cum autem eæ apud Ciruensense monasterium conuenissent, nauali ponte iuncto, qui multo antè ad eum usum ingeniose apud Cozinicios saltus excogitatus & paratus erat, Vistulã cum impedimẽtis, curribus & bombardis transmisere, & in ulteriore ripa castra posuere. Eò Vitoudus cum Lituanicis ac Tartaricis copijs aduenit. Neqꝫ uerò is suos tantum Lituanicos Tartaros adduxit, sed Zauolgenses siue Trãsuolganos etiã, quos per hyemem unà cum liberis & uxoribus eam ob rem sustentarat. Exactis decem dierum inducijs, cum ne tentata quidẽ pax esset, Ioannes Broglouius, quem rex præsidio Bydgostiensi prefecerat, cum nõ contemnenda suorũ manu noctu in Suecense territorium ingressus, insidias opportuno loco posuit: ipse uerò postridie cum paucis circum arcẽ & oppidum populabundus, hostes elicuit, & simulata fuga in insidias induxit: ubi à frõte & à tergo circumuenti, omnes ad unum partim cæsi, partim capti sunt. Quo cognito,

Polonorum equitum factum laude dignum.

Archiepiscopus gubernator Poloniæ.

Slupia oppidum.

Religio Vuladislai regis.

Poloni uexant Prußiam.

Induciæ.

Vitoudi exercitus.

Polonorũ prima de Cruciferis uictoria.

cognito, Cruciferi Henricum Plauenium commendatorem Suecenſem cum præſidio tueri oram illam iuſſerunt. Venerunt deinde in caſtra regis legati Sigiſmundi, & perſpecta uoluntate regis ad pacem æquis conditionibus componendam inclinata, ad Cruciferos reuerterũt. Fuerunt autem conditiones à rege editæ, ut Cruciferi Dobrinenſem ditionem ſibi redderent, Samagitia abſtinerent: de damnis uerò, ut Sigiſmundus arbitraretur. Nec eas tamen Cruciferi accipiebant: indignum rati, ab hoſte armato, ac ditiones ſuas infeſtante, cuiuſcp modi cõditiones accipere, quaſi uictoriam in manibus haberent. Cum autẽ nihil reſpõſi rex ab Vngaricis legatis acciperet, miſit ad eos Petrum Corsbocum equitem, ut de Cruciferorum ſentẽtia certior fieret. Re in conſultationẽ Cruciferorum à Magiſtro poſita, fremere omnes, & bellum quàm pacem malle: unus ab omnibus cõmendator Meuenſis, comes Vendenſis, annis & uſu rerum prudentior, diſſentiebat, pacem ſuadens, & communem eſſe Martem, dubiumcp euentum belli dictitans. In quem Vernerus Tetinger Elbingenſis commendator grauius inuectus: Poteras, inquit, cum iſtoc animo domi manere, & ægrotorum fratrum curam gerere. At ille: Ego, inquit, quæ recta & utilia iudico, in medium conſulo: ſed tamen ſi his aliter uidebitur, ita me Deo propitio geram, ut genere meo dignum eſt. tu uide, ne ſis dictis ferocior, quàm factis fortior. Intercepit rixam commendatorum Sciborius, pacemque enixius ſuadere cœpit. Sed eum quoque Magiſter increpuit: Polonus, inquiens, cum ſis Scibori, quæ in rem Polonorum ſunt loqueris. Interim dum hæc fiunt, promouebat caſtra Vuladislaus, & quodam tempore ex compoſito hoſtium aduentum nunciari iuſsit, ut in opinato tumultu negligentiam & ſecuritatem ſuis excuteret. Cum autem ad Vecram amnem caſtra haberet (qui locus Maſouiticæ quidem ditionis erat, ſed eum tunc Cruciferi datis duci mutuò quinque millibus marcarum Pragenſium, hypothecæ nomine obtinebant) ibi Lituani atque Tartari non ſecus ac in hoſtes omnem crudelitatem, nulla neque ſexus neque ætatis miſeratione, exercuere. Qua de re grauiter reprehenſus rex à primoribus Polonorum, cum ſeñ cum omni nobilitate Polonica tam impia caſtra deſerturos eſſe minarentur, captiuos omnes ſolui iuſsit, ac dimitti. Motis autem ex eo loco caſtris, cum primùm hoſtium fines attigit, expandit acies in latè patenti planicie: acceptumcp manu ſua uexillum maximum, cuius inſigne eſt alba aquila coronata hiante roſtro, & extenſis alis, explicat, ſuſpirans que & lachrymabundus ſonora uoce ita fatur: Deus optime maxime, non modò factorum atque dictorum, ſed & cogitationum omnium cognitor, tu mihi teſtis es locupletiſsimus, me inuitum ad hoc bellum cum Chriſtianis qualibus qualibus, Chriſtianis tamen, gerendum deſcendere, maximis & intolerabilibus Cruciferorum iniurijs prouocatum: & officio meo adductum, ut populos abs te curæ & fidei meæ concreditos, de rapacibus & cruentis eorum manibus, & infandis contumelijs uindicem. Tu noſti, conſilia pacis me nunquam defugiſſe, & uel iniqua pace iuſtum bellum redimere cupiuiſſe, ſi quem religioſi homines

Pacis conditiones à Polonis propoſitæ.

Cruciferi belli quàm pacis cupidiores.

Meuenſis commendatoris cõſilium.

Tetingeri ferocia.

Vecra fl.

Rex à conſiliarijs grauiter obiurgatus de Lituanorũ ac Tartarorum licentia.

Aquila Polonorum principũ inſigne.

Vuladislai regis oratio pia.

inſatiabili

insatiabili cupiditati, & irreligiosæ superbiæ suæ modũ statuere uoluis-
sent. Sed quando nihil apud eos mansuetudine & patientia, uix priuato
homini, nedum principi consentanea, proficio, tuæ iusticiæ fiducia iu-
sta pia'que arma sumpsi, tuisq; auspicijs uexillum hoc nunc explico. Tu
quæso iustiori causæ faueto, & sanguinem Christianorum hominum,
qui immaniter hactenus à Cruciferis trucidati sunt, quosq; hoc bellum
utrinque absumet, ab illis qui bello causam dederunt, expetito. Hæc rex,
collachrymante omni exercitu. Idem fecere deinceps Vitoudus, & Ma-
souĳ duces, & proceres tam Poloni quàm Lituani. Deinde Poloni ab-
Bogarodiza pæan d. Adalberti. sterſis lachrymis, carmen patrium, siue pæana Virgini matri Dei dica-
tum, cuius authorem diuum Adalbertum archiepiscopum ferunt, cecine
re. His peractis, quæsitus est, cui summa administratio totius belli secun-
dum regem committeretur. Detrectantibus autem tantum onus, maxi-
mo cum periculo coniunctum, Boemis & Morauis, qui scientia rei mili-
Zindramus Mascouicius dux belli delectus. taris præstare in primis uidebantur, ad Zindramum Mascouicium ensi-
ferum, ut uulgò uocant, Cracouiensem, ortum ex ea familia, cuius insi-
gne sol est, munus id defertur. Erat is quidem statura parua, sed ingenti
spiritu, & ingenio solertiaq; non uulgari. Huic adiuncti consiliarij, Vi-
Consilium castrense. toudus, Cristinus Ostrouius castellanus Cracouiensis, Ioannes Tarno-
uius Cracouiensis, Sendiuoius Ostrorogus Posnanienſis, Nicolaus Mi-
chalouius Sendomirienſis palatini, Nicolaus Tramba præpositus apud
S. Floriani & procancellarius, Sbigneus Brezius marsalcus, & Petrus
Saffranecius magister cubiculi, siue succamerarius, ut uocant, Cracouien
Luterberga oppidum. sis. His constitutis, ad Luterbergam hostile oppidum, quod iam no-
stri succenderant, castra mota. Ibi res horrẽda accidit, ac barbarico duo-
rum Lituanorum supplicio disciplina militaris in exercitu sancita est.
Lituanorũ impium facinus. Dira ac detestanda scelera Lituani atque Tartari in excursionibus atque
populationibus pagorum nihilominus patrabant, matronas atque uir-
gines constuprabant, infantes dissecabant, templa cum sacris diripiebãt:
& quodam loco sanctissimũ CHRISTI IESV corpus, quod in templis
de more apud Christianos asseruatur, de argenteo ferculo profanè in ter
Polonorum pietas. ram abiecerant. Id ubi resciuere nostri, fremere cuncti: & ni plectantur sa
crilegi, militiam se deserturos esse, populariter minari. Hoc clamore &
fremitu commotus rex, authores sceleris perquiri iussit. Inuenti duo Li-
Supplicij sumẽdi mos apud Lituanos. tuani, Vitoudi iussu ipsi sibi furcam excitarunt, & suis uterque manibus
barbaro, sed patrio tamen more, sese suspenderunt, obiurgantes sese mu
tuò, ne sua cunctatione iram principis in se magis accenderent: quasi is a-
trocius etiam aliquid in eos posset statuere. Nec ferè tale quippiam po-
Curetnicũ oppidum. stea designatũ est, territis cunctis duorum supplicio. A' Luterberga de-
Rubcouo lacus. inde ad Curetnicum, quod oppidum cum arce superposita ad Rubco-
uum lacum est, haud procul à Deruãcia flumine, castra mota. Vnde cum
Drwanza fl. pabulatum nõnulli de nostris excurrissent, quinquaginta equos hostiũ,
qui in flumine adaquabantur, sessoribus deiectis cepere: & cum his reuer
tentes, eminus conspecti, cum speciem hostium aduentantium præbuis-
Tumultus in castris. sent, tumultum in castris conciuere. Sed mox is resedit, errore cognito.

Quod

Quod ne deinceps accideret, edictū est publicè regis iussu, ne quis absq; commmeatu castris egrederetur, ne'ue in castris tuba uteretur, præter unum regium tubicinem. In mouendis autem castris hæc ratio institu-
Edictū regiū ad disciplinam militarem pertinens.
ta, ut ad primum regij tubicinis cantum cuncti sese armarent: ad secundum, equos sternerent & frenarent: ad tertium uerò, ut Marsalcum cum regio uexillo minore precedentem, compositi suo quisque ordine sequerentur. Omnia denicq; cautius & accuratius fieri cœpta, propterea quòd haud procul castra habebant Cruciferi, traiectu fluminis nostros prohibituri, cuius utranq; ripam & alueum densis stipitibus & sudibus præfixis impedierant. Quibus rebus cognitis rex, ne suos in extruēdo ponte fatigaret, ac dimicationi obijceret, reflexo ad caput amnis per aspera & montosa loca itinere, prope Zaldouiam oppidum castra metatus est.
Zaldouia oppidum.
Venit eò ad regem Fricius Reptius Silesius, cum mādatis legatorum Sigismundi regis: & quando frustra de pace apud Cruciferos tentatū erat,
Sigismundus rex bellum Polonis indicit.
bellū Vuladislao Sigismundi nomine in secreta magistri militiæ & octo consiliariorum audientia literis Sigismundi exhibitis, denunciauit. Soli aūt regi secretius in aurem insusurrauit, ne quid ea denunciatione terreretur: quadraginta enim millium aureorum à Cruciferis emungendorū causa, eam factam esse. animauitq; eum, ut ne cōserere manus cū Cruciferis, quorum uires longè essent inferiores, reformidaret. Dimissus cū eo
Responsum Vuladislai regis.
responso, quo Vuladislaus Sigismundo extremā pro compluribus maximisq; suis beneficijs ingratitudinem exprobrauit, & ultionē diuinam in caput eius, qui prior fœdus rumpebat, imprecatus est. Vbi in castra Cruciferorum redijt Fricius, certiores eos fecit de castris regijs. Crediderant enim ij Polonos atq; Lituanos subito pauore perculsos, fuga dissipatos esse. Nec multo pòst ab exploratoribus nunciatum est, Polonos
Dambrouuno oppidum direptū et incēsum
Dambrouinum, quod Gilgemburgum Teuthones uocarunt, oppidum frequens & opulentum, & lacu in orbem ferè circumfuso, & spisso muro munitum, expugnasse, direptumq; incendisse, & uersus Mariemburgum iter intendere. Quo nuncio accepto Cruciferi ira perciti, uociferari, indignissimum facinus: impunè ab his ditiones suas infestari, quibus
Cruciferorum ferocia.
ipsi prius Pomeraniam atq; Dobrinum eripuissent, & quorū regionem ferro & igni quodā tempore longè lateq; peruastassent: nec ferendum amplius, quin de summa rerum cum Polonis primo quoq; tempore decernerent. Itaq; in hostem se duci flagitabant: neq; Magister abnuit. Rex cum altero quoq; die apud Dambrouinum expugnatum statiua habuisset, captiuosq; omnes, exceptis Cruciferis religionē professis, benignè relaxasset, prędaq; & cōmeatu copioso exercitum ditasset: tertia die, hoc est, quintadecima mensis Iulij, facto duûm milliariū itinere, inter fruteta & nemora prope Gruneualdum & Tanebricum pagos castra metatus est. Fuerat nox præcedens tempestatibus inquieta, sed apud Cruciferorum quàm nostrorum castra longè inquietior, ita ut eorū tentoria dissijceret; manè autem ualidiores uenti flare cœperant. Quam ob rem cum
Rex rei diuinæ uacare solitus.
rex non facta re diuina, præter morem castra mouisset, apud Gruneualdum demùm erecto tentorio rei diuinæ uacauit. Interim ei nuncia-

tur ab exploratoribus, alio super alium accurrentibus, hostes adesse. Ad extremum ueniens ipse Vitoudus, nunciat hostes in conspectu esse: ni maturetur, in imparatos impetum daturos: nec tamen auelli rex ab altaribus, donec sacra peragerentur, potuit. Et fuit sanè res in periculo, si hostes aciebus nostrorum nondum instructis, illico signa intulissent. Sed ne id facerent, diuinitùs, uti creditum est, impediti sunt: ueriti, ne quid fraudis & insidiarum nostri nemorum opportunitate occultarent. Interea commodè à Zindramo & Vitoudo acies instructæ: læuum cornu Poloni, dextrum Lituani tenuere. Quinquaginta fuere signa Polonica, Lituanica quadraginta. In prima acie robur totius exercitus & uetera ni milites collocati. Iamq; pugnæ signum à rege poscebatur: & singuli, bini, terniq; inter duas acies procurrentes, cum pari numero hostium manus conserebant: & rex iam peractis sacris armatus in aciem prodierat, imbellemq; sacerdotum & scribarum turbam ad castra remittebat: cum ex hostili acie duo caduceatores progressi, quòd mandata ad regem à Magistro ferre se significabant, intacti ad regem deducti sunt. Hortabantur autem ij regem Magistri nomine, ne tam cunctanter & meticulosè pugnam iniret: & quo incunctatius id faceret, duos gladios strictos & cruentos (quemadmodum carmen uulgare de prælio hoc compositum, quod in hanc usque diem extat, habet) ei & Vitoudo obtulere, ut uel ijs aduersus Cruciferos uterentur. Ne quam uerò angustiarum ad explicandos ordines excusationem necterent, neue inter nemora latitarent, concessurum ipsis esse Magistrum plus campestris spacij. Hæc tam superba mandata dum caduceatores exponunt, interea Crucifericus exercitus, ut fidem dictis eorum præstaret, non modico interuallo retrocesit. Rex (nam Vitoudus aberat, Lituanicam aciem obequitans) communicato cum his, quos circa se, quemadmodum diximus, habebat, consilio, placidè & modestè caduceatoribus respondit: Quamuis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei nomine gladios, contumeliæ causa ab hoste missos: atque ita accipere, ut omen uictoriæ, quam sibi armorum traditio portendat. Nunquam se quidem à pace abhorruisse: sed quando bellum mallent Cruciferi, & sanguinem Christianum tantopere sitirent, sperare, mansuetudini suæ & iustiori causæ diuinum auxilium affuturum, ac de illis condignas crudelitatis atq; superbiæ pœnas expetiturum. Omnem autem eam rem unà cum electione campi, se diuinæ sapientiæ & iustitiæ committere. Accepti gladij, in ærario regio in hanc usq; diē asseruantur. Caduceatores aūt alter Sigismundi regis, alter Scecinensium ducis insignia præ se ferebant. Mox Vuladislaus paucis pro tempore milites adhortatus, excedens ex acie (nam ita uisum erat proceribus atq; consiliarijs, ut is aliquo loco cum delecta manu, quæ ipsi custodiæ & præsidij causa attributa erat, extra discrimē prælij consisteret) canere signa iussit, simulque exercitus omnis alacer patrium pæana cecinit. Editiore loco Cruciferi constiterant, inde cum duas bombardas dato loco eiaculati essent, nec ullo tamen ferè detrimento nostros affecissent, per decliue cum infestis

Signa Polonorum & Lituanorum.

Caduceatores Cruciferorū.

Gladij missi regi à Magistro.

Regis modestū responsum.

Rex excessit ex acie.

Prælium.

ſtis ſignis decurrit. Occurrere & noſtri aduenientibus: cōmiſſum utrinq; ſumma ui prelium, ita ut fragor ſonitusq; armorū procul exaudiretur. Iamq; ad unius fermè horæ ſpaciū pugna durauerat, & neutro tamen inclinabat uictoria: ibi Cruciferi animaduertentes debilius eſſe dextrū cornu noſtrorum, in quo Lituani, Ruſsi, atque Tartari, armis, equis & multitudine Polonis aliquanto inferiores, turmatim inſtructi erāt, cum aliquot alarum ſubſidijs maiorem in id impetum dedere, eo conſilio, ut eo pulſo, totis uiribus læuum cornu, in quo pertinacius Poloni dimicabant, adorirentur. Nec uanus omnino conatus hic fuit. Statim enim res noſtrorum in ea parte deteriore loco eſſe cœpit, Lituanis atque Tartaris ſenſim pedem referentibus: & ad extremum, cum ad unius iugeri ſpacium tamen utcunque hoſtium impetum ſuſtinuiſſent, in fugam nequicquam reuocante Vitoudo effuſis. Nec ij ſiſti ullo modo potuere: ſed perpeti fuga plerique in Lituaniam contendentes, actum eſſe de uniuerſo exercitu renunciarunt. Soli Smolenſcij Ruſsi, qui ſub tribus ſignis in eodem cornu conſtiterant, fœditatem fugæ deteſtati, eximiæ uirtutis & fortitudinis laudem meruêre: & una turma penitus deleta, duæ reliquæ cum Polonis in læuo cornu ſeſe coniunxêre. Alia ibi erat rerum facies: noſtri enim acerrimè dimicantes, uexillum regium, cuius ſignifer fuit Martinus Vurocimouicius, uexillifer Cracouienſis, ab hoſtibus deiectum, ſumma ui connixi recuperarunt. Ibiq; primùm inclinari cœpit hoſtilis acies. Inſtabant noſtri perturbatis: & cōmodùm leni pluuia delapſa, puluis, qui longiorem aſpectum adimebat, reſederat. Affuere quidem, ſed poſt tempus fermè, ij qui Lituanos à dextro cornu pulſos longius perſecuti erant: & ni confuſi iam fuiſſent ſuorum ordines, reſtituiſſent proculdubio pugnam. Verùm ij quoq; & fatigati, & ſuorum perturbatione conſternati, & ſine ordinibus inuecti, non diu Polonorū impetum ſuſtinuere. Erat extremum agmē Cruciferorum ſub ſexdecim ſignis, quod nondum prelij fortunam tentauerat, in quo Magiſter & primores Cruciferorum erant. Id ubi ſuorum fortunam cognouit, circumduci cœptum, ut ab latere noſtros inuaderet. Fortè in ea parte rex cum globo ſuo, & minori uexillo conſtiterat, euentum pugnæ expectans: ratusq; in ſe aciem illam dirigi, Sbigneum Oleſſniciuni ſcribam in aciem ad ſuos miſit, ut cohortes aliquot ſubſidiarias inde ſibi adduceret. Sed is reiectus à Nicolao Kelbaſſa gente Nalencio, negante id fieri commodè poſſe, ne ſpeciē fugientiū exhiberent: & hoſtibus perculſis quidē, ſed nō deuictis terga obijcerent: retulit, nullum in acie cuiuſquā imperiū exaudiri. Ibi rex cum experiri nihilominus fortunam prælij cuperet, retentus eſt ab his, quorum fidei à toto exercitu commendatus erat: & uexillum minus, ne ex eo ibi eſſe agnoſceretur, occultatum. Interim Luſacius quidam Dipoldus Kikericius, miles ſtrenuus, totū corpus armis tectus, ex hoſtili acie procurrens, regem & ipſum armis inſignem infeſta haſta petere uidebatur. In eum & rex uiciſsim haſtam direxerat: ſed Sbigneus Oleſſnicius inermis, cum ſemifracta haſta præcurrens, ut uel ſuo periculo regium periculum auerteret, ab latere uibrata haſta de equo Dipol-

Lituanorum fuga.

Smoleſciorum uirtus.

Vexillum regium recuperatum.

Rex non permiſſus pugnam iure.

Sbigneci Oleſſnicij uirtus.

dum deiecit: deiectum rex hasta in frontem, reuoluta casu casside aper-
tam, ferire satis habuit: sed regij satellites eum interfecerunt. Præclarum
& memorabile nobilis adolescentis facinus: quod rex postea magnis do-
nis & episcopa Cracouiensi remuneratus est, cum ille sacris initiari cogi-
Cruciferi uicti à Polonis. tans, baltheum militarem abnuisset. Iam nostri totam hostilem aciem,
seu quæ initiò contra se constiterat, seu quæ actis in fugam Lituanis po-
sterius accesserat, ingenti strage fractam profligarant, cum illũ fortè cu-
neum sub sexdecim signis procul aspexêre: & primùm quidem Litua-
nos esse è fuga reuersos credidere: deinde cum error Dobeslai Olesis-
nicij opera & audacia discussus esset, signa in eum cuneum à nostris
illata sunt: & auctus is erat accessione non modica eorum, qui è pro-
fligata acie fuga eò delati erant. Sed eadem ibi fortuna fuit, uicti hostes
non maximo negocio. Cæsis enim primoribus, qui primi pugnam in-
ierant, facilè reliqua multitudo, cum nihil iam spei opisque usquam cer
neret, in fugam acta est. Fugientium terga nostri prementes, eodem
Castra capta. impetu castra iunctis carris atque curribus munita cæperunt: & pluri-
mos ibi mortales, ira nihil pensi faciente, contrucidarunt, ita ut inde tor-
rens sanguinis lõgius profluxisse memoretur. Sed reuera uinum id fuit,
sanguine cæsorum tinctum. Nam cum nostri captis castris ad prædam
uersi essent, & magnam uini copiam, ut in opulentis ac delicatis ca-
stris reperissent, auidius eo se, ut qui æstu ac labore diuturno & uulne-
ribus confecti impense sitirent, iniurgitare cœperant. Qua re, ne à con-
tinuanda uictoria retraherentur, neu immoderatiore potatione mor-
bum contraherent, dissectis regio iussu uasis, uinum inter cæsorum
corpora profluens, speciem sanguinis præbuit. Neque uerò longiore
fuga multi hostium euasere. Nam fugientes quoquo uersus nostri per-
secuti ad aliquot milliaria, partim ceciderunt, partim captiuos abege-
runt. Quodam autem loco palustri aliquot turmæ latitantes, armo-
rum splendore proditæ, abiectis armis, pecudum in morem nostris præ
se agentibus, in castra compulsæ sunt: paucis, qui primùm resistere ausi
Cæsorum & & captiuorũ numerus. erant, interfectis. Cæsa feruntur hostium ea die quinquaginta millia, in
quibus Magister & cõmendatores, paucis exceptis, fuere: capta ad qua-
Magister occi-sus. draginta millia, signa militaria relata unum & quinquaginta. Nec id mi-
Cruciferorum copiæ. rum cuiquã uideri debet. Nam ad centũ quadraginta millia hostiũ fuisse,
autores habeo. Et sanè omnis ferè Germania tũc autoribus Cruciferis in
exitium Polonorũ conspirauerat. Silesiorum item & Slauorum, qui ad
Oceanum Germanicum accolunt, duces, in consanguineorum ac proge
nitorum suorum perniciem deuoti, armis Cruciferos uirisq; iuuerunt.
Olessnicẽsis et Scecinensis duces capti. Ex his Conradus Albus Olessnicensis, & Cazimirus Scecinensis, qui
soli per se ipsi cum auxilijs affuerant, uiui capti: multi item alij insignes
& illustres uiri: castra opulenta direpta. Ibi magna uis tædarum ad
incendia Poloniæ, magna catenarum ad uinciendos nostros compa-
ratarum, malo dominorum suorum reperta. Fertur autem à multis, ex
D. Stanislaus Polonis dimicãtibus adfuit. utroque exercitu per omne tempus prælij conspectus esse in aere uir
uenerandus, pontificali habitu, dimicantes nostros confirmans, hosti-

bus

bus uerò terrorem incutiens. Atque is diuus Stanislaus episcopus Cracouiensis fuisse creditur. Quin & ea nocte, quæ prælium hoc præcessit, ostentum in cœlo circa lunam, euentum prælij portendens, multis testibus apparuisse memorant. Monachum enim eum rege aliquandiu depugnasse: & ad extremum, monachum uictum, ac cœlo deturbatum esse. Nec sanè nouum & inusitatum est, futuros maximarum rerum euentus ostentis & prodigijs quibusdam, siue cœlestium conuersionum efficientia, siue sanctissimarum mentium, quos Angelos uocamus, siue impurorum dæmonum, caliginosum hunc ac terræ uicinum aerem incolentium ministerio, non sine diuino tamen nutu, editis significari. Et affuit sanè Polonis non obscurè diuinum numen in eo prælio. Nam præter Tartarorum, Russorum, Lituanorum stragem, quæ non parua fuit, de nobilioribus Polonis perpauci cecidere: inter quos Iacubouius gente Roseus, & Imbramus Zulicius gente Ceuinius, maximè insignes fuere. Nonnihil fortasse momenti ad uictoriam nostris & Boemi Moraui'q; mercenarij, sed imprudentes, attulere. Nam ij cum uno uexillo, cuius signifer fuit Ioannes Zarnouius Boemus, siue metu, siue auro Cruciferorum corrupti sub initium pugnæ secessérant. Conspicatus autem eos in sylua Nicolaus Tramba procancellarius, cum ex acie iussu regis in castra cum cætera imbelli turba reuerteretur, accurrit ad eos: & grauiter obiurgatos, in aciem redire compulit, in ductorem suum Zarnouium culpam omnem referentes. Qui quidem ita deinceps infamis fuit apud omnes ob id factum, ut ne uxor quidē cōiugali thoro eum dignaretur. Hi ergo reuertentes in aciē, speciem noui exercitus hostibus præbuere, terroremq; addidere. Dum autem nostri post uictoriā pertinacius hostes fugientes persequuntur, rex cum impedimentis subsecutus, haud longè à loco prælij uersus Marieburgum fixit tentoria: & ad uesperum suos cum spolijs & magna captiuorum multitudine reuertentes, ingenti cum lætitia in castra recepit. Ibi defessa totius diei labore, æstu & inedia corpora, cibo potuq;, ac deinde somno curata sunt: quo quidem factum est, ut complures saucij in loco certaminis neglecti, nocturni cœli, & pluuiæ pernoctis intemperie afflicti extinguerentur. Insequente die, sacris in primis Deo solenni pompa peragendis, hymnisq; iussu regis uacatum est. Hinc cæsorum funeribus cura impensa: collectáque Magistri Vlrici & principum Cruciferorum, inter quos comes Vendensis erat, qui ita ut prædixerat, fortissimè dimicans occubuerat, corpora, & curribus imposita, Marieburgum transmissa sunt à rege, mortem hostium simul & humanarum rerum uicissitudinem pijs suspirijs & lachrymis prosequente. Relata deinde ad regem capta signa, & captiui omnes exhibiti, ac secundum nationes distincti atque descripti: ac cæteri quidē omnes sponsione militari, ut se ad diem sancti Martini Cracouiæ sisterent, à Sbigneo Marsalco, & Petro Saffranecio succamerario Cracouiensi obligati, iussu regis domos dimissi sunt, dato etiā pro cuiusq; cōditione uiatico. Cazimirus uerò Scecinensiū, & Cōradus Olessnicēsiū duces, Christophorus Kersdorfius Silesius, Vēceslaus

ostentum.

Iacubouius & Zulicius interfecti.

Boemorum secessio.

Nicolaus Trāba.

Zarnouius Boemus infāmis.

Muliebris uirtus.

Regis pietas, & humanitas.

Dunius Boemus, & quicunque erant de Cruciferorum ordine, in Poloniam missi, per arces asseruandi distributi sunt. De duobus modò, Marquardo Salisbachio commendatore Brandeburgensi, & Sumbergio, nequicquam deprecante rege, à Vitoudo sumptum supplicium: quòd ij in colloquio quodam prope Cauunum, matri eius probrum obiecissent, & tunc captiui nihil de fastu suo diminuissent.

Vitoudi ira.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER XVII.

DIMISSVS autem in Poloniam ueredarius, cum nuncio uictoriæ & literis, ad archiepiscopum, episcopos, ac præsides Academiæ, & ad senatum Cracouiensem à rege scriptis, celeriter cunctã Poloniam immensa lętitia repleuit. Quamobrẽ solennes supplicationes apud omnia templa habitæ, diesq; tam insigni uictoria memorabilis, quo dimissio, siue diuisio Apostolorum CHRISTI repræsentatur, inter festos relatus. Triduo uerò in ijsdẽ statiuis nostri mẽsere, nõ optimo consilio, & contra sentẽtiam eorum qui magnum in re militari usum habebãt: quibus placebat, continuari cursum uictorię, neq; ullum recolligendi sese spacium dari hostibus: si mox ad Marieburgum eatur, aut pars modò exercitus integrior præmittatur, paruo negocio arcem eam capi posse. Ea uerò capta, omnes Cruciferorum munitiones in potestatem regis & Polonorum uenturas esse. Et sanè ita euenisset: perpauci enim eam arcem asseruabant: atque ij uictis & ad internecionem cæsis suis inopes animi & consilij, partim de deserenda arce, partim de deditione cogitabant: donec tertio die Henrici Plauenij, Suecensis commendatoris, qui ad præsidium eius orę relictus, prælio non interfuerat, aduentu confirmati sunt. Adduxit autem is quinq; millia hominum, ex omni uicinia collecta. Porrò legati Sigismundi regis cum de clade Cruciferorum, & nece Magistri Marieburgi cognouissent, acceptis Gdani reliquis uiginti millibus florenorum, quæ ibi eis Magister annumerari iusserat, ad regem suum reuersi sunt. Acceperant nostri, qui ad præsidium oræ Pomeranis finitimæ cum Mathia Vansosio, gente Toporo, palatino Calissiensi, & præfecto Naclensi, relicti à rege erant, nonnihil incommodi à Michaele Cochmeistro, aduocato nouæ Marchiæ, tertio die ante Grunualdense prælium, cum in hosticum populabundi excurrissent: eius que rei culpa in præfecto hæsit, qui nostris acriter cum hoste obuio dimicantibus, primus fugam iniit: sed per commodè accidit, quod de ea clade post uictoriam demùm in castris regijs cognitum est. Debilitasset enim proculdubio nostrorum animos, si ante conflictum nunciata esset. Mouit deinde castra rex: & cũ oppida quædam cum arcibus, nempe Hoensteinum, Morangum, Preismarcũ, Zirgonum in deditionẽ accepisset, repertãq; copiosam supellectilem Cruci-

Diuisionis Apostolorum festus dies. Poloni nesciuere uti uictoria.

Henricus Plauenius Marieburgum præsidio firmauit.

Poloni incommodo affecti à Cruciferis. Mathias Vansosius pal. Caliſiensis.

Hoensteinum, Morangum, Preismarcũ et Zirgonum oppida in deditionem accepta.

Cruciferorum in milites distribuisset, septimis demùm castris ad Marieburgum peruenit, & postridiè oppidum expugnauit: parumq; abfuit, quin eodem impetu arcem quoq; caperet, nostris refugientium è capto oppido terga prementibus. Quoniam autem arx amplo & spacioso ambitu est, ueriti hostes, ne si undiq; ea eodem tempore oppugnaretur, diducti & rarefacti pauci sufficere defensioni non possent: pontẽ quo Nogatus, qui Vistulæ pars est, iungebatur, exusserũt, ut ab ea duntaxat parte, qua flumen arcẽ alluit, securi essent. Arx deinde, distributo in terna castra exercitu, obsideri à nostris cœpta: quorum una Poloni in superiore parte, altera Lituani in inferiore, tertia uerò inter utrosque interiecti ad meridiem Russi & Podolj obtinebant: bombardisq; in omnia distributis, & nonnullis etiam in templo oppidi, & alijs in ea parte ubi pons fuerat, trans flumen collocatis, undiq; quassata mœnia. Dum hæc ita apud Mrieburgum geruntur, pleraq; omnis nobilitas Prussica, Culmensis & Pomeranica, cum quatuor episcopis, Culmẽsi, Varmiensi, Pomesaniensi, & Zambiensi, ultrò in potestatem regis uenit: arces quoq; & oppida in deditionem accepta, in primis Gdanum, Elbinga, Torunia, Chelma, Kynixberga, Suece, Gneua, Tysciouum siue Dersauia, Nouum, Brodnicia, Brandeburgum, Copriuunũ siue Engelsberga, Grabinum, Vencislauũ, Golubia, Grudentũ, Allenburgum, Osterroda, Nidborgum, Zaldouia, Scithnum, Curetnicum, Brathianum, Couale, Hamersteinum, Bythouia, Lemburgũ, Holandia, Piscaria, Rogozinũ, Stuma, & Tucholia. Sed Elbingensium maximè studium in Polonos enituit: qui Vernerum Tetingerũ commendatorẽ suum, hominem dictis quàm factis, quemadmodũ cõmemorauimus, ferociorẽ, ex arce, quò se ex prelio Gruneualdẽsi turpi fuga receperat, eiecerunt, arcemq; regi dediderũt. Eam uerò rex Ioannis Tarnouij palatini Cracouiensis fidei cõmendauit, repertaq; ibi centum uasa partim aurea, partim argentea, & bona fide ab eo missa accepit. Nobilitatẽ uerò omnẽ & oppidanos, cum in uerba sua iurassent, suo sibi iure utrumque ordinem uiuere permisit. Ex his uerò arcibus atque oppidis Kynixbergam & Holandiam Vitoudo duci, Osterrodam & Nidborgum Ioanni, Zaldouiam & Scithnũ Zemouito, Masouiorum ducibus: Bythouiam uerò & Hamersteinum, itemq; Sipelbeinum, Frideland iam, & Balgenburgum, ac dimidium Slochouiæ, Boguslao Stolpensium duci concessit. Coniunxerat quidem se Boguslaus hic anno superiori cum Cruciferis, prioris pacti cũ rege oblitus: uerùm pari leuitate ijs desertis, post pugnã Gruneualdensem ad regẽ in castra uenit, & in fide atq; clientela eius Polonorũq; se fore deinceps, suisq; impendijs contra Cruciferos, & quemuis aliũ hostẽ infra fines maioris Poloniæ, extra uerò regijs stipendijs perinde atq; alij clientes militaturum esse, solenni iureiurando interposito, consignatoq; diplomate promisit. Vngaros modò excipiens, quatenus ij ab æquis conditionibus pacis non abhorrerent. Ac de his omnibus etiam subditi ipsius Pomerani, pro ipso fideiusserunt regi. His igitur legibus addixit ei rex ea, quæ modò recensuimus. Quin & Cazimirum fratris eius filium dimisit, cũ ipse Boguslaus

cum

Mariebur gum oppidũ capiũ.

Nogatus fl.

Marieburgensis arx à Polonis obsessa.

Prussia ferè omnis in dediti onem accepta.

Vrbes Prussicæ.

Elbingensium studium erga Polonos.

Largitio regis in Prussia.

Boguslaus Pomeranorum Stolpensium dux cum suis iurat in uerba regis Polonorum.

cum ſuis, eiuſq; ſubditis, de ſiſtēdo eo quò rex iuberet, fideiuſſiſſet. Cæteras uerò arces inter proceres & equites Polonos, ne Boemis quidem præteritis, pro meritis cuiuſq; diſtribuit. Ciuitati uerò Gdanenſi dimidium omnium emolumentorum molæ farinariæ, agrumq; unius miliarij ſpacio circum urbem: exceptis eccleſiaſticis & priuatorum hominum proprijs bonis, & pratis ad arcem pertinentibus: aliasque item certas uillas, & liberam in mari piſcaturam per duo milliaria in parte orientali portus, denique parœciæ primariæ, ſcholęq;, & campanaturarum, ut uocant, patrocinium donauit. Reliquæ erant arces Radinenſis, Gdanenſis, Plochouia, Suecenſis, Brandeburgenſis, Balga, Ragneta, & Troipeda ſiue Memela, quæ hoſtium præſidijs tenebantur. Ex his Gdanenſis, ne quid aduerſi à noſtris pateretur pacto, de deditione cum primùm Marieburgo rex potitus eſſet, facienda, ſeſe liberauit. Dum autem continuatur Marieburgi obſidio, quadam die obſeſsi, cum negligentius ſtationes à noſtris ſeruari animaduertiſſent, cum impetu eruperè: ſed mox concurrentibus noſtris, non ſine ſtrage in arcem compulſi ſunt. quos noſtri temerè prouecti, uſque ad murum arcis perſecuti ſunt. Erat is ab ea parte ictu bombardarum labefactus: itaque facilè eum hoſtes, in noſtros incautius ſuccedentes impulerunt, eaq; ruina non paucos oppreſſerunt. Fuerunt in ea ſtatione ij, qui ſub Dobeslai Oleſſnicij, Cmithæ Viſnicij, & Gryphium uexillis militabant. Petijt deinde, & impetrauit Henricus Plauenius à rege colloquium: aduenienſque in caſtra cum fratre & paucis Boemis atque Sileſijs ſupplicis habitu, ita apud regem uerba feciſſe perhibetur. Deuicti abs te rex maxime grauiſsimo prælio, & ad extremum ferè deleti, nihil eſt quod uel tua uictricia arma incuſemus, uel fortunæ ſuccenſeamus: penes noſipſos huius cladis atque omnium malorum, quæ cumulatè nunc in nos inundarunt, culpa eſt. Nos iniuſtè tua appetiuimus, atq; diuexauimus: nos ſtultè manſuetudinem & patientiam tuam contempſimus: nos denique te grauiter læſum, & tamen æquiſsimas pacis leges ferentem, ſuperbè aſpernati ſumus. Itaque iuſta diuini numinis uindicta abs te, tuoque inuicto exercitu perculſi & afflicti ſumus. Sed iam ſatis abunde pœnarum tibi Deoque ultori dedimus, non modò exercitibus noſtris ad internecionem deletis, uerùm etiam ducibus & authoribus horum malorum extinctis. Iam agnito errore & culpa noſtra, exiguæ miſerorum Cruciferorum reliquiæ ad tuam clementiam confugimus, ne ad extremum nos excindas. Eiuſdem eſt uirtutis, rex inclyte, Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. nouimus te Chriſtianum principem eſſe: & clementiæ magis atque bonitatis, quàm fortitudinis laudem expetere. Quanquam, quæ fortitudinis laus eſſe poteſt, ſi proſtratos atque iacentes proteras? Ne leones quidem, atque urſi, id facere dicuntur. Quid tibi ſeu commodi, ſeu uoluptatis noſtrum afferet excidium? Multa, fateor, in te tuoſque Lituanos atque Polonos peccauimus. Verùm quo maior eſt culpa noſtra, hoc illuſtrior erit clementia tua. Neque nos tamen tibi omnem uictoriæ fructum eripimus, neque incolumitatem impu-

Gdanenſi ciuitati donata à rege.

Incommodum apud Marieburgum à Polonis acceptũ.

Plauenij oratio ad regem.

impudenter petimus. Pomeraniam, Culmenſem & Michalouienſem tractum, & ſi quid aliud de Polonis ſiue bello, ſiue qua alia ratione quæ ſiuimus & uſurpauimus, tibi ut habeas per nos licebit. Pruſsiam modò, quam olim noſtri maiores, dum Moſauiam atque Poloniam, illo præmio inuitati defendunt, iuſtis armis & ſanguine ſuo barbaris eripuêre, nobis concedas, per te ſalutarem CHRISTI IESV mortem, & ſanctiſsimę matris eius Mariæ nomen, ſub cuius ſignis militamus, petimus & obſecramus. Maiori tibi tuiſq; Polonis & Lituanis uſui poſthac fuerimus in extremo illo terræ angulo relicti, quàm ex hiſce ſedibus noſtris penitus eiecti & exterminati. Variè hæc oratio Plauenij à conſilio regio excepta eſt. Flexerat enim nonnullos ad miſericordiam, humanitatis atq; religionis intuitu, & ipſa æquitate conditionum atque poſtulatorum, perpendentes ſecum fortunæ inconſtantiam, & rerum humanarum uarietatem: alij uerò ſecundis rebus elati, præſentiſq; fortunæ curſum proprium ac perpetuum ſibi pollicentes, præſertim quòd innata genti Teuthonicæ ſiue magnitudo animi, ſiue ſuperbia ueriſimile faciebat, non niſi ab extrema deſperatione tam demiſſam atq; ſupplicem orationem profectam eſſe, incumbendum eſſe perculſis, extirpandumque penitus ex illis oris germen improbum & inſatiabile: ne, quæ tunc neceſsitate concederet, mox reſumptis uiribus per uim atq; fraudem uſitatam repeteret. Et uidebatur Marieburgum, ubi tunc ſumma rerum erat, diurnam obſidionem tolerare non poſſe. Vicit'que hæc in ſenatu ſententia: in quam Sbigneus Brezius Marſalcus Plauenio reſpondere à rege iuſſus, accipere eum à uictore conditiones pacis, non ipſum domo afferre, debuiſſe, dixit: aut ſi afferret, non ea ſanè uictoribus eum cõcedere oportere, quę ipſorum & olim fuiſſent, & nunc denuò iure belli atq; deditiõe facta eſſent: Marieburgum potius, & quæ alia in poteſta te ſua haberet, dederet, ac tunc demum clementiam uictoris implora-ret. Offenſus hoc reſponſo Plauenius, cum aliud inſtanti nõ redderetur: At ego, inquit, æquiſsimas uobis & ultrò expetendas conditiones attuliſſe me arbitrabar: ſed quando aliter uobis & regi ueſtro uidetur, Marieburgum cæteraſq; munitiones, quas adhuc retinemus Cruciferi prius quàm ego dedam, extrema quæque experiar: & reſpiciet iam nos, uti ſpero, deinceps magis propitius Deus, quandoquidem iram & offenſionẽ eius, ruptione fœderis & ſuperbia noſtra contractam, partim ſupplicijs noſtris, & mortibus eorũ qui in hoc bello ceciderunt, partim tam demiſſa & ſupplici hac petitione noſtra ſatis, ut opinor, expiauimus. Et cũ his dictis, multa Deum rerũ omnium arbitrum & inſpectorem teſtatus, in arcem ſe recepit. Neque irritæ forſtaſſis eę Plauenij preces Deo acciderunt. Nam ex eo tempore minus proſperè noſtris res eſſe, retroq; que relabi cœpere. Paucis diebus, quibus hæc acta ſunt, ſtatio Velunenſium pulſa, bombardæ deiectæ, & alia quædam parua incommoda accepta. Nec multo poſt Hermannus Liuonienſium Cruciferorum Magiſter, clàm cum quingentis militibus in Pruſſiam aduenit, occaſionem bene gerendæ rei captans: qua quidem non difficulter per fraudem potitus eſt.

Cõſultatio Polonorum.

Reſponſum Plauenio à rege datum.

Plauenij reſponſum magnanimum.

Fortuna Polonorũ mutata.

Liuoniẽſis Magiſter Pruſsienſibus in auxilium uenit.

Nam ut rex de aduentu eius cognouit, Vitoudum cum suis, & cum duodecim uexillis Polonorum contra eum misit. In quem cum Vitoudus apud Passariam amnem ultra Holandiam oppidum impetum facere uellet, ille ab armis ad dolos conuersus, colloquio Vitoudi secretò impetrato, persuasit ei, ut suam potius, quàm Polonorum rem ageret: ac Samagitarum Sudorum'que oras pactis secum & cum Cruciferis initis sibi pacaret atque stabiliret. Itaque eo authore Hermannus cætera manu apud Balgam & Brandeburgum relicta, cum quinquagita equitibus ad regem in castra, atque inde permittente rege in arcem obsessam, quasi sequester deditionis, uel arbiter pacis peruenit: Plauenium & obsessos confirmauit, cum eos de uoluntate Vitoudi certiores fecisset: ac de ratione prosequendi, si opus sit, belli, & amissa recuperandi, cum eis constituisset. Quibus peractis, pace infecta discessit. Inde iam auctus animo Plauenius, nullam facere pacis mentionem: à nostris uerò factam ita accipere, ut quas ipse prius conditiones tulerat, abnueret. Vitoudus uerò, & ipse missionem à rege flagitabat, & illum ad soluendam cœptam obsidionem inducebat: uerùm hoc tamen non persuasit, illud partim precibus, partim odio, multa causificando, post natalem demùm sanctissimæ Mariæ impetrauit. Mox & Masouiorum duces indulgente rege discessere. Interim dum hæc ita fiunt, paræcus Gdanensis, senex admodum, quasi molestias obsidionis diutius tolerare non posset, ex arce Marieburgensi nostris permittentibus, & nihil fraudis subesse suspicantibus, ætati'que & sacerdotio honorem habentibus excessit, & inter supellectilem suam triginta millia aureorum nummûm duplicium, siue nobilium, ut uulgò uocantur, ab Henrico Plauenio accepta secum exportauit: & inter Gdanensem, Slochouiensem, & Suecensem commendatores, ut ij mercenarium militem inde conducerent, distribuit. Sed lentius id erat, quàm ut sustineri posset tam diu obsidio: quæ difficilis iam atque molesta esse Boemis mercenarijs, propter frumenti penuriam dysenteria uulgò afflictis, incipiebat. Itaque ij priuato consilio per Ioannem Socolum, Boemum & ipsum, in castris regijs militantem, de prodenda arce cum rege constituerunt, incolumitatem & quadraginta millia florenorum pacti. Sed re ad senatum relata, turpe uisum nostris, auro & proditione hostilium munitionum potiri uictores dudum, & ferrum in manibus habentes. Ita reiecti Boemi. Falso deinde rumore in castris regijs percrebuit, Sigismundum Cæsarem cum ualido exercitu in Poloniam inuasisse: quo commoti nostri missionem à rege flagitabant: & suadebant id regi complures proceres, in primis autem Andreas Tencinius castellanus Voinicien sis, non ferens pulchræ & iuuenculæ uxoris, quemadmodum Dlugossus memorat, desiderium. At uerò primores nobilitatis ciuitatum'q; Prussicarum & Pomeranicarum, quæ post uictoriam Gruneualdensem ad regem defecerant, sedulò dissuadebant, ac ne præcipuum illius uictoriæ fructum Marieburgi expugnationem omitteret, orabant. Ni faceret, omnia mox rursus Cruciferorum fore, quę in potestatem eius dudum uenissent,

Hermanni Magistri callidum consilium.

Vitoudus è castris discessit.

Masouij duces discessere.

Paræci Gdanensis fraus.

Aurei nobiles siue duplices.

Proditio refutata à Polonis.

Andreæ Tẽcinij consilium.

Prussorum fidele consilium & studium erga regem.

nissent: excusanti'q; regi inopiam pecuniæ in stipendium, suadebant ut tributum sibi imperaret. Cum ille in nouo imperio, nouis deditic̃js oneri esse nollet, fuere qui suaderent, ut arces atq; oppida earum regionum mercenarijs militibus debiti stipendij nomine pignori daret. Ne id quidem probauit, ueritus ne milites illi ciuibus graues essent: neu qua siue ab his, siue ab illis proditio fieret. Itaque repudiatis salutaribus consilijs, quorum author præcipuus erat Nicolaus Tramba procancellarius, non modò uerbis, sed etiam lachrymis suadens, nequaquam cœpto desistendum esse, ad tertiumdecimum Calendas Octobris incensis statiuis, & mediocri aulicorum comitum præsidio, cum Andrea Brochocio Stumi ad infestandam oram Marieburgensem relicto, ab obsidione discessum est. Iucundum id fuit spectaculum obsessis: qui eò iam inopiæ redacti fuerant, ut uix pauculos dies Henricus Plauenius ab eis impetrauerit, ne sese arcem'q; regi dederent: quòd dicerent, exploratum se habere, soluturos esse obsidionem Polonos. Ni facerent ante quintumdecimum diem, tunc demum milites arbitratu suo arcem dederent. Quo minus autem lætus discessus ille, discedentibus nostris esset, non maxima res effecit: nempe quòd equus regius, qui dudum alacriter hinniens, terram'que scalpens ungula adstiterat, dum rex eum abiturus conscendit, subitò exanimatus concidit. Quæ res mali ominis uulgò est habita. Discedens autem rex, Radinum arcem permunitam, in qua obsidenda & oppugnanda pars exercitus à prælio Gruneualdensi frustra tempus triuerat, in deditionem accepit: cum iam eam milites facto impetu, porta'que effracta ferè cæpissent. Quindecim ibi Cruciferi insignes reperti, & in Poloniam captiui abducti sunt: reliqua multitudo nihil aduersi passa. arx Ioannis Socoli Boemi fidei commendata. Eo'que mox Toruniæ, quò regem secutus erat, ueneno à ciue quodam Torunensi extincto, Dobeslao Puchalæ & Alberto Malscio pariter rex curam eius mandauit. Socoli uerò paruos filios, propter merita patris, honestè & liberaliter educari Cracouiæ iussit. Non cessabat interim Henricus Plauenius, qui iam Magister Crucifer orum factus erat: sed undique contrahebat exercitum, acceptis mutuò in stipendium centum millibus florenorum à ciuitate Gdanẽsi, quæ iam rursus in fidem eius inclinauerat: totidem'q;, & insuper quindecim millibus à Venceslao rege Boemorum, cum ei bona Chomentouiensia, quæ ordo Cruciferorum in Boemia habebat, hypothecę nomine tradidisset. Et quæ prima manus è uicinioribus oris conuenerat, ea Michaele Cochmeistro aduocato nouæ Marchiæ duce, Tucholiam arcem obsedit. nam oppidani primo aduentu hostium, deditionem fecerunt. Nessouię tunc rex erat, cum hæc ad eum perlata sunt. Neq; is expediebat, quomodo cùm his, tum alijs suis, qui similem fortunam ab hostibus expectabant, succurreret, uastationem'q; ditionis suæ prohiberet. Centum modò uel paulò plures hastatos de aulico suo comitatu, & ipsos necessariam missionem flagitantes, prece precio'q; adduxit, ut cum suis quisq; ministris,

Nicolai Trambæ consilia.

Obsidio Marieburgensis soluta.

Andreas Brochocius.

Omen infaustum.

Radinum per deditionem acceptum.

Socoli liberi regis impēdijs educati.

Henricus Plauenius Magister Cruciferorum creatus.

Gdanenses ad partes Cruciferorum sese rursus inclinãt.

Tucholia arx obsessa à Cruciferis.

Aulici equites in præsidium missi.

Petrus Meziuecius. Sendiuoius Ostrorogius, Dobrogostius Samotulius, & Martinus Labissinius, uoluntarij militarunt.

stris, quibus merebat, Tucholiam præsidij causa proficiscerentur: quibus Petrus Miezíuecius, gente Staricouius, magister militiæ præfectus est. opportunè autem Sendiuoius Ostrorogius palatinus Posnaniensis, & Dobrogostius Samotulius castellanus, cum suis cohortibus & nonnullis maioribus Polonis, & Martinus Labissinius palatinus Brestensis, cum his sese coniunxere. Atq; hæc manus omnis, seu quòd aditu Tucholiæ intercluſa esset, seu qua alia de causa Coronouiæ (quod oppidum neque arte, neque natura munitum, haud longè abest à Tucholia) subſtitit. Cuiauiensem uerò atq; Dobrinensem nobilitatem rex Brodniciæ, Breste, Ripini & Nacli in præsidijs esse iussit, ad tuendas eas munitiones, arcendas'que hostium excursiones. Ipse Inouuladislauiæ cum exiguo comitatu mansit: & quidem damnans consilium suum de soluta obsidione Marieburgi, dimisso'q; exercitu, cum alia super alia aduersa ipsi renunciarentur. Nam & Osterroda, Nideborgum & Zaldouia arces, per eos dies ab hostibus receptæ sunt: & Stanislaus Charbinouius Sulimæus, ac Nicolaus Synoues Stariconius, cum de præsidio Coronouiensi decessissent, aduenientes perterruerant regem, quòd dicerent præsidium in magno esse periculo, siue ut honestam causam turpi facto suo prætexerent, siue ut eius consilium opem'q; implorarent. Erant enim in propinquo iam satis magnæ uires hostium, cum Michaele Cochmeistro. Atque ij quidem, ut de aduentu & paucitate nostrorum cognouerunt, paucis ad obsidionem Tucholiæ relictis, raptim tanquam ad certam prędam Coronouiam contenderunt, ut nostros nec opinantes opprimerent. Et sanè aspirare initio conatibus eorum fortuna uisa, tamen non ad extremum usq; respondit. Etenim cum exploratores Polonos incautius progressos excepissent, & ex his, callidè & constanter omnia eleuantibus, exiguam modò promiscuæ & imperitæ multitudinis manum Coronouiæ coadceruatam esse didicissent, contemptim, turbatis'q; ordinibus ex equis delapsi, latrocinantium in morem, impetum fecere in oppidum. Nostri ubi adesse hostem sensêre, & fortè tunc prandebant, tumultuariè correptis armis ad monasterium in cre-

Brda fl.

pidine montis supra Berdam amnem situm, intrepiè sese recollegêre, celeriter'que aciẽ instruxere. Quod cum præter expectationem hostibus accidisset, curriculo ij sese ad equos suos recepere, atque his conscensis retrocessere: id'que siue re inopinata perculsi, siue certo consilio, ut equites nostros à peditum auxilio longius abducerent. Nec sanè impigrè Poloni equites pugnæ auidi, recedentibus institêre, audacius adequitando, iaculando, & cominus etiam feriendo, remorantes agmen, donec pedites consequerentur. Vbi ad Lancicum, qui pagus monachorum Coronouiensium est, uno ab oppido milliario, non sine multis hostium uulneribus peruẽtum est, subſtitêre Teuthones in colle quodam editiori, & ordines instruxêre. Ne Poloni quidem pugnandi moram fere. Erant enim utrinq; milites & numero, & uirtute, & scientia rei militaris ferè pares. Sed erat ascensus ad hostem ab ea parte qua Poloni con-

Cuiauiensis ac Dobrinensis nobilitas in præsidia distributa.

Coronouia oppidum.

Osterroda, Nideburgum, & Zaldouia arces à Crucifertis receptæ.

Stanislaus Charbinouius et Nicolaus Sinoues.

constiterant, arduus atque difficilis. Itaque ne simul cum hoste & cum iniquitate loci dimicarent, circumuecti, leniori & accliuiori ascensu aciem aduersus collem erexerunt. Prius uerò quàm signa canerent, Conradus Nemcius Silesius, de cohorte regis Sigismundi ex hostili agmine eques, in medium procurrit, aliquem de Polonis ad singulare certamen prouocans. Incunctanter sese ipsi Ioannes Scicius, gente Doliuius, obtulit. Concursum infestis hastis: uictus atque captus à Polono Silesius: non leue de euentu uniuersi prælij omen atque præiudicium suis uterque attulit. Confestim que sublato utrinque clamore signa collata. Aliquamdiu pugna dubia fuit, nemine ex eo loco, quo primùm constiterat, referente pedem. Itaque defatigatis militibus, quasi ex composito pugna utrinque intermissa, diuersi paulum retrocedunt, saucios summouent, uulnera alligant, commutant captiuos, sudorem sibi equisq; ociose abstergunt. Quin & pocula inter se misisse memorantur, ita ut colludentium, non infestis odijs concurrentium agmina uideri potuerint. Vbi aliquantisper respiratum est, signo dato redintegrant prælium, non minore quàm prius pertinacia. Vulnerantur & cadunt utrinq; multi: nec tamen in alterutram partem inclinat uictoria. Rursus ergo consensu quodam mutuo cessatur, & respiratur. Refocillatisque, sicut prius, uiribus, tertiò concurritur, obstinatis utrinque uel ad uincendũ uel ad moriendũ animis. Ibi Ioannes Ostrouicius, cognomento Nassianus, gente Toporus, adacto equo uexilliferũ hostilem obtruncat: uexillumq;, quo uno totus eorum exercitus (itidem atque noster) utebatur, abripit. Qua re tandem hostium acies perturbari, ac deteriore loco esse cœpit. Institêre nostri acrius trepidantibus. Ibi uerò illi, metu pudorem superante, auersi fugam capessunt. Premunt fugiẽtium terga nostri: nox tandem persequendi finem fecit. Cæsa feruntur eo prælio hostium ad octo millia. captorum numerus non memoratur: non exiguus tamen fuit. Insignior hæc uictoria superiore illa Gruneualdensi habita est, propterea quòd maiore contentione & labore parta est: & quòd ita ea uires atque animi Cruciferorum fracti sunt, ut per multos annos postea nunquam auderent rem uniuersæ dimicationi committere. Parta est autem, decima die Octobris. Sequenti die spolia à nostris lecta, humatiq; que qui ceciderant. Deinde motis castris, Bydgostiæ prædam inter se partiti, Inouuladislauiam ad regem cum longo captiuorum ordine peruenêre. Ibi omnibus à rege gratiæ actæ: compluribus, quorum illustriora merita esse constabat, perampla munera data sunt. captiuis uerò lautè instructa cœna: qua peracta, sermonem apud eos rex de Cruciferorum superbia & iniusticia, ac de sua mansuetudine & æquitate habuit: illosq; que, quòd iniquiori causæ fauissent, clementer obiurgauit. Deinde benignè consolatos, & militari sponsione, ut sese certo loco ad præstitutam diem sisterent, obligatos omnes dimisit: excepto Michaele Cochmeistro duce exercitus, quem aliquamdiu postea in arce Chencinensi in uinculis habuit. Nihil tamen consternati animis ex ea clade ij, qui ad obsidionem Tucholiæ relicti

Singulare certamen. Sczitslci.

Prælium apud Coronouiam.

Pugnæ intermissio semel atque iterum.

Cruciferi uincuntur à Polonis.

Humanitas regis erga captiuos.

Michael Cochmeister captus.

Tucholia dedita Cruciferis.

erant, dolo etiam locum ex ea inuenêre. Subornatis enim transfugis Polonis, & qui inter ipsos Polonicæ linguæ gnari erant, & pro captiuis eos ostentantes, magna strage se deuicisse nostros apud Coronouiam illis testificantibus mentiti, persuaserunt Ioanni Broglouio præfecto arcis atque præsidij, ut arcem sibi dederet. Augebatur autem in dies Cruciferorum exercitus nouo milite mercenario, & à Tucholia in Poloniam excursionem facturus esse uidebatur. Id ne accideret, celeri consilio

Noua expeditio in Prussiã.

prouidendum sibi esse rex Vuladislaus existimauit. Quocirca nouam expeditionem toti Poloniæ, excepta ea quæ minoris nomine censetur, atque Russia, indixit. Nec segniter ea manus Bydgostiam, ut à rege imperatum erat, conuenit. Inde porrò eam cum cohorte regia coadu-

Petrus Saffranecius dux exercitus.

natam Petrus Saffranecius succamerarius Cracouiensis, sub signis duodecim ad Tucholiam duxit. Præmissis'que sexcentis balistarijs, qui prædas agendo, uastandoq; subiectam Tucholiæ oram, hostem elicerent, ipse cum reliquo exercitu opportuno loco in insidijs substitit. Simulatque conspexere equitatum Polonicum per agros palantem hostes, contempta eius paucitate, cum pertinacius eum fugam simulantem

Cruciferi rursus profligati à Polonis.

insecuti essent, in paratas insidias præcipitati sunt. Quas cum maturè animaduertissent, pedem retulere. Ibi nostri tardius quàm res postulabat signo dato, pauciores aduersus plures coorti ex insidijs, usq; ad portas oppidi fugientes persecuti sunt: & quoniam agilioribus equis utebantur, multos ex illis partim interfecere, partim uiuos cepere: & castris hostium, quæ ante oppidũ posita erant, uacuis potiti sunt. Nõ pauci oppido, ne nostri simul erumperẽt, excluſi, inconsideratè in undas sese præcipitantes, mersi sunt. Fuere inter captiuos insignes quinq; ductores ordinum, tres Boemi, unus Silesius, & unus Lusacius. Porrò Ioannes dux

Monsterbergensis ducis fuga.

Monsterbergensis, & Ebrardus episcopus Virceburgensis, qui & ipsi uoluntarij in castris Cruciferorum militabant, fuga euaserunt. Quod si maturius nostri ex insidijs consurrexissent, creditum est, & oppido & arce eos potiri potuisse. Sed siue imperitia, siue insidias & ipse metuens Saffranecius, tardius signum dederat. His ad uicesimamoctauam diem Octobris gestis, captiuis'que ad regem missis, exercitus omnis, præter aulicam cohortem, mox iniussu regio domos dilapsus est, propter tempus anni cuiuis rei magis quàm bello gerendo commodum. Captiuos rex, accepta ab eis, itidem atque ab alijs prius, sponsione, dimisit. His uerò cladibus permotus Plauenius Magister Cruciferorum, non ausus denuò fortunam aduersus regem tentare, in interiorem

Stuma per deditionem recepta à Cruciferis.

Russiam reliquias profligati exercitus deduxit: & Stumam arcem aliquamdiu obsessam, in deditionem accepit: nostris, qui in præsidio eius arcis erant, propter incendium turris, in qua tormenta & pulueres bellici fuerant, longiorem obsidionem ferre non ualentibus, & ut sibi

Morangũ deditum.

saluis rebus suis abire liceret, pactis. Eam deditionem Morangi quoq; deditio secuta est. Inde ad Radinum castra mota, circumsessa'que ea arx

Radinum arx obsessa, nec ex pugnata.

sex septimanis. Sed cum in spem Toruniæ Gdani'que in deditionem accipiendi Magister uenisset, soluta obsidione, saucijs'que quorum

non

non exiguus erat numerus, cum præsidio in oppido Radino relictis, ad recipiendas eas urbes profectus est. Quo discedente, Poloni accitis celeriter his qui erant in præsidio Brodniciæ, impetum fecere in oppidum. Expugnatumq; paruo negocio, diripuere & incendêre. Non parum autem & ibi nostros fortuna iuuit. Erat in porta oppidi, quæ ad arcem spectat, sita bombarda, maxima: ea, cum hostes conferti aperta porta in nostros forte erupissent, à sacerdote quodam temerè incensa, non modicam in suis stragem edidit, de nostris tres modò extinxit. Quo factum est, ut illi perculsi, dolumq; subesse rati, abiectis armis uiui ferè in potestatem nostrorum uenirent: temperatumq; est à cæde supplicum. Porrò Torunenses & Gdanenses aduentante Magistro cum exercitu, miserunt ad regem, ut sibi celeriter opem ferret, quòd ipsi per se oppida sua defendere non possent. Sed cum præter opinionem eorum accidisset, ut rex tempori se illis affuturum esse promitteret, nec mora eò cõtenderet, rursus ei legationem obuiam misêre Gneuucouiam, se iam necessitate adactos, deditionem cum Magistro pactos esse. Itaq; rex dimissis contra sententiam multorum legatis saluis, quod diceret testatum se cunctis facere uelle, non suam illis, sed sibi illorum fidem defuisse, Inouuladislauiam se recepit. Magister acceptis in deditionem Torunia & Gdano oppidis, arcem Torunensem nequicquam oppugnauit. Nam ea strenuè à præsidio regio defensa est. Rex Gnesnam ad sepulchrũ diui Adalberti, & Posnaniam ad ædem sanctissimi corporis Christi, uotorum quæ ante prælium Gruneualdense nuncuparat, exoluendorum causa profectus, equestrem ordinem totius illius tractus denuò ad expeditionem in Pomeraniam exciuit: eaq; manus, ductu Sendiuoij Ostrorogij palatini Posnanensis, Nouum oppidum ui cæpit & exussit: Pomeraniamq; omnem, omissa arcium & oppidorum oppugnatione, longè latèq; ferro & igni uastauit. Dum hæc ità geruntur in Prussia & Pomerania, interea Sigismũdus rex Vngarorum, ut Vuladislaum à Cruciferico bello auerteret, promissisq;, ob quæ quadraginta millia florenorum à Cruciferis acceperat, satisfaceret, Sciborium Transyluanienſem palatinum cum duodecim uexillis Boemorum, Morauorum, & Austriorum, (nam Vngari fœdera sibi cum Polonis constare causificati sunt) misit ad uastandam Poloniam: cum iam nostri, qui ad præsidium eius oræ relicti à rege erant, hyeme ingruente domos dilapsi essent. Sed celeriter tamen ij ad primum nuncium concurrentes, hostem præda ex agro Sandecensi capta grauem, abeuntem persecuti sunt: & non procul à Bartesa siue Bardeouia adepti, magnoq; impetu adorti profligarunt. Maior pars hostilis exercitus uel cæsa, uel capta à longè paucioribus nostris. Quanquam ne nostris quidem incruenta fuit uictoria. Iamque ad fugam spectare cœperant, nisi Bohunek, Caspar, & Dalibor, ducto res ordinum, fugam inhibuissent, prælium que restituissent. Fuerunt autem clari maximè in Polonico exercitu, Sciborius Agrienſis episcopus cum fratre, exules Vngari, Spitco Iaroslauius, Ioannes Sceccinius castellanus Lublinensis, & Ioannes Valachus Chmelicius. Et

Radinũ oppidum receptũ, & incensum à Polonis.

Torunenses et Gdanenses ad Cruciferos defecere.

Torunensis arx defensa.

Nouum oppidum captum à Polonis, & incensum.

Pomerania uastata.

Sigismundus rex Poloniæ fines circũ Sandeciam populatus est.

Vngari noluerunt arma sumere cum rege suo contra Polonos.

Bartesa siue Bardeouia.

Sigismundi copiæ profligatæ à Polonis.

Viri fortes.

uastauit

Vngariæ fines uastati à Polonis.

uastauit ea manus deinceps repetitis excursionibus finitimam Polonis Vngariam. Hæc de nouo ex Vngaria illato bello, ubi ad regem Inouuladislauiam reuersum perlata sunt, ueritus ne quo grauiori incommodo Sigismundus Poloniam se absente afficeret: simul autem quòd permolesta & perdifficilis erat uiris equisq; hyberna militia, mittit ad Magistrum de inducijs. Constituta colloquio dies Racianzi ad octauã diem Decembris. Interea uerò nostri penultima Nouembris memorabili rursus uictoria de Liuonijs potiti sunt. Hermannus Magister Liuoniensium Cruciferorum, ualidum exercitum è Germania & Boemia in Prussiam adduxerat, eoq; apud Golubum relicto, ipse cum paucis equitibus Marieburgum, ut de ratione belli cum Prussiensibus Cruciferis consultaret, profectus erat. Id cum comperissent nostri, qui Ripini & Bobrouunicis in præsidijs erant, ausi facinus audax, ductore Dobeslao Puchala gente Venauio, ad hostem uiris armisq; longè superiorem contendê re: insidijsq; apto loco dispositis, pauci per agros palantes, & prædas agentes, sub Golubo sese ostendêre. Quos hostes correptis armis auidius persecuti, locum insidiarum incautè præteruecti sunt: ibi consurgês Puchala, cum toto agmine à tergo eos adortus, perterritos & incompositè fugientes usq; ad oppidum insecutus est. Oppidani, ubi id animaduertêre, ueriti ne patentibus portis nostri permixti suis fugientibus pariter in oppidum irrumperent, portas clauserunt. Ita excluſi oppido hostes, cum cæderentur passim in medio, proiectis armis supplices nostris sese dediderunt: & quadruplo maior numerus captiuorum, quàm eorum qui eos cæperant, fuisse proditur: uerùm illi re inopinata perculsi, alium longè maiorem exercitum nostrorum in syluis latuisse crediderant. Ripinum tandem captiui cum appulsi essent, ingenti cum dolore ac pudore errorem suum cognouerunt. Inde porrò Breste adre gẽ transmissi, sub militari spõsione omnes dimissi sunt: Curouiensibus modò, quòd fidei tenaces non essent, et ijs qui religionẽ professi erant, retentis. Conuẽtus deinde inter regẽ & Cruciferos habitus: uerũ in eo tamẽ de inducijs nõ conuenit. Posterius eę menstruę tantũ per Petrũ Safraneciũ confectæ sunt. Quibus durantibus, rex properè in Poloniã excurrit, & apud Radosice oppidũ cũ regina congressus, excitisq; denuò ad expeditionẽ cunctis Polonis ad integrandũ cũ Cruciferis bellũ, post noui anni initiũ reuertit. Vitoudus quoq; cũ Lituanicis auxilijs Vuladislauiã ad eũ uenit, eiusq; consiliũ de circumuallanda Torunia, ubi Magister & primores Cruciferorum erant, spe pacis iniecta mutauit: persuasitq;, ut in sylua quadam castra haberet. Interim de pace in insula Torunensi agi cœptum. Fortè accidit, ut inducię expirarent, & consensu mutuo in longius tempus prorogarentur. Sed eius rei ignarus Ioannes Broglouius, præfectus Bydgostiensis præsidij, cum permagnum numerum equorum hostilium apud Pappouiam esse didicisset, traiecta cum quadraginta modò equitibus Vistula, & facto impetu ex improuiso in antemurale Papouiẽse, equos ibi stabulantes abegit, & antemurale incẽdit. Qua re Toruniam subitò nunciata, emissi sunt nõ pauci equites, qui eum

Cruciferorum exercitus uictus à Polonis. Dobeslaus Puchala.

Captiuorum multitudo.

Inducię menstruæ. Radosice oppidum.

Vitoudi malũ consilium.

Pappouiæ antemurale direptum & incensum.

cum persequerentur. Hoc animaduerso Broglouius, cæteris cum equis captiuis præcedere ac tranare Vistulam iussis, ipse cum duodecim modò equitibus persequẽtes se hostes sustinuit, non ausos sensim cedentem pertinacius sequi, metu insidiarũ. Receptus deinde in naues paratas, nullo accepto incõmodo flumẽ traiecit. Pax deinde uictoribus quàm uictis iniquior, instãte maximè Vitoudo, proceribus uerò Polonis regi dissuadere non ausis, confecta est: cuius hæc potissima fuere capita, ut Samagitiam Vitoudo & regi, quoad ij uiuerent, Cruciferi concederent, ducentaq; millia florenorum Pragensis pecuniæ intra annum uertentẽ tribus pensionibus numerarẽt: Zemouito autem Mazouiorum Duci Zafcreuiense territorium redderet: rex Cruciferis, quæ de ipsis bello cæperat, remitteret: Dobrinum sibi haberet: captiui omnes inuicem uti dimitterentur: de Dreno & Santoco, & alijs controuersijs, seni uiri utrinq; delecti arbitrarentur: quòd si inter eos non conueniret, Pontificis maximi arbitrio staretur. Complexi sunt autem hoc fœdere rex quidẽ duces Stolpensium & Masouiorum: Magister uerò Sigismundum regem Vngarorum, si is uellet: interim autem ne ei Polonus bellum faceret. Hęc tam iniqua nostris pax, stipulatione utrinq; interposita, cum Magister Hẽricus in castra regis uenisset, firmata est, & mox captiui omnes sponsione soluti. Munera deinde inter principes ultro citroq; missa. Vitoudo autẽ ibi rex, inconsulto senatu Polono, Podoliæ dominatum, amoto à præfectura Petro Vulodico Charbinouicio, utendum fruendum concessit, non sine magno Polonorum incommodo & iniuria. Dimissoq; deinde exercitu, in Poloniam rediit: nec diu ibi moratus, in Russiam contendit. cum Alexandro Palatino Valachorum, iam prius fœderato & cliente suo, nouam contra Sigismundum regem Vngarorum societatem iniit: Snatinumq; & Colomeiam, & omnem tractum Pocucensem, ipsi oppignerauit, acceptis ab eo mutuis mille rublis, siue ciclis argenti. Eodemq; anno, Stephanus cum Alexãdro siue extincto, siue pulso, in principatu successisset, missis ad regem quatuor oratoribus, in fide & clientela ipsius itidem ut maiores sui fuissent, se fore: & ubi accitus ab eo fuerit, uenturũ, solennecq; iusiurandum daturum: neq; repetiturum unquam Pocuce, sed præsentem cum præsenti rege, arbitratu ipsius de eo transacturum esse promisit. quod quidem literarum monumentis, quæ in archiuio extant, satis constat. Vnde sanè colligitur, Pocuce uel non fuisse traditũ Alexandro, uel certè mox receptum à rege. alioqui cur negaretur Stephanus id repetiturus esse? Transactum autem esse de ea ditione, argumento est diploma regium, quo eam Alexandro obligauit: quod & ipsum extat in archiuio, redditũ procul dubio à Valachis. Per idem tempus, opera Zauisij nigri, apud Vngarorum iuxtà ac Polonorum regem gratiosi, effectũ est, ut primores Poloni & Vngari simul apud Nouam uillam cõuentum de pace inter reges redintegranda agerent: sed ea non confecta, octo mensium inducias tantùm constituerunt, ea lege, ut Polonis cum Cruciferis pax rata maneret. Quòd si eam Poloni nouo bello rupissent, illæ quoque inducię cum Sigismundo & Vngaris irritæ forent: sin Cruciferi priores

Pax & transactio regis cum Cruciferis. Conditiones pacis.

Podolia Vitoudo concessa.

Vuladislai regis iter in Russiam.

Pocuce oppigneratum Palatino Valachiæ.

Stephani Palatini Valachiæ promissa.

Polonorũ cum Vngaris cõuentus & pacta.

id facerent, Sigismundus sese deinceps ab amicitia & societate eorum se-
Rex in Lituaniã profectus. iungeret. His ita cõpositis, rex per Chelmensem oram sub initium ueris
in Lituaniam secessit. Ad Ioannem uerò pontificẽ, qui Alexandro quin-
Oratores Poloni ad pontificem max. to mortuo successit, oratores misit, Andream Lascarem præpositum
Vuladislauiensem, Martinum Vurocimouicium uexilliferum Craco-
Dona pontifici missa. uiensem, & Sbigneum Olesnicium secretariũ suum, cum peramplis do-
nis, nempe quatuor patinis, duobus crateribus magnis aureis, tribus ue-
stibus sabellinis, & culcitra item ab altera parte è pantherarum, ab altera
ex armelinorum pellibus consuta: obedientiam suam ipsi delaturos, po-
stulaturosq́, ut Pontifex declararet, ipsum iustè bellum contra Crucife-
ros suscepisse, & quicquid rerum sacrarum è templis Prussicis per id bel-
lum ablatum esset, rectè in Polonica templa distributum esse: deinde, ut
ipsi crucis militiam contra Tartaros concederet. Ac cætera quidem im-
petrata sunt: extremũ hoc ne impetraretur, illud obstitit, quòd eiusdem
modi militia contra Ladislaum regem Neapolitanum ab ipso Pontifice
promulgabatur. & obstabãt Polonis Sigismundi regis & Cruciferorum
oratores, ueriti fortassis, ne contra se rex uteretur illa militia. Sub id tem-
pus, Iacobo Halicien si archiepiscopo, & Alexandro Camenecensi episco
po mortuis, huic quidem Andreas nescio quis, illi uerò Nicolaus Tram
Nicolaus Trãba Leopol. & Gnesnensis archiepiscopus. ba procancellarius, rege petente à Ioanne XXIII, uno de tribus, de pon-
tificatu maximo contendentibus, successores dati sunt. Quanquam Ni-
colaus Tramba eodem ipso anno ad Gnesnensem archiepiscopam, præ-
Nicolai Curouij archiepiscopi mors. ter collegij Gnesnensis uoluntatem, quod Albertum Iastrembecium epi
scopum Posnanien sem postularat, translatus est, secundum mortem Ni-
Archiepiscopi facultates directæ à fratrib. colai Curouij archiepiscopi: qui cum in Russia regi è Lituania reuertẽti,
Halicien sis archiepiscopa Leopolim translata. ab ipso euocatus occurreret, casu equi collisus & extinctus, iudicio regis
& Vitoudi sese subtraxit. Nam regina ei crimen intenderat, quasi ipsam
de stupro sollicitasset. Reliquit autẽ is permagnas diuitias, quas Petrus
frater eius cum alijs fratribus & agnatis diripuit. Trambæ uerò Ioannes
Resso uius in Halicien si successor datus: qui archiepiscopam illam postea
Leopolim transtulit. Venit deinde rex Cracouiam, pedibus religionis
Signa militaria Crucifer orum in basilica Cracouien si appensa. causa incedẽs: uexillaq́ & signa militaria unum & quinquaginta de Cru
ciferis capta, ad sempiternam tam insignis uictoriæ memoriam, in basili-
ca suspendit, quæ in hanc usq́ diem extant. Haud multo pòst inde disce-
Rex in Lituaniam iterum. dens in Lituaniam, partem hyemis in uenationibus exegit. Sequentis au
1412. ann. tem anni, qui fuit 1412, initio, properè Cracouiam reuertit, de aduentu
Herne sti ducis Austriorum certior factus. cum quo affinitatem iunxit,
Venetorũ legati Polonos contra Sigismundum incitant. collocata ei in matrimoniũ Cimbarca Zemouiti Masouiorum ducis &
sororis suæ filia. Aduenerat & Venetorum legatio, quingentorũ hasta-
torum stipendium regi pollicens, si Sigismundo bellum facere pergeret.
Sigismundus Cæs. cũ Venetis bellum gerit. Iam erat creatus Cæsar Sigismundus. Facessebãt autem ei negotium Ve-
neti in Dalmatia. Ipse uerò à Ioanne pontifice in Italiam, & ad liberãdam
Roma à Ladislao rege capta. de manu Ladislai regis Neapolitani Romam, susci piendumq́ diadema
imperiale, inuitatus, Foroiulianam Venetorum ditionẽ infestabat. Auer
ti igitur eum Veneti, ac distineri bello Polonico uolebant: sed nihil impe
trarunt.

trarunt. Cauebant enim proceres Poloni, ne uetusta cum Vngaris fœdera uiolarentur. Et cum sensisset id agi à Venetis Sigismundus, misit & ipse legatos ad Vuladislaum regem, Brandam Cardinalẽ presbyterum, & Sciborium palatinum Transyluanorũ, de renouando fœdere, aut certè de conuentu & colloquio. Aegrè cõuentus ad certam diem Lubouu- *Regum Pol. & Vng. conuentus Liblij.*
liam siue Liblium impetratus. Prior Anna regina eò profecta est, Barbaram sororem, quæ cum Sigismundo nupta erat, uisum. Rex deinde, qui Sandeciæ substiterat, secutus, Boleslao Masouio, & Sigismundo Coributho fratre, & multis proceribus Polonis deducẽtibus. Veniẽti Sigismundus obuiã prodijt, unà cum uxore, usq; ad iugum mõtis. Atq; ibi septem diebus tentata nequicquam inter proceres regum pace, cum discedere iam Vuladislaus uellet, ad secretum colloquiũ semotis prorsus arbitris à *Pax inter reges constituta.*
Sigismundo inuitatus, blanditijs eius & ingẽtibus pollicitationibus expugnatus tandem homo minimè malus, in gratiam cum eo, pactis iureiurando mutuò firmatis, redijt. Erat autem in pactis, ut Sigismundus cum *Pacta, secretò conuẽta, & societas inter Vngarorũ & Polonorũ reges.*
Vuladislao & Vitoudo duce cõtra quosuis hostes, & in primis ad extirpandos Cruciferos, arma coniungeret: ac Prussia quidem eiectis Crucife- *De Prussia.*
ris, inter reges pro portione copiarũ utriusq; ad id bellum adductarũ diuideretur: Pomerania uerò, Culmensis & Michalouiensis, integrè Vula- *De Russia & Valachia.*
dislao Polonisq;, quorũ fuissent olim, cederent. Porrò de Russia, Podolia & Valachia, quæ iuris Polonici & tunc erant sine cõtrouersia, & antiquitùs fuerant, ut nulla fieret mentio aut cõtrouersia, quoad ambo uiuerent, & quinq; annis proximis post obitũ eius, qui prior de ipsis obijsset: Valachi duntaxat Sigismũdo cum Turcis bellum gerenti, mãdato Vuladislai ut essent auxilio, si ipsi Vuladislao & Polonis tunc non militarent. Quòd si dicto audiẽtes non essent, ambo simul reges, eos bello persequerentur, ditionemq; eorum subiugatam, certis finibus inter se partirẽtur: tamen ut ea nihilominus sub conditionẽ suprà memoratam, quinq; annorum post mortem alterius caderet. De priuatis uerò hominũ inter ipsos *De priuatorũ controuersijs disceptandis.*
iniurijs, constitutum in posterum, ut Vngari Sandeciam, Poloni Liuociam siue Leiciam referrent: & quaterni utrinq; designati, omnium controuersiarum atq; iniuriarum cognitores & iudices, qui animaduertẽdi in sontes potestatem haberent. Hæc ita tunc inter reges priuatim conuenere. Publicè uerò ne qua mentio Prussiæ & Cruciferorum fieret, Sigis- *Sigismundi Cæsaris calliditas.*
mundi calliditate & precibus perfectum est: quòd is diceret, Minimè sibi expedire, id palàm tunc fieri. Et erant fortè tunc apud eum Cruciferorum legati: quib. seorsum prolixè omnia pollicebatur, ut aliquid rursus ab eis emungeret. Quo factum est, ut caput illud de Prussia diplomatis à regibus & proceribus eorum consignatis, disertè non insereretur: sed in *Pacta publica Sigismũdi cum Vuladislao.*
genere modò caueretur, ut reges contra quosuis alterutrius hostes, nemine prorsus excepto, fœderati inter se essent, ac ne assensu quidem alterius, hostibus & rebellibus fauerent: quin uterq; alterius incõmoda pro uiribus, præmonendo & omni ope auerterent. Nec hoc solum perfecit Sigismundus: uerumetiam cum Vuladislaum sub specie uenationũ longius in Vngariam secum, necquicquam reclamantibus consiliarijs, & in

primis Ioanne Tarnouio palatino Cracouiensi, extraxisset, persuasit homini simplici & credulo, ut se iudicem & arbitrum propitium quidem, ut uideri uolebat, controuersiæ cum Cruciferis per compromissum sumeret: promittens, idem facturos Cruciferos, & iudicato paritu-

Arbitrium inter Polonos & Cruciferos Sigismundus Cæsar sibi sumpsit.

ros: ni facerent, uim suam experturos. Iam enim rursus Vuladislaus non obscurè præ se ferebat inimicum contra eos animum: propterea quòd ij primam pensionem ex pacto Torunensi ad præstitutam diem sibi non soluissent. Cum autem iudicium id Sigismundus sanè quàm libenter assentientibus Cruciferis instituisset, uarias nectebat moras, ut cùm Vuladislaum spe pacis duceret, tum Cruciferos obnoxios haberet. Tandem grauiores occupationes, & expeditionem contra Venetos causificatus, cognitionem causæ inter Vuladislaum & Cruciferos, ne deseruisse uideretur, proceribus quibusdam Vngaris delegauit. Interim aduenere legati Venetorum, quòd eis Vuladislaus rogatu Sigismundi spem pacis æquissimis conditionibus conficiendæ feciſſet. Acceptata quidem Vuladislao interueniente, sed non confecta pax est, propterea quòd nihil æqui Veneti attulissent: nec reddebant Sigismundo ereptam Dalmatiam. Dum autem Vuladislaus Budæ commoratur, ue-

Dalmatiã Veneti Vngaris eripuere.

nit eò fortè ad eum splendida legatio Tartarorum, cum muneribus, magna auxilia, sicubi opus esset, ei pollicens. Honorificentissima hæc erat ei legatio apud exteros. Persuasit autem is legatis, ut eadem Sigismundo nunciarent. Quo ille ferocior factus, Venetos territabat. Dimissis legatis, ludis ac deinde uenationibus uacatum est. ubi cum Vuladislaus bubalinis caseis recentibus sese replesset, ac deinde calido balneo usus, in profluente Danubij diutius sese abluisset, febrim contraxit. Ab ea uerò paucis diebus regiorum medicorum opera releuatus, & amplissimis

Tartarorũ legatio ad Vuladislaũ Budam profecta.

Vuladislaus ægrotauit in Vngaria.

muneribus à Sigismundo donatus, per Morauiam atque Cesinensem oram in Poloniam reuertit, quinto demum mense, posteaquam Vngariam ingressus fuerat. Fuerunt autem præcipua dona, quæ à Sigismundo acceperat, corona, sceptrum, & pomum aurea, & Boleslai Chrobri gladius, insignia regni, quæ Elizabetha Ludouici regis mater in Vngariam asportauerat, uerita ne Poloni mutata sententia alium sibi regem crearent. Ea rex Cracouiam ingrediens, publicè sibi præferri iussit. Nec

Insignia regni Polonici reportata ex Vngaria.

diu moratus Cracouiæ, per Sendomirien sem, Lublinensem & Chelmensem tractum profectus, supra Bugum fluuium prope Rubessouum oppidum cum Vitoudo de omnibus quæ in Vngaria egerat, communicauit. Venerat eò ad exorandum regem Petrus Vissus episcopus Cracouiensis, magna necessariorum caterua stipatus, quòd ab eo de Cracouiensi episcopa in Posnanien sem, quasi delirus & inutilis, Alberti Iastrembecij episcopi Posnanien sis & cancellarij regni ambitione reijciebatur: sed nihil impetrauit. Et aduersa is quidem usus est ualetudine, ex quo ex concilio Pisano, & longiore ad sepulchrum CHRISTI peregrinatione reuerterat, stupore quodam & lethargo afflictus: sed tamen de gradu mentis dimotus non erat. Facilè tamen in disidio pontificum rex quæ uolebat obtinuit. Non fuit tamen sine metu postea Iastrembecius,

Petrus Vissus è Cracouiensi ad Posnanien sem episcopam detrusus.

Albertus Iastrembecius episcopus Cracouiensis per ambitionem factus.

cius, propinquis Petri ad omnem occasionem intentis, qua eum de medio tollerent. Dimisso deinde Vitoudo, Russiam rex obibat: quò cum legati Sigismundi regis ad eum uenissent, octoginta millia florenorum Pragensium ab eo mutua acceperunt, dato ei in pignus Scepusiensi tractu omni, arce modò excepta. Atque ex eo tempore Scepusium in ditione Polonorum est usque in hanc diem. A' Cruciferis autem ea pecunia sumpta est: quibus Sigismundus eam mulctam irrogarat, quòd pactis in insula Torunensi cum Vuladislao initis non satisfeciissent. Ita quidem habet Dlugossus. Verùm nos reperimus in archiuio literas Ioannis XXIII, Pontificis maximi, quibus is postulat à Vuladislao, ut proroget Cruciferis tempus soluendarum quinquaginta millia marcarum (quæ sunt octoginta millia florenorum) quæ ij ex pacto debebant. Vnde nobis uerisimile fit, in pactis Torunensibus de ea pecunia numeranda, Cruciferis cum rege conuenisse, licet literis pactorum id insertum non sit. Quin extant testimonia Benedicti Macrini, cui Sigismundus delegarat arbitrium, & in rem præsentem in Prussiam & Lituaniam eum miserat: qui testificatur Vuladislaum quidem & Vitoudum iudicatum fecisse, Cruciferos uerò minimè. Inde autem apparet, Sigismundum iudicasse quidem tunc inter dissidentes: quid autem iudicarit, non liquet, præterquòd Vuladislaus & Vitoudus parentes rei iudicatæ, tradidere Magistro Cruciferorum diplomata super Samagitia: tametsi Heduigis regis filia testata est, se ei traditioni aduersari.

Scepusium oppigneratum regi Polono.

Cruciferi non paruerunt decreto Cæsaris.

Samagitiæ ius datum Cruciferis.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER XVIII.

RVSSIA peragrata, in Poloniam rex reuertit: pauciscp̃ diebus Nepolomiciæ exactis, in Lituaniam rursus secessit, & hyemem illam ibi exegit: quæ quidem prodigiosè calida fuisse memoratur, ita ut initio Februarij flores & olera in regione frigidissima existerent. Verno atque æstiuo tempore Poloniam rursus ferè omnem peragrauit. Posnaniam autem cum ueniisset, Petrum episcopum in delubrum seuocauit: & in genua procumbens, culpam ab eo deprecatus est, quòd eum sede Cracouiensi præcipitanter eiecisset. Apud Grodlum deinde, supra Bugum amnem, Polonorum & Lituanorum conuentum habuit. Ibi fœdera inter has duas nationes renouata: concessum' que ius nobilitatis Lituanis ijs duntaxat, qui ritus Ecclesiæ Romanæ & catholicæ seruarent, ijsdem ut insignibus, ijsdem' que prærogatiuis, quibus Polona nobilitas, uterentur: præterquam ut iussu magni ducis, arces conderent, uias publicas reficerent, tributa' que solita penderent: senatum autem & magistratus more Polonorum haberent: cæterùm honores & magistratus ne alienis ab Ecclesiæ Romanæ institutis mandarentur: Ducem, quando usus postularet, non nisi de

Hyems calida.

Rex ueniam petijt ab episcopo.

Conuentus Polonorum & Lituanorũ apud Grodlum.

Lituanis prærogatiuæ & leges datæ à rege.

sententia regis, & amplissimi consilij Polonorum, legerent: uicissimq; Poloni, ut ne inscijs & inconsultis duce & senatu Lituanico regem sibi crearent: comitijs communibus quoties opus esset, ut ea Lublinum uel Parsouiam, uel aliàs quò uideretur, mutuo consensu indicerentur: ordo item ecclesiasticus ut eodem iure, ijsdemq; prærogatiuis, quibus in Polonia, uteretur. Hæc omnia proceres Lituani, libertatẽ & prærogatiuas nobilitatis adepti, approbarunt, & literarum monumẽtis consignarunt. Soluto conuentu, quia pestilens autumnus erat in Polonia, in Lituaniam rex secessit. Inde porrò in Samagitiã profectus, gentem eam, quæ nondum falsorũ deorum cultum penitus abdicarat, magno studio, magnaq; cura, extinctis sacris ignibus, succisis lucis, necatisq; serpẽtibus, & alijs sacris animalibus, ad religionem Christianam conuertit, partim donis alliciens, partim autoritate & minis adigens: non modò pij regis, uerùm etiam doctoris & apostoli fungens officio, suggerẽtibus sacerdotibus nostris, quæ diceret, quæue faceret: cum ipsi barbaros loquentes non intelligerent, nec ab eis uicissim intelligerentur. Populariter autem Samagitæ tunc religionem Christianam susceperunt, per unum natu maximum apud regem professi, se quos in eum diem deos coluissent, uelut infirmos & ignauos deserere: & in eius ius concedere, cuius numine illi à rege uicti & profligati essent. Cum autem nonnulli adhuc, si resuscitare ignẽ extinctũ è calidis fauillis post regis discessum possent, relapsuri esse in pristinum errorem uiderẽtur, & hæc inter se mussitarent, substitit ibi rex diutius quàm statueret, locumq; ignis largiore aqua inundari iussit. Episcopum apud Mednicos, attributis agris & reditibus, & parœcos duodecim (tot enim territorijs cõtinetur Samagitia) ut ijdem tamen canonici Mednicenses essent, instituit. Quanquam hæc quarto demum anno post à Ioanne archiepiscopo Leopoliẽsi, & Petro Vilnensi episcopo, consummata sunt. Tunc autẽ rex, præfecto genti Kesgellone nobili Lituano, & religionis curam in primis in rudi populo gerere iusso, in Lituaniam, atq; inde porrò post anni sequentis, qui fuit 1414, initium, in Poloniam, & in Cuiauiam, ad constitutum cum Cruciferis conuentum apud Slonscum, contendit. Iam summum apud Cruciferos magistratum Michael Cochmeister gerebat, amoto & in carcerem coniecto Henrico Plauenio, siue propter profusas largitiones, siue propter inuidiã: siue quòd à Michaele, ambitioso & feroci homine, quasi Polonis impẽsius faueret, insimulatus esset. Quo comperto, Vlricus Henrici frater, commendator Gdanensis, metuens & ipse sibi, clam ad regem perfugit. Fugisset Henricus quoque è custodia, re clam per internuncios cum rege composita, nisi eum Ioannes Cropidlo Vuladislauiensis episcopus, cum quo fortè rex ea de re secretò cõmunicarat, prodidisset. Pace cum Cruciferis tẽtata, sed non cõfecta, causa uerò tota à Strigoniẽsi archiepiscopo, ueluti delegato Sigismundi Cæsaris, iniquissimè disceptata, cum Cruciferi iniurijs nullum modũ statuerẽt, mercatoresq; Posnaniẽses Gdani, direptis eorũ mercib. crudeliter interfecissent, & per subornatos homines multa oppida & pagos in Polonia incẽdissent, latrocinãtiũq; in morẽ è Dobrinẽsi &

Samagitia ad religionẽ Christianam conuersa.

Samagitæ falsos deos abdicant.

Episcopa Mednicensis siue Samagitiæ instituta.

Kesgello Samagitiæ præfectus.

1414. ann. Conuentus regis cum Cruciferis.

H. Plauenius magistratu amotus, & in carcerem coniectus.

Vlricus Plauenius commendator Gdanensis ad regem perfugit.

Cropidlo episcopus arcanũ regis prodidit.

Cruciferi Polonis iniurij.

Polonia

Polonia finitima prędas agerẽt: & captos homines, non modò plebeios, uerùm etiam equeſtres, in patibulum agerent: cumq; ad ex extremũ ſub ſignis populabundi in Dobrinenſem excurriſſent, ac ſubito pauore turbati diffugiſſent, nouam in eos expeditionem rex Polonis, Ruſsis, atq; Lituanis cunctis indixit. Dum autem bellum id adornatur, ipſe maiorem Poloniam percurrit. Fortè tunc Petrus Viſſus epiſcopus Poſnanienſis, lento morbo confectus obijt. Quod ni obijſſet, reſtitutus fuiſſet autoritate Conſtantienſis concilij ad Cracouienſem epiſcopam, Alberto deiecto: ſed profuit Alberto mors eius, ut facilius à concilio, rege petente, ueniam impetraret. Etenim tribus tunc de pontificatu maximo contendentibus, & Ioanne Huſſo turbas ciente in Boemia, Sigiſmundus Cæſar magno ſtudio, labore & curſitationibus perfecit, ut concilium œcumenicum, conſenſu Chriſtianorum principum, & primorum eccleſiaſticorum, apud Conſtantiam Germanorum aperiretur: quod quidem duraurit in quartum annum. In eo cùm alia multa reipub. Chriſtianæ ſalutaria conſtituta ſunt, tum Huſſus hæreſiarcha condemnatus & exuſtus, & poſt eum Hieronymus Pragenſis. Ad extremum autem ſublato diſsidio, cum tres illi pontificatu partim amoti eſſent, partim ultro ipſi ſe abdicaſſent, Martinus eius nominis quintus, pontifex creatus eſt. Verùm hæc & externa ſunt, & poſterioris tẽporis. Tunc autem, cum collegium Poſnanienſe petiſſet à rege, ut ſibi epiſcopum arbitratu ſuo legere liceret, non abnuit: ſolusq; in conſilium ſacerdotum reuerenter ingreſſus, impetrauit, ut de quatuor à ſe editis, inter quos etiam fuit Alexander duCis Maſouiæ filius, è ſorore ſua natus, unus legeretur epiſcopus. Lectus eſt abſens, magno omnium conſenſu, Andreas Laſcaris Goslauicius, decanus Cracouienſis, & canonicus Poſnanienſis, gente Goziembius: qui tunc fortè legatus à rege cum tribus alijs, ad Sigiſmundum Cæſarem de cauſa Cruciferica profectus erat. Aegrè tamen is decreto collegij cum uoluntate regia coniuncto aſſenſus eſt, uir bonus, & non ignarus, quantum onus in ſe ſuſciperet. Cuius ſimiles perpaucos fortaſſe illa ætas habuit: noſtra unum, quod ſciam, habet, quo libentius tam rarum integritatis & modeſtiæ exemplum commemorauimus. Iam ingentes copiæ ex omni Polonia, Ruſsia, Lituania, & Maſouia, cum ſuis ducibus, Voltoudus adduxerat. Erat & mercenariorum militum ex Boemis atque Sileſijs non exiguus numerus. Ad hæc, Sileſiorum duces, Bernardus Oppolienſis, Ioannes Ratiborienſis, Boleslaus Ceſsinẽſis, Conradus Oleſnicenſis, Venceslaus Zeganenſis, Ioannes Lubinenſis, Conradus Albus Cozlenſis, & Venceslaus Opauienſis, auxerant exercitum regium. Quin & Lacicus Crauarius præfectus Morauiæ, unum uexillũ militum in auxilium regi miſerat: ita ut tantus ille eſſet exercitus regius, quantus non modò ad Pruſsiam, ſed ad magnam orbis partem perdomandã poſſet ſufficere. Itaq; rex non moratus diutius, in terram hoſtilẽ eum duxit, inſtructum inſpectantibus legatis hoſtium, qui ſiue ad auertendum bellum, ſiue ad ſpeculandum uires noſtrorum, uenerant. Verùm non ita multum

Albertus Laſtrembecius ægrè epiſcopã Cracouienſem retinuit.

Andreas Laſcaris, Poſnanienſis epiſcopus electus rege præſente, uix aſſenſus eſt.

Pruſsicum bellum.

Duces Sileſij in exercitu regio.

Lacicus Crauarius præfectus Morauiæ.

multum operæpreciȝ cum tantis copiȝs factum eſt. Oppida modò & caſtella quædam ignobilia, partim ui expugnata, partim in deditionem accepta, partim uacua dilapſis habitatoribus occupata, direpta & exuſta. Inter quæ fuere Nidburgum, Hoenſteinum, Alleſteinum, Guttestadia, Zirgonum, Prabutha, ſiue Riſemburgum, Biſſouiſuerderum, & Cruciborgum. Nam ab Helsbergæ obſidione Ioannes Varmiẽſis epiſcopus, cuius ea arx eſt, precibus regẽ auertit. Holandiæ obſidio, cum in longum extractum iri uideretur, omiſſa eſt. Et nonnihil ibi incommodi Lituani, cum incautius prædas agerent, accepere. capti ab hoſtibus Butrim magiſter curiæ, ſiue Marſalcus Vitoudi, Mikita, & nonnulli aliȝ. peruaſtati tamen agri longè lateȝ, nemine obuiam prodeunte. Cum autem Chelmæ ſiue Culmæ atȝ Toruniæ oppidorum dedendorum regi nonnulla ſpes facta eſſet, eò moturus erat caſtra, ni eum Magiſter Cruciferorum uafro conſilio eluſum, aliò auertiſſet, ſubornato homine cum literis, commendatoris Brodnicienſis nomine ad ſe confictis: quibus perſcriptum erat, arcem Brodnicienſem à commeatu tormẽtisȝ bellicis imparatam, longiorem obſidionem ſuſtinere non poſſe. Quæ literȝ, capto & excuſſo tabellario, cum fidẽ feciſſent noſtris, hoc perfecerũt, ut eius arcis potiundæ ſpe conatus meliores fruſtrarentur: uiresȝ noſtrorum non hoſtimagis, quàm ſibiȝpſis propter difficultatem annonæ graues, inerti obſidione languidas & inutiles redderẽt. Nam Brodnicia, preterȝ quòd natura arteȝ permunita eſt, ualido hoſtium præſidio tenebatur, & commeatu armisȝ abundabat. In eius igitur obſidione rex cum omni exercitu totum menſem fruſtra conſumpſit. Inde Vitoudus, necquicquam retinente rege, non ſine animi eius offenſione diſceſsit. Et iam morbus uulgò in corpora militum ex panis penuria graſſari cœperat. Continuabat tamen rex obſidionem: dimiſsisȝ quoquouerſus frumentatoribus cum præſidio armatorum, frumentum in caſtra comportabat. In eos cum quadam die hoſtes, ad omnem occaſionem rei bene gerẽdæ intenti, impetum feciſſent, lõgè plures à paucioribus fuſi fugatiȝ ſunt, ſexaginta captis, ducẽtis deſideratis. Venit interim ad regẽ legatus pontificis max. Ioannis XXIII, Ioannes Lauſanẽſis epiſcopus: qui facilè impetrauit à rege, deſidis & famelici belli (ſic enim uulgò appellatum id eſt poſtea) iam pertæſo, ut duorum annorũ inducijs cum Cruciferis cõſtitutis, Conſtantienſis concilij iudicio cauſam & controuerſiam ſuam omnem cum Cruciferis permitteret. Itaque rex dimiſſo exercitu reuerſus in Poloniam, de ampliſsimi conſilij ſententia legatos ad concilium miſit, Nicolaum archiepiſcopum Gneſnenſem, Ioannem Vuladislauienſem, Iacobum Plocenſem epiſcopos, Andream Laſcarem electum Poſnanienſem, Ioannem Tuliſcouium Calliſsienſem caſtellanum, & Zauiſsium nigrũ Garbouium, uirum clariſsimũ. Pollicebatur autem Sigiſmundus, non defuturum ſe ibi eſſe cauſæ regiæ contra Cruciferos: eiȝ uiciſsim rerum Vngaricarum curam commendauit. Idemȝ fecit concilium illud, ſcriptis ea de re ad regem literis. Ac fecit quidem Vuladislaus amici officium. nam cum Turcæ Vngariam infeſtarent, Boſnamȝ à Sigiſmundo priùs recuperatam,

Oppida Pruſſica à rege capta.

Varmiẽſis epiſcopus ſupplex regi.

Lituani incommodo affecti à Pruſſis.

Vafrum conſilium magiſtri.

Brodnicia arx munita, fruſtra obſeſſa à Polonis.

Vitoudus è caſtris diſceſſit.

Legatus Pontificius ad regẽ.

Famelicum bellum.

Induciæ duorũ annorum.

Conſtantienſi cõcilio controuerſiæ Pruſsicæ diſceptatio permiſſa.

Vuladislaus curam geſſit Vngariæ, Sigiſmũdo abſente.

peratam, ipſi iterum eriperent, fuſis profligatiſq; Vngaris, Vuladislaus miſſa ad turcas graui & minaci legatione, ſex annorum inducias inter eas gentes, captiuis Vngaris, proceribus liberatis, cõfecit: pacem quoq; perpetuam cõfeciſſet, ni Pipo Florentinus comes Themeſsienſis temerè omnia turbaſſet, capto pro exploratore Gregorio Armeno Vuladislai internuncio, qui Turcicæ legationi de pace ueniẽti tutum ad Vngaros acceſſum præſtructurus anteceſſerat. Proſperè tamen poſtea rem contra Turcas geſsit aliquoties Nicolaus Petri Macedonis filius, abſente Sigiſmundo, eoſq; Boſna expulit. Interea Vuladislaus rex Lituaniam, Poloniam, Ruſsiam continentibus ferè itineribus obiuit. Et Sniathini cum eſſet in Ruſsia ad Pentecoſten anni ſequentis 1415, uenit ad eum Alexander palatinus Valachorum, permagna & ſplendida nobilitatis ſuę caterua ſtipatus: adoratoq; publicè rege, & uexillo ad pedes eius proiecto, & dato conceptis uerbis iureiurando, in fide & clientela eius atq; Polonorum ſe fore ſemper promiſit, & perampla munera ei dedit, ab eoq; uiciſſim accepit. Venit & ab Imperatore atq; patriarcha Conſtantinopolitano legatio, frumentarium ſubſidium petens. Vehementer enim à Turcis infeſtabantur & premebantur. Quorum princeps Mahometes recuperatis in Aſia ijs, quæ Tamerlanes auo eius ademerat, imperij ſedẽ Pruſa Adrianopolim trãſtulerat: & iam tranſalpinos Valachos uexabat, iam Conſtantinopoli ac toti Græciæ ferox imminebat. Vuladislaus rex inopia laborãtibus Cõſtantinopolitanis liberaliter opitulatus, in Cacybeio portu maris Pontici, qui in ditione Polonorum tunc erat, frumentum admenſus eſt: inde in Lituaniam rurſus diuertens, uiginti millia marcarum Pragenſium, quadraginta ueſtes Sabellinas eximias, centum equos, totidemq; aureos pannos à Vitoudo dono accepit. Anno ſequenti cum Annam reginam mortuam Cracouiæ ſepeliſſet, rurſus in Lituaniã profectus, apud Velunã Samagitiæ cum Cruciferis Pruſsienſibus pariter atque Liuonienſibus, de regundis finibus Samagitiæ, ac de pace perpetua conſtituenda conuentum egit: ſed Cruciferis intolerabili faſtu tumentibus, neq; ullam æqui & iniqui rationem ducentibus, re infecta diſceſſum eſt. Augebat autem eis ſpiritus, ut creditum eſt, ſocietas cum Tartaris ineta, qua eos ad uaſtandos Ruſsiæ fines excitarant. Nec multo poſt ingens uis barbarorum duce Ediga in Kiouienſem tractũ improuiſò effuſa, ferro igniq; omnia depopulata eſt. Vrbem quoq; ipſam Kiouiam diripuit ac diruit. Atque ex eo tempore ea ſplendorem priſtinum nunquã recuperauit. arce quidem, ſumma ui oppugnata, potiri non potuit: & ingentem pecudum hominumq; prædã abegit. Rex pro eo quod hoſtes bello perſequi debuit, Sanoci nuptias celebrauit, indignas illa ætate, & nomine ac dignitate ſua, ducta in matrimonium Elizabetha Pilecia, Ottonis palatini quondam Sendomirienſis filia, uidua prouectæ iam ætatis & effœta: quippe quæ uirgo propter magnitudinẽ dotis à Morauo quodam rapta, eiq; aliquanto poſt ab alio quodam Morauo item erepta, & interfecto priori raptore, in loco iuſtæ uxoris habita: ad extremum Vincentio Granouio caſtellano Naclenſi gente Toporo, deſpondente Spitcone Mel-

1415 ann. Palatinus Valachiæ Alexander iurat in uerba regis Polonorum.

Legati Cõſtantinopolitani Imperatoris ad regem Polonorum.

Cacybeius portus in ditione Polonorum.

Dona regi à Vitoudo data.

Anna regina mortua.

Conuentus Lituanorũ cum Cruciferis. Tartari Ruſsiam uaſtarunt.

Rex Elizabetham Pileciam uxorem tertiã duxit.

cone Melstinio propinquo, nupserat: perq; eam Granouius sese in familiam Leliuiorum inseruit. Siue autem intempestiuo amore & consuetudine eius mulieris captus, siue philtris etiam & magicis artibus dementatus Vuladislaus, eo se tam impari matrimonio implicauit: magnam certè nomini suo infamiam non modò apud suos, uerùm etiam apud exteros asperserit: ita, ut Concilio quoq; ea fama, traducētibus Cruciferis, impleret. Huc accessit, quòd ritu Christianorū incestū id erat cōiugium, cum illa regi in loco sororis esset, propterea quòd is à matre eius de sacro fonte leuatus erat. Sed instante rege, concilio legitimas esse iussit eas nuptias. Rex inde Cracouiam indicto conuentu, reginā quoq; eam ritu solenni fecit, nequicquam aduersantibus nōnullis proceribus, & in primis Sendiuoio Ostrorogio palatino Posnanensi. Quoniam aūt ea ab archiepiscopo Leopolensi Ioanne Ressouio coronata erat, ueritus Nicolaus archiepiscopus Gnesnensis, qui tūc in cōcilio Cōstantiensi propter splendorem gratiosus erat (ita ut summus pōtificatus ad eum, si Dlugosso credimus, deferretur, si eū suscipere uoluisset) ne sibi posterisq; suis archiepiscopis Gnesnensibus ea prærogatiua coronandi reges & reginas surriperetur, obtinuit apud Concilio, ut archiepiscopus Gnesnensis deinceps Poloniæ primas haberetur: perfecit autē idem cum collegis suis, ut Ioannes quispiam Falchembergius sodalis Dominicanus decreto Concilij in tetrum carcerem compingeretur, quòd subornatus à Cruciferis satyram siue famosum libellum in Vuladislaū regem, & in omne Polonū nomen cōscripserat. Cū uerò mitius cum eo postea Martinus, eius nominis quintus pontifex max. cui Nicolai archiepiscopi fauor ad pontificatum nō parum suffragatus erat, ageret, rem nouam legati regis ausi, ad Basileense concilium, quod in decimum annum indicebatur, prouocarunt. Verùm satisfecit eis deinde pontifex, authoritate patrum adductus. Cæterùm libellus ille famosus Luteciæ archiepiscopo oblatus erat, cum eius urbis doctores & studiosos omnes lauto conuiuio accepisset. Etenim Sigismundo Cæsari ad conciliandum cōcilio regem Arragonum, & ad pacificandum Francorū & Anglorū reges proficiscēti, comes itineris unà cum Tulischouio & Zauisio de concilij sententia datus erat. Prorogauit deinde Vuladislaus rex inducias cum Cruciferis in aliud biennium, Cæsare & rege Francorum Carolo petētibus. Et anno sequenti, qui fuit 1418, rursus apud Velunam Samagitię cum Cruciferis de pace conuentū egit, deductis secum primoribus Polonorū: unde cum re infecta discessisset, dimissisq; proceribus, ipse cum paucis apud Vigros, syluę id nomen est, uenationi uacaret, parum abfuit, quin in Rastemburgensis commendatoris insidias incideret. Sub idem tempus Vitoudus amissa paulo antè Anna uxore, alteram duxit Iulianam uiduam, prioris materteram. Atque id matrimonium incestum Ioannes Cropidlo episcopus Vuladislauiensis, qui etiam regem fortè in Lituaniam secutus erat, præter disciplinam ecclesiasticā iunxit, cum Petrus Vilnensis, ut id faceret, nequaquam adduci posset. Ita plurima sibi plerunq; præter ius & æquum permittunt homines excelso loco nati. Insequenti anno cum rex in Poloniam reuertisset, ue-

Elizabetha coronata.

Archiepiscopus Gnesnēsis primas.

Ioannes Falchēbergius carcere punitus propter famosum libellum.

Prouocatio à pontificè ad cōcilium futurū.

Poloni oratores cū Cæsare missi in Gallias.

Inducię cum Cruciferis.

1418 ann.

Lituanorū cōuentus cū Cruciferis.

Insidię in regē intentæ.

Vitoudi uxor altera.

tisset, uenêre ad eum duo legati Martini pontificis max. Iacobus Cãplus Spoletanus, & Fernandus Hispanus Lucensis episcopi, de pace cum Cruciferis conficienda postulantes: qui comiter & liberaliter à rege habiti, cognita eius uoluntate ad pacem propensa, in Prussiam inde ad Cruciferos contenderunt. Quorum corrupti muneribus, cum monumenta ad causam ipsorum pertinentia ijsdem ipsis exhibentibus inspexissent ac descripsissent (ad quam fortè rem magis quàm ad pacem faciendam, Cruciferorum rogatu atque sumptibus uenerant) regis causam incognitam temerè testimonio suo damnarunt. Qua de re grauiter postea rex cum pontifice questus est. Ac fecit is deinde regi potestatem producendi documenta causæ suæ. Dimissis autem legatis pontificijs rex Cassouiam profectus est, ad colloquium à Sigismundo Cęsare inuitatus: ibiq; blanditijs eius inductus, arbitrum eum tulit Cruciferis ex compromisso de cõtumelijs, damnis & iniurijs, quas ab illis acceperat, reclamantibus quos secum duxerat proceribus, & ad extremũ, ut certa tamen formula, certoq; die id cõpromissum adstringeret suadentibus: quorũ princeps fuit Albertus episcopus Cracouiensis, idemq; Cãcellarius Poloniæ. Recusabant aũt id cõpromissum Crucigerorũ legati, qui tunc ibi aderãt, siue adeò recusare se ex cõposito simulabant: qua re Cæsar uehemẽter, ut uideri uolebat, iritatus, arma se cum Vuladislao contra eos coniuncturũ iureiũrando interposito pollicitabatur. Qua de causa remittere ei Vuladislaus pecuniã quam mutuã dederat, Scepusiumq; mox reddere cogitabat, ni proceres, cũ quib. ea de re cõmmunicarat, id ei dissuasissent. Soluto conuentu Vuladislaus in Poloniã reuersus, magna cura bellũ aduersus Cruciferos apparauit. Misit & Cæsar episcopũ Pathauiẽsem imperialem cancellarium, & Ioannem comitẽ de Herdek Cracouiam, ut in speciẽ arma & cætera ad Prussicum bellũ necessaria exercitui suo compararent. Quibus lautè à rege sumptus suppeditati sunt. Sed ij cum supra quadraginta dies Cracouiæ mansissent, ultro ne an reuocati, incertum est, in Vngariam ad Cæsarem reuerterunt. Redijt deinde ad regem ex Vngaria Sbigneus Brezius marsalcus, qui ad deducenda à Cæsare auxilia relictus erat, uanitate Cæsaris perspecta. Lactatus inanibus Cæsaris promissis Vuladislaus, tamen institutam in Prussiam expeditionem non remisit, ne legatione quidem eius motus, qua ille ab eo contendebat, ut in aliud tempus id bellum differretur. Iam copiæ omnes Volboriam conuenerant, indeq; per Masouiam progressæ ad fines hostium peruenerant, cum uenit ad regem in castra Bartholomæus Capra archiepiscopus Mediolanensis, legatus à Cæsare dirimendi eius belli causa. Et perfecit is quidem rursus adiuuante maximè Vitoudo, & accedente põtificis max. authoritate, duorum annorũ inducias, cum cõpromissi sui regem admonuisset, & aliud ei ex aduerso respondẽs ipse à Cruciferis attulisset. Præfinita aũt compromisso dies ad octauum Idus Ianuarij, quam Epiphanias Christiani dicimus. Itaq; irritus tantus ille conatus atq; apparatus belli fuit, non sine magno omnium fremitu, imprudentiam regis in faciendo compromisso incusantium. Verùm eam culpam rex in Cancellarium

Legatio põtificis Martini ad regem Pol.

Legatorũ mala fides.

Vuladislai regis congressus cum Sigismundo.

Compromissũ regis.

Vuladislai credulitas.

Albertus episcopus Cracouiensis & Cancellarius Poloniæ.

Sigismundi Cæsaris astus & uanitas.

Legati Cæsaris ad Vuladislaum.

Legatus Cæsaris.

Inducię inter Polonos & Cruciferos.

Apparatus belli irritus.

Alberti episcopi Cracouiēsis odium.

reiecit: quamobrem magno is omnium odio deflagrauit. Cum Erico autem Daniæ, Suetiæ & Noruegiæ rege, ac duce Pomeranię, eiusq; cōsiliarijs, publicè à Vuladislao & Vitoudo in castris tunc ictum est fœdus & societas, cùm cōtra alios utriusq; partis hostes, tū nominatim cōtra Cruciferos: ea lege, ut etiāsi quis principū ab eo fœdere uellet discedere, subditi tamen ipsius eo nihilominus tenerentur: ne tamen inscijs alteris alteri Cruciferis, uel cuiquā omnino bellum inferrent. Excepti sunt aūt à Vuladislao & Vitoudo Sigismundus Cæsar, & Venceslaus rex Boemorum, propter priora cum ipsis fœdera. Reuertēs aūt ex eo bello Vuladislaus, per Cuiauiā in maiorem Poloniā diuertit: Posnania uerò Srodam proficiscentem aduersus casus perculit. Nam sub uesperum è sereno subitò atris nubibus cœlum obductū est: inde inter crebra fulgura ac tonitrua fulmen magno fragore decidens, quadrigas carpēto, quo rex uehebatur, iunctas, duosq; stipatores regios, itemq; Posnaniēsis & Sendomirienſis palatinorum, & nouē alios regiorū comitū equos unà cum regio, cui cubicularius quidam hastā regis ferens insidebat, uno ictu interfecit: aurigę & sessorib. equorū nihil actum, nisi quòd cubicularij uestis discerpta est. Rex cum aliquādiu exanimatus iacuisset, tandē respirauit, cæterà sospes, præter quòd surdaster paucos dies, & modico manus dextrę dolore affectus fuit. Vulgò creditū est, propter incestū matrimonium diuinitùs eo terrore correptum fuisse. Et sanè liberius tūc eum Sbigneus Olesnicius secretarius eo de crimine obiurgauit. Per illud tempus Ediga princeps Tartarorum, missa legatione cum munerib. ad Vitoudū, fœdus cum eo icit. Sub idem tēpus, cum uires sumeret hæresis Vicleffi & Husi in Boemia, motusq; magni cùm Pragæ tum alibi cum summo contemptu regis existerent, & ad quadraginta millia oppidanorum pariter & agrestium cum mulierib. ac paruulis ad montem quendā coiuissent, magistratusq; nouæ Pragæ concursu populi trucidatus esset, anxio fuit animo rex Venceslaus: & ira fortè in pocillatorem suum percitus, cum interficere eum suis manibus uellet, paralysi affectus concidit, & paucis diebus postea uita excesit. Parabat fortè expeditionem in Turcas Sigismundus Cæsar, cum hæc ad eum perlata sunt. Obierat enim paulo antè Mahometes imperator Turcarum: unde Sigismundo commoda occasio recuperādi ea quæ Mahometes de Vngaris cęperat, & ulciscendi clades suas, oblata esse uidebatur. Cum igitur distracto esset animo, impetrato à rege Polonorum colloquio, Sandeciam uenit. Ibi de Boemicis rebus ac de Turco bello consultatū. Suadebat Cæsari Vuladislaus, ut Boemiam ante omnia in potestatē suam redigeret, hæresimq; sumentem uires opprimeret: & ad hæc peragenda, auxilia ipsi pollicebatur. Sed ille dum inconsultè & intempestiuè Turcicū bellū Boemię pacandę pręuertit, & Turcas, nullo operæprecio facto, magis iritauit, nō ausus cum exercitu Danubiū transmittere, illis ulteriorē ripam tenētibus, & Boemiæ potitus nō est. Ac Vngariam quidem atq; Transyluaniam Turcæ, Baiazetis noui imperatoris, qui patri Mahometo succesit, ductu siue auspicijs, magnis affecere incommodis. Boemi uerò Bernam ad comitia euocati à Cęsare, paruerunt, & in po-

Fulminis impetus in comitatū regium.

Rex exanimatus.

Tartari pacem petunt à Vitoudo.

Boemici motus.

Venceslai Boemorum regis mors.

Mahometes Turcarum imperator mortuus.

Sigismundi Cæsaris cū Vuladislao rege cōgressus Sandeciæ.

Sigismundi bellum in Turcas.

Vngaria uastata à Turcis.

& in potestate eius fore se polliciti sunt: ac fecerunt etiã iussa Pragenses, qui tunc factionibus & hæreticorum consensu potentes erant, amoliti castella quædam contra arcem erecta, cathenas'que & repagula, quibus plateas urbis impediuerant: amoti sunt etiam præfecti, quos post Venceslai mortem arcibus regijs imposuerant. Sed cum Sigismundus Berna non in Boemiam, sed Vuratislauiam iter deflexisset, ibi'cp de seditiosis, qui magistratum urbis necauerant, supplicium sumpsisset, Pragenses ueriti, ne sibi idem ausis idem eueniret, cauere sibi impensius cœpere: Taboritas, promiscuam illam fecem hominum, quæ à castris nomen sumpsit, sibi adiunxere, portas urbis regi uenienti clausere, copias'que eius Germanis & Vngaris ualidas profligauere, & castris exuere: ubi plurimi de proceribus & nobilitate Boemica, qui cum rege sentiebant, cecidere: ipse uerò Sigismundus post susceptum in arce S. Venceslai regium diadema, fuga saluti suæ consuluit. Sed hæc paulo posterius acta sunt. Illa prius. Sigismundus Vuratislauiam se sequi legatos Polonorum & Cruciferorum iusserat, ut ibi inter eos de controuersijs arbitrium perageret. Sed ipse ad extremam demum compromisso præfinitam diem, post initium noui anni eò uenit. Veritus igitur, ne die lapsa irritum esset compromissum, ut Cruciferis gratificaretur, causa non cognita necp disceptata, sententiam ex scheda, quam in pera paratam habebat, iniquissimam, insertis quibusdam quæ in controuersiam non uenerant, recitauit, reclamantibus nequicquam nostris, & fidem religionémque iuducis requirentibus. Fuere autem archiepiscopus Gnesnensis, Cracouiensis, Vuladislauiensis, Posnanensis & Plocensis episcopi: palatini, Cracouiensis, Posnanensis & Sendomirensis, item'que Callisiensis castellanus, marsalcus regni, & Zauissius niger: qui omnes duob. relictis actutum discessere, Cæsare nequicquã retinente: & errorem quidem agnoscente, sed culpam in alios transferente, & moderationẽ decreti pol licente. Quã tamen legati Cruciferorũ fieri passi nõ sunt. Eò uerò spectabat potissimùm decretũ illud Cæsaris, ut abolito decreto delegatorum apostolicorum, Caroli Vngarorum, & Ioannis Boemorũ regis arbitriũ, pactaq; apud Toruniam inter Polonum regem & Magistrũ conuenta, rata essent, quamuis ijs pactis iuxtà ac arbitrio priores Cruciferi non stetissent. Additũ nonnihil de Zlotoria Iafeneciaq; arcibus, Lubicia molestrina, & finibus ditionum Crucifericarum cum Masouia, item'cp cum Samagitiæ parte, quæ Lituanis relinquebatur: qui fines tantisper duraturi essent, quoad rex & Vitoudus uiuerent. Pœna autem apposita est decem millium librarum siue marcarum argenti. Hæc ubi celeriter ad Vuladislaum, in Lituania tũc uenationibus cum Vitoudo uacantẽ perlata sunt, dolore & ira utercp ad lachrymas usq; & ululatum exarsit. Mox communicato cum paucis consilio, rex curriculo Sbigneũ Oleniſſnicium ad Cæsarem misit, qui ei beneficia sua plurima & maxima, & ipsius non modò ingratitudinem & summam iniusticiam, uerùm etiam perfidiã & periurium exprobraret, secp pariturum esse illi sententiæ negaret. Quod cum Sbigneus in frequenti episcoporum & principũ consessu grauissimis uer-

Pragensiũ potentia.

Vuratislauiæ magistratus amoti.

Pragẽses repugnant Sigismundo regi.

Sigismundi fuga.

Decretum Sigismundi Cæsaris ex cõpromisso.

Oratores Poloni ad Cæsarẽ.

Sigismundi Cæsaris decretũ.

Vuladislai & Vitoudi mandata ad Cæsarem.

mis uerbis feciſſet, ſimulq; Nicolaus Cebulca ſubſecutus, Vitoudi nomine cùm alia quædam acerbè in Cęſarem dixiſſet, tum fœdus & amicitiam olim cùm eo conſtitutam repudiaſſet, ita accenderunt Cæſarem, ut eos uiolato iure gentiũ in profluentẽ demergere uoluerit, niſi eum qui proximi aſsidebant epiſcopi & principes, à tam præcipiti & nefario conſilio auertiſſent: ſine reſponſo autem ij dimiſsi ſunt. Nec ita multo pòſt Cæſar miſsis duobus legatis ad regẽ, correcturũ ſe eſſe pollicitus eſt, quòd non malicioſe, uerùm imprudenter Cruciferorum fraude circumſcriptus deliquiſſet. Verùm ne in eo quidem ſeruauit fidem, cum Vuladislaus rurſum epiſcopum Cracouienſem & marſalcum ea de re ad eum miſiſſet. Relata deinde re ad ſenatum, parendum ne eſſet iniquiſsimo decreto Cęſaris, an eo ſpreto inferendum bellũ Cruciferis, placuit ad tẽpus quieſcere & expectare, ecquam priores Cruciferi, non parendo decreto Cæſaris, iuſtam belli occaſionem darẽt. Nec ea diu expectata eſt. Cum enim Cruciferi duodecim millia & quingentos aureos numos regi decreto Cęſaris ad certam diem numerare deberent, nec ſatis auri parati haberent, legati regij Ioannes Coſcelecius palatinus Vuladislauienſis, & Sbigneus Oleſſnicius ſecretarius, argentum quod in ſupplementum auri dabatur, non accipiebant: dieque lapſa, teſtati priores Cruciferos iudicatum non feciſſe, diſceſſere. Quæ res apprimè grata & exoptata regi Poloniſq;, atque etiam Vitoudo accidit. Quietæ tamen aliquandiu poſtea res fuere inter Polonos & Lituanos atq; Cruciferos. Cæterùm domi in comitijs Lencicienſibus ad uiceſimamquintam diem Iulij parum abfuit res à pernicioſa ſeditione. Infenſa erat Elizabetha regina Alberto epiſcopo Cracouiẽſi, cùm quòd is matrimoniũ eius cum rege in primis improbabat: tum quòd Ioanni filio eius, quem Vincẽtio Granouio pepererat, diploma de comitatu, quo is à rege contra leges publicas ornatus erat, non ſignabat. Cum autem non ignoraret mulier, infiniti cõpromiſsi culpam à rege in Albertum epiſcopum, Tuliſcouiũ caſtellanum Caliſsienſem, & Sbigneum Breziũ marſalcum, quos etiam alienioribus credo à ſe animis eſſe ſentiebat, reijci, mulier uindictę cupida, urgebat eam occaſionem, regemq; in eos aſsiduo incitabat: & ut ſunt efficaces ferè apud uiros mulierũ ſuaſiones atq; preces, quæ noctu & in geniali thoro adhibentur, propemodum eò regẽ perpulerat, ut Alberto indicta cauſa Cancellarij munus abrogaret: id quidem perfecit, ut in tres illos iudicium publicum in comitijs inſtauraretur. Et mortua quidem eſt regina ante diem comitiorum, publica omnium ordinum, præterquam regis ipſius, lætitia: quam ſplendidior ueſtitus omnium teſtatam faciebat. Iudicium tamen nihilominus in epiſcopum & ceteros duos, quos diximus, inſtitutũ eſt. Ibi cum propinqui & clientes Petri Viſsi epiſcopi, ueteris iniuriæ memores, frequẽtes Alberto inſultarẽt, & Bartholomæus Vulodicus gente Sulimęus, cum quo Petri fratris filia nupta erat, cauſam aduerſus Albertum dicens, acerbius in eum inueheretur: nõ tulerunt id Alberti fratres, propinqui & clientes, quorum numeroſa turba ſtipatus aduenerat: creſcebat iniurijs & cõuicijs mutuis tumultus, & ab utriſq; ad arma ſumenda, acciendoſq;

Sigiſmũdi Cæſaris præceps iracundia.

Sigiſmundi improbitas et perfidia.

Conſultatio Polonorum.

Cruciferi non faciunt ſatis decreto Cæſaris.

Comitia Lẽciciæ turbulẽta.

Regina cur infenſa Alberto epiſcopo Cracouienſi.

Elizabethæ reginæ mors omnibus grata.

Iudicium in epiſcopũ Crac. & alios duos proceres.

Iurgium in comitijs.

acciendosq; socios ex arce in oppidum decurrebatur. Rex cum primoribus in penitius cubiculum se subduxit. Quòd ni mox porta arcis clausa, & pons sublatus esset, multum ibi sanguinis effusum esset. Repressa tandem est à primoribus glisces seditio, rexq; reconciliatus reis, maximè Ioannis Tarnouij palatini Cracouiensis opera & industria. Consultatum deinde est de repub. & in primis de Boemis, an eos petentes rex in fidem suam reciperet. Nã ij victo pulsoq; Sigismundo, ad Vuladislaũ regnum deferre nunciabantur. Nondum tamen oratores eorum aduenerant. Re diligentius agitata in senatu, placuit, ut rex regnum à Boemis delatum ne reciperet, propter hæreses, quæ uariè totam Boemiam infecerãt, & propter intestina gentis dissidia factionesq; diuersas, & quòd inimicus capiendus erat Sigismundus Cæsar, ad quem regnum illud iure pertinere uidebatur: nec apertè tamẽ id refutaret, sed ambiguos legatos dimitteret ut eo metu Sigismundus in officio contineretur. Soluto conuentu Lenciensi, uenere deinde Boemorum legati: quibus quæstis de Sigismundi superbia & acerbitate, regnumq; Vuladislao deferentibus, responsum est: regem uicem eorũ dolere, ipsum quoq; multis insignib. iniurijs à Sigismundo affectũ, ut meritò Boemis, pro tam propẽsis eorũ in se studijs, auxilio aduersus eum esse deberet: sed quoniam res magna esset ac difficilis, quàm postularẽt, nolle regem quicquã de ea sine Vitoudi fratris cõsilio statuere. Hoc responso accepto, pars legatorum in Lituaniam ad Vitoudum profecta est: cæteris Nepolomicię manendi locus datus, sumptusq; suppeditati, ne in urbe propter hæreticorũ præsentiã supersederi sacris necesse esset. Indictis deinde rursus comitijs Nepolomiciã ad undecimã diem Nouẽbris legati Boemorũ (iam enim & ij qui ad Vitoudũ iuerãt, reuersi erant) præcisa apertè omni spe suscipiendi à Vuladislao regni, dimissi sunt. Reuerterunt tamen ij pòst insequẽtis anni initium, repertoq; rege unà cum Vitoudo in Lituania apud Mereciam, idem quod prius postularunt, adijcientes: sic eum facilius coniunctis Boemorum & Polonorum uiribus, & Cruciferorum & Sigismundi cõmunis hostis iniurias ulcisci posse: quod ni faceret, Boemis subactis, ne Poloniam quidem ab iniustis Sigismundi armis tutam fore. Quod ad religionem attineret, omnia se moribus & institutis Ecclesiæ catholicæ remissuros esse, quatuor capitibus exceptis. Quæ ipsa à Sigismundo quoq; cõcedi sibi postularãt, sed repulsam acceperant. Erant autem ea capita: ut sub specie panis & uini eucharistiam ipsis uulgò accipere liceret: ut libera esset cuiuis uerbi Dei prædicatio: ut publica esset facinorum correctio: & ut prædia cæteraq; bona ecclesiastica, quæ ecclesijs & sacerdotibus eripuerant, ne redderent. Quòd si Vuladislaus regnum illud abnueret, ut Vitoudus id susciperet. Diu eos Vitoudus suspensos tenuit, ostentata nonnulla spe, uel Sigismundi ulciscendi causa, se id non recusaturum. Tandemq; ad XVIII Calendas Septembris Lublini certum eis responsum regis pariter ac ducis nomine datũ est. cuius ea fuit sentẽtia: Licet ambo grauiter à Sigismundo læsi sint, non esse tamen sibi in animo, improbitate cum eo certare: scire se, Boemiã Venceslai regnũ hæreditario iure ad Sigismun-

Rex reconciliatus episcopo, &c.

Ioannis Tarnouij authoritas.

De regno Boemico suscipiendo consultatio.

Boemorũ legatio ad Vuladislaum regem.

Responsum regis Boemis datum.

Comitia Nepolomiciæ.

Boemorum legati iterum ad regem.

Boemorum postulata ad religionem pertinentia.

Responsum Boemorũ oratoribus datum.

Vuladislaus rex & Vitoudus repudiant oblatum regnũ Boem.

Sigiſmundum fratrem pertinere: meminiſſe fœderum quæ cum ipſo ſibi conſtent, quamuis non eadem fide utrinq; ſeruentur: religionem etiam ſibi eſſe, apud hæreticos regnare. Honoris autem Boemorum gratia ſe omni ratione curaturos eſſe, ut eis Sigiſmundum & pontificem max. & Eccleſiam catholicam, à qua deſciuiſſent, recõciliarent. Quòd ſi patiatur Sigiſmundus, alium eos habere regem, ſiue adeò non patiatur, modò ut illi in uiam rectæ religionis & ad ſocietatem uniuerſæ Eccleſiæ redire uelint, reipub. Chriſtianæ cauſa alterutrum de ipſis, ſi ita pontifici max. uideatur, non eſſe recuſaturum, quin id regnum ſuſcipiat. Dimiſſa cum his mandatis Boemorum legatione, miſit rex legatos ad Sigiſmundum Cæſarem, Ioannem Tarnouium palatinum Cracouienſem, & Sbigneum Oleſſnicium ſecretarium ſuum: qui commemoratis modeſtè ſuperioribus Vuladislai in eum beneficijs, illiusq; uiciſsim in Vuladislaum iniurijs, perſtare tamen Vuladislaum in amicitia, nec mutare fidem oſtenderent: peterentq; ab illo, ut cum Boemis in gratiam redire, Eccleſiæq; reconciliare clementer eos uellet: ſi ille pateretur, utranq; rem Vuladislao curæ fore: & uel armis, ſi aliter nequiret, eos ad officium reducturum, & in ditionem eius ſocietatemq; Eccleſiæ catholicæ redacturum eſſe: modò ut poſtea uiciſsim Sigiſmundus cum ipſo contra Cruciferos, ſecundum pacta conuenta, tandem arma coniungeret. Eius autem rei præſtandæ pignus interim Sileſia in poteſtate Vuladislai ut eſſet tantiſper, quoad Sigiſmundus fidem ſuam apud eum liberaſſet. Grata hęc fuit legatio Sigiſmundo, maioraq; is ultrò Vuladislao, quàm quę poſtulabant legati, obtulit: nimirum coniugium unicæ filiæ ſuæ, cuius Vngaria & Boemia hæreditaria regna futura eſſent: aut uerò Agathiæ uiduæ, quæ cum Vencelao rege fratre ſuo nupta fuiſſet, ſi magis par cõiugium ipſi placeret. Adhuc enim impubes erat filia Sigiſmundi: ei uerò uiduæ dotem fore Sileſiam, & centum millia florenorum. Hæc cum legati à Cæſare ad regem retuliſſent, miſſus eſt inde Sbigneus ad Vitoudum in Lituaniam, ut cum eo rem omnem communicaret. Res aũt ipſa reiecta eſt ad comitia Nepolomicenſia. Inde Zauiſsius Niger de ampliſsimi conſilij ſentẽtia ad Sigiſmundum de Agathiæ matrimonio conficiendo miſſus, cum Cęſarem in expeditione Boemica occupatum ſequeretur, eoq; ab hæreticis profligato, in proximum oppidũ Goram cum multis alijs ex acie ſeſe recepiſſet, oppido per proditionem ab hæreticis capto, in poteſtatem ipſorum uenit: Pragamq; ductus, per longum tempus in cuſtodia habitus eſt. Et poterat quidem ante obſidionem oppidi euadere: ſed extrema quæq; pati, quàm ſocios ſuos, & milites Cæſaris deſerere maluit. Eius igitur captiuitas diuturna impedimento fuit, quo minus matrimonium illud perficeretur. Dum hæc fiunt, Vuladislaus rex cum Friderico Marchione Brandeburgenſi, qui cum eſſet Burgrabius Norembergenſis, Marchiam à Sigiſmundo Cæſare dono acceperat, ſiue emerat, affinitatẽ iunxit, deſponſa filio eius natu maximo Friderico, unica filia ſua Heduigi. Atque is cum impubes etiã tum eſſet, in aula regia deinceps ab Helia theologo decano Sendomirienſi, & Petro Chelmio honeſto equite, honeſtè & liberaliter educatus

Poloni oratores ad Sigiſmũdum Cæſarem.

Sigiſmundi reſponſum et pollicitationes.

Comitia Nepolomiciæ. Zauiſsius orator regis captus à Boemis.

Marchia Brandeburgẽſis quomodo ad Burgrabios Norẽbergenſes peruenit.

Friderico Marchioni Vuladislaus filiam deſpondet.

educatus est. Conuenerat enim inter affines, assentiente senatu Polono (nam Cracouiæ hæc agebantur, quo Fridericus senior ea de re aduenerat) ut si Vuladislaus nullos mares liberos susciperet, regnum Poloniæ post eius mortem dotale Fridericus gener, etiam si ante nuptias moreretur sponsa, acciperet: Marchiamq; paternam suam ditionem, quæ à Polonia quondam abscisa esset, iure sempiterno, quemadmodũ Dlugossus prodit (tametsi hoc in pactis disertè scriptum non est) eidem rursus adiungeret. Si quas uerò alias filias rex relinqueret, eas Fridericus elocaret. Sin filium hæredem rex relinqueret, centum millium aureorum Vngaricorum puellę dos esset, intra duos annos post consummatum matrimonium exoluenda. Quæ tamen Heduigi defuncta ad regem & regnum rediret, si Fridericus ex ea nullos liberos suscepisset. Quod si Fridericus dote non accepta è uiuis excederet, Heduigis tamen nihilominus, quoad uiueret, in Marchia certorum prædiorum atque bonorum ducentis millibus aureorum æstimatorum usumfructum haberet. Pollicebatur autem Fridericus pater Vuladislao magna aduersus Cruciferos auxilia, quoties opus esset. Sed ea cum ex pacto paulo pòst posceretur, negauit in eum annum se mittere posse: persuasitq; regi, ut in sequentem annum bellum Crucifericum differret, quòd diceret, initurum se esse rationem, ut Cruciferi ultrò imperata regis facerẽt, & uel culinarium eius currum ducerent. Accessit etiam, ni fallor, ad prorogandas indutias Pontificis maximi authoritas, apud quem tunc causa inter regem & Cruciferos, Paulo Vuladimirio custode & canonico Cracouiensi negocia regis Romæ gerente, disceptabatur. Et uenit quidem sequentis anni, qui fuit à Christo 1422, initio legatus Pontificis Antonius Zenus iurisperitus, uir integer & incorruptus, siue ad cõponẽdas res inter dissidentes Polonos & Cruciferos, siue ad cognoscendã diligentius causam, & audienda utriusq; partis testimonia, describendaq; monimenta: secutus autẽ is est regẽ in Lituaniã. Nam ibi tunc ille incõsulto senatu Polonico quartas nuptias cum Zonca Russa, cui Sophiæ postea nomen fuit, Andreæ Kiouiensium ducis et sororis Vitoudi filia, celebrabat. Id uerò matrimonium sine dote Vitoudus, nequicquam aduersantibus Polonis, qui cum rege erant, conciliauit: usus illa occasione, quòd Zauissio capto, nihil ad eam diem cum Cæsare constitutum erat.

Pacta publicè conuenta inter regem & Marchionem Brandeburgensem.

Friderici Marchionis ingentia promissa.

Inducię cum Cruciferis.

Paulus Vuladimirius.

1422 ann.

Legatus apostolicus Antonius Zenus.

Quartam uxorem ducit Vuladislaus.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER XIX.

REVERTENTI è Lituania regi, legatus ducis de Monte, cuius ditio ultra Rhenum Burgundiæ finitima erat, quemadmodum scribit Dlugossus, occurrit, orans ut eum ducem rex in fidem & clientelam suam susciperet. Sed ei responsum est: neq; regi, neque duci eam rem, propter tantam loci inter eos intercapedinẽ, commodo esse posse. Cum autem esset rex in Polonia, poposcit ordinem ec-

Dux de Monte non susceptus à rege in clientelam.

Contributio à pontifice concessa regi, à clero negata.

clesiasticum quinq; millia florenorum, quæ ei pontif. max. exigenda concesserat. Verùm ea de synodi sententia negata sunt, ne quid eiuscemodi in consuetudinem ueniret, & quòd nullum tunc rex bellum aduersus hæreticos Boemos gerebat. nam in eum usum pontifex eam exactionẽ indulserat. Bellum deinde regi cum Cruciferis præter omnem opinionem exarsit. Nauiter operam dabat causę disceptandæ Zenus legatus: & iam finis inducíarum inter regẽ & Cruciferos appetebat. Egit ergo legatus cum utrisq; de prorogandis inducijs: eoq; rem perduxerat, neutris recusantibus, ut eæ conuenirent, ni fraus Cruciferorum deprehensa esset. Offensus enim iniquitate Cæsaris Vitoudus, Sigismundum Coributhum fratrem cum non contemnendis Polonorum & Lituanorum copijs, in Boemiam ad recipiendum ac defendendum aduersus eum gentis illius regnum, haud multo antè miserat, si non annuente, certè non aduersante rege. Id cum ægerrimè ferret Cæsar, Cruciferos ad inferendum Polonis bellum incitabat: & ut facilius incautos fallerẽt, suadebat ut inducias nõ abnuerent: illa duntaxat conditione in pactis adiecta, ut eatenus eę firmę essent, quatenus ipsi quid aliud siue à pontifice max. siue à Cæsare in mandatis non haberent. Ea de re cum Cęsar aliquot hominibus habitu mendicorum ornatis literas ad Magistrum Cruciferorum perferẽdas dedisset, unæ ex his inter uestes mendici apud Coninum fortè mortui inuctę, dolum detexerunt. Itaq; cum Cruciferi in inducijs pontificis siue Cęsaris authoritatem disertè exciperent, re infecta, & arguta euidenter à nostris Cruciferorum fraude, irritatis'que animis discessum est, bellum'que magna celeritate & ingenti animorum ardore comparatum. Intra paucos dies cunctę copiæ è Polonia, Russia, & Lituania, quò iussæ sunt, conuenêre. Interim autem Zenus cum cognitioni causæ apud Vuratislauiã insisteret, mandato pontificis importunitati Cæsaris concesso reuocatus est. Suspecta enim eius fides et integritas Cruciferis esse cœperat. Ingressus autem rex hostilem terrã, composito agmine, perinde ac si hostes in conspectu essent, incedebat: & habebant ij sanè supra triginta millia equitum paritér atq; peditum. commissuri'q; erant rem uniuersæ dimicationis discrimini, ne uastari sua sub oculis suis paterent: nisi Cõradus Nemcius Silesius, uir scientia rei militaris præstans, temeritatem eorum qui cũ tanto exercitu pauci dimicare uellent, redarguisset. Erant enim supra centum millia bellatorũ in castris regijs. Itaq; Cruciferi mutato consilio ad tutandas munitiones dilapsi sunt, relicta aliquanta manu ad prohibẽdum nostris Deruancię amnis transitum. Sed ea facile à nostris pulsa est, cæsis captisq; compluribus. circũ castella deinde & oppida nostri arma circumtulere: Risemburgum, quod Vambreznũ nostri uocãt, ubi cathedra ac domicilium erat Culmẽsis episcopi, & Golubum, oppida cępere, diripuere, & incendere. Duæ Golubo arces imminebant: ex his inferiorem præsidiarij milites Cruciferorum ipsi incenderunt, quo facilius superiorem defenderent: & equos suos, ne prædę Polonis essent, interfecere. Sed superiore quoq; Poloni, cum machinis eam quassassent, per deditionem potiti sunt. Præsidiarij omnes, qui supra quadringentos fuerunt, cũ quinde-

Coributhus cũ exercitu in Boemiã profectus.

Sigismundi Cæsaris conatus.

Antonij Zeni integritas.

Conradus Nemcius.

Regius exercitus.

Vambreznum olim sedes episcopi Culmensis.

Golubum oppidum, & arces duæ.

quindecim Cruciferis in uincula coniecti. Ibi dum rex castra habebat, ue nit ad eum Corbauiensis episcopus, legatus à Cæsare, petens, ut Coribu thum è Boemia reuocaret, Cruciferos ne bello uexaret. Si quid ij deli quissent, iure cum eis apud Cæsaris tribunal, cui illi subiecti essent, age ret: quod si iniquitate sententiæ Cæsaris offenderetur, Cæsarem, si quid eiusmodi esset, correcturum esse. Si qua alia iniuria læsum se esse à Cęsare arbitraretur, Polonis & Vngaris proceribus rem disceptandam secun dum fœdera permitteret. Ad hæc sic ei responsum est: quod ad Crucife ros attineret, Regem satis perspectam habere fidem & æquitatem Cæsa ris: pariturum tamen eum fuisse eius decreto iniquissimo, nisi Cruciferi priores id contempsissent. Deinde prorogaturum quoque nihilomi nus inducias cum eis fuisse, ni subleſtam fraudem ex literis Cæsaris de prehendisset. Illud etiam quale esset, quod Cæsaris opera Antonij Zeni, legati pontificij, incorrupti uiri iudicium intercepisset. Itaque necesse re gi armis sua repetere, quando aliter non posset. Coributhum non regis iussu in Boemia cum exercitu esse. Intulit mox Vitoudus: à se eum illuc missum esse, ut Cæsaris iniurias & uiolata fœdera ulcisceretur: futu rum que ibi esse deinceps etiam, ut intelligeret Cæsar, quos homines sub specie amicitiæ dolis falleret. Cum his responsis dimissus legatus. Non intermittebant interea nostri, populabundi hostiles agros longè lateq; disperſi infestare. Fortè quadringenti Valachi expediti (tot enim palati nus regi in auxilium miserat) sub Marieburgo prædas agebant. In eos Cruciferi magno numero ex arce effusi, impetum fecerũt. Valachi ueni entium contra se hostium multitudine animaduersa, in proximam syluã se recipiunt, ex equis desiliunt, non insueto genere pugnandi pedestres inter condensas arbores sese defensuri. Descendunt & Germani hostes, ut latitantes, quemadmodum opinabantur, è latebris extraherent. Sed mox denso sagittarum imbre à Valachis obruti, cæsis captis ue primis, fugam capessunt. In fuga quoq; à persequentibus Valachis non paruam cladem accepere. Victores Valachi cum præda & captiuis in castra re uersi sunt. Alia quoque non minori clade per idem tempus Cruciferi in ter Orlouiam & Murinouiam pagos profligati sunt ab Andrea Brocho cio præfecto Brestensi, gente Ossorio, non magis uiro forti, quàm pio atque religioso. Erat is cum Matthia Labissinio Brestensi, & Ioanne Co scelecio Inouuladislauiẽsi, palatinis, & cum omni nobilitate Cuiauiensi, relictus à rege ad prędidiũ eius orę cum summo imperio, ne quid à Cruci feris ibi moueretur. Indignati uerò palatini, sibi eum prælatum esse, do mos cum clientibus suis per speciem comparandi commeatus recesse rant. Perstitit in castris Brochocius, nihil ea discessione deterritus, dili gentius que seruabat excubias quoquouersus dispositas. Erant in præ sidio Nessouię octingenti equites Cruciferorum: ij ut incautos Polonos opprimerent, silenti agmine circumuecti, à tergo, ubi nullas rebantur seruari excubias, noctu eos adorti sunt. Sed non fefellere tamen. Et ulti mas quidem excubias securas oppressere: uerùm à secundis ad tertias, & inde in castra clamor perlatus, Brochocium cum suis exciuit. Armis ra

Legatio Cæsaris ad regem Vuladislaum.

Responsum regis.

Vitoudi responsum.

Valachorũ auxilia ad bellum Prussicum regi missa.

Valachorũ uictoria de Prussis.

Andreas Brochocius.

Nessouienses præsidiarij fusi à Brochocio.

ptim correptis, hosti septa castrorum cõuellere iam incipienti intrepidè occursum est, commisso'que prælio (& lucebat fortè luna) cessit nostris uictoria: dissipati fuga hostes, cum per ignota sibi loca syluas'que errarent, agrestibus prædæ fuere per subsequentes dies. Magnus'que fuit numerus captiuorum, in quibus commendatoris Torunensis uicarius, ac duodecim Cruciferi fuerunt. Nam commendator ipse fuga elapsus est. Rex Golubensi arce potitus, ad Coualouiam, quam Germani Schonese uocant, castra mouit: & in arcis illius oppugnatione nonnihil incommodi accepit. Nam oppidum ipsi Cruciferi succenderant. Captus cum paucis Dobrogostius Camenensis castellanus, per cuius incuriam Drahimum haud multo antè interceptum erat à Germanis militibus in Prussiam contendentibus. Tametsi intra paucos dies arx ea à nostris recuperata fuit, Pauli Venzici Germani opera: qui cum esset inter præsidiarios hostium, Polonos clàm noctu cassibus uenatorijs in arcem sustulit: à quibus mox præsidium hostile deiectum est: Paulus perpetuo censu donatus à rege in salinis Veliciensibus. Omissa Coualouiæ oppugnatione, ad Toruniam rex duxit. Fortè didicerat ab exploratoribus, Cruciferos non contemnendas copias coegisse: quanquam non habebant ij in animo, aperto prælio cum rege manus conserere, sed occasionem & opportunitatem bene rei gerendæ captabant. Contra hos ergo sexdecim Polonorum, totidem'que Lituanorum uexilla misit. Sed priusquam in conspectum uentum est, hostes aduentu nostrorum cognito, fuga dilapsi sunt. Rex cum pestem grassari Toruniæ accepisset, contagionem metuens, mutato consilio, uastatis modò suburbanis, in Culmense territorium exercitum reduxit, ut id siue peruastaret, siue in potestatem suam redigeret. Interea Cruciferi, & ipsi inauspicati belli pertæsi, & nobilitatis oppidanorum'que suorum clamoribus & querimonijs defatigati, legatos ad eum de pace miserunt, non difficulter impetratum: pacis leges supra Ossam fluuium & apud Melnum lacum in castris conscriptæ: inter quas erant præcipuę, ut rex Galardi & Petri iudicum à pontifice maximo delegatorum decretum: magister uerò Cruciferorum, Prussiẽsium quidem Paulus, Liuonienſium uerò Sifridus, pacta Torunensia & Sigismundi Cæsaris decreta duo ex compromisso lata repudiarent: Samagitiam, Sudos, Nessouiam, arce tamen ab ipsis diruta & materia asportata, rex haberet, item'que dimidium Vistulæ & nauli apud Toruniam: Cruciferis uerò redderet, quicquid de ijs tunc cœpisset: præteritæ omnes iniuriæ obliterarentur. Quod si utriuis bellum renouare uellent, ut subditis eorum impunè liceret dominis suis nullam opem ferre. Pecuniam quoque certam regi Cruciferi numerare debebant: quanquam hoc monumentis literarum mandatum non est. Hæc ita conuenta, Eberhardus quoque generalis Cruciferorum Magister literis suis comprobauit. Nec tamen rata fuêre. Nam discedente rege, non impleuerunt Cruciferi promissa: ita iubente Cæsare. Vnde cum iritatio animorum inter principes maiores motus parturire uideretur, Vngarorum proceres conuentum cum nostris expetiuere: nec difficulter impetrarunt,

Coualouia Schonesc.

Drahimum captum & receptum.

Cruciferi pácẽ petũt à rege, et impetrant.

Pacis apud Melnum factæ conditiones.

Pax infecta iussu Cæsaris.

runt,ut ad Kesmarcum oppidum delecti à rege de sententia comitiorum secum conuenirent. Ibi constitutum,ut ad medium Quadragesimæ anni sequentis ipsi inter se Cæsar & rex conuenirent: & proceribus Vngaris & Polonis arbitris, quemadmodum erat in fœdere, de iniurijs mutuis disceptarent: Cruciferorum quoque legati cum luculentis mandatis ut adessent. In eo uerò conuentu cum Nicolaus Tramba archiepiscopus Gnesnensis mortuus esset,successor ei Albertus Iastrembecius,quamuis reluctans,rege authore datus est. Post eum uerò Sbigneus Olesnicius, aduersante primùm, deinde uerò fauente & adiuuante Vitoudo (nam in Lituania tunc rex erat) Cracouiensis episcopus factus est. Congressi deinde Cæsar & rex ad præstitutam diem apud Staresolum, cum de iniurijs mutuis inter se audientibus proceribus expostulassent, pacem inter se renouarunt: Cruciferi quoque pacta conuenta apud Melnum lacum seruare iussi, dicto audientes fuerunt: & controuersa quædam pactorum conuentorum capita, ad mercaturam & commercia pertinentia, conuentu cum Polonis apud Nessouiam instituto, explicarunt. Reuocatus deinde est à rege Coributhus è Boemia, ubi non contemnendas uires habuerat,& authoritatem sibi apud Boemos,præter Ziscę factionem comparauerat: Pragensem ciuitatem lenitate cum seueritate mixta in meliorem formam, quemadmodum inquit Æneas Syluius, redegerat: arcemque munitissimam, cui Carlisteno fuit nomen, sex totos menses frustra obsederat, & cum Sigismundi copijs leuibus prælijs aliquoties prosperè fermè dimicauerat. Reuersus inde,cum Dobrinensem dominatum à Polonis non impetraret, solicitabat animos multorum ad res nouas. Qua re magnum sibi odium apud regem & proceres conflauit. Missi deinde à rege,Sbigneus designatus episcopus,Sendiuoius Ostrorogius palatinus, & Dobrogustius castellanus Posnanienſis, & Stanislaus Ciolcus procancellarius, ad regundos fines cum Crucigeris in Samagitiam, certis signis Samagitiam à Cruciferorum ditione diremerunt. Nihil præterea memorabile eo anno gestum, nisi quòd proceres cum nobilitate in comitijs Vartensibus,rege absente, leges quasdam condidere. Insequenti autem anno,qui fuit millesimus quadringentesimus uigesimusquartus, duodecima die Februarij,Sophię reginę diadema solenni ritu impositum est. Quam celebritatem præter Polonos & Lituanos proceres,Sigismundus Cæsar cum Barbara uxore, Ericus rex Danorum,qui tunc fortè Hierosolyma religionis ergò iter habebat, Branda cardinalis cognomento Placentinus, legatus pontif. max. Iulianus Cæsarinus auditor cameræ Apostolicæ, qui postea Cardinalis fuit,Ludouicus Bauarorũ,Zemouitus, Vladislaus,Cazimirus & Alexander fratres Masouiorum,Bernardus Oppoliẽsium, Boleslaus Cesinensiũ,Ioannes Ratiborienſium, Cazimirus Osuẽcimensiũ, Venceslaus Oppauiensiũ,duo Conradi albus & niger Cozlensiũ, Venceslaus Zeganensiũ,Coributhus Vitoudi frater,duces, itẽq; Elbingẽsis & Torunẽsis cõmendatores,nomine magistri Cruciferorũ Pauli Rusdorfi,cohonesta rũt. Vitoudus uenire noluit,nescio qua de causa infensior reginę factus.

Vngarorum et Polonorũ procerum conuentus apud Kesmarcum.

Albertus Iastrẽbecius archiepiscopus Gnesnẽ.

Sbigneus Olesnicius episcopus Cracouien.

Sigismundi Cæsaris & Vuladislai regis congressus.

Pax renouata inter Cæsarẽ et regem.

Cum Cruciferis pacta nouata.

Coributhus è Boemia reuocatus.

Fines reguntur inter Prussiam & Samagitiã.

Comitia Vartæ absente rege. 1424 ann.

Sophia regina coronata.

Principum cõuentus Cracouiæ.

Legatus apostolicus.

Tentatum est in illo conuentu à principibus, de Heduigi regis filia Boguslao duci Stolpensium, Cæsaris necessario, in matrimonium collocanda: cum Vuladislaus non obscurè alienum à Friderico marchione, cuius filio ea desponsa erat, animum præ se ferret, propterea quòd is auxilia nulla ex pacto ipsi ad bellum Crucifericum miserat. Sed nihil tamen ea de re impetratum est, dissuadentibus regi proceribus, fidemq; rebus omnibus potiorem ducentibus. Dissuasit & Vitoudus absens, apud quem tunc Fridericus iunior educabatur, cum res tota ad eum à rege reiecta esset, Cęsar'que & reges ad ipsum ea de re oratores allegassent. Accesit etiam Pontificis authoritas postea, qui Fridericum è sua familia Columnensi originem ducere profitebatur. Effectum autem est in eodem conuentu, adnitente maximè Cardinali, ut rex Vuladislaus, Cæsari, præter uoluntarios, qui certatim crucis militiam à pontifice promulgatam amplectebantur, quinque millia equitum ad bellum contra Boemos hæreticos promitteret. Acta & alia nonnulla in secretis colloquijs. Post quintumdecimum tandem diem reges & principes liberalissimè & magnificentissimè habiti, suas quisque domos discessere. Vuladislaus rex Visliciam profectus: ibi eum legatio Boemorum conuenit, petens, ut quando ipse Vitoudus'que nollent, Coributhum sibi regem mitteret. Probauerat enim is priore expeditione Boemis industriam, uirtutem ac diligentiam suam. Non modò negatum, sed bellum quoque denunciatum Boemis, ni hæresim abijcerent, & Romano pontifici dicto audientes essent. Profectus est tamen iterum ad Boemos Coributhus, rege inscio, cum aliquanta facinorosorum & obæratorum hominum manu, quæ ad eum confluxerat. Quamobrem suspicionem Cæsaris, multorum'que præterea uitare Vuladislaus non potuit, quamuis promissa equitum auxilia duce Petro Meziuezio Cæsari misisset. Quin ea quoque, cum per Morauiam iter facerent, & suspecta se esse ijs, quibus suppetias ibant, haud obscurè animaduerterent, oppidis'que excluderentur, uerita necubi opprimerentur, in Poloniam ab Olomucio reuertêre. Hoc anno natus est Vuladislao filius, pridie Calendas Nouembris, ingenti patris lætitia: & post quartum demum mensem religioni Christianæ ritu solenni initiatus, Vuladislai nomen accepit. Adfuerunt autem ei cerimoniæ, Pontificis maximi, Cæsaris, Venetorum & Mediolanensium ducum, & nonnullorum aliorum principum à rege inuitatorum legati, cum amplis donis puerperæ allatis. Vitoudus uerò argenteas cunas centum pondo puero misit. Remisit autem uicissim Vuladislaus omnibus munera. Aduenit postea legatus pontificis Latinus Vrsinus cardinalis episcopus Hostiensis, afferens regi dono unum de clauis, quibus CHRISTVS IESVS author salutis nostræ cruci affixus fuit. Acceptus est summo cum honore ueniens Cracouiam, multitudine omni cum sacerdotibus & monachis obuiam effusa: clauus'que sacer, uoluntate regis in basilicam Cracouiensem illatus, ubi in hanc usque diem asseruatur. Nihil præterea memorabile gestum duobus illis annis, nisi quòd pestis Poloniam

Rex alienatus à Friderico marchione.

Marchiones Brandenburgenses gentiles Columnensiũ.

Coributhus ad regnum à Boemis uocatur.

Boemorum repulsa.

Coributhus ad Boemos profectus.

Vuladislaus misit auxilia Cæsari contra Boemos.

Vuladislaus filius Iagelloni natus.

Legatus pontificius in Poloniam.

niam & Lituaniam peruagata est, ita ut rex cum regina & Vitoudo in syluis degere cogeretur: ubi cum uacaret uenationi, casu crus fregit, in quo curando menses aliquot Crasnistauiæ absumpsit. Anno uerò 1426, ad Pentecosten Lenciciæ comitia habita. Ad ea rex per Masouiam proficiscens, Zemouitum seniorem ducem in gratiam recepit, cum is ipsi primùm per filios, deinde per se ipse satisfeciſſet de eo, quòd insimulatus erat, quasi in potestate regis esse nollet. Cui quidem suspicioni Stanislaus Pauulouius archidiaconus Plocensis occasionem dederat, cum is fortè anno superiori in synodo Lencicienſi, in qua de uiginti millibus florenorum regi pontificis max. iussu ab ordine ecclesiasti co conferendis frustra actum est, negasset mandatum illud pontificium ad Plocensem diœcesim pertinere, quòd in ea ac in tota Masouia rex nihil prorsus iurisdictionis haberet. Atque id de sententia ducis, cuius erat Cãcellarius, & cuius authoritate non multo pòst Iacobo episcopo mortuo, Plocensis episcopus designatus erat, dixisse uidebatur. In comitijs uerò Lencicienſibus permissum Cruciferis, importunissimè efflagitante Vitoudo, ut moletrinam Lubicensem, quam ex pactis conuentis demoliti erant, instaurarent. Missi ea de re legati ad Vitoudũ, Sbigneus episcopus Cracouiensis, Domaratus castellanus Biecensis, Petrus Saffranecius succamerarius Cracouiensis, & Nicolaus Dreuicius scriba regius, ducem de temeritate promissi & importunitate grauiter obiurgarunt. Prę se ferebat enim Vitoudus, nisi id precibus suis datum esset, se Dolangense territorium in Samagitia ad mare uergẽs, Cruciferis donaturum esse. Alia res magna in ijsdem comitijs à rege tentata, sed non impetrata est: cum is promissa eam ob rem in superioris anni comitijs Brestensibus, nõ præstaret. Promiserat autem, confirmaturum & aucturum se nobilitatis libertatem & prærogatiuas, stationes ecclesijs & monasterijs remissurũ, Cuiauienses autem auenæ pensione liberaturum, si filium suum anno superiore natum, regẽ post se designarent: conueneratq́, ut ijs de rebus rex in proximis futuris comitijs, diplomatis in singulos tractus siue palatinatus datis, diligẽter caueret. Verùm is mutato, suasu Cæsaris, consilio, cũ negaret id se facturum esse, consurgens omnis senatus, diploma suũ quo regi de filio promittebat, à Sbigneo episcopo, cuius fidei concreditum fuerat, receptum, magno cum fremitu ac tumultu rege inspectante concerpsit. Sic re infecta conuẽtus ille solutus est. Alia tamẽ uia rex id quod cupiebat, postea perfecit, cum singulos senatores priuatim, quemadmodũ Cæsar monuerat, prensasset, & à singulis chirographa exegisset: itẽq́ à ciuitatibus, & plerisq́ conuentibus nobilitatis, præsertim Russię et Podolię. Perpauci de proceribus reperti, qui maiorem reip. quàm priuatorum commodorũ suorũ & gratiæ regiæ rationẽ ducerent. Natus autem est eo anno regi alter filius Cazimirus, & intra annum uertentem mortuus. Porrò Vitoudus conducto è Polonia magno numero mercenariorum militum, fecit eodem anno expeditionem in Pscouenses Russos, liberos tunc, sed postea in ditionem Moschorum redactos. Nec ea expeditio satis prospera ei fuit initiò, quippe quę nulla iusta de causa suscepta esset;

Vuladislaus rex crus fregit.

1426 ann.

Zemouito Masouio rex recõciliatus.

Synodus Lenicicię.

Comitia Lenciciæ.

Lubicensis moletrina.

Vitoudi temeritas et importunitas.

Vuladislaus laborat, ut filius suus infans rex designetur.

Senatus regij factum insigne.

Cazimirus filius Vuladislao natus & mortuus.

Vitoudi bellum in Pscouenses.

esset: perennibus ferè pluuijs madente humo, per se etiam uliginosa, ita ut neq; progredi commodè exercitus, neq; pabulari posset. Ad extremũ tamen Pscouenses magna ui auri & argenti, infecti pariter & signati, pacem redemerunt. Vuladislaus uerò per idem tempus de nobilitate Russica suę ditionis quinq; millia equitũ, duce Ioanne Cobilenio, gente Grimalio, præfecto Sanocensi, in auxilium Sigismundo Cæsari contra Turcas misit. Qui ad Brailouum usq; (quod oppidum ad confluentem Serethi ac Danubij fluminum, in extremis Valachiæ & Moldauiæ transalpinę finibus fuit) longũ iter emensi, duos menses in eo loco cãpestri unà cũ Valachis (qui & ipsi ex fœdere iussu regis præstò fuerunt) castra habuere, dum Cæsarem ultra constitutum tempus expectant. Vbi uerò non uenturum esse, Boemicis rebus impeditum, intellexerũt: pacato agmine, quemadmodum profecti domo erant, reuertêre. Detrectarant nõnulli de Russis eam militiam, proptera quòd quinæ marcę in hastas ex Ludouici regis sanctione sibi nõ dabantur: eos rex carcere diu turno coercuit, et bonis multauit. Sed remisit pòst omnibus multam, rogatu procerum: Aduocatiam modò Crosnensem retinuit. Mortuus est eo anno Zemouitus dux Masouiorum, relictis quatuor filijs, & quinque filiabus. Ac filij quidem sic inter se paternum dominatum partiti sunt, ut Zemouito Rauensis, Vuladislao Plocẽsis, Cazimiro Belzensis ditio cederet: quartus Alexãder exors patrimonij, sacris initiatus, archiepiscopus Tridentinus, & postea Cardinalis fuit. De filiabus uerò Cimbarca Ernesto Austriorum duci nupsit, de qua Fridericus tertius Cęsar natus est: Eufemia Venceslao Cesinensiũ: Cunilia Boguslao Stolpensium duci: quarta Ofca, quæ eadem Agathia est, Michaeli duci, qui Sigismundi, Vitoudi fratris, filius fuit: quinta innupta obijt. Lascaris quoque episcopus Posnanensis eodem anno mortuus, longam & pernicioſam successoribus, Miroslao Nalencio iurecõsulto ac datario Apostolico, & Stanislao Ciolco poetæ, procancellario regni, litem reliquit: cum hic sacri collegij suffragijs, & regis authoritate, ille pontificis prouisione niteretur; & Miroslaus quidem consecratus, possessionem tamen bonorum adire inuito rege non potuit. Stanislaus uerò omnia bona episcopi in potestate sua habuit, quanquam non nisi post biennium episcopus à pontifice renunciatus, Miroslao uita defuncto. Lascarem haud multo pòst Ioannes Pella, Vuladislauiensis episcopus, qui ante duos annos Ioanni Cropidloni successerat, secutus, Ioannem Saffranecium decanum Cracouiensem & Cancellarium regis habuit successorẽ. Insequens annus nulla ferè alia re, quàm probro reginę, memorabilis est. Eius uerò author Vitoudus fuit: qui siue odio reginæ, siue cupiditate regni, quam apertius postea præ se tulit, stimulatus, seu denique rumoribus hominum uulgatis permotus, augente suspicionem in decrepita regis ætate tertio, quod instabat, regiæ puerperio, cum omnibus minimè mali regis actionibus moderaretur, facile credulum hominem, ut in pudicitiam reginæ inquireret, induxit. Captæ duæ puellæ, pedissequæ reginæ, Catharina & Elizabetha sorores Sciucouiæ, quæ omnium esse conscię uidebantur, terrore tormentorum

Russi et Valachi in auxiliũ missi Cæsari cõtra Turcas.

Serethus fl.

Russi contumaces coerciti à rege.

Zemouiti ducis Masouiorum mors & liberi.

Alexander Masouius Tridẽtius Archiepiscopus & Cardinalis.

Cimbarca Friderici tertij Cæsaris mater.

Lis de Posnanensi episcopa.

Rex contempsit prouisionẽ regiam.

Ioannes Saffranecius episcopus Vuladislauiensis.

Inquisitio in pudicitiã reginæ.

torum adhibito, confessæ sunt de libidinibus reginæ: sed uerè ne, an falsò, incertum est. Editi nominatim, cum quibus illa rem habere consueuisse diceretur, Hincia Rogouius, Petrus Curouius, Laurentius Zaremba, Petrus Crasca, Ioannes Conespolius, Petrus ac Dobeslaus Scecocinij. De quibus tres ultimi re intellecta profugerunt: reliqui indicta causa proceribus, qui cum rege Grodlum (ubi hæc agebantur) à Vitoudo euocati uenerant, partim gratia, partim metu assentientibus, in carcerem coniecti, pedissequæ in Lituaniam relegatæ, maritos ibi postea nactæ sunt. Regina non audita, plena mœroris ex tam insigni infamia, Cracouiam remissa est. Remittebatur in Lituaniam asseruanda in custodia, ni Poloni proceres, & in primis Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis, cuius magna tunc erat authoritas, dissuasisset. Is enim, cum id à rege clàm agi ex apparatu curruum, & mox ipsius confessione cognouisset, percontatus est regem, quid pueris ex ea natis facturus esset: cumq; rex, secum eos fore, & in spem regni educatum iri, respondisset: Apage, inquit Tarnouius: tu ne reges nobis relinquere uis, quos ipse, dum matrem ipsorum probro afficis, pro tuis liberis non agnoscis? Cæterùm senatus frequens eò rem perduxit, ut regina se suo ipsius, & septem honestarum & nobilium fœminarum iureiurãdo purgaret. Iurarunt cum ea, Catharina Nicolai Michalouij Sendomiriensis palatini uxor: Cochna, quæ cum Iacobo Conespolio Siradiensi: Heduigis, quæ cum Ioanne Glouacio Masouiæ, palatinis: Anna, quæ cum Sbigneo Brezio marsalco: Clichna, quę cum Nauoio Mocrisio nupta fuerat: Helena Pauli Bogumilouicij iudicis uxor, & Helena Cotca uirgo. Iudicium deinde in Ioannem Strassum à regina efflagitatum est, quòd is princeps hunc de ipsa rumorem apud Vitoudum & Germanos sparsisse diceretur: atque is neque confessus, neque conuictus, cum se etiam decreto Petri Vidauij iudicis Siradiensis, cui rex cognitionẽ eius causæ mandarat, iureiurando purgasset, & accusatores ad singulare certamen prouocaret, in carcerem tamen à rege coniectus est Sendomiriæ: ubi parum abfuit, quin fumo & uapore prunarum illatarum enecaretur. Sed hoc posterius, mortuo demum Vitoudo accidit. Tunc aũt non multo pòst regina filium peperit, cui Andreæ Cazimiro nomen fuit. Erat Cracouiæ Henricus quispiam Boemus, insignis astrologus: hic infantẽ recens natũ, longæuum, sed infelicem fore, Poloniamq; multis ac magnis malis atque calamitatibus eo regnante afflictum iri, ex astris prædixit: fratrem uerò eius Vuladislaum, clarissimum atque uictoriosissimum futurum, & ni fata longiorem ei uitam inuiderent, multis gentibus imperaturum. Quæ utraque euentus postea comprobauit. Post hæc reginæ infamia conquieuit. Sed tamen res ea dissidij, quod deinceps inter regem & Vitoudum accidit, seminarium fuit: id uerò dissidium gliscens, Sigismundus Cæsar tertio deinde anno maleuolentia quadam ductus, maximè inflammauit. Cum enim subolfeciſſet, subiratum esse regi Vitoudum, conciliandum esse eũ sibi existimauit, de cuius consilijs regem totum pendere non ignorabat, ut uel committeret eos inter se, uel facilius ipse regem simplicem circumscriberet.

De reginæ adulterio rei.

Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis.

Reginæ purgatio.

Ioannes Strassius ob insimulatam reginam in carcerem iniectus.

Andreas Cazimirus filius Vuladislao regi natus.

Vaticinium astrologicum de filijs regijs.

Sigismundi Cæsaris maleuolẽtia.

Vuladislaus Vitoudi consilijs nitebatur.

scriberet. Itaq; colloquium utriusque expetiuit: uerùm id, Turcico bello implicatus, in tertium annum distulit. Duxit autem exercitum in Turcas
1428 ann. insequenti anno, qui fuit à Christo nato, millesimus quadringentesimus uigesimusoctauus: qui Golubeciam arcem, à Rascio quodam Turcis, cum ipse emere eam nollet, paruo uẽditam, armis recuperaret: siue adeò,
Turcis bellũ facit Sigismũdus Cæsar, euẽtu nõ satis prospero. quo belli Turcici prætextu cessationem suam à bello Boemico Martino pontifici max. id urgenti, quemadmodum scribit Dlugossus, excusaret. Sed priusquam ad congressum cum hostibus ueniret, retro se, transmisso raptim Danubio cum magna parte exercitus, ad tutiora loca in Transyluaniam recepit: proditis hosti reliquis, quos naues capere non potuere;
Zauißij nigri præfecti Scepusiensis mors. in quibus fuit Zauissius Niger præfectus Scepusiensis, de Boemorũ captiuitate dimissus: qui submissum à Sigismundo lembum ascendere noluit, mauolens fortiter occumbere, quàm turpiter socijs proditis fugere. Quare adacto calcaribus equo, in confertissimos hostes irruit: & multis præclaris operibus editis, ad extremum conglobatis circa eum Turcis, uiuus captus. & cum pro magno munere ad tyrannum uir robore corporis, oris dignitate, & auratis armis insignis duceretur, controuersia inter duos barbaros orta, ab utro captus esset, ab imbecilliori desecto capite uitam finiuit: uir in omni uita belli pacis'que artibus clarissimus, & sempiterna memoria dignus. Per idem uerò tempus Vitoudus, Polonis militibus, quos multos circum se & præstantes habebat, partim
Nouogrodẽses pacem à Vitoudo redemerũt. uoluntarios, partim stipendio proposito euocatos, Nouogrodensibus Russis, libero populo, prætextu controuersorum finium bellum intulit: superata'que præter spem eorum difficultate itineris, cum ad Opolscam castra haberet, supplicibus & ingentia dona afferentibus pacem dedit. Fuerunt autem in ea expeditione de Polonis insignes in primis, Cazimirus dux Masouiorum, Vincentius Samotulius castellanus Medirecensis dux copiarum, Iacobus Cobylanius, Ioannes Cizouius, Mesciugus Scrinnius, Nicolaus Brezius, Zicus Cadlubius, Matthias Vscius, Ioannes Sciecocinius, Ioannes Lopata Calinouius, Iacobus Precora Morauianius, Nicolaus Sepinius. Viguisse autem in primis in toto illo exercitu disciplina militaris memoratur, Vitoudi seueritate sancita: prçter quòd confecto bello & tunc, & aliâs solebat is relictis copijs in hostico, domum uxoris & uoluptatum desiderio præcurrere. Vnde cum sine duce & ordine redirent Lituani, impeditis locis nonnunquam incommodo afficiebantur. Sed unde digressi sumus, reuertamur. Exillo igitur inauspicato bello Turcico reuersus Cæsar, Vuladislaum regem incusare, quod is promissa sibi auxilia non misisset (quæ tamen ille superiori anno frustra miserat) & maiori in eum odio exardescens, urgere consilium illud suum de adiungendo sibi Vitoudo: colloquium'que efflagitare, nec difficulter id impetrauit. Dies dicta conuentui apud Lu-
Masouij duces iurant in uerba regis Polonorum. scum, ad sextam diem Ianuarij sequentis anni. Interim filij Zemouiti Masouij, superiore anno defuncti, uenientes ad regem Sendomiriam, solenni ritu in uerba eius iurarunt. Et intra paucos dies Ioannes patruus
Ioannes Varsauiensium dux mortuus. eorum, dux Varsauiensium, uita excessit. Cum autem conuenissent Lu-

scum,

scum Cæsar cum Barbara uxore, rex, & Vitoudus, actum est aperta fronte de mutuis offensis, ac de Valachis maximè. Postulabat Cæsar ex formula fœderis, ut Valachiam secum pariter subiugarent, & partirentur: propterea quòd nemini satis fidi essent Valachi, & quòd sibi ad Turcicum bellum dudum præstò non fuissent. Negabat Vuladislaus id se facturum passurum'ue esse: parêre enim sibi Valachos antiquitus. Nam quòd suppetias Cæsari non ueniissent, ipsius, non illorum esse culpam. Venisse enim unà cum Russis, & expectasse frustra superiori anno. Et cessit quidem in ea re Vuladislao Cæsar; cæterùm secretò longè alia cum Vitoudo egit. Societatem enim cum eo iniit, ac diadema regium ipsi pollicitus est, ut eum cum Vuladislao Polonis'que committeret. Non recusabat Vitoudus, homo ambitiosus, et ingentis spiritus: sed negabat, sibi inuito Vuladislao accipere licere. Itaque ad Vuladislaum callidè & blandè affectata à Cæsare & uxore eius uia: perfectum'que est, ut is cohonestandæ patriæ gratia non abnueret, si senatus Polonicus assentiretur. Ad senatum uerò cum res relata esset, & præsens ipse Vitoudus hoc sibi concedi peteret, dicendis'q; sententijs, quo minus liberè dicerentur non optimo exemplo interesset, princeps Albertus Iastrembecius archiepiscopus Gnesnensis, longis uerborum ambagibus usus, nihil tamen certi statuebat. Post hunc Sbigneus Olesnicius Cracouiensis episcopus præfatus, Indignisse rem tantam longiore deliberatione, grauissimis uerbis Vitoudi præsentis consilium reprehendit: pactorũ conuentorum quæque rex, que'que ipse cum Polonis sanctissimo iureiurando interposito olim firmassent, & quibus Lituaniam Poloniæ adiunxissent, admonuit: turpem esse prudenti seni, & saturo gloriæ principi, intempestiuam illam ambitionem, quæ magnas secum clades atque calamitates Lituanis iuxtà ac Polonis importatura esset: cogitaret, uenenatã esse illam offam, & exitiale munus, quod sibi à deuoto & communi hoste Cæsare offerretur; non hoc illum agere, ut honorem ipsi habeat, sed ut dissidium inter eum & Vuladislaum faciat; & quos coniunctos nullo incommodo possit afficere, disiunctis ac dissidentibus omne malorum genus inuehat: reputet secum ingentia Polonorum & Vuladislai beneficia, magis quàm recentes & insidiosas Cæsaris pollicitationes: illum nunquam fideliter neque secum, neque cum Vuladislao amicitiam coluisse, pacta conuenta toties irrita fecisse, sub specie beneuolentiæ uel maximè semper nocuisse: à Polonis uerò Lituanos omnium rerum egenos, & aduersus Cruciferos ægrè sese tuentes, in societatem receptos, & ad regnum, posthabitis claris & potentibus alijs principibus, uocatos: Polonorum armis atque sanguine inexplebilem Cruciferorum crudelitatem à ceruicibus eorum depulsam esse: ipsum à Vuladislao præ germanis fratribus principatum Lituanorum adeptum, regni etiam administrandi moderatorem ferè magis quàm participem adhiberi. uafrum illud Cæsaris consilium multo antè sibi notum fuisse: sed non se credidisse, Vitoudum tanta prudentia præditum, unquam eo captum iri: redi-

Cæsaris cum Iagellone & Vitoudo conuentus apud Luscum.

De Valachis contentio inter principes.

Sigism. Cæsaris secreta pacta cum Vitoudo.

Vitoudus admissus in senatum Polonicũ.

Senatus consultatio de regno Vitoudi.

Sbignei sententia fortis.

diret ad se, neq; pateretur, tot res tantas q; in eã diem à se præclarè gestas, & sempiternam sui nominis memoriam aliena fraude contaminari. Hæc elocutum Sbigneum Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis graui oratione & ipse rem illam & conatũ Vitoudi exaggerauit. Hos frequẽs senatus magno consensu secutus est. Itaq; repulsam passus Vitoudus, ira tus fremens q; foras se proripuit, minitans, quando sic ipsis uideretur, alia id se uia tamen assecuturum esse. Correptus deinde rex à senatu, quòd tam facilis atq; credulus, hostem suum in regno in perniciem suam rei q; publicæ Polonæ grassari pateretur: ni sibi caueret etiam atque etiam, futurum esse, ut mellitis dolis eius caperetur. Nec mora proceres Lusco frequentes discedunt: quos rex proxima nocte secutus est. Cæsar paucos dies cum Vitoudo commoratus, ueritus q; ne quem in se dolum Poloni offensi intenderent, properè in Vngariam rediit. Venerat aũt Luscum ad regem & ad Vitoudum Andreas Constantinopolitanus theologus, de sodalitio Dominicano, magister palatij Apostolici, legatus Pontificis max. postulans, ut uel pacatis consilijs & pactionibus, uel armis Boemos ad rectam religionem pacem q; reducerent: per graues enim ij erant Cæsari & uniuersæ Germaniæ: sæpe magnos exercitus profligarant: Silesiam, Misniam, Austriam, & cæteras finitimas regiones infestabant & subigebant, ita ut Sigismundus Alberto genero suo Austriorum duci Morauiam donaret, quo eam ab hæreticis uindicaret: Ziscam cæcum hostium ducem, quem armis uincere non poterat, ingentibus promissis ad se pelliceret. Sed nihil tamen legatus propter
» dissidium regis atque ducis impetrauit. Incitabant Vitoudum assenta-
» tores, quibus plenæ semper sunt principum aulæ, ut cœptam rem perageret. Itaque misit is Gastoudum palatinum Vilnensem, & Rumboldum marsalcum oratores ad regem & ad primores Polonos, qui frequentes Corcinum ad regem de impediendis Vitoudi consilijs conuenerant. Fuit autem legatorum extrema oratio: Vitoudum siue uolentibus, siue nolentibus Polonis regẽ fore. Ad eam legationem qui responsum Vitoudo referrent, Sbigneus episcopus, & Nicolaus Michalouius palatinus Sendomirienſis de senatu missi: cum eum fœderum & iurisiurandi sui, ac temerarij q; pernicios q; incœpti admonuissent: ac ni desisteret, Polonos armatos conatibus eius obuiam ituros asseuerarent, ille in Vuladislaum culpam reiecit: ab eo se detrectantem, ad id impulsum esse: non fore autem è dignitate sua, si rem semel institutam, leuiter remitteret. Nec sanè remisit per internuncios promissum à Cæsare diligentius exigere, incitantibus maximè Cruciferis, qui nullam incommodandi Polonis occasionem etiam in pace prætermittebant, fœdus q; & societatem cum Vitoudo inibant. Id ubi apud Polonos increbuit (nam & literæ & nunc ij aliquot intercepti erant) conuenere proceres ad regem Sendomiriam ad natalem diuæ Mariæ (nam eum diem ibi rex, sicut obitus siue assumptionis eiusdem Visliciæ libenter peragebat) decreta iterum legatio ad Vitoudũ: cuius principes fuere Sbigneus episcopus

Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis.

Rex à senatu obiurgatus.

Cæsaris discessus.

Legatus pontificius ad regem & Vitoudum.

Boemi Sigismũdo Cæsari & finitimis Germanis graues.

Lituani oratores ad Polonos.

Polonorum legatio ad Vitoudum.

Cruciferi inimici Polonis.

Polonorũ legatio ad Vitoudũ.

iterum

iterum, & Ioannes Tarnouius palatinus Cracouiensis. His datum in mandatis, ut si aliter animum Vitoudi à proposito deflectere nequeant, Polonorum regnum, concedente Vuladislao, ad eum deferrent, ut, quãdo tam appetens esset regni, ab amicis id potius quàm ab hostibus acciperet. Cæterùm sperarint ne beneficio illo oblato emollitum iri Vitoudum, quem aduersando frangere non poterant, an reuera id agebant, impendens à tanta illa conspiratione exitium patriæ quoquo modo propulsare cupientes, certum non habeo. Vuladislaus quidem non tam altos seu potius tumidos spiritus nactus, & pristinum ingenij sui, quantulumcunque id fuit, uigorem ætate magis ac magis in dies hebescentem, ac propemodum iam extinctum, uiresque defectas sentiens, non grauatè Vitoudo longè uegetiori solertioriq; regnum concedebat, cuius iam ipse fatur & penè pertæsus erat: & filios paruos regnoque administrando inutiles adhuc habebat: ad quos tamen id, Vitoudo nullos relinquente liberos, rediturum esse, haud ita multo pòst intelligebat. Iam enim & Vitoudus octogesimum annum non paulo excesserat. Huc accedebat non aliena à Vitoudo plerorumque procerum Polonorum uoluntas, munificentia eius conciliata. Ipse quoque Vuladislaus, per multum tempus eius consilijs maximè in omni re nixus, ita eius authoritatem indulgentia sua apud Polonos auxerat, ut illum magis quàm se reuererentur. Flexisset hæc talis oratio quamuis præfractum & pertinacem Vitoudi animum, nisi proceres quidam Poloni priuata compendia publicæ rei præferentes, ut largitiones eius in se assentando magis augerent, clàm eum per internuncios hortati essent, ut persisteret in proposito: de quibus etiam cognouerat, priusquam legati aduenirent, quid ij afferrent. Itaque respondit is, nolle se esse tam impudentem & impium, ut Vuladislaum regno priuaret: cæterùm cœpto, per omnium gentium atque principum ora uulgato, & cuius author sibi Vuladislaus fuerit, desistere, turpe sibi & indecorum uideri. Nihil se aduersus regem & Polonos moliri, sed si quod bellum sibi ab eis inferatur, omni conatu propulsaturum. Dum autem aliquot dies ibi commorantur legati, allatus est Vitoudo à Cæsare draco affabrè factus, in pignus societatis, expetitumque iusiurandum de seruanda societate certis legibus. Ac draconem quidem pro hospitali munere, non pro pignore societatis accipere se respondit: iusiurandum uerò nullum dedit, reueritus legatos regios, qui grauiter & seuerè cum eo agebant: ac Sbigneus quidem longè quàm collega liberius. Itaque illum amplissimis donis Vitoudus honorauit, siue quòd beneuolentiorem sibi esse crederet, siue ut Sbigneo ægrè faceret: cum Sbigneo uerò expostulauit, quòd solus desiderio suo aduersaretur, Tarnouio collega non aduersante. At Sbigneus perspectam habens fidem & integritatem Tarnouij, respondit incunctanter, se quoque ipsi assensurum esse, si Tarnouius assentiretur. Ita Vitoudum refellit uir excelsi animi, & raræ integritatis. Nec tamen ille cœpto destitit. Dum hæc ita

Poloniæ regnũ Vitoudo oblatum.

Vitoudi ætas.

Vitoudi authoritas apud Polonos.

Proditio in senatu Polonico.

Vitoudi responsum.

Cæsaris legatio ad Vitoudum.

Olesnicij atq; Tarnouij integritas & constantia.

Conuentus Polonorum cum Vngaris.

fiunt, constituêre Poloni proceres cum Vngaris, ut certo loco, certoq; die simul conuenirent, ac de resarcienda regum suorum amicitia toties interrupta inter se tractarent. Sed neque ad constitutam, neque ad comperendinatam diem Vngari affuerunt. Omnia uerò tentabat rex, ut ne consilium Cæsaris de coronando Vitoudo procederet. Itaq; & ad pontificem max. questum ea de re misit. Et frustra is utrumque missis literis ab instituto dehortatus est. Intelligens autem Vuladislaus, quorsum Cęsaris & Vitoudi conatus & molimina, & noua cum Cruciferis Prussiensibus atque Liuonien sibus fœdera inita spectarent, anno sequenti, qui fuit post Christum natum millesimus quadringentesimus trigesimus, comitijs Iedlinam (pagus hic est in tractu Lublinensi, uenationibus tantum nobilis) indictis, ut Polonorum uoluntates beneficijs suis sibi liberis q́ que suis obstringeret, regni q́ que successionem alteri de filijs suis, utrum ipse post se edidisset, stabiliret, ueteres priorum regum ac principum donationes & immunitates confirmauit: permulta equestri ordini, nonnulla etiam ecclesiastico, pauca oppidanæ rusticanæ q́ que plebi indulsit, ac de pensionibus & oneribus remisit, quæ quidem his ferè capitibus continentur: honores & magistratus sacri iuxtà ac profani, ut non nisi indigenis in suo cuique tractu mandentur, neque quicquam eorum cuipiam, priusquam uacet, promittatur: arces & præfecturæ ne cuiquam ducali genere orto, ne ue externo committantur: ecclesiæ & monasteria cum suis præsidibus, ut pensionum, quas stationes siue procurationes uocant, immunitatem prorsus habeant: equites ut absq; ullo stipendio regni fines per se ipsi defendant: si extra fines ad bellum proficisci iubeantur, quinas marcas in hastam stipendium accipiant: quod si fortè accepto eo, intra biennium non educantur, deinceps ut pro eo nihil debeant: si prælium intra fines commissum sit, capti ut à rege redimantur: extra fines uerò etiam damna ac detrimenta exoluantur: captiui hostes ut eorum sint serui, à quibus capti fuerint: monetam ne quam rex, nisi de sententia senatus, cudat: equitum aratores et adscriptitij ut immunes sint ab omni frumenti iuxtà ac pecuniæ pensione, procuratione, subuectione, & alio quouis onere regi præstando, excepta rastrali pensione, cuius iam antea mentionem fecimus: & ab ea tamen sculteti siue aduocati, qui patroni sunt pagorum, & oppidani, qui agros colunt, ut immunes sint: item q́ que hortulani, molitores & caupones, qui exiguos agros colunt. equestrem hominem indicta causa ne liceat prehendere, aut supplicio afficere, excepta causa furti, incendij, homicidij uoluntarij, stupri uirginum & matronarum, latrocinij, & his qui uadimonium promittere nollent aut non possent: bona item ne rex cuiquam equiti absque iudicij authoritate auferat: ad fines regundos recuperatores, quos commissarios uulgò uocant, qui in rem præsentem ueniant, ne cuiquam neget: de controuersijs, si qui pendente lite, amicè inter se composuerint, ut ne mulctæ iudiciariæ ab eis exigantur: quæ uerò mulctæ à litigantibus debebuntur, ut ipse eas rex per se

Legatio Vuladislai regis ad pontificem.

Vitoudi fœdus cũ Cruciferis. 1430 ann.

Comitia Iedlinæ.

Vuladislaus cõfirmat Polonis priorum regũ beneficia, & noua largitur.

De honorum et magistratuum collatione.

De ecclesiarũ immunitate.

De defensione regni & expeditione extra fines.

De redemptione captiuorũ.

De solutione damnorum.

De captiuis.

De moneta.

Nobilitatis subditorum immunitas.

Sculteti & oppidani immunes à rastrali pensione.

Nobiles quãdo capi possint.

De bonis nobilium.

De recuperatoribus siue commissarijs.

De mulctis.

per se uel per procuratores suos exigat, neque cuiquam exigendas donet: actuarij siue notarij terrestres, ut uocantur, ut ipsi per se adsint in omnibus iudicijs: nec uicarijs, nisi necessaria causa impediti, utantur: atque eos tamen ut integræ famæ apud præsides iudicij edant: Russi ut eodem penitus iure sint cum Polonis, auenæ modò pensione Vuladislao, quoad uixerit, salua: Cuiauij quoque, ac Dobrinenses post decem annos deinceps ut ab auenæ pensione immunes sint. Hæc tunc à rege concessa publicè, & literarum monumentis consignata: recepturn'que ei uicissim de alterutro filio, uter aptior regno administrando fore uideretur, rege creando: & cum adoleuerit, & prærogatiuas atque beneficia superiorum regum cunctis ordinibus publicè data confirmauerit, coronando. Obstrinxit etiam uniuersus conuentus ille fidem & honorem suum quisq; se pro hoste habiturum, quisquis communi illi placito aduersari, aut turbas aliquas tumultum'que in regno ciere uellet, aut conspiraret ulla de re, aut hæreticis demque & hæresibus faueret. Atque hæc deinceps quoque ternis comitijs Posnaniæ, Brestæ, ac Dobrini paulo ante mortem regis repetita sunt à proceribus & nobilitate: quo demum tempore diploma regis suprà memoratum, scriptum reperio. Missi deinde ex ijs comitijs legati ad Vitoudum, Sbigneus episcopus tertium, & Nicolaus Michalouius iterum, qui ei pro rege satisfacerent. Querebatur enim Vitoudus, traductum se esse ab eo apud pontificem maximum, & alios principes Christianos. Ad hæc, ut fœderum eum admonerent iterum atque iterum, & ad sanam mentem reducerent. Rebellionem enim moliens, nouo sacramento Lituaniam omnem adigebat, & arces finitimas Poloniæ muniebat. Sic est enim ambitio, ut modum prorsus nesciat, si semel ei habenas laxaueris. His responsum à Vitoudo datum, quo ille præ se ferebat, non nouandarum, sed stabiliendarum rerum suarum causa ea se facere, ne incautus ab hostibus opprimeretur, propterea quòd accepisset petiuisse à rege Boemos, ut se per Poloniam in Prussiam & Lituaniam exercitum ducere pateretur: ac de eo se præter morem à rege celatum esse. Rex ubi nulla ratione Vitoudum de sententia deduci posse animaduertit, simul'q; maturari coronationem præstituta ad decimumsextum Calendas Septembris die didicit: negocium dat Ioanni Zarnicouio succamerario Posnanensi, nobili & impigro homini, ut ad confinia Poloniæ & Saxoniæ, ubi possessiones ipse luculentas habebat, obseruaret, atque internuncios Cæsaris & Vitoudi per Prussiam ultrò citro'que commeantes interciperet. Nec malè succesit Zarnicouio negocium. Etenim Baptistam Cigallam iureconsultum Genuensem, & Sigismundum Rothum Silesium, à Cæsare ad Vitoudum proficiscentes cæpit, excussosq; inconsultè dimisit: scripturas ab eis ablatas ad regem attulit. Missi aũt ij erant, ut Vitoudo dubitationẽ omnẽ eximerẽt. dubitabat enim is, an Cęsar, siue ut uulgò loquunt̃, rex Romanorũ, qui imperatoriũ diadema nõdũ adeptus est, potestatẽ habeat noui regni instituendi: simul'q; ut diplomata Cęsarea, quib. in Lituania regnũ cõstituebat̃, & Vitoudus rex creabatur,

De actuarijs siue notarijs terrestribus.

Russi Polonis exæquati.

Cuiauiensibus ac Dobrinen. immunitas promissa.

Poloni, regis Vuladislai filiũ regem sibi designant.

Confœderatio Polonæ nobilitatis cõtra turbulentos et fautores hæreticorum.

Legatio regis & Polonorum ad Vitoudum.

Vitoudi conatus.

Ioannes Zarnicouius.

Legati Cæsaris capti et excussi à Zarnicouio.

Legatio Cæsaris ad Vitoudum.

batur, ipsi afferrent, ac diadema ad tempus allatum iri ab alijs legatis promitterent. Habebant & alia quædam mandata, de fœderibus & societate Prussiensium atq; Liuoniensium Cruciferorum aduersus Polonos. His cognitis rex, Zarnicouium splendidè pro meritis remuneratũ, & amplioribus pollicitationibus oneratum, ad insidendas diligentius uias remisit. Propediem enim Germanorum, Vngarorum & Boemorum legationes splendidæ, cum diademate à Cæsare ad Vitoudum profecturæ erant. Sed cum Zarnicouius aduersa ualetudine præpeditus, uacare ei rei non posset, nobilitas omnis maioris Poloniæ, Sendiuogio Ostrorogio palatino & præfecto, Dobrogostio Samotulio castellano Posnanien si, & Iarando Bruzeuio palatino Vuladislauiensi ducibus, nemine iubente, quasi sublato signo armata, syluas apud Turagoram insedit, dimissis quoquouersus stationibus & exploratoribus, ut quocunque opus esset, etiam ad extremum Oceanum Germanicum, cuncta accurreret, uel cum longè maioribus copijs pro patriæ tranquillitate & honore decernere parata. Iam Francofordiam, quæ supra Odram est, legati prætergressi erant, cum obsideri uias omnes à Polonis acceperunt: & non ausi periculo sese committere, cum duos menses frustra expectassent, ad Cæsarem reuertêre. Non omisere tamen Poloni longiorem custodiam: quæ cum suspecta esset Cruciferis, suorum sibi consiliorum & conatuum conscijs, misit Paulus Rusdorfius Magister perquisitũ ab ijs, hostes ne eos an amicos ducere deberet: responsum est: nihil eius referre, si ipsi intra fines suos armati, rerum suarum curam habeant. Si bellum illaturi sint, indicturos id esse prius. Ægerrimè hæc tulit Vitoudus, ubi rescijt: sed tamen dolorem apud hospites ad celebritatem inuitatos, sedulò dissimulauit, & ad finem usq; Septembris eos apud se retinuit. Fuerunt autem ij, duo Magistri Cruciferorum, Prussiensium & Liuoniensium, cum primoribus commendatoribus: Moschorum, Tuuerensium, & Odoiouiensium Russorum duces, & princeps Tartarorum. Fortè tunc anthracem morbum siue ex angore animi, seu qua alia ex causa, Vitoudus contraxit: neque tamen quicquam de ambitione sua detraxit. Cum autem inuitis Vuladislao & Polonis uoti se compotem fieri posse desperaret, arte sibi tentandum esse duxit, quod aperta ui peragere non poterat. Sciebat Vuladislaum hominem non malum, haud difficulter exorari à se posse, si eum in Lituaniam, cuius uisendæ desiderio teneri eum nouerat, extraxisset. Quòd si qui fortè proceres Poloni cum eo ueniissent, eos quoque uel blanditijs deliniri, uel muneribus corrumpi, uel metu denique compesci posse. Itaq; misso ad Vuladislaum legato, præterita excusat: iam se omnẽ de regno cogitationem deposuisse ostentat: in Lituaniã regem ad uenationes inuitat. Cupiebat rex ire in Lituaniam: sed suspecta erat proceribus, qui cum eo Lublini tunc erant, Vitoudi inuitatio, tamq; repentina mutatio. nouerant eius ingenium, nouerant ingentes spiritus, & coniunctam his pertinaciam: aliquid eum doli nectere suspicabantur. sed sanari rursus animum eius posse regis præsentia et sermonibus, nõ desperabãt.

Maiorum Polonorum studiũ.

Legati Cæsaris retrocesserunt.

Magistri Cruciferorum legatio ad Polonos.

Responsum Polonorum.

Inuitati à Vitoudo ad celebritatem coronationis.

Vitoudi morbus.

Vitoudi callidum consilium.

Quare

Quare mittuntur cum rege cùm alij quidam proceres, tum Sbigneus episcopus, cuius neq; prudentia facilè circumscribi, neq; integritas corrumpi, neq; constantia frangi à Vitoudo posset: quemq; Vuladislaus reuereretur, ut ne quid præter sententiam eius faceret. Non ignorabat hæc Vitoudus. Itaq; cum regem & cæteros omnes, qui cum eo ueniebant ab extremis finib. Lituaniæ, comiter & liberaliter acciperet, unum Sbigneum negligebat. Vbi Vilnam peruentū est, instabat regi Vitoudus orando, ne sibi regium diadema inuideret: negabat ille, licere id sibi cōcedere, Polonis reclamantibus: eaq; de causa Sbigneum sibi in Lituaniā proficiscenti adiunctum esse comitem, ne quid præter sententiam eius faceret. Illum prehensandum, & quoquo modo expugnandum esse. Allegat Vitoudus ad Sbigneum, qui eum orent suo nomine, & ingentibus promissis onerent, ne solus honori suo aduersetur. Si dimoueri ille se de sententia non patiatur, ut existimationi tamen Vitoudi utcunq; cōsulat, & simulari momento temporis coronationem sinat. Acceptum diadema statim se depositurum esse. Si pertinacior, ne hoc quidem concedat, pro hoste se illū habiturum esse, & manibus pedibusq; adnixurū, ut de episcopa dejciatur, quemadmodum Petrus Vissus antea deiectus esset. Immotus ad hæc omnia Sbigneus, renūciari Vitoudo iussit: dignissimū eum sibi uideri regio diademate, & summis quibusq; honoribus: uerùm saluis fœderibus & iurisiurandi religione assequi id eum non posse. Quocirca suadere se, desineret id cupere, quod ei non honorē, quemadmodū ipse putet, sed dedecus & infamiam sempiternam pariturum, Poloniq; uerò & Lituaniæ præsens exitium approperaturū esset. Ne erret, non honoris eius gratia id ei suadere Cæsarem & Cruciferos, deuotos & sempiternos non magis Polonorum quàm Lituanorum hostes: sed ut duos cōiunctissimos populos, qui coniuncti graues sibi essent, disiunctos commissosq; inter se, intestinis atq; ciuilibus propemodum bellis debilitent atq; deleant: idq; Cæsarem uulgò iactare, dictitantem se os in medium duorum canum coniecisse, ob quod ij ad mutuum usq; interitum concertaturi sint. Poneret ergo Vitoudus modum inconsideratæ & intempestiuæ ambitioni: non conuenire ætati & prudentiæ eius, ut seniculus capulo proximus, nullos habens liberos quibus regnum relinquat, tam cupidè per fas & nefas ad id adspiret: se quidem neq; precibus emolliri, neq; largitione corrumpi, neq; minis deterreri posse, quo minus in hoc cupiditati eius aduersetur. Pluris apud se esse fidem, uirtutem & charitatem patriæ, quàm fauorem, gratiam, & omnes thesauros Vitoudi. Mirari uerò se magnopere, quod Petri Vissi, eiusq; deiectionis mentionem faceret, quam sine sua regisq; infamia commemorare non posset: neq; id se reformidare. Alia iam esse tempora, & minus turbulenta, minusq; deprauata cæca plurium de pontificatu maximo contendentium ambitione. Paratum autem se esse non honoris modò, uerùm etiam uitæ discrimē adire pro patria, quæ tantam illam rem suæ fidei credidisset: neq; falsurum esse unquam eius expectationem. Atque ita quidē Sbigneus, non sine magna ipsius Vitoudi admiratione. Inualescebat interim Vitoudi morbus, ita ut ipse desperatione

Sbignei Olesnicij uirtus.

Vitoudi ad Sbigneum allegatio.

uitæ ſuæ cogitationem omnem de regno abiceret, & ad mortem, uti Chriſtiano principe dignum eſt, obeundam ſeſe componeret. Rex ubi animaduertit, uiuere eum diutius non poſſe, Sbigneum & cæteros Polonos proceres in Poloniam amandauit, quòd intelligebat iis præſentibus Suitrigellonem fratrem ſe Lituanis ducem, quemadmodū deſtinabat, præficere non poſſe. Diſcedens autē Sbigneus, cum rogaretur ab Iuliana Vitoudi uxore, ut ſupellectilē ſuam gazamq; inde aſportaret, ac ſuperſtiti ſibi ſeruaret: ſi quid autē humanitùs ſibi accideret, ut eam ad cultum diuinum cōuerteret, aſſenſus non eſt. Vitoudus uerò, cum ſe uiribus deſtitui ſentiret, ritu Chriſtiano ſacris procuratus, & uerè Chriſtianum ſe mori teſtatus, ueniam ſuperiorum admiſſorum à Vuladislao petiuit, & Lituanos ei commendauit, petens ut acta donationes'que ſuas ne reſcinderet: nec multo pòſt apud Trocos ſpiritum exhalauit, cum aliquanto octogeſimum annū exceſsiſſet: princeps impiger, & uegeto ingenio: abſtemius in omni uita, nihil præter aquam bibere ſolitus: in uictu temperans: temporis perparcus, ita ut ſupra menſam iudicaret, & reſponſa legatis daret: cæterùm in Venerem procliuior, in externos liberalis: ſuos uerò metu magis, quàm beneficientia in officio continere ſolitus: ſtatura fuit mediocri, gracili corpore, radere barbam & genas ſolitus, qualem apud Trocos in templo depictum uidimus. Habebat autem in more, ut procuratores bonorum ſuorum rapinis ditatos excuteret, atque expilaret, rurſuſq; præficeret.

Rex Polonos à ſe amandat.

Vitoudi mors, mores & effigies.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVS.

POST MORTEM Vitoudi, ſuſpenſi animis Lituanorum & Ruſſorum proceres, hęrebant, quidnam ſe fieret. Supererat Coributhus, Vitoudi frater: ſed aberat, Boemorum furori ducem ſe præbens: nec ullum præclari ingenij ſpecimen in Lituania ediderat. Porrò Suitrigello regis frater, qui Vitoudum metuens, ad Sigiſmundum Cæſarem aliquanto antè profugerat, & Vitoudo indulgente in Lituaniam redierat, homo erat nihili, & ebrioſus, & præcipitis iracundiæ, ſed tamen liberalitate multorum ſibi animos conciliarat: in primis autem Ruſsi ei fauebant, propterea quòd à ſua ſecta non alieno eum animo eſſe exiſtimabant: ſed tamen ſenſum regis, penes quem rerum Lituanicarum ſumma erat, non tenebant. Poſteaquam uerò perſenſerunt, principatum Lituaniæ clàm ab eo ad Suitrigellonem deferri, tunc uerò certatim omnes ad eum concurrere, ſtudia'que ei ſua probare uelle, ita ut ingens circa regem ſolitudo eſſet. Venit deinde Vilnam ad exequias Vitoudi Suitrigello, ingenti hominū turba ſtipatus: elatuſq; fauore hominum, Vilnenſem, Trocenſem, & alias quaſdam primarias arces

Suitrigellonis mores.

Ruſſorum ſtudia erga Suitrigellonem.

Suitrigello apud Lituanos principatum arripuit.

arces occupauit,& pro duce gerere se absq; authoritate regis cœpit. Deinde magis ac magis insolescens,assentatorib. frigidã, quod aiunt,suffundentibus,oblitus omnium beneficiorũ regis, fraternæq; necessitudinis, contumelioſius eum tractare: carceris & exilij ueteris memoriã refricare: ueniſſe tẽpus dictitans, cum ulciſci eum probè poſſet: Polonos, qui cum rege erãt,aſperius appellare: internũcios,qui à rege in Poloniã, quiúe ex Polonia ad regẽ mittebãtur,excutere, epiſtolasq; refringere: plus eius amentia atq; temeritate,quàm ſuo periculo rex cõmouebatur, & quantũ poterat, furorẽ eius & inſolentiã lenitate & comitate ſua mitigabat. Placatioq; is iam futurus eſſe uidebat,cum res noua oblata,denuò furorem eius accendit. Podolij primores,nimirum Paulus epiſcopus Camenecenſis,uir humili quidẽ loco natus,uerùm generoſi ſpiritus,Riſco Kerdeius, Theodoricus, Michael & Mirſilo fratres Buzacij, & Cruſsina Galoúius,cognita celeriter Vitoudi morte, Doigertum palatinũ Vilnenſem, qui Podoliã Vitoudi nomine adminiſtrabat, rerum omniũ adhuc ignarum,euocatum ad colloquiũ, cæperant: arcemq; Cameneciam, Smotriciam,Scalam, & Ceruonigrodum occuparant,& omnem Podoliam facile in poteſtatẽ ſuam redegerãt,ut regi eam & Polonis reſtituerent, & ne in ditione Lituanorum ea deinceps eſſet. Id ubi factum reſciuit Suitrigello,homo uiolentus & impotens,fremere in regem,& maledictis eum Polonosq; inceſſere,palamq; uincula aut necem præſentibus intentare, ita ut excubare omnes die noctuq; circum regiam neceſſe haberent. Et non deerat noſtris,quamuis paucis,animus,non modò ad defendendum ſeſe atq; regem, ſed etiam ad inuadendum ac trucidandum Suitrigellonem. Sed rex ſiue quòd ſibi metuebat,ſiue quòd Suitrigellonẽ impenſe diligebat,ſeu denicq; quòd Lituaniæ quàm Poloniæ incremẽtis & amplitudini impenſius fauebat,incõſultis omnibus aſſenſus,eſt de Podolia Suitrigelloni, recipienti unà cum proceribus Lituanis, regi ſe eam bona fide redditurum eſſe,ſi de ea inter Polonos & Lituanos non conuenerit, ac deinde ius ſuum perſecuturum atq; repetiturum: eaq; de re Zaclicam Tarlonem in Podoliam cum literis & mandatis miſit, qui eam Michaeli Babæ Ruſſo, Suitrigellonis nomine recipiendam & obtinendam, traderet. Aegerrimè id ferebat iuuentus Polona, quæ in comitatu regis erat: & in primis duo nobiles iuuenes, Andreas Tencinius, & Nicolaus Dreuicius,cuſtos Sendomirienſis, cui rex annulum ſuum ſignatorium,cancellario & procancellario abſentibus,commendarat. Igitur hi duo, ducti amore patriæ,ſcripſere Michaeli Buzacio, qui Cameneciam obtinebat, Regem extrema neceſsitate adactum, Podolia Suitrigelloni cedere: ſed ſeipſe communi patriæ ſimul & honori ſuo conſultum uellet, non modò non parêret mandatis regijs, uerùm Zaclicam pariter & Babam comprehenderet. Eas literas, quoniam palàm ferri nequibant, Suitrigellone omnes excutiente, conuolutas, ceraque contectas, ut ſpeciem cerei præ ſe ferrent, Zaclicæ puero omnium inſcio, paucula pecunia præ manu ei data, dedere: ut is cum primùm Cameneciam ueniſſet, cereum illum Buzacio præfecto redderet, atque hæc uerba adderet, ut ſi errare

Suitrigellonis impotentia animi.

Podoliorum præclarum facinus.

Podoliam rex concedit Suitrigelloni. Lituanorum promiſſa.

Andreæ Tencinij & Nicolai Dreuicij charitas in patriam.

ille nollet, ex eo cereo unà cum magistratu urbano lumẽ quæreret. Cum autem puer bona fide omnia feciſſet, miratus Buzacius, quid ſibi cereus ille, & ambigua mãdata uellent: nõ de nihilo tamẽ omnia illa eſſe ſuſpicatus, refracta cera literas inuenit, Zaclicã & Babã in cuſtodia habuit. Dũ hæc ita fiunt in Lituania, cognouere tandem Poloni, referente Ioanne Oleſſnicio marſalco, qui mille ciclos argenti, & alia quædam munera poſt reconciliationem à Suitrigellone regi donata, in theſaurum Polonicum inferre iuſſus erat, quo in ſtatu regis ſui res eſſent: & iure quidem optimo ei aduerſa, quæ accidiſſent, accidiſſe cuncta cenſebant: uerùm aliud tamen ſuccenſendi & reprehendendi eius tempus fore rati, de liberando eo, ſecluſa omni mora, agendum ſibi eſſe exiſtimarunt. Graſſabatur quidem tunc dira peſtis in omnem ferè Poloniam, ſed nihilo tamen ſegnius, comitijs Vartam ad ſextam diem Decembris indictis, frequentes conuenerunt. Re diligentius in conſilio agitata, expeditio in Lituaniam decreta: edictum'que, ut ad medium Ianuarij apud Kianos, pagum ſupra Veprum amnem, armati omnes præſtò eſſent: tentari tamen prius legatione Suitrigellonis animum placuit. Ad eam obeundam deſignati Sbigneus Cracouienſis, & Ioannes Vuladislauienſis, epiſcopi: Sendiuoius Poſnanienſis, & Ioannes Lichinius Breſtenſis, palatini, cum Varſauiam uſque progreſſi eſſent, mandato regis, nunciamis liberum ſe iam eſſe, domos reuerterunt. Vt enim audiuit Suitrigello, quæ in Vartenſibus comitijs acta ac decreta eſſent, liberum ac reconciliatum ſibi regem dimiſit. Ne pontifex quidem max. Martinus quintus prætermiſerat, ad Sigiſmundum Cæſarem & ad Suitrigellonem de liberando Vuladislao ſcribere, cum detineri eum in Lituania celeri nuncio accepiſſet. Eiuſdem autem Vartenſis conuentus decreto, cura regiorum liberorum educandorum & inſtituendorum, magiſtro Vincentio Cotho Dembenio, cuſtodi Gneſnenſi, & Petro Ritercio equiti mandata eſt. Poſt inſequentis anni principium rex per Chelmenſem tractum è Lituania reuerſus, Sendomiriæ comitia habuit. Ibi cum de Suitrigellonis inſolentia ſiue amentia plenius cognitum eſſet uulgò, afferretur'que, etiam caſtella quædam in Podolia per illud tempus ab eius copijs intercepta, Smotriciam circumſeſſam (cuius tamen obſidio noſtrorum uirtute non ſine ſtrage hoſtium ſoluta rurſus erat) Trebouulienſem & Leopolienſem oram excurſionibus & populationibus diuexari, damnabant omnes præceps & peruerſum regis conſilium, & bellum aduerſus Suitrigellonem flagitabant. Sed peruicit rex, ut legatio prius ad eum de repetendis rebus mitteretur. Miſsi Stanislaus Poſnanienſis, & Ioannes Chelmenſis, epiſcopi: Sendiuoius Poſnanienſis, & Ioannes Lichinius Breſtenſis, palatini: cum his mandatis, ut Suitrigello caſtella, quæ in Podolia cæpiſſet, redderet, Luſco & Volynia decederet, ad regem ad certum diem ueniret, ab eóque principatum Lituaniæ certis legibus acciperet, quem perperam & contra fœdera inuaſiſſet: aliter, neceſſe fore Polonis cum rege ius ſuum armis perſequi. Ferocius his reſponſum eſt à Suitrigellone. Nihil enim

Michaelis Buzacij factum.

Polonorũ pro cerum ſtudiũ erga regem.

Peſtis in Polonia.

Comitia Vartæ, abſente rege.

Decretum de rege liberãdo.

Veprz fl.

Põtificis max. ſtudium de liberando Vuladislao.

Educatores regiorum liberorum.

Comitia Sẽdomiriæ.

Legatio Polonorum ad Suitrigellonem.

hil enim eorum quæ postulabantur faciebat: & asseuerabat, se quicquid egisset, ageret'ue, rectè & iure optimo egisse & agere: quin etiam reliquam Podoliam à rege repetebat. Hæc eadem mandata luculentius & acrius postea per Basilium ducem Russum, cognomento Crasni, apud regem repetita. Interea dum hæc fiunt, uenit ad regem Coributhus, cum cæteris Boemorum hæreticorum, qui post mortem Ziscæ cæci orphanos sese dixere, ducibus: qui Boemia siue pulsi, siue ultrò excedentes, cum Lusatiam diuexassent, Silesiam quoque, belli sede Gliuiciæ posita, longè late'que uastabant: oppida hostiliter diripiebant, & incendebant, & in templa atque monasteria, sacerdotes'que & monachos potissimùm barbarico furore debacchabantur, Ziscæ ducis sui immanitatem secuti: qui quasi uiuens parum insanisset, moriens cutem sibi detrahi, eam'que tympano induci iussit: fore pollicens, ut ad eius tympani sonum, animis conciderent ipsorum aduersarij. Cum his autem coniunxerat sese Coributhus, captus, & mox pulsus à Pragensibus, quemadmodum Hagecus memorat: & cum primoribus eorum ad regem uenerat, accepta ab eo fide publica. Actum cum his de religione: adhibiti doctores Academiæ Cracouiensis, qui errores ipsorum disputando refellerent. Rex ipse simpliciore oratione usus, quanta rerum omnium perturbatio secuta apud eos ex mutata & perturbata religione esset, commemorauit: ut florentissimum quondam Boemorum regnum ad interitum properaret, sublatis magistratibus, sacris iuxtà ac prophanis: euersis oppidis & munitionibus: cæsis, uel fuga dilapsis optimatibus: constupratis honestis matronis atque uirginibus: coniugijs nobilissimarum fœminarum in agrestes homines, & ex infima fece plebis uulgatis: agris partim hostiliter uastatis, partim furore quodam ipsorum cultorum desertis: prophanatis, direptis, ac dirutis templis: abrogatis sanctissimis ceremonijs: sacrosancta religione contaminata, ac tam uarijs, portentosis & abominandis opinionibus discerpta, ita ut nemini propemodum cum altero conueniret: denique peruerso rerum omniũ, atq; naturæ ipsius ordine: quæ omnia, ni maturè resipiscerent, prę sens & extremũ exitiũ consequi necesse esset. quòd si his rebus cõmouerentur, pollicebatur se perfecturũ, ut ęquis conditionibus res eorum cõponeret. Sed surdis aurib. Boemi hæc accepere. Neq; enim facile est, cũ impetu ruentes semel in pręceps in uiã reuocare. Quoad aũt ij substitere Cracouię, cessatũ est à sacris, interdicto Sbignei episcopi, cõsecratum'q; ab eo chrisma in Mogilẽsi monasterio. Itaq; propter solẽnes paschę dies, Cazimiriã Boemi cũ Coributho à rege eiecti sunt, frementes in episcopũ: alia quoq; de causa ipsi infensi. Nam cum paulo antè Lechni cense monasteriũ in finibus Vngarorum diripuissent, Sbigneus facta de clientibus propinquis & amicis subitaria manu, reuertentes persecutus erat: & paucos, qui agmẽ raptim sese recipiens consequi nõ poterant, exceperat. His ergo de causis Coributhus indignans, coram rege cum Sbigneo iurgatus est: discedens'que Cracouia cum cæteris, non modò ipsi, sed ecclesijs etiam ac diuo Stanislao sublata manu cõminatus est. Verùm

Suitrigellonis ferox responsum.

Coributhus.

Ziscæ cæci immanitas.

Regis oratio ad hæreticos.

Interdictũ Cracouiæ propter hæreticos.

Rex Cazimiriam hæreticos eiecit.

Episcopus etiã armatus hæreticis restitit.

Coributhi minæ contra episcopum.

Boemi minaces profligati.

eæ minæ diuinitùs mox in irritum cecidêre. Reuertentes enim, cum Gliuiciam à Conrado albo, Olessnicensium duce, per proditionem captam, direptam & incensam, suosq; magna strage cæsos reperissent, ad paucos redacti, & rerum omnium egeni, in Boemiam recessere. Ab ijs autem & Poloni equites latrocinari cum didicissent, quodam tempore Zenstochouiense monasterium, quod propter peculiarem Virginis matris cultum, & frequentissimas non modò Polonorũ, sed etiã uicinorum Vngarorum, Morauorũ, Boemorum, Silesiorũ, Saxonum, Prussorum, atq; Lituanorum peregrinationes magnis diuitijs refertũ esse credebatur, diripuere. Atq; ut patrati sacrilegij suspicionẽ à se in Boemos hæreticos auerterẽt, imagini uirginis matris, quę uulgò magna religione colitur, uulnus inflixere. Sed minorẽ opinione prædã reperere: meritasq; sacrilegij pœnas intra illum ipsum annum expendêre. Fuerunt aũt authores sceleris Iacobus Nadolni Rogouius, gẽte Zialossius, & Ioannes Curopatua gente Srenauius. Dimissis Boemis cum Coributho, Vuladislaus rex Biezum profectus, bellum in Suitrigellonem parabat: eò uenit ad ipsum Lu

Cruciferorum legatio ad regem Pol.

douicus commendator Turonensis, legatus à magistro Cruciferorum, deferens eius operam ad componendas res inter dissidentes fratres. Ei gratiæ actæ, factaq; potestas ut id ageret. Tametsi secretò aliud actum esse Dlugossus memorat, nempe postulasse regem à magistro, ut

Vuladislaus cõmendat Cruciferis Suitrigellonem.

Suitrigelloni faueret: seq; expeditionem faciente in Russiam, ut ipse Poloniam armis infestaret. citaq; idem non leues authores huius rumoris, qui mortuo demùm rege diuulgatus latè manarit: quem nos unà cum ipso Dlugosso neque affirmamus, neque refellimus. Misit deinde rex Ioannem Brezium, Lutici filium scribam ad Suitrigellonem, ut eum

Suitrigello legatum regium uiolauit.

ad saniorem mentem reuocaret. Sed eum Suitrigello excandescens, contra ius gentium uiolauit. Quare iritatus rex, maturauit expeditionem:

Bellum contra Suitrigellonẽ.

motisq; castris, ad Grodlum oppidum, supra Bugum amnem duodecim

Grodlum opp.

dies statiua habuit: & maiores Polonos tardius uenientes, & hostiliter

Bugus fl.

penè in suos quacunq; iter faciebant grassantes, expectauit. Deinde Bugum amnem traiecit. Interim uulgus omne eius oræ cum iumentis, pecu

Maiorum Polonorum licentia.

dibus & facultatibus suis, in densas palustresq; syluas sese abdidit. Aduenit & Suitrigello cum sex ferè millib. armatorũ, arcemq; Lucẽsem armis, cõmeatu, presidioq; muniuit. Certatũ est deinde leuib. aliquot prelijs cũ hoste: in quib. omnibus nostri uel nullo uel paruo incõmodo accepto, superiores erant. Senco dux Russus occisus, captiui nõ pauci ad regẽ adducti, incensa Vuladimiria, peruastatũ Vuladimiriẽse territoriũ, quod rex Theodoreto, siue Feidusconi duci Russo, fratris filio donauit: qui dux nõ multo pòst mortuus, regem fecit hæredem. Non intermittebat tamen rex, Suitrigellonem ad pacem inuitare. Sed nihil inde pacati referebatur. Sperabat enim ille, regẽ breui inde ad aliud bellũ à Cruciferis, cum quibus fœdus icerat, reuocatũ iri. Aduenere deinde maiores Poloni. Quibus grauiter de tarditate, & neglecta disciplina militari in itinere, obiurgatis, rex cum omni exercitu Styrum fluuium, qui Luscum alluit, difficili ac profundo uado transmisit, cum Suitrigello pontem disiecisset,

Senco dux occisus.

Vuladimiria incensa.

Fieduſco dux.

Suitrigello fœdus icit cũ Cruciferis.

Styrus fl.

ulteriorem q;

ulterioreḿq; ripam fruſtra ſeruaſſet. Videns autem Suitrigello ſe ualde imparem eſſe tanto exercitui, incenſo Luſco oppido, arce uerò Iurzæ Ruſsi fidei commendata, ne tentata quidem prælij fortuna, fugam iniit. Ducem ſuum ſecutæ copiæ, diuerſæ & ipſæ dilapſæ ſunt: ſed multi mortales ex his in fuga à Polonis cæſi captíque. Inter captiuos inſignes maximè fuere, Rumboldus marſalcus Lituaniæ, & Gaſtaudus. Quos Suitrigello deinde liberauit, cum ſpopondiſſet regi, eos Cracouiam, cum rex iuſsiſſet, uenturos eſſe. Creditus eſt autem & Suitrigello cecidiſſe, cum ueſtis eius cruenta inter cætera ſpolia reperta eſſet. Cecidêre tamen de Polonis quoque nonnulli nobiles & fortes uiri, dum incautius Tartaros, qui in caſtris Suitrigellonis militabant, perſequuntur. Alia quoque per eoſdem dies uictoria de eodem hoſte Belzenſem tractum uexante Polonis parta eſt. Nam eò ſex millia hominum rex cum Cazimiro duce Maſouiorum, & Ioanne Menzico Dambrouio præfecto Ruſsię, ad præſidium ſuis miſerat. A' quibus Oleſcum arx, cum capi poſſet, tamen in poteſtate Bogdani Rohatinij Ruſsi, qui ad Suitrigellonem nulla neceſsitate adactus perfugerat, præfecturaḿq; eius arcis ab eo, confiſcatis à rege bonis ſuis, adeptus erat, relicta eſt, ea conditione, ut eam regi redderet, cum is Luſco potitus eſſet. Obſeſſa eſt deinde à toto exercitu arx Lucenſis, & oppugnata etiam: ſed remiſſe admodum, atque ſegniter, indulgentia quadam regis, uti creditum eſt. Et cum pars muri à Polonis bombardarum ictu deiecta eſſet, fruſtra tamẽ impetus factus eſt. Trium deinde dierum induciæ, per quas de deditione deliberarent, obſesis datæ à rege, fruſtra diſſuadentibus cõſiliarijs: per quos dies mœnia & propugnacula arcis refecta ſunt: ſaxa, & alia miſsilia congeſta: & aqua importata, cuius hauſtu à noſtris arcebantur. Deinde iterum quoq; idem factum non ſine murmure totius exercitus. Fuere tamen inter proceres & conſiliarios regios, qui noctu clàm cum obſeſsis colloquia habere, & arma eis commeatuḿque ſuppeditare ſoliti eſſe dicerentur. Et probri loco id obiectũ eſt poſtea Laurentio Zarembæ caſtellano Siradienſi, à Stanislao Zuicla gente Labencio. At Suitrigello ridiculo magis, quàm callido, ut ipſe exiſtimabat, cõmento noſtros ab inſtituto deterrere aggreſſus, cõfictis literis nomine principis Tartarorũ ad regẽ, ut is Podoliam Suitrigelloni à ſe donatã, ei redderet. Cæterùm ubi id cõmentum ſibi nõ procedere animaduertit, legationẽ de pace ad regẽ miſit: ſiue ex animo id agẽs, ſiue ducendi belli, & obſeſsis ſubueniẽdi cauſa ſimulãs. Intelligebat enim, Polonos belli ob aduentantẽ hyemẽ, graſſanteḿq; in equos luẽ pertæſos, domos reuerti cupere: & ipſe Tartarorũ & Valachorum auxilia, cum quibus per hyemem Ruſsiam & Poloniã infeſtaret, expectabat. Conuênit, ut proceres utrinque delecti certa die de conditionibus pacis inter ſe tractarent. Interim dum hæc ita fiunt, arx regia Rathnum, prodentibus eam Ruſsis defenſoribus, ab hoſtibus capta & exuſta eſt, Chelmenſiſ́que ora diuexata. Sed eos Ciolcus præfecti Chelmenſis uicarius, ſiue Burgrabius, ut uocant, cum centũ triginta non amplius hominib. facto in ſecuros animoſe impetu, ultus eſt: ita ut trecẽtos ex ijs interficeret,

Luſcum oppidum incenſum.

Suitrigellonis fuga.

Rumboldus et Gaſtaudus Lituani capti.

Lituaniiterum uicti in Belzenſi tractu.

Oleſcum arx.

Lucenſis arx obſeſſa.

Induciæ damnoſæ.

Proditores in exercitu Polonico.

Suitrigello pacem poſtulat.

Rathnũ proditione captum & exuſtum.

Lituani fuſi in Chelmenſi territorio.

Lituanorũ clades apud Cremeneciam.

interficeret, quadraginta uiuos caperet. Ad Cremeneciam quoq; eodem tempore bene res à nostris oram eam depopulantibus gesta est. Cum enim hostes in nostros, paucos consultò per agros palantes, ex arce decurrissent, excepti insidijs, perpauci in arcem refugerunt, plurimis uel cæsis uel captis. Continuabatur autem ab reliquo exercitu obsidio, & maioribus odijs quàm uiribus inter obsidentes & obsessos certabatur. Li-

Russorum sæuitia.

tuani & qui cũ eis sentiebãt Russi, quoscunq; Polonici generis & catholici ritus in arce repererãt, exquisitis supplicijs in propugnaculis, ut inspectarent nostri, necabant, & omne genus contumeliæ in nostros iactabãt,

Russi incantationibus diditi.

fisi incantationibus, quibus gens ea ualde utitur, & magicis artibus: quarum professores Iudæi cùm alia quædam abominanda faciebant, tum

Impius ritus lustrandi.

captiuum quempiam Polonum eleganti forma infixo in iugulum cultro mactarunt: hausturnq; sanguinem, & intestina uitaliaq; membra extracta, & in minuta frusta concisa prunis imposuerũt & adoleuerunt: eoq; suffitu impias & sacrilegas precationes adhibentes, omnes arcis angulos lustrarunt. Sæuiebant & Poloni uicissim in Russos quoscunque cæperant, ut par pari referrent. Conueniebat iam de pace inter proceres: sed eam Suitrigello approbare noluit, nisi Cruciferi quoque & Valachi fœderati & socij sui pacis eius legibus continerentur. Vtrosque enim in

Cruciferi Cuiauiam ac Dobrinũ infestarunt, Valachi Russiam & Podoliam.

societatem adsciuerat, eoq; magnis muneribus illectos adduxerat, ut & Cruciferi uiolato fœdere Cuiauiam atque Dobrinum, & Valachi clientes Polonorum Podoliam & Russiam finitimam armis infestarent. Sed Valachos quidem cum ingenti præda è Snatinensi, Haliciensi & Camenecensi agro capta reuertentes, Russi regij Buzacijs fratribus ducibus è castris regijs curriculo profecti & consecuti, magna strage fuderunt,

Alexander palatinus Valachorum extinctus.

prædamq; excusserunt: Alexander quidem palatinus, dux & author belli, fuga elapsus est: uerùm non multo pòst, pœnitentia facti & mœrore confectus obijt. Nec dissimili, sed pro numero tamen aliquanto minore

Cruciferi profligati à Polonis.

clade Cruciferi quoque Crainensem oram uastantes, affecti sunt ab agre

Craina.

stibus Cuiauijs ac Dobrinensibus, Ioanne Iarogneuio gente Orleio, Bartholomæo Vissemburgio Nalencio, ac Dobrogostio Colinio equestris ordinis ducibus: cum ij accepto domesticæ calamitatis nuncio, prępeti cursu è castris domum contendissent. Neq; parsum est arma abijcientibus. Theodoricus modò marsalcus Liuonienſis, &

Cruciferi insignes capti.

septem commendatores capti cum quatuor uexillis: Cracouiamq; ad regem missi, omnes præter Theodoricum in carcere uitam finierunt. De uniuerso autem agmine illo, in quo septingenti Liuonienses equites, præter cæteram Curouiensium, Suecensium, Tucholiensium, Slochouiensiumq; equitum pariter & peditum manum, fuere, pauciſsimi equestres ferè euaserunt. Nam reliquus Cruciferorum exercitus peruastata longè lateq; Cuiauien

Oppida incensa à Cruciferis.

si ac Dobrinensi ora, uiginti quatuoroppidis (in quibus præcipua fuere Inouuladislauia, Vuladislauia & Nessouia Toruniæ æmula) & plus mille pagis direptis & incensis, & arce Nessouiensi præsidio munita, incolumis & pręda onustus domum reuerterat. Illos uberioris prędę spes ab Iodoco Tocholiensi commendatore ostensa longius prouexerat. Et

Nessouiensis arx præsidio firmata.

quidem

quidem nõ ſine magno compendio, niſi id ſanguine ſuo exoluiſſent. Nec mirum cuiquam uideri debet, tantum detrimenti una illa excurſione acceptum eſſe, propoſuerant enim Cruciferi præmia incendiarijs, oppidorum quidem ternas marcas, pagorũ uerò ſingulas. Munitioribus autem oppidis & arce Neſſouienſi, proditione Nicolai Tumigralæ Secouij, quem rex ad cuſtodiam Cuiauiæ reliquerat, potiti erant: Breſte fruſtra tentarunt. Cum igitur de conditionibus pacis regi cum Suitrigellone conueniret, inducijs interceptum eſt bellum, ita ut poſtridie Cal. Februarij ſequentis anni in cõuentu Parſouienſi accuratius de pace tractaretur. Nec mora, ſoluta eſt Luſci obſidio, dimiſſuſq; exercitus. Ac tum demum Cuiauienſes illi, quos dudum commemorauimus, & complures alij eiuſdem oræ equites, curſu omnia præuertentes, cum agreſtibus coadunati, illam de Cruciferis uictoriam adepti ſunt. Miſerant quidem rex & Suitrigello pariter, inducijs ſic inter ſe factis, legationem ad Cruciferos, ut ne Poloniam bello uexarent: ſed tardius ea peruenit, cum iam hoſtes ſatis in homines omnis ordinis atq; ætatis, & innocua tecta debacchati, præda graues domum reuerterentur. Illud Cruciferico illo bello animaduertum, uariè ſuſpicandi hominibus anſam dedit, quòd Maſouiorum fines intacti prorſus ab omni ui hoſtium fuerunt. Rex uerò à Luſco diſcedens, in Chelmenſi ora aliquandiu ſubſtitit: per quod tẽpus Ruſsi Volynienſes nullum genus crudelitatis omiſerunt in noſtros: qui ibi poſt pacem factam & diſceſſum regis cum mercibus omnis generis Lucenſibus uenum expoſitis, ſiue alia quauis de cauſa remanſerãt, aut antiquitùs domicilia fixerant. Templa etiam quæcunq; Ruſsici ritus non eſſent, impiè & immaniter exuſta & euerſa ſunt. E' Chelmẽſi deinde rex Leopolim profectus eſt: quò cum ingens Cuiauienſium ac Dobrinenſiũ equitum multitudo conflueret, opem & ſubſidium regis afflictis & perditis Cruciferico bello rebus, ſuis atq; ſuorum implorans, magna in cunctos ac profuſa benignitate uſus eſt, nonnullos præſente pecunia ſubleuans, nonnullis uerò poſſeſsiones de ſuo largiens: cumq; non illius modò, ſed & cuncti ſuperioris temporis immenſis donationibus ſeſe & ærarium ſuum exhauſiſſet, ſupereſſentq; adhuc multi, quibus ipſis cum liberis & uxoribus etiam ſubuento opus eſſet, eccleſiaſtica bona illis dilargiri cœpit, ut per hyemem duntaxat eorũ uſufructu ſuſtentarẽtur. Pernicioſi exẽpli res ea uiſa antiſtitibus. Itaq; Albertus archiepiſcopus Gneſnẽſis, & Sbigneus epiſcopus, cum primoribus eccleſiarum ſuarũ ſacerdotibus properè ad regem excurrerunt, tam iniuſtas donationes eius repreſſuri. Et archiepiſcopus quidem ſubmiſsius fruſtra orabat regem: Sbigneus uerò maioris animi & conſtantiæ uir, grauius in eum inuectus eſt, cùm præterita eius peccata cõmemorans, tum iniuſtas illas alienorũ bonorum donationes reprehendens: & ni cœpto deſiſteret, grauiore ſe in eum cenſura & animaduerſione uſurum eſſe minitans. excuſantiq; neceſsitatem, & piam calamitoſorum hominum commiſerationem, adiecit: nihil ea cõmiſeratione & miſericordia opus futurũ fuiſſe, niſi ipſe calamitatẽ illam tam multis inuexiſſet. uulgò enim iactari, ab eo ipſo Cruciferos quieſcẽtes excitatos

Incendiarij cõducti à Cruciferis.

Tumigralæ proditio.

Inducię cum Suitrigellone.

Maſouiorum ditiones expertes incõmodorum belli.

Vuladislai beneficentia in calamitoſos.

Calamitoſi immiſsi à rege in bona eccleſiaſtica.

Rex ab epiſcopis obiurgatus ob largitionem eccleſiaſticorũ bonorum.

Sbignei epiſcopi libertas dicendi.

esse. Quod si id uerum non sit, non esse tamen ipsum culpæ expertẽ, propterea quòd iustum aduersus ingratum & sceleratum fratrem bellum, quod paruo negocio debellari potuerit, peruersa quadam indulgentia sua duxisset, commeatum'que & arma obsesis Lucensibus subministrasse diceretur: inducias quidem certè, per quas illi se recrearent, bis eis contra omnium sententiam concessisset. Ita tunc Sbigneus: quanquam nihil cuiquam rex in Cracouiensi diœcesi, præter quædam Miechouiensis monasterij, donarat: Sbigneum reueritus, atque id ipse tum commemorabat: sed nihil tamen ea res animum Sbignei mollijt, non tam suam quàm publicam ecclesiastici ordinis causam agentis. Reuersus deinde rex est in Poloniam ad comitia, quæ Nepolomiciam ad undecimam diem Nouembris indixerat. Ibi Heduigim filiam Friderico iuniori marchioni Brandeburgensi desponsam, immatura morte defunctam amisit. Creditũ est uulgò, ueneno eam à nouerca sublatã esse, ne quo filijs suis impedimento ad regnum adipiscendum esset: propterea quòd ea Cazimiri magni regis, cuius grata etiam tum erat apud Polonos memoria, proneptis esset. Rex quoq; ipse æquiori quàm par erat animo mortem eius tulisse uisus est. Post initiũ uerò insequẽtis anni Lublinũ rex, magna procerũ caterua stipatus, profectus est: proceresq; omnes, excepto Alberto archiepiscopo, Parsouiam ad conuentũ cum Suitrigellone agendum transmisit. Verùm ij cum diu frustra Suitrigellonem moras nectentem expectassent, re infecta discesserunt. Erat autẽ apud Suitrigellonem Ludouicus commendator Torunensis, qui hoc agebat sedulò Crucigerorum nomine, ne pax cum Polonis coiret. Rex de statu reipub. ac de impendentibus undiq; periculis anxius, ad uicesimam tertiam diem Aprilis Siradiæ comitia habuit. Ibi Vuladislaus maior natu regis filius regni successor à patre designatus, totiusq; cõuentus suffragijs approbatus est. Constitutum est etiam, ut si plura simul bella ingruissent, cæteris omissis ad tempus, in id quod esset grauissimum, toto conatu & cunctis uiribus incũberetur, ne diductæ multipliciter & extenuatæ uires nulli rectè sustinendo satis essent. Nicolaus uerò Tumigrala proditionis, cuius superius meminimus, ibi dãnatus est: quamuis necessitate, cum nullas ad resistendum hosti uires haberet, eò adductus esse pleriscq; uideretur. Vuzeleius is gente fuit, cuius insigne est latruncularia tabula. Nuptias deinde rex Eniliæ Masouiorum ducis & sororis suæ filiæ, Boguslao Stolpensium duci in matrimoniũ collocatæ, splendido apparatu fecit. Reuertentem in minorem Poloniam, Pabianiciæ, quod oppidũ cum omni territorio sacri collegij Cracouiensis basilicæ est, legati Boemorũ hæreticorum conuenerunt, auxilia contra Cruciferos pollicẽtes, & Coributho regem reconciliantes: adhæc Basileensis cõcilij propensionẽ erga se nũciantes. Etenim indixerat eò Martinus põtifex anno præterito concilium, eiq; suo nomine Iulianum Cardinalem diaconum præfecerat: cumq; interea uita defunctus, Eugeniũ eius nominis quartum successorẽ accepisset, nihilominus patres qui cõuenerant, Sigismundo Cæsare authore id prosecuti sunt, & cùm alia multa ad salutẽ reipub. Christianæ pertinẽtia faciebant & sancie-

Comitia Nepolomiciæ.

Heduigis Vuladislai regis filia mortua.

1432 ann.

Cõuentus Parsouiæ non successit.

Comitia Siradiæ.

Vuladislaus Vuladislaum filiũ regẽ Poloniæ designat.

Tumigrala proditionis dãnatus.

Vuzeleia familia.

Boemorum hæreticorum oratores ad regẽ.

Basileense concilium.

& sanciebant, tum ad Boemos Egræ conuentum agentes miserant orato
res, qui eos blandè in uiam reuocarent, aut certè ad cõgressum & collo-
quium amicè inuitarent, prolixè multa pollicentes. Hęc igitur tunc Polo
norum regi Boemi nunciabant. Grata fuit ea legatio regi & proceribus,
bellum in Cruciferos molientibus. Quare comiter & lautè legati habiti
sunt, &, assentientibus archiepiscopo & episcopis, qui tunc aderant, ad sa
crorũ cõmunionem admissi. Perfuncti uerò legatione, cum reuerterent,
& Cracouiam contra prȩceptum regis ex itinere diuertissent, cessatũ est
à sacris mandato episcopi licet absentis, adstipulãte uniuerso cœtu sacer-
dotum, & theologorũ, & iureconsultorũ, quos Vicarius episcopi ea de
re cõuocarat. Contumelioſum id uisum Boemis: regi uerò (qui tamẽ fu-
turum id diuinauerat) & cæteris episcopis permolestum fuit, quod Sbi-
gneus unus omnium acta ac decreta irrita faceret. Accendebant etiã ma-
gis iram regis Ioannes Menzicus Dãbrouius palatinus Russiæ, & Petrus
Corcibocus, qui Boemos honoris causa iussu regis deduxerant. Itaq; ex-
canduit is in episcopũ, & uenienti ad se Visliciam, dextram, beneuolẽtiæ
symbolum, nõ porrexit: quin asperioribus etiã uerbis eum increpuit, &
Petri Vissi fortunã ei cõminatus est. At ille imperterritus respõdit: fauo
rem se, non offensam regis meritum arbitrari, quòd solus & salutis & exi
stimationis eius, quæ ab inimicis eius & maximè Cruciferis cùm aliâs, tũ
in Basileensi cõcilio proscinderetur, optima fide curam haberet: prouide
retq; omni ratione, ne rex meritò pro fautore hæreticorum traducatur:
& cum de religione agitur, neq; regis, neq; cuiusquam omnino uultum
atq; minas se reformidare, quin id faciat, quod rectum esse intelligat. Au
thoritate archiepiscopi & cæterorũ episcoporũ nihil se in hac parte mo-
ueri, habentem adstipulatores diuini humaniq; iuris professores. Petri
Vissi calamitatem desineret commemorare, quæ non tam innocenti epi-
scopo, quàm iniurioso regi ignominiosa accidisset. Neq; uerò ea se terre-
ri: paratũ non modò quasuis contumelias pro religione, uerumetiam exi
lium atq; mortẽ subire. Cum aũt rex subiiceret: se quoq; diuini & huma-
ni iuris peritos diuersæ sententiæ authores habere, acciti primores Aca-
demiæ Cracouiensis, & cum his cõmissi Ioannes Saffranecius Vuladis-
lauiensis, Ioannes theologus Chelmensis, episcopi: & Vuladislaus Opo-
rouius pontificij iuris peritus, procancellarius regis, qui postea Vuladis-
lauiensis episcopus fuit, haud difficulter refutati sunt. Neq; tamen peni-
tus regis ira in Sbigneũ resedit: admonitusq; is est ab Ioanne Tarnouio
palatino Cracouiensi, ut sibi diligenter caueret. subornatos enim esse à
rege, qui eum de medio tollerent. Et egit quidem gratias palatino Sbi-
gneus: sed nihil tamen ea nocte, in quam sibi periculum comparatũ esse
acceperat, de consuetudine sua remisit. In eodem cubiculo, eodem lecto
cubuit, nullam sibi custodiam adhibuit: nocteq; intẽpesta cum uno sacer
dote & puero lumen præferente, ad matutinas precationes ad templũ a-
diit, neq; aduersi quicquã ei accidit, quòd rex uel mutasset consiliũ, uel ua
nus ille terror fuisset. Nec multo pòst, sacerdotẽ hæreticũ, qui ad regem
uenerat, idẽ Sbigneus eiecit, uir excelsi animi, & sempiterna posteritatis

Boemi admissi ad sacrorũ cõmunionẽ à rege & episcopis.

Interdictum sacris Cracouiæ propter Boemos.

Rex iratus Sbigneo episcopo.

Sbignei oratio ad regem.

«
«

Sbignei magnus animus contemnensq; periculi.

Cypri regis legatio ad Vuladislaum regem Poloniæ.

memoria dignus. Venit aũt eódẽ ad regẽ illustris legatio Iani Cypriorũ, Hierosolymorũ & Armeniorũ regis, mediterraneo mari per Propontidẽ & Pontũ Euxinũ, atq; inde aduerso Danubio aduecta in Valachiã, & inde porrò terrestri itinere non sine magna difficultate in Russiã & Poloniam profecta. Eius legationis princeps Balduinus de Noris marsalcus Cypri, donis regi & reginæ oblatis, connubiũ Heduigis regiæ filię, regis sui filio, ac ducẽta millia aureorum numũm ipsi regi mutua petebat, besemq;, hoc est duas tertias partes Cypriorum regni hypothecæ nomine Vuladislao offerebat. Sed nihil impetratũ, quòd & Heduigis iam obierat, & pecuniã se rex habere, assiduis bellis exhaustum, negauit. Misit deinde Vuladislaus rex Laurentium Zarembam castellanũ Siradiensem, legatum in Lituaniam, admonendi in speciem, & sanandi Suitrigellonis causa: reuera autem, ut Lituanorum procerum animos sua sponte iam à Suitrigellone, cùm propter crudelitatem eius, tum propter propensiorem erga Russos fauorem alienatos, magis etiam clàm in eum incitaret: Sigismundum' que Vitoudi fratrem germanum, Starodubensium ducem ad inuadendum principatum Lituanorum animaret. Neque irritus hic conatus fuit. Cognita enim uoluntate regis, Lituani cum Sigismundo cõspirantes, in Suitrigellonẽ, apud Osmianos tũc agentẽ, arma sumunt. Et euasit quidẽ Suitrigello fuga in Russiã, ab Ioanne Moniuido de insidijs præmonitus: cupideq; receptus est cùm à ceteris Russis, tùm à Smolenscijs: indeq; postea adiunctis sibi Liuonienſib. Lituaniã uexauit. Vxorem uerò eius Russam, Tuuerensiũ ducis filiam Sigismundus cæpit, Lituaniamq; omnẽ in potestatem suam redegit. deinde ad regẽ misit oratum, uellet iuberet, se principem esse Lituaniæ. Missi in Lituaniã septem de primoribus Polonorum, conditiones Sigismundo tulerunt, ut iureiurando interposito reciperet, se in fide & clientela regis, qui supremi ducis Lituaniæ titulum retineret, & Polonorũ, semper futurum: eosdem cum eis amicos hostesq; habiturum, suisq; stipendijs eis militaturum: cum Suitrigellone & Cruciferis nullum fœdus contra regem & Polonos seruaturum: Olescum, quod tunc ab exercitu regio obsidebatur, Grodlum, Rathnum, Vetlios, Lopatinum, & omnem Podoliam, quę in ditione Polonica fuisset, deinceps quoq; esse passurũ: diadema cõtra sententiã Polonorum ne ultrò quidẽ oblatum, à quoquã accepturũ: neminẽ nisi regem & liberos eius in principatu successorẽ relicturũ: Michaelẽ uerò filium, & reliquos hæredes suos legitimos in Trocensi tantum dominatu & patrimonio sibi successuros, fidem & subiectionem regi regno' que profitentes atq; seruantes: ijs uerò, si absq; suis hæredibus decederent, regem & regnum hæredes fore: Volyniam, quoad uiueret, sibi concessam & adiunctam, quemadmodum & Vitoudo concessa esset, se mortuo in ius ac ditionem Polonorum reuersuram esse. Hæc omnia Sigismundi ipsius, & filij Michaelis, senatusq; Lituanici, & uniuersæ nobilitatis cõsensu approbata & accepta, & unis atq; alteris literarum monumẽtis cõsignata sunt. Quib. ritè peractis, Sbigneus episcopus princeps legatiõis regię, gladiũ, principatus insigne, Sigismundo regis nomine publicè tradidit. Interfuit his om-

Rex Lituanos in Suitrigellonem concitat.

Suitrigellonis fuga.

Suitrigello uexat Lituaniã.

Sigismundus dux Lituanis à rege præficitur.

Pacta Lituanorum cum Polonis.

De feudo.

De societate et fœderibus.

De Podolia.

De regno.

De successione.

De Volynia.

Principatus insigne.

his omnib. Ludouicus cõmendator Torunẽsis, cum trib. collegis à Paulo magistro Cruciferorũ ad ineundã nouam cum Sigismũdo, posteaquã Suitrigello principatu eiectus erat, societatẽ missus. Atq; is enixè studuit infecta reddere, quæcunq; à Polonis procerib. agebãtur: adiutorẽ ad id nactus Georgiũ Butrim Lituanũ, hominem ingeniosum & callidũ, quippe qui multas Christiani orbis regiones peragrasset. Sed irriti tamẽ ij conatus fuere: iussiq; Cruciferorũ legati, uelut hostes, Lituaniæ finibus statim excedere. Cõpositis rebus Lituanicis, ad Podoliam pacandã rex animum intendit. Et miserat quidẽ eò nonnihil copiarũ; sed hę in Olesci obsidione tempus terebant: & minores erant, quàm ut Podoliã, cuius nõnullæ munitiones adhuc Suitrigellonis pręsidijs tenebant, subigere possent. Itaque ipse Leopolim profectus est, ut ex propinquo rectius è re nata rebus consuleret. Ibi Lucensi conuentui ad priores immunitates adiecit, ut nobilitatis subditi nõ nisi aduenienti in id territorium regi cõmeatum & stationes præberẽt: templa Russorũ ne uastarentur, neq; cogeretur quisquam transire ad religionem catholicam. Fortè per eos dies Olescum expugnatum erat. Eas igitur uictrices copias, nouo supplemẽto auctas, ad recipiendas reliquas munitiones Podoliæ misit. Nec magno eæ negocio in potestatem regis redactæ sunt. Braslauiam uerò arcem, ne nostri ea potirentur, Theodoretus siue Fedco Ostrogius dux Russus, partium Suitrigellonis, uir strenuus & bellicosus, unà cum oppido incẽdit. Habebat is quidem circa se non contemnendam manum. Sed nusquã aperto marte cum nostris rem gerebat, nec se certo loco tenebat. Ex insidijs uerò nostros lacessens, sępe fusus fugatusq; erat. Cum aũt hominem in latè patentibus campis cum expedito equitatu uagantẽ adipisci & perdomare difficile esset, tempusq; anni hybernũ bello gerendo minimè aptum esset, reuertebantur nostri. Reuertẽtes Fedco occultus sequebatur, opportunitatem & occasionẽ rei bene gerendę captans: & non minimũ auxerat uires suas auxilijs Valachorũ, Tartarorum & Besserabum, ita ut numero nostros longè uinceret. Moraqua amnis est, qui in Nestrũ siue Tyrã influit, limosus & latè restagnans, ac per syluestria loca means. Et iam fragili glacie cõcretus erat. Ad eius uadum, quod uirgultis nostri consternebant, alio itinere præcurrẽs Fedco, occultus & syluis tectus, cum exercitu in ulteriore ripa cõsedit. Iam pars nostrorũ angusto tramite impeditũ locum transiuerat: ponè carri & impedimenta in medium recepta sequebantur: cum subitò ille magno cũ impetu, clamore, ac dissono tubarũ, tibiarum, tympanorumq; cãtu & strepitu inuectus, nec opinãtes primos adoritur. Trepidi nostri re noua & inexpectata, cum neque ad extremum agmen receptus daretur, nec ab eo magna auxilij spes affulgeret, tamen impetum hostium utcunque sustinuêre. At qui in extremo agmine erant, ubi suorum periculum animaduertêre, nihil cunctati, contempto omni periculo, partim per constratã uiam, euersis & in cœnum deiectis carris, partim per infirmam etiam tum amnis restagnantis glaciem superata difficultate, auxilio suis iam laborantibus accurrerunt, & prælium instauarunt. Superabãt tamẽ multitudine hostes, perturbatosq; nostros & sine

Cruciferorum conatus.

Georgius Butrim.

Olesci obsidio.

Lucensium priuilegium.

Podolia recepta à Polonis.

Braslauia incensa.

Fedco dux Ostrogius.

Moraqua fl.

Polonorũ cum Russis prælium.

ordine pugnãtes premebãt, pars etiã quasi parta iam uictoria ad diripien
dos carros discurrebat: deplorata res nostrorũ erat, cum subitò quasi di-
Kemlicius instaurat pugnã. uinitus eis auxiliũ affulsit. Kẽlicius quispiã, siue is Polonus, siue Silesius,
ut ex nomine licet cõiicere, fuit, tribunus militũ cum centũ equitibus pa-
bulatũ præcesserat. Is cum ex clangore tubarũ, & fragore armorũ pugna
ri eminus cognouisset, instructa tumultuariè acie, sublatoq; maximo cla-
more in auersos & ad prælium intentos hostes impetũ fecit. Quare & illos
Rußi uicti. uehementer perturbauit, & nostris animũ addidit. Redintegrato igitur
prælio, à tergo pariter & à frõte cædũtur hostes: & qua fugæ patebat exi
tus, dissipantur. Fugientibus institêre nostri usq; ad mediã ferè noctem,
quæ tunc sublustris erat: & cum neminẽ uiuum seruarẽt, magnã hominũ
stragem fecerũt, duodecimq; signa capta retulerunt: dux ipse fuga euasit.
De nostris nõ adeò multi desiderati sunt, & ij quidẽ ferè gregarij. Abest
Rumor celer. locus ille prælij à Leopoli nõ minus quadraginta milliarib. bene longis:
& tamen quo die hæc gesta sunt, hoc est ultimo Nouẽbris, cum rex in tẽ-
plo, ubi tũc totos dies transigebat, diuinã opem sedulus imploraret, non
ignarus cum quàm grauibus & insidiosis hostibus exercitui suo res esset,
rumor de uictoria sparsus totam urbem impleuit. Nec author eius rumo
ris inueniri potuit, ita ut uana lętitia exultasse homines uiderentur. Poste
ro deinde die certo nuncio res omnis, ut gesta erat, cognita est: gratiæq;
Suitrigello fusus & fugatus à rege. actæ Deo, ac dona à rege missa militibus. Nec multo pòst cumulata est
regi ea lætitia, profligato à Sigismũdo duce apud Ossmianos insigni stra-
ge Suitrigellonis exercitu, è Rußis, Tartaris & Liuonienßibus collecto:
de quo ad decẽ millia cęsa, quatuor capta esse, relata sunt. Suitrigello qui-
dem pernici fuga crebro mutando equos euasit. Sigismundus monimen
Ossmianense collegium. tum uictoriæ, templũ & collegium sacerdotũ apud Ossmianos postea in-
Comitia Cracouiæ. stituit. Hac gemina uictoria rex lætus, Leopoli discedẽs, Cracouiã ad co-
mitia, ad natalẽ Christi indicta, uenit: & ouans pedibus urbem ingressus,
apud cõplura templa festas suplicationes obiuit, priusquã arcem ascende
ret. In comitijs deinde de Prussico bello agi cœptũ, resq; integra ad alia
comitia, quę ad secundã dominicã Quadragesimę Sendomiriã indicebã-
Comitia Sẽdomiriæ. tur, reiecta. Eò porrò aduenerũt oratores è cõcilio Basileẽsi, quod Euge-
Basilienßis concilij oratores ad regem. nius põtifex cum ab initio approbasset, Bononiã transferebat, atq; adeò
dissoluebat. Conciliũ cõtrà, abrogare pontificatum Eugenio nitebatur.
Concilij cum pontifice dißidium. Quanquã obstabat Sigismundus imperator, ut gratiã referret Eugenio,
à quo Romæ paulo antè diadema imperatoriũ ritu solenni acceperat. Po
stulabat aũt ea legatio, ut rex cũ omnib. ditionibus suis cõcilio aduersus
Sigismũdus imperator factus. pontificem faueret, & ut uexãdis bello Cruciferis supersederet, cõcilioq;
causam illam omnem cognoscendam & arbitrandã permitteret. Cui re-
Responsum regis oratoribus Concilij. sponsum est: non abhorrere à pace regem, si à Cruciferis ipsi satisfieret.
porrò de his quæ præterea oratores postulabant, diligentius eum con-
sultaturum, ac deinde missurum legatos suos ad concilium cum certo re-
sponso. Ita dimissi oratores concilij, in Prussiam ad Cruciferos, ut eos ad
accipiendam conditionẽ pacis à rege oblatã adducerẽt, profecti sunt. Cæ
terùm in comitijs Sendomirienßib. de cogitatione & apparatu belli nihil
à nostris

à nostris remissum est. Tametsi gerendi eius ratio nõ expediebatur, propterea quòd rex senio cõfectus, & caligantibus oculis, munia belli per se ipse obire non poterat: & Lituanorũ, Russorum atq; Valachorũ auxilia, cum eæ gentes partim propriis ac domesticis bellis implicatæ essent, partim à fide regis desciuissent, defutura erant. Itaq; tertia comitia armatorũ ad diem sancti Ioannis baptistæ natalem Colum indici, & Boemorũ hęreticorum auxilijs utendũ esse, quãuis refragantibus episcopis, decretũ est. Nec ita multo pòst, conuentu inter nostros atq; Cruciferos opera oratorum cõcilij de pace frustra instituto, cum Cruciferi quindecim dies ultra condictum expectati non uenirẽt, euocati Boemi à rege, duce Zapcone præstò fuere: cõiunctiq; cum maiorib. Polonis, quib. Sendiuoius Ostrorogius iussu regis præerat, nouã Marchiam Crucigerorũ imperio subiectam, crudeliter uastarũt: duodecimq; oppida munita partim ui, partim per deditionem cæperũt: quæ quidẽ omnia direpta ac diruta sunt, Chossno, quam Teuthones Ernisbergam dixere, excepto: quod quoniam erat munitissimũ, præsidio firmatũ est, quo facilius omnis ea regio in fide regia cõtineretur. Per eosdẽ ferè dies Sigismũdus dux Lituanorum, coadunatis magnis copijs, duodecim dies Liuoniã depopulatus est, & ingentẽ prædã inde asportauit. In Russia uerò, Risco siue Gregorius Kerdeius Nossum ducẽ Russum, Suitrigellonis partiũ, qui Luscum nõ ita pridem interceperat, profligauit atq; cæpit. Vbi statuta armatorũ comitiorum dies aduenit, frequens cõuentus sciuit, ut rex in Polonia subsisteret. exercitui uerò uniuerso & summæ rerũ prefectus est Nicolaus Michalouius, gente Roseus, castellanus & præfectus Cracouiensis. Huic rex dedit in mandatis, ut hostiles regiones lõgè lateq; uastaret: munitionũ oppugnationibus abstineret. Retinuit aũt secum rex nõnullos de senatu graues & grandæuos uiros, cum quib. quacunq; de re ad se referretur, cõsultaret. Colo profectus Michalouius cum exercitu in Pomeraniã, nõ diu mandatorum regiorũ memor fuit. Iã maiores Poloni cum Boemis subacta omni noua Marchia, præter Landisbergã oppidum, in Pomeraniã anteceſſerant, & Choiniciã obsidebant. Quoniam aũt consultissimum uidebatur coniunctis copijs rem gerere, eò duxit reliquũ exercitum Michalouius: facileq; persuaderi sibi ab Ostrorogio passus est, ut cæptã Choinicię obsidionem prosequeretur. Erat aũt oppidum bene munitũ, commeatu, præsidio, & omni apparatu belli instructissimũ. Vbi in longius tempus obsidionem eius duci animaduersum est, institutus cuniculus, quo ex improuiso in oppidum irrumperetur. Verùm is non altè ductus, priusquã perduceretur, subsidente fabuloso solo obrutus est. Tentata deinde ui & impetu oppugnatio, exiccata fossa oppidum ambiente. Sed inde quoque multis uulnerib. acceptis, re infecta discessum est: cum primi Boemi in tutum se recepissent. Iam difficiliore annona, propter multitudinẽ, & uias ab hostibus insessas, nostri utebãtur, & ex pabuli inopia plurimos equos amittebant. Itaque serò regiorum mandatorũ recordati, cum totos duos menses in obsidione Choiniciæ casso labore consumpsissent, ea soluta, castra mouerũt, & in interiora Pomeraniæ populabũdi progressi sunt:

Episcopi refragati, ne rex hæreticorum auxilijs uteretur.

Bellum Prussicum.

Noua Marchia subacta à Polonis.

Chossno oppidum à Polonis munitum præsidio.

Liuonia à Lituanis uastata.

Nossus dux uictus & captus à Kerdeio.

Coli comitia armata.

Nicolaus Michalouius dux exercitus Pol.

Choinicia obsessa à Polonis.

Lues equorũ.

Pomerania uastatur.

Pelplinẽse monasterium direptum.

sunt: prætergressíq; nonnulla oppida, direpto Pelplinensi monasterio, magnificentissimè ædificato & opulento, ad Tizouiam siue Dersauiam peruenerunt. Præcesserant & præterierant oppidum Boemi, qui primas stationes seruabant, & loca metandis castris capiebant. Poloni uerò quo minus in suburbana prædãdi causa discurrerẽt, cohiberi à ducibus nequiuêre. Erat in oppido ualidum hostium præsidium. Nam ij quocunq; admoturos esse nostros intelligebant, omnia præsidia ex propinquis munitionibus deducta, noctu eò contrahebant. Id igitur præsidium occurrit nostris ad extrema suburbana: sed tamen quo minus ea incenderentur, prohibere non potuit. Itaq; latè uagante incendio, in oppidum se hostes

Dersauia incẽsa.

receperunt. Nec mora, aduerso ac uehementi uento flante, urbana quoque ædificia flamma corripuit: nec ea restingui ullo cùm hostiũ ipsorum, tum ad extremum etiam nostrorum conatu potuit. Sic oppidum longè munitius & opulentius quàm Choinicia, quasi fortuito incendio conflagrauit: præda omnis, præter eam quæ in subterraneis cellis & fornicibus absconsa erat, igne corrupta: captiuorum supra decem millia fuisse dicuntur. Ex his quicunque Boemici generis fuerunt, Zapco reuertens, ut sibi condonarentur, impetrauit: traditos, grauiter, quod Teuthonibus contra Polonos eiusdem secum linguæ & originis militarent, corripuit,

Zapconis acerbitas in Boemos.

Piratæ cõbusti.

pyraq; ingenti extructa exusit. Eius exemplum secutus Ioannes Strassus Bialassouius, piratas in ergastulo conclusos, quorum non exiguus numerus inter præsidia Cruciferorum fuit, circumiecta palea & arida materia, succendit. Et effregerunt ij quidem ergastulum ligneum: sed cum effugere uellent, aduersis hastis à nostris excipiebantur, donec Michalouius superueniens cædem eorum repressit, ignemq; restinxit. Matronis uerò & puellis captiuis iustus honor habitus: adhibitaq; publicè custodia, ne quid in eas contumeliose à quoquam fieret: factaq; diligenti conquisitione, ne qua priuatim à quopiam occuleretur, omnes ad Vistulam deductæ, traiectæq; nauibus, liberè dimissæ sunt. Perhonorificum id fuit nostris apud ipsos etiam hostes, omnesq; eis omnia bona precari: suis uerò, qui longè essent, fuissentq; in populanda Polonia dissimiles, mala imprecari. Atq; utinam in templis, monasteriis, & rebus sacris nostri eadem abstinentia usi fuissent. Sed plus hic ualuit ira & dolor immanissimè direptorum à Cruciferis in Cuiauia templorum. Itaq; Oliuense quoque monasterium paulo pòst direptum & incensum est. Inde ad Gdanum castra mota, quadriduoq; in conspectu eius urbis statiua habita: per quos dies omne id territorium peruastatum, munitio portus lignea disiecta.

Fœminis captiuis honor habitus à Polonis.

Oliuẽse monasterium incensum.

Poloni exercitus lætitia, quòd ad mare peruenissent.

Equites cum ad mare uenissent, longius in salum atq; fluctus, ludibundi & gratulabundi sibi inuicem, quòd mare infestis armis attigissent, procurrêre. Feruntur etiam Boemi marinam aquam hausstam, lagunculis domum deportasse. Peruastata satis usque ad mare Pomerania, reuertentes nostri alio itinere, Tucholiensem & Iasenecensem oram uastabant. Cum autem apud Iaseneciam statiua haberent, de pace ab hostibus tractari cœptum est. Et Boemi iam præcesserant, ut se in Polonia reficerent. Dum colloquũtur inter se primores, pauci de nostris iuniores temerè impetũ

Iassenesiũ arx capta & incensa.

in arcem

in arcem fecêre: eosq; prægressos exercitus omnis, cum esset sine imperio, quasi dato signo secutus est. capta momento arx, & direpta, & improbitate cuiusdam militis incensa est. Captiui ad unum omnes trucidati, furore militum, ob interfectum in oppugnatione Ioannem Leuinum Vilcinium, nemini parcente. Permolestè id factum, dum de pace agitur, tulere Cruciferi: sed nostris iniussu id suo, & tamen iure belli, neq; pace, neq; inducijs adhuc constitutis, factum defendentibus, acceleratæ sunt inducijs trium mensium. Interim autem ad Cal. Decemb. ut in conuentu Brestẽsi de conditionibus pacis constitueretur. Captiui Crucifer orũ nobiliores facta sponsione sistendi sese, si de pace non conuenisset, dimissi: tenuiores & gregarij uel cõmutati, uel binis florenis redempti. nostri munitiones in noua Marchia quæsitas retinuere: pacti nihil munire interim, nec reficere. Mirum autẽ est, tum demùm Cruciferos de pace & inducijs quàm diligentissimè egisse, cum nostri peruastata omni Pomerania, ita ut soli quatuordecim pagi inter lacus & paludes siti intacti relinquerentur, domum reuerteret. His peractis, exercitus omnis accepta à Michalouio missione, suam quisq; domum dilapsus est. Sed Boemorũ primores Pysdros ad regem, ut erat ab eo præceptum, profecti, honorificè ab eo accepti & remunerati sunt. Neq; uerò labis quicquam tunc nostri ex eorum consuetudine contraxere, quin odisse magis eorum fœditatem & impietatem cognitam cœpere. Nouum etiam tunc fœdus Casimirus dux Pomeraniæ Scecinensis cum rege icit, ueteri, quemadmodum credere par est, uiolato: quo recepit sub fide & honore suo unà cũ primoribus suis, nullam opem se laturum esse Cruciferis aduersus Polonos; neq; passurum esse quenquam, qui contra eos arma sumpserit, per ditionem suam transire. Hoc fœdere icto, & Boemis dimissis, rex in Sendomirienſem tractum se recepit, declinans pestem, quæ maiorem Poloniam inuaserat: qua quidem Ioannes Saffranecius episcopus Vuladislauiensis absumptus, Vuladislaum Oporouium decanum Cracouiensem & procancellarium regni, rege suffragante, successorem accepit. Cum autem rex esset Prissouiæ, uenit ad eum Boemus quispiam sacerdos hæreticus, à Christanno astrologo, nuncians, ut mortem propè sibi imminentem caueret. Id cum ille semotis arbitris ageret, Sbigneus episcopus Cracouiensis ueritus, ne quid de religione hæreticus ille regi suaderet, grauiter obiurgauit regem, quòd neminem de consiliarijs ad audientiam Boemi adhibuisset. Et satisfecit quidem rex Sbigneo, nihil Boemum neq; de religione, neq; de repub. secum locutum esse: sed tamẽ coactus est eum primo quoq; tempore, instante Sbigneo, dimittere, propterea quòd spargebat is uulgò praua dogmata. Non multo autẽ pòst cometes non obscurus, plus quàm unum mensem per nox, face ad occidentem uersa apparuit: regiæ mortis, ut uulgò tunc creditum est, postea euentus comprobauit, prænuncius. Nepolomicię iam rex erat, quò comitia ad diem diui Martini episcopi memoriæ dicatum indixerat: eò uenit Helias Alexandri palatini Valachiæ defuncti filius, à minore natu fratre Stephano dominatu paterno eiectus, regis opẽ implorans,

Inducię.

Poloni nõ corrupti consuetudine Boemorum.

Fœdus cum duce Pomeraniæ Scecinensis.

Pestis in maiore Polonia.

Prædictio mortis regiæ.

Cometes.

Comitia Nepolomiciæ.

Helias palat. Valachiæ iurat in uerba regis.

plorans,& in fide clientelaq; regis & filiorum eius ac Polonorum se fore semper solenni iureiurãdo recipiens. Consecuta est eum & Stephani fratris legatio cum splendidis donis, Lenciciam usq; regem sequens: & postulans, ut ipsi magis quàm fratri omnibus inuiso, rex faueret: fore & ipsum perpetuò in fide & clientela Polonorum, quemadmodũ pater maiores q; ipsius fuissent. Offensam autem à patre paulo ante mortem contractam, damnaq; data Podolijs, ut sibi rex condonaret. Habebat quidẽ Helias in matrimonio sororem germanam Sophiæ reginæ: sed tamen re in consultationem senatus posita, placuit, ut Stephanus, in quem studia gentis inclinassent, dato iureiurando in uerba regis & regni Polonici, retineret Valachiam, tractumq; Sepinẽsem cum Chocimo, Zezuno, & Chmelouia munitionibus à rege iure sempiterno reciperet. Heliæ uerò, quo magis Stephanus eius metu in officio contineretur, luculentæ possessiones à rege in Polonia datæ sunt. Sed cum in his ille non acquiesceret, & ad recuperandum dominatum paternum aspiraret, ex fuga retractus, Siradię deinceps sub honesta custodia cũ uxore & liberis uixit. Stephanus uerò, sicut conuenerat, Sozauiæ solenne iusiurandum legatis regijs exigentibus dedit: promisitq; etiam se, cum iussus fuerit, in Russiam uenturum, & iusiurandum illud coràm repetiturum esse: & ut gratiam referret regi, non ita multo pòst, Tartaros in ditiones Polonicas excursionem parantes repressit: Braslauiam, quæ instaurata, ni fallor, erat, & Suitrigellonis præsidio tenebatur, interceptam regi restituit. Ex ijsdem comitijs missi sunt proceres quidam in Cuiauiam ad conuẽtum Brestensem agendum cum Cruciferis. Verùm ex eo conuentu infecta pace, & iritatis animis, incertum qua de causa discessum est. Lenciciæ rex euentum illius conuentus expectabat: ubi rediere ad eum legati è conuentu, de bello agi cœptum: uisumq; est, non expectandam esse æstatem, sed quamprimùm immittendum in terras hostiles exercitum. Expeditiora fore omnia concretis glacie fluminibus atq; lacubus, quibus abundat Prussia. Vna res difficultatem faciebat, quòd pecunia regi deerat in stipendium: & propè abfuerat res à seditione superiore æstate apud Choiniciam, fremẽte uniuersa nobilitate contra proceres, quòd ij bellũ extra fines Poloniæ sine stipendio decreuissent: receperantq; illi, nunquam id se deinceps admissuros esse. Inuentus tandẽ modus est eius difficultatis explicandę, ut Palatini suę quisq; ditionis nobilitati de stipendio soluendo cauerẽt. Hæc ubi didicere Cruciferi, missis mox ad regẽ legatis, quas antea repudiarant conditiones, ultrò accepere, in duodecim annos pacti inducias. Adiectũ, ut ad natalẽ Virginis matris diem sequẽte anno apud Slonscum de pace perpetua tractaretur. Ibi tũc marsalcus Cruciferorũ Liuonienſiũ ex pacto dimissus, siue adeò sponsione militari solutus: dimissus enim erat, cũ de sistendo eo, quum rex iussisset, Suitrigello quoq; cauisset, ac Theodoricus Buzatius præfectus Camenecensis pro eo receptus. Captus hic à Fedicone duce, Camenecensem agrum & suburbana uastante, cũ paucitate prædatorũ contempta, temerè in eos erupisset, & in paratas insidias incidisset, Magistróq; Liuoniẽsi petẽti à Suitrigellõe, donatus

Pacta cum Stephano palatino conuenta.

Sepinensis terra donata Valacho.

Heliæ palatini conditio.

Tartari fusi & repressi à Stephano Valachiæ palatino.

Braslauia regi restituta.

Conuentus Polonorum Brestle cum Cruciferis.

Consultatio de ratione belli.

Fremitus nobilitatis Pol. apud Choiniciã.

De stipendio soluendo nobilitati cautio.

Inducie 12 annorum cum Cruciferis.

Theodoricus Buzacius captus & liberatus.

donatus erat. Neq; enim quiescebat Suitrigello cũ Rusis: sed cum ipse per se auxilia Tartarorum & Liuonum habẽs, Lituaniam, tum per Fediconem & Nossum duces Rusiam regiam ętate præterita Cruciferis incitantibus infestarat, illa occasione usus, quòd nostri Prusico bello distinebantur, & quòd is Sigismundum ducem Lituanorũ inuisum iam esse pleriscq; Lituanis acceperat. Et sumpserat Sigismundus paulo antè supplicium capitis de Ioanne Moniuido palatino Trocensi, & Rumboldo summo marsalco Lituanię, authoribus conspirationis, quæ in eum cum parata esse dicebatur. Itaq; liberè tunc Suitrigello Lituaniam depopulatus est, Sigismundo habente quidem & ipso exercitum, sed non satis ei fidente, propter necessarios et propinquos interfectorũ procerũ: opportunis modò locis exercitum hostilẽ is carpebat. Itaq; non multum operę precij tunc fecit Suitrigello, nisi quòd Vilnam, Trocos & Lidam, oppida immunita exusit. Breste Rusicum per Fediconem & Nossum duces obsedit: nec difficulter eo potitus esset, propter cõmeatus inopiam, dubiamq; Russorũ fidẽ, nisi Masouios arma iussu regis sumpsisse, & aduentare eò renunciatũ esset. Tartaros quoq; magnis donis ad uastandã eam orã Rusię, quæ Sigismundo parebat, concitarat. Verùm ij cum aliquousq; progressi, Sigismundum in cliẽtela regis Polonorũ esse accepissent, mutata statim sententia, in Kiouiẽsem & Cirnechouiensem tractum, qui in Suitrigellonis ditione erat, populabundi excurrerunt. Insequens annus 1434 Vuladislai regis morte insignis est. Ac initio quidem eius anni in Lituaniam is rogatu Sigismundi ducis profectus, Chrinchos peruenit. Inde uerò stabilito Sigismundi principatu, magnisq; muneribus ab eo acceptis, Corcinum, quæ & Noua ciuitas dicitur, uenit: & comitia ibi per tempus quadragenarij ieiunij habuit. In quibus legati ad cõciliũ Basileẽse designati sunt, qui & uniuersi regni personã ibi sustinerent, & Sigismundi imperatoris, Cruciferorũq; obtrectationes & falsas criminati ones, quæ aduersus Vuladislaũ regẽ iactabantur, refellerẽt, ac de uniuersa causa cũ Cruciferis disceptarẽt. Fuerunt aũt principes eius legationis, Sbigneus Cracouiẽsis, Stanislaus Posnanienſis episcopi, Ioannes Conespolius cancellarius regni, & Nicolaus Lassocius decanus Cracouiensis. Non putauit aũt Sbigneus prætermittendam sibi occasionem castigandi regis, priusq; peregrè proficisceretur. Itaq; in illo ipso cõsessu amplissimo grauissimis uerbis id egit, in hanc sententiam locutus: non recusare se iniunctum legationis onus pro honore ac dignitate patrię simul & regis: sed nõ posse tamen, quin regẽ quibusdam de rebus pro officio suo, priusq; proficiscatur, admoneat. Vereri enim se, ut eum reuertens è concilio superstitem reperiat, quippe qui tam grandis natu esset, & profligatis iam uiribus. Nescire etiam, quó nam pacto pleraq; Imperatoris & Cruciferorũ criminatiões in ipsum diluat. Nã & ipsum se, & alios plerosque omnes in illo consessu, animaduertere, in eo nõnulla reprehẽsione digna. Multas quidẽ in eo, dignas bono principe uirtutes relucere: sed nõ carere eũ & uitijs, quibus uirtutũ illarũ splendor obscuretur: qualia sint, quòd ipso uel iubente uel permittẽte multis per iniuriam, aut certè summo quo-

Suitrigello infestus Lituaniæ & Russiæ.

Sigismundus inuisus Lituanis.

Moniuidus & Rumoboldus proceres Lituani, læsæ maiestatis damnati.

Tartari à Suitrigellone euocati, ipsius ditionem uastant.

1434 ann.

Rex in Lituaniã profectus.

Comitia Corcini.

Legati ad concilium Basileẽse.

Sbigneus episcopus regem obiurgat.

Vuladislai uitia.

mo quodam iure,& nimis exacta & acerba interpretatione iuris bona à-
dimantur:quòd oppreſsi à potentioribus nõ uindicẽtur:quòd calamito
ſorum hominum cauſæ non audiantur atq; decidantur,ipſo in profun-
dam noctem prolixioribus cœnis indulgente,ac deinde magnã diei par-
tem inerti ſomno abſumente.In itineribus etiam pergrauem eum eſſe ec-
cleſiaſticis iuxtà ac equeſtrib. hominibus,oppidanisq; & agricolis,pro-
pterea quòd aulicum ſuum comitatum à rapinis,ſtupris, & iniurijs non
cohibeat: ſubuectionesq; & procurationes præter ius & æquum acerbè,
& pigneratione iumentorum exigi patiatur. Ad hæc monetæ cudendæ
fœminis eum poteſtatem feciſſe: eam uerò perleuem cudi, magno reip.
detrimento. Superſtitiones uerò eius quaſdam ex priſco dæmonum cul-
tu retentas, quas ipſe quoque non ignoret, reticere ſe,pudore præpedi-
tum. Egiſſe ſe his de rebus pleriſque omnibus cum ipſo primùm qui-
dem ſemotis arbitris: deinde paucos etiam arbitros adhibuiſſe: uerùm
quando in eam uſque diem nihil profeciſſet, in ampliſsimi conſilij con-
ſeſſu id ſibi facere neceſſe fuiſſe: ut quem Dei timor in officio non conti-
neret, pudor hominum duntaxat emendaret. Quod ni hæc quoq; pro-
futura eſſent,acerbioribus deinde medicamentis ad ſanandum eum uſu-
rum eſſe: licere quidem ſibi,non minus quàm alijs diſsimulando,uel eti-
am aſſentando gratiam eius aucupari, ſed memorem ſe eſſe officij ſui,&
nullo neque metu, neque gratia deſerturum eſſe ſtationem, in qua ſe
Deus & rex ipſe, & ſenatorem & epiſcopum conſtituiſſet. Pluris ſe fa-
cere incolumitatem patriæ, quàm omnia quæ uulgò concupiſcantur:&
pro magnis regis in ſe beneficijs, antiquiorem ſibi eſſe eius ſalutẽ,quàm
præſentem & aſſentando quæſitam gratiam: quæ tamen certa & ſtabi-
lis eſſe non ſoleat. Non poterat ſe diutius rex tenere, quin ſermonem
eius interrumperet, ita fremens atque lachrymans: intemperanter eum
& arroganter facere, qui cunctis alijs ſenatoribus cum Archiepiſcopo
ipſo primate & moderatore cõſilij tacentibus, unus tam acerbè in ſe in-
uehatur. Ibi aſſurgens cunctus ſenatus, eandem omnium eſſe ſenten-
tiam, & illam epiſcopi Cracouienſis orationem, ſuam eſſe profeſſus eſt.
Quo audito rex accenſus magis,è conſilio ſeſe proripuit,multa Sbigneo
minitans. Verùm citò ad ſe reuerſus, impenſius Sbigneum poſtea co-
luit, & corrigere ea quæ ille reprehenderat, ſtuduit. Albertus uerò Ar-
chiepiſcopus,etiam gratias egit Sbigneo,quòd maiore fiducia,quemad-
modum diui Stanislai ſucceſſore dignum erat, regis peccata corrigere
aggreſſus eſſet. His ita actis, & conuentu ſoluto, rex Cracouiam profe-
ctus eſt,ut inde porrò in Ruſſiam proficiſceretur, iuſiurandum à Stepha
no palatino Valachorum promiſſum ipſe coràm ritu ſolẽni accepturus.
Dum autem itineri ſe accingit,nunciatum eſt Fridericum quempiã Ruſ-
ſum ducem exulẽ cum non contẽnenda Boemorũ manu arcem nouam
prope Sorſtenum munire inſtituiſſe, unde in finitimos Polonos et Vn-
garos latrocinium exerceret.Id ubi rex accepit, miſſo cõfeſtim aulico co
mitatu ſuo, manum illã diſſipauit: deinde iter inſtitutum ingreſſus,cum
Grodecum (oppidi id nomẽ eſt in Ruſſia) peruenisſet, inter prandendũ
ualida

Senatus Polonici conſtantia.

Candor Archiepiſcopi Alberti.

Boemi profligati in finibus Vngariæ.

Grodecum oppidum.

ualida febri correptus est: quam inde accidisse existimatum est, quòd no
cte precedenti, quę præter tempus anni frigida fuit, in syluis diutius lu-
scinię cantu sese de more oblectans, cœli intemperiē pertulisset. Vbi uitę
suę finē adesse sensit, sacris mysterijs procurari se iussit: offensas omnibus
remisit, sibíq; uicissim ab omnibus remitti petiuit: testamentū condidit:
si quid cuiquā per iniuriā abstulisset, reddi iussit. Filios proceribus præ-
sentibus atq; nobilitati cōmendauit: ac Vuladislaū quidem diligentius,
nam eum tenerius diligebat. Sbigneo uerò episcopo annulū nuptialem
ab Heduigi regina, quo nihil charius ipse in omni uita sua habuerat, do-
no misit, ueniam superiorū omnium admissorū ab eo petens, & animam
suam liberosq; superstites ei cōmendans. Deinde pridie Cal. Iunias, se-
ptimodecimo die posteaquā ægrotare cœperat, animam exhalauit, cum
regnasset annos duodequinquaginta, & tres ferè menses. Nam quantum
uixerit, non cōstat, Vitoudo quidē natu maior fuit. Tanta aūt fuit libera
litate et munificentia, ut non modò fiscum exhauriret, uerùm etiā magnā
partem regiarum possessionum etiam immerentibus, & maximè uena-
tionum ac cæterarū uoluptatum suarum, quanquā nō inhonestarū, asse-
clis & ministris dilargiret, ac tota interdum singulis hominibus donaret
territoria: sic ut quodā tempore Martinus quintus pontif. max. prodiga
litatem eius inhibendam sibi esse duceret, dato ad Archiepiscopū Leo-
poliensem mandato, ut donationes eius rescinderet. Arces & urbes neq;
nouas cōdidit, & uetustas neglexit. Basilicas Chelmensem atq; Kiouien-
sem in Russia instituit, & episcopis attribuit. Ex his ad Chelmensem lo-
annem theologū sodalitij Dominicani extulit: & in gratiā eius Lublinē-
sem tractum omnē à Cracouiensi diœcesi abstrahere, & Chelmensi ad-
iungere conatus est: perficere tamen id, constanter aduersante Sbigneo
Cracouiensi episcopo, nequiuit. Monasteriū quoq; præter ea, quæ supe-
rius cōmemorauimus, Lublini diuæ Brigitæ nomine condidit: in Cazi-
miriēsem uerò parœciā canonicos diui Augustini institutum professos
induxit: Gnesnense, Sendomirense, & Vislicense templa Græca pictu-
ra decorauit. Venationū sine ullo modo auidus fuit: interfectasq; feras
maiores, & prę sertim bisontes, in prelatos & canonicos, Academięq; ac
ciuitatis Cracouiensis præsides & magistratus partiri solitus: in peregri-
nos hospitalis & munificus. Nullū quāuis exiguum munus aspernabat,
nec eos qui donarant, irremuneratos dimittebat. Aliquid petentibus à
se, ferè dimidium eius quod petissent, largiebatur. Itaque duplum pete-
bant, qui simplum auferre cupiebant. Offensarū immemor: ad supplicia
de sontibus sumenda lentus: assentatoribus ac delatoribus aurē libenter
accōmodabat: cultui diuino apprimè dęditus: ieiuniorum dieb. pane &
aqua ferè utebatur. Superstitiones quasdam ab ineunte ętate imbibitas,
ad extremum usq; retinuit: in quibus illa fuit, quòd quotidie priusquā
prodiret in publicum, ter sese in gyrum uertebat, & stipulam ter con-
fractam in terrā abijciebat. Abstemius in omni uita sua, nec nisi aquæ po
tu usus: cęterùm cibi appetentissimus fuit, item'que balnei, sic ut alternis
diebus eo uteretur; nonnulli quotidie usum esse ferunt. Cultu corporis

Causa morbi.

Extrema acta Vuladislai regis.

Vuladislai Iagellonis mors.

Liberalitas siue prodigalitas Iagellonis.

Munitionum negligentia.

Chelmensis & Kiouiensis epi scopa instituta.

Lublinēsem tractum Sbigneus ab episcopa Cracouien. auelli passus non est.

Lublinense monasterium.

Cazimiriae canonici regulares.

Venationum studium.

Lenitas.

Ieiunia.

Superstitiones.

Victus.

Cultus corporis.

neglecto, necꝫ alijs quàm agnellinis pellibus, & laneis ferè uestibus usus. *Effigies.* A malis aborruit, ut ne odorem quidem eorum ferret. Statura fuit mediocri, facie oblõga, macra, & ad mentũ cõtractiore: capite caluo, paruo & fastigiato: oculis nigris, paruis, & instabilibus: ceruice longa, uoce grauicitaꝫ. Corpus eius magna pompa Cracouiam relatum, & intra mensem in basilica Cracouiensi magno procerum atcꝫ nobilitatis concursu funus celebratum est. Extat eius sepulchrum in media ferè basilica ad dextrum latus, à Sigismundo rege nepote eius, paulo ante nostram memoriam magnificè instauratum. Ac de Iagellone quidem hæc nobis scripta sunto. Deinceps de Vuladislao, eius filio prosequemur.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER XXI.

VVLADISLAVS TERTIVS REX.

Maiores Poloni cũ Sbigneo episcopo Vuladislao regis defuncti filio regnũ decernũt.

AM Sbigneus cæteriꝫ legati ad concilium missi, Posnaniam peruenerãt, cum de morte Vuladislai regis nunciatum est. Hoc igitur nuncio accepto conueniunt mox Posnaniam frequẽtes proceres, & nobilitas maioris Poloniæ, rogatu Sbigneiitotoꝫ consilio, ex eius sentẽtia Vuladislao natu maiori, defuncti regis filio regnum discernunt: eiꝫ solenni ritu inaugurando diem ad tertium Cal. Iulij statuunt: & ad Sigismundum magnum ducem Lituanorum, ut ad eam celebritatem uel ipse adesset, uel legationem mitteret, oratores mittunt. *Minores Poloni ægrè, assentiuntur tamen maioribus.* Molestè hoc maiorum Polonorum præiudicium minores Poloni tulere: sed tamen quia Sbigneus episcopus Cracouienses, homo suarum partium, autor eius fuerat, & ex repub. esse maximè uidebatur, ne qua dissensio, neu qua mora in re tanta fieret, in eandem & ipsi sententiã decretum fecerunt: dies modò ad octauum Cal. Augusti prorogata est, quo maiore ac splendidiore pompa omnia fierent. Erant in equestri ordine duo nobiles, factiosi, ac turbulenti iuuenes, Spitco Melstinius, ac Derslaus Rituianius, Martini Lencicienſis palatini filius, agnatus Alberti archiepiscopi Gnesnensis: quorum hic quidem ingentem thesaurum ab archiepiscopo, magno patruo suo, clàm paucis cõscijs (inter quos ipse quoque fuit) defossum, paulo antè effoderat, & Eufemiæ Boleslai ducis Masouiorum filiæ insano amore captus, paruo tempore decoxerat: sed magnas tamen sibi prodigalitate sua clientelas cõparárat. ille uerò patris, palatini quondam Cracouiensis, & maiorum suorum opibus & imaginibus tumens, nullo neque honore neque magistratu auctum se esse, indignè ferebat. Cum igitur utercꝫ res nouare cuperet, & utercꝫ magnas post se iuuentutis cateruas traheret, conuentum Opatouiæ ad tertium Idus Iulias, cõmunicato cum suis cõsilio, instituêre. Ibi omniũ una erat sententia: malè tantũ regnũ puero cõmitti, cuius ætate, & regina mater, superba mulier, et primores ad dominatũ abusuri essent: aliter de repub. cõstitui oportere.

Derslaus Rithuianius.

Spitco Melstinius.

Cõuenticulum Opatouiæ.

oportere. Confirmabat autem id in primis Gouorcus Chrobranius, ho mo senex, multa ex ueteri memoria ad rem facientia commemorans. Re uerterat iam Sbigneus cum Conespolio cancellario, reuocatus ex itinere, reliquis duobus legatis institutum iter Basileam prosequentibus. Ab eo igitur Sophia regina, non ignara consiliorum Spiconis atque Derslai, impetrauit, ut Opatouiam proficisceretur, turbulentá que iuuenum consilia dissiparet. Non fuit gratus aduentus eius ijs qui conuenerant. Sed tamen ille singulari patientia usus, & in consilium admissus, graui & prudenti oratione plurimis persuasit, ut abiecto nouandarum rerum studio, ne quid dissidij alienissimo tempore in Polonia exuscitarent, præsertim quòd res iam integra non esset, Vuladislao defuncti regis filio ante aliquot annos in Brestensibus comitijs summo omnium consensu rege iam designato. Ita conuentus ille re infecta, neccquicquam frementibus seditionis authoribus, solutus est. Nec tamen ij quieuerunt, nacti plures sententiæ suæ adstipulatores. In quibus præcipui fuerunt Abraam Sbanscius iudex Posnanensis conuentus, & Ioannes Strassus. Nam cum frequentes undique proceres ac equites Cracouiam ad præstitutam diem conuenissent, iniectus est ab ijs scrupulus, quòd dicerent, nouum & inusitatum esse, impuberi diadema imponi: in discrimen autem adduci libertatem & prærogatiuas equestris ordinis, magno labore & sanguine maiorum suorum partas, illa impuberis regis coronatione: neque enim rectè ab impubere iusiurandum dari posse. Quod si id in aliud tempus differatur, difficulter exactum iri ab eo qui iam rerum potitus sit. Verùm hic quoque scrupulus à maioribus natu exemptus est, producto à Sbigneo codice è basilica Cracouiensi, in quo effigies Cazimiri magni regis impubes depicta erat. De iureiurando autem regis, reiecta res ad pubertatem eius: interim autem placuit, ut Sophia mater, & primores sacri pariter & profani ordinis pro eo fide iuberent, nec eum prius ad gubernacula regni admitterent, quàm iusiurandum ritè præstitisset. Conquieturi iam turbatores illi uidebantur, cum in ipso coronationis articulo nouas conciuerunt turbas, uociferantes, ne sibi inuitis paucorum conspiratione rex imponeretur. Inita denuò suffragia: nec ea tamen liberè ferri poterant, factiosis illis altercando tempus extrahentibus, ut præteriret dies, & interim ipsi plures de nobilitate ad se pertraherent: ij porrò quibus magis placebant quieta consilia, ut tædio diuturnæ moræ domos dilaberentur. Quod ubi à primoribus animaduersum est, Ioannes Olessnicius, cognomento Glouacius marsalcus è senatus consulto pronunciauit ad nobilitatem, ut quibus placeret Vuladislaum coronari, in dextram discederent: qui aliter sentirent, in læuam. Id ubi factum est, una uoce omnes Vuladislaum regem esse iusserunt. Melstinius uerò cum Sbanscio & Strasso, qui in editiorem locum cõtradicturi conscenderãt, turpiter deturbati sunt. Non abstinuit tamẽ maledictis Melstinius, cùm in alios, tum in Marsalcum. Verùm ille rogatu procerum patienter ea tunc tulit, ne institutum negocium impediretrr, Nec mora, co-

Gouorcus Chrobranius.

Sbigneus episcopus dissipat consilia iuuenum.

Abraam Sbanscius.

Ioãnes Strassus.

Controuersia de coronatione & iuramento regis noui.

Factiosi turbas cient.

Vuladislaus tertius rex coronatur.

ra, coronatio regis in basilica ritu solenni peracta est, sole ad uesperum declinante: postridie in urbem descẽsum, ad recipiendum ab oppidanis & plebe iusiurandum. Nec tamen acendit tunc rex in præparatum sibi in foro solium, contentione orta inter episcopos ac duces Masouiorum,

Episcoporum & Masouiorum ducum de loco controuersia.

quòd proximum regi locum utrique sibi uendicarent. Subsequentibus deinde diebus consultatum est à proceribus, de ratione administrandæ reipub. Multorumq; sententiæ in Zemouitum ducem Masouiorum

Zemouitus dux Masouiorum.

inclinabant, ut is gubernator regni esset. Erat enim uir bonus, & magno consilio. Sed uicit plurium sententia, metuentium ne is dominandi dulcedine degustata, ambitione depraua tus, aliquid aduersus regẽ & rempub. moliretur: & indignum uisum est, ad eum summam rerum Poloni-

Prouisores instituti in Polonia.

carum deferre, qui in clientela Polonorum esset. Itaq; placuit, in singulis tractibus singulos prouisores, in Cracouiẽsi uerò propter monetariam officinam duos, ex ijs qui summis in republ. honoribus non fungerentur, constitui, qui quæstores regiorũ redituum essent, & intra suos quisque fines negocia publica regio nomine administrarent. sed ne quid tamen noui in republ. nisi ex amplissimi consilij decreto statuerent: his quinquagenæ marcæ annuę in sumptus constitutæ. Ibi etiam Rulsica &

Rußica & Podolica nobilitas exæquata cum Polonica.

Podolica nobilitas, cum Polonica, omni iure exæquata est à nouo rege, non sine murmure multorum, qui remitti illa quoq; Rulsis ægrè

Russorum onera.

ferebant, quòd necesse eis fuerat antiquitùs, quandocunque & quocunque rex iusserat, sine ullo stipendio ad bellum proficisci: ad arces muniendas & reficiendas operas mittere: de quolibet iugero culto duos auenæ, totidem que siliginis modios, & quaternos grossos quotannis regi pendere. Verùm illud maximè permouit regem, quòd à patre suo

Pericula Poloniæ impendentia.

illam exæquationem promissam eis esse constabat. Incesit deinde cura consiliarijs constituendæ reipubl. atq; pacis. Multæ undiq; difficultates impendebant. Cum Cruciferis adhuc pendebant inducię, necdum pax certa confecta erat. Sigismundus quoq; imperator, ne quid exinueterato in Polonos odio, uiolataq; sæpius cum Iagellone amicitia, con-

Nicolaus Cotificius.

tempta pueri ætate moueret, cauendum erat. Ad hæc Silesij post mortẽ regis, finitimas sibi oras Nicolao Cotificio cognomento Sestrenecio du-

Nobilitas contra ecclesiasticum ordinem fremit.

ce latrocinijs infestabant. Ne domi quidẽ usquequaq; quietæ res erant, nouatoribus illis nobilitatem aduersus ecclesiasticum ordinem, ob repressos conatus suos concitantibus, & ius decimandi censurę q; ecclesiasticę, siue excommunicationis in controuersiam reuocantibus. His de re-

Legatio Pol. ad Sigism. Imperatorem.

bus omnibus in frequenti senatu actum. Et ad Sigismundum quidem imperatorem missi legati, Conespolius cancellarius, & Olesnicius marsalcus, quo æquioribus conditionibus pacem conficerent, coniugium duarum filiarum Alberti ducis Austriorum, generi imperatorij, nouo regi, fratriq; eius petere iussi sunt. Sed reiecta res ab imperatore,

Sigismundus tutelam Vuladislai regis expetiuit.

ut prius dissidiorum causæ conuentu instituto summouerentur, eiq; rei constituta dies ad Pentecosten insequentis anni. Quòd autem tunc nihil impetratum est in causa fuit illud, quòd imperator tutelam regis, & gubernationem regni sperabat & ambiebat: legatosq; largitione & pol

licitati-

licitatione frustra tentarat, ut eum sibi honorem publicè uel simulatè deferrent repudiaturo honestius, quàm diuulgarat. In eam autem spem adduxisse eum ferebatur Ioannes Gamratus, prȩcursor ante legatos missus, qui cum his mandatis uenire legatos regios, à Petro Saffranecio palatino Cracouiensi, ei nunciarat. Cum Cruciferis cõuentus actus apud Racianzum & Zlotoriã ad natalem diuæ Mariæ: sed utrinque re infecta discessum, propterea quòd in expectatione erãt Cruciferi, quónam modo succederet Liuonienſibus, qui Samagitiam & Lituaniam cum Suitrigellone tunc bello infestabant: & iam nostri discedentes Breste Cuiauiense peruenerant, cum eos commendator Osterrodensis consecutus est, de pace postulans. Fefellerat enim Cruciferos euentus Samagitici belli. Nam Liuonienses præda onusti è Samagitia reuertentes, in sylua quadam succisis arboribus impediti à Samagitis, & circumuẽti, magnaq; strage profligati erant. Atq; id nostri quoq; eo ipso puncto temporis, quo cõmendator aduenit, cognouerant. Prorogatus est tamen conuentus, & inducias ad tertium Nonas Maias insequentis anni. Cum Silesijs quoq; Benzini cõuentus actus est, ipsis postulantibus, propterea quòd Cristinus Cozeglouius castellanus Sandecensis damna passus à prædonibus Silesijs, cum fœnore ipsis uicem reddebat, & Gliuiciã oppidum in Silesia interceperat. Renouata pax his conditionibus, ut Nicolaus Cotificius turbator pacis unà cum socijs suis utrinq; pelleretur: damna data acceptaq; inuicem ut compensarentur. Deinceps uerò, si quod latrocinium ab alterutris in alteros patraretur, ad id armis persequendum ut præstò essent ij quoq; ipsi, à quorum parte id extitisset: nec diu tamen hæc à Silesijs obseruata sunt ad ingenium redeuntibus. Podoliam uerò cum Suitrigello infestaret, ac Theodoritum siue Fedconem Nesuissensem ducem cepisset, repressus est à nostris, ducibus Vincentio Samotulio, & Michaele Buzacio: receptusq; & liberatus Fedco, Braslauiam & Cremeneciam regi dedidit, moxq; rursus concedente rege eas, quoad uiueret retinendas recepit, cum se unà cum posteris suis, Sbarassum, Viniciam, Chmelnicum & Socoliciam retẽturis, in fide & clientela eius & Polonorum fore solenni iureiurando professus esset: promisisseq; non nisi iuratis in uerba regis atq; regni, prȩfecturas & custodiam illarum arcium se mandaturum esse. Porrò domi diutius res agitatæ inter sacrum & profanum ordinem, conuentumq; sæpius, neq; tamen conuenire quicquam inter partes poterat, Melstinio, Sbanscio & Strasso omnia turbantibus. Temperatum tamen est à ui, metu interdicti ecclesiastici. Ad extremum pedetentim turbanis conquieuit, compluribus ex ijs, qui signiferi erant illarum turbarum, iusto Dei iudicio, quemadmodũ creditum est, intra breue tempus extinctis: cæteris uerò religione & metu perculsis. Illud autẽ in contentionem uenerat, quòd cupiebant profani ualere constitutionem Iaroslai archiepiscopi: qua sanciebatur, ut qui agri ex illo tempore coli cœpissent, ex ijs ne manipularis decima pẽderetur. Verùm ea cõstitutio per uim expressa esse ferebatur. Prȩterea, quem agrum quisq; eques, agresti & adscriptitio depulso, per se ipse coleret, ut inde paroeco suo decimam penderet,

Ioannes Gamratus.

Petrus Saffranecius palatinus Cracouiensis.

Conuentus cũ Cruciferis.

Liuones profligati à Samagitis.

Inducię prorogatæ.

Cristinus Cozeglouius ultus est Silesios, & Gliuiciam cæpit.

Pacta cum Silesijs.

Fedco dux captus.

Braslauia & Cremenecia et reliquæ munitiones Podoliæ regi deditæ.

Aduersarij ordinis ecclesiastici extincti.

Causæ dissidij inter ordines.

Nobilitati prærogatiuæ conceſſæ à ſacerdotibus.

quamuis alíj prius ea pendi ſolita eſſet. Sed neutrum extortum: illud modò conceſſum equiti, ut quoſcunq; agros coleret, ex his canapale ne ſoluere ret, neq; conueheret ſuo curru decimam: neq; delectum in ea ſacerdos haberet, niſi data opera uicioſum frumentũ ab equite relinqueretur. Aliud quoq; equitum minoris Poloniæ inteſtinum inter ipſos diſsidiũ mortuo Spitcone palatino Sendomirienſi, de cõferendis honoribus in conuentu Vislicienſi diuerſis partium ſtudíjs excitatum, ſedatum eſt: cum eſſet conſtitutum, ut uacantes honores íjs qui eſſent gradu proximi, cõferrentur. Itaq; Ioannes Cizouius, qui caſtellanus Sendomirienſis erat, palatinus factus eſt. In eius uerò locũ caſtellanus Lublinenſis ſuffectus, & ſic alíjs alíj deinceps ſucceſſerunt: Biezenſem uerò caſtellaniam Clemens Strelcius, cognomento Vantropca, alter de prouiſoribus Cracouienſis tractus, nobilitatis ſuffragíjs adeptus eſt. Verùm hæc duo extrema inſequenti ferè anno, qui fuit à Chriſto nato 1435 acta ſunt.

Conſtitutio de honoribus diſtribuendis.

1435 ann.

Conuentus deinde rurſus cum Cruciferis apũd Breſte Cuiauienſe & Sluzouiam eodem planè, quo ſuperiori anno, euentu actus eſt, Cruciferis itidem ex euentu Samagitici belli pendentibus, & noſtrorum facilitate abutentibus, & ad octauum Idus Decembris conuentum & inducias prorogantibus. Inde Siradiæ comitia rex habuit. Ibi de dimittendo Helia Valacho petitum abeius fautoribus, nec tamen impetratum. Sed tamen poſt paucos dies is, ſiue præfecti conniuentia, ſiue cuſtodum negligentia euaſit, & miſcere Valachiam ciuili bello adortus eſt. Autumno uerò Suitrigellonis exercitus, cum auxiliaribus Cruciferis Liuonienſibus inſigni ſtrage in Lituania à Polonis, duce Iacobo Cobilenio in auxilium Sigiſmũdo duci, à rege miſsis, & Michaele Sigiſmundi magni ducis filio, ad Vilcomiriam profligatus eſt: multi mortales capti, multi cæſi: multi Suantæ fluuíj undis, ubi commiſſum eſt prælium, extincti: ibi robur omne Liuonienſiũ cum magiſtro & marſalco cõcidit. Captus eſt in eo prælio Sigiſmundus Rotus Sileſius, is qui à Cæſare ad Vitoudũ proficiſcẽs, à Ioanne Zarnicouio captus, & ſub militari ſponſione dimiſſus, fidẽ fregerat: itemq; Coributhus, qui paulo antè è Boemia, ubi neglígi iam ſe animaduerterat, per Pruſsiã cum auxiliaribus Boemis & Sileſíjs reuerſus, cũ Suitrigellone ſe coniunxerat: uterq; in profluentẽ demerſus. Tametſi de Coributho fama uariat. nã & ueneno in medicamentũ infuſo, à Sigiſmũdo duce extinctũ eſſe, uulgatũ eſt. Suitrigello uerò cum paucis Ruſsis effugit: ſed ex eo tẽpore Smolenſcum, Orſam, Poloſcũ, Vitepſcum, & Ruſsiã ferè omnem, uictoris fidem ſecutã, amiſit. Miſerat interim, dũ hæc in Lituania gerũtur, Sigiſmundus Imperator legationẽ ad Vuladislaũ regem, ut bellum inter cognatos duces dirimeret, non tã pacis cupidus, quàm quòd Suitrigellonis partibus, quem ipſe uanis promiſsis ad id bellum cõcitarat, metueret. Ei legationi, priuſquã de exitu belli Lituanici cognitũ eſſet, reſponſum eſt: libẽter id facturum fuiſſe regẽ, ſi integrum eſſet: uerùm credere eum, illos collatis ſignis iam ferro inter ſe decreuiſſe. Vtrilibet aũt ceſsiſſet uictoria, eum difficiliorem fore ad æquas conditiones pacis. Necdum legati diſceſſerant, cum de uictoria Sigiſmũdi allatũ eſt. Quo minus poſtea negocíj fuit cum

Heliæ Valachi fuga.

Suitrigello & Liuones uicti à Polonis & Lituanis.

Sigiſmũdi Roti fide fragi interitus.

Coributhi mors.

Ruſsi à Suitrigellone ad Sigiſmundũ magnum ducẽ Lituan. defecerunt.

Sigiſmundi Imperatoris legatio ad Vuladiſlaum regem.

Cõuentus cum Cruciferis irritus.

Cruciferis

Cruciferis in cõficienda pace perpetua, cum ĩj fracti animis, duriores etiã conditiones acciperent. Insequenti demũ anno, ad Penecostẽ proceres Vngarorum & Polonorũ apud Kesmarcũ conuenerunt: sublatisq; dissidiorum causis, pacem inter reges suos fecerũt. Qua confecta, misit rursus Vuladislaus rex legationem ad Imperatorem, coniugium neptium eius sibi fratríq; postulans. Nec ille abnuit, sed in aliud tẽpus, quo esset bellicis curis & negocijs Boemicis solutior, eam rem reiecit. Iam enim pertæsum erat Boemos proceres ciuesq; Pragenses malorum, quæ ex dissidio domestico, ac Taboritarum & Orphanorum licentia magis ac magis indies pullulabant. Inter quos desertores sacrificuli potissimùm prætextu religionis impotenter dominabantur, & in quos collibitum erat sæuiebant. Nam cum inter eos de religione & ritibus sacrorum non conueniret, ut fit, ubi semel à legibus & institutis maiorũ priuata paucorum temeritate discessum est, alij in alios leuem credulamq; multitudinem concitabãt: ita ut plurimum sanguinis humani effunderetur, templa euerterentur, magistratus in urbibus & oppidis è profligatissimorũ hominum libidine instituerentur ac destituerentur: quin ad supplicia quoq; raperentur, urbes denicq; & oppida diriperẽtur. Quę cum explorata haberet Sigismũdus, nihil curæ ac diligentiæ prætermittebat, quo eos qui quietis & ocij cupidiores esse uidebantur, sibi & Ecclesię catholicæ reconciliaret. Ad quam rem conficiendã concilij Basileensis ope & authoritate usus est. Ac indultus quidẽ est eis à cõcilio promiscuus usus Eucharistię, sub specieb. panis & uini, ubi is iam inoleuisset: ea tamen lege, ne diuersum usum improbarẽt, neu se ab Ecclesia catholica in cęteris ritib. dogmatibusq; seiungerẽt. Quibus reb. ita trãsactis, publicè ab ea gente Sigismũdus per hoc ipsum ferè tẽpus, quod persequimur, rex appellatus est: ingressusq; Boemiã, ad pacandas res animũ intendit. nec diu postea uixit. Necq; Vuladislaus, bis reiectus, urgere deinceps desiderĩũ suum eo uiuẽte perrexit. Porrò inter Valachos fratres dissidium tunc rex per legatos cõposuit, partitus inter eos dominatũ, ita ut inferior & maritima ora, quam Bessarabiam uocãt, in qua Bialogradũ arx est, & Kilia, Stephano: superior uerò, hoc est occidentalis, & Russis uicinior, cum Sozauia metropoli, Heliæ cederet. Qui quidẽ Helias in cunctãter Leopolim ueniens, in uerba regis præsentis, & habitu regio præsidẽtis, unà cum procerib. suę partis iurauit: uexilloq; ritu solẽni ad pedes regis abiecto, in fide & clientela eius & omniũ deinceps regũ Polonię semper se fore, & contra quosuis hostes summa ope se ipsis affore professus est. Quo facto, rex eum subleuatũ exosculatus est: proceribus uerò Valachis dextrã dedit, tributũq; centum equorũ: totidẽ, siue ut uolũt alij, quadringentarũ purpurarũ, quadringentorũ boum, ac ducentorum curruũ Visonis siue Vsionis (piscis id prægrandis nomẽ est, cuius ferax est Danubius) in singulos annos imposuit (quanquam pisces bouesq; muneris tantũ loco tunc ab eo regem accepisse, nõnulli prodiderunt) Sepinẽsem uerò tractũ, diplomaq; paternũ, quo is tractus Stephano donabat, ex pacto ab eo recepit in cõpensationem damnorũ, quæ Alexander pater eius in Colomeiensi & Snatinẽsi præfecturis dederat. Tametsi eo

Vngarorũ procerum cum Polonis cõuentus apud Kesmarcum.

Pax redintegrata inter Vngaros & Polonos.

Boemorum incommoda ex dissidio religionis.

Sacrificulorũ impotẽs dominatus.

Sigismundi Imper. studiũ pacãdæ Boemiæ.

Cõmunio sub utraq; specie Boemis cõcessa à cõcilo Basileensi.

Sigismundus rex Boemorũ appellatus.

Valachiæ diuisio.

Helias palatinus Valachiæ iurat in uerba regis Leopoli.

Valachorum tributum.

Vsio piscis.

Sepinensis tractus regi & regno restitutus.

metsi eo demum anno, quo Vuladislaus rex perijt, munitiones eius tractus Ioanni Cizouio castellano & præfecto Cracouiensi, & Petro Odrouanzo palatino & præfecto Rusiæ, à Marilia siue Maria uxore Heliæ & præfecto Chocimensi traditas esse reperio. Porrò Halicien sis arcis usum Heliæ, quoad uiueret, rex cõcesit. Eius autem precibus adductus Vuladislaus, Ioannẽ Odrouanzũ, Leopolien sem archiepiscopũ esse, post Ioannẽ Ressouiũ paulo antè mortuũ iussit, amoto Sylue stro Sciechouio, qui iam paulo antè à collegio electus erat. Ostẽdebat & Stephanus, missa ad regẽ legatione cum amplissimis donis, & cõmemoratione studij meritorum q̃ suorũ erga ipsum recentiũ, simile iusiurandũ, se uelle dare, cũ diu id prius facere distulisset. sed nescio cur siue ipse distulit, siue reiectus est: nisi fortè satis esse uisum est, quòd is Helię fratri palatino fidẽ suam Bialogrodi obstrinxit. Sed post quartũ demũ annũ & ipse & Helias frater iterum cum uniuerso senatu suo in uerba eiusdẽ regis iurauit. Sub finẽ anni fœdus cum Cruciferis Prussien sib. & Liuonien sibus Breste Cuiauien si ictum est à rege: quo cautũ est fide & iureiurãdo principũ, inter cætera, ut fœdus Crucigerorũ cum Suitrigellone esset irritũ: episcopis & Ecclesijs Polonicis bona sua ac decimę in ditione Crucigerorũ saluę essent atq̃ liberę, fructus uerò prę teritorũ duorũ annorũ interuersi, ad Pascha proximum ut eis à Cruciferis restituerent. Episcopo uerò Vuladislauien si mille ducẽti aurei pro domo Gdanẽsi diruta soluerent. Nouã Marchiam & Chosnũ rex Cruciferis, ipsiq̃ uicissim Nessouiã ac dimidiũ traiectum Vistulæ apud Toruniã regi redderẽt, & nouem millia florenorũ & quingentos aureos numerarẽt: la senecią retinerent: nec fraudi esset cuiquã, à suis dominis ad hostes defecisse: finiũ regundorũ ratio certa præscripta: de controuersijs dirimendis cõuenit, ut quotannis bini utrinq̃ delectiarbitri certo loco cõuenirent, sed ita, ut Polonos magister, Prussien ses rex ederet: atq̃ hæc pacta conuenta noui reges, magistri, atq̃ duces intra annum uertentem à creatione sua, consiliarij uerò atq̃ subditi decimo quoque anno solenni iureiurando coram legatis alterius partis approbarẽt: nobilitas atq̃ ciuitates cauerent sibi inuicem, non fore se dicto audientes dominis suis, si ij contra hæc pacta uenire uellent: idq̃ impunè fore, principes ipsi suis quisque subditis intra certum tempus cauerent: quod quidem fecerunt postea. Fatalis autem annus ille fuit archiepiscopis. Nam & Albertus Iastrembecius Gnesnensis archiepiscopus eodem autumno uitam cum morte commutauit. Cui collegiũ illius ecclesiæ Vincentium Cotum Dembenium, gente Doliuiũ, custodem Gnesnen sem, & pædagogum regiũ, successorem dedit: nequicquam aduersantibus proceribus & curatoribus regijs, qui Vuladislaũ Vuladislauien sem episcopũ, cum Sbigneus Cracouien sis renueret, sufficere Alberto uoluerãt. Superiori autẽ anno Ioannes Lubenius cognomẽto Slezus Præmisliẽsis episcopus mortuus, Nicolaum Chran stouium gente Stregomium, regis & procerũ uoluntate, summoto Francisco Orecio decano Leopolien si & canonico Prę mislien si, qui à collegio electus erat, successorem accepit. Sequens annus nulla re memorabilis est, nisi quòd cum Sigismundo Lituanorum principe de

Halicięsis arx Valacho cõcessa ad tempus.

Ioannes Odrouanzus archiepiscopus Leopolien sis.

Stephani pal. Valach. legatio ad regem.

Stephani palatini iusiurandum.

Pax Brestensis & pacta cum Cruciferis.

Vincẽtius Dẽbenius archiepiscopus Gnesnensis.

Nicolaus Chrã stouius episcopus Præmisliensis.

cipe de Suitrigellone reconciliando per principes senatus, legatos à rege missos, frustra actum est. Cõmouerat enim Suitrigello regem senatumq; Polonicum ad misericordiam, supplici habitu adueniens, & Luscũ, quod adhuc retinuerat, regi tradens: quod non multo pòst rex Sigismundo repetenti ex fœdere tradidit, ea lege, ut eo mortuo in ditionem regis & Polonorum cum tota Volynia recideret. Daugerdus uerò cum creatus esset palatinus Vilnensis, iusiurandum dedit, se post Sigismundi magni ducis mortem, nõ nisi Vuladislao & successoribus eius regibus Polonorum, arcem Vilnensem traditurũ esse. Insequẽti anno, qui fuit 1438, non usq; adeò quietæ res fuere domi foriscq;. Etenim Spitco Melstinius partim inueterato in Sbigneũ episcopũ, quod conatib. suis ad nouandas res intentis obstitisset, odio, partim etiã nouo, quod de hęresi Boemica exagitaretur, inflãmatus, bona eius Vsseuẽsia Melstino arci propinqua, armata manu inuasit atq; diripuit: castellũ interceptum præsidio muniuit. Citatus à rege uelut publicę pacis turbator, in gratiã cum Sbigneo redijt, cum ei cõmunium amicorũ arbitrio satisfeciset: quæ tamen gratia diuturna non fuit. Ea uerò nisi fallor causa fuit utriusq; ordinis proceribus, ut in comitijs Corcinensibus mense Aprili habitis, sanctè se obstringerent, pro perduelle habituros, quisquis iudicia contemneret, armis'que priuato consilio sumptis ius suum persequeretur: & quisquis hæresim ullam profiteretur, aut profitentes defenderet. Vbi etiam minores Poloni frequentes contra prouisores siue curatores regios conspirarunt, dominatus eorum pertęsi: siue adeò indignum esse rati, paribus parêre. Vix dum hoc malum conquieuerat, cum subitò aliud exortum est. Derslaus Rithuianius, auctus opibus & animo ex direptis facultatibus propatrui sui Alberti archiepiscopi superiori anno defuncti, ualidam peditum equitumq; manum coegit. Accitusq; ad regem, negauit se quicquam contra rempub. moliri. Dimissus, nocte quadã ad Zatoriam duxit, & scalis admotis oppidum id cæpit, oppidanis nihil eiusmodi suspicantibus: deinde Osuencimensem tractum omnem in ditionem suam redigere adortus est, & magnum uicinis Silesiorum ducibus terrorem incussit: & iam Sigismundus Imperator, ac Vngarorum & Boemorum rex ætate, laboribus, morboq; confectus obierat. Molestũ tamen regi senatuiq; fuit, quemadmodũ scribit Dlugòssus, uicinũ & amicũ principem, eamq; orã quæ promptuariũ quoddã est Cracouię, à suis uexari. Nec tamen reuocari se Derslaus à cœpto passus est, donec, dum incautius statiua habet, fusus fugatusq; à Silesijs, regi Zatoriã tradidit, acceptis ab eo mille marcis impendiorum nomine. Rex uerò non prius eam Venceslao Osuencimensium duci Cazimiri filio reddidit, donec is in fide & clięntela regis Polonorum se unà cum Premislo & Ioanne fratribus impuberibus fore deinceps solenni iureiurando spopondit, & Berualdum castellum infame latrocinijs ipsi concesit. Dederant autem ei rei causam duces ipsi Silesij, qui cum latè propagati patrimonia sua in tenues portiones diduxissent: neque commodè & pro dignitate inde sustentare sese possent, rapto uiuere neutiquã turpe aut ignominiosum ducebant: & cum aliàs in

Suitrigello supplex, non potuit tamẽ cum Sigismundo reduci in gratiam.

Luscũ regi redditũ, & ab eo traditũ Sigismũdo duci Lituanorum.

De Volynia pactum.

Vilnẽsis palatini in iusiurandũ. 1438 ann.

Spitco Melstinius Vsseuense castellum episcopo intercepit.

Sbigneus Spitconi reconciliatus.

Comitia Corcini.

Constitutio cõtra persequentes armis ius suum et fautores hæreticorum.

Prouisores amoti à minoribus Polonis.

Derslaus Rithuianius Zatoriam intercepit.

Sigismundi Imperatoris mors.

Osuencimẽses duces in fide et clientela regis Pol.

Berualdũ accepit rex pro Zatoria.

Silesij Poloniã latrocinijs uexarunt.

mercatores, uiatoresq; grassabãtur, tum post pacẽ haud multo antè cum Polonis factam, Velunense territoriũ nouo latrocinio infestarant: quanquam non impunè. Nam reuertentes à Laurentio Zaremba, cætera que Velunensi nobilitate præda omni exuti, trepidè domos dilapsi sunt. Sic ergo tunc Vuladislaus Silesios ultus est. Quo fit, ut minus molestè factum illud Rithuianũ tulisse uideatur. Boemicum deinde bellum exarsit, neque spacio temporis diuturnum, neq; exitu funestum. Cuius hæc fuit causa. Sigismundus Imperator moriens, cum animaduertisset Barbaram uxorem suam, de regno magis, quàm de uita sua sollicitam, cum primoribus Boemorum clandestina consilia conferre, Albertum generum suum, ducem Austriorum, Vngaris & Boemis proceribus diligenter commendauit: Barbara, quæ regna illa ad Vuladislaum regem Polonorum dotalia afferre, quàm filiam reginam uidere malebat, capta Znoimæ, & cum funere mariti in Vngariam ducta est. Neq; satis constat, an ita Sigismundus ipse iusserit. Post Sigismundi mortẽ nihilo minus Boemi in duas factiones diuisi, partim Albertũ, quem Vngari iam sibi regem creauerant & coronarant, partim Cazimirũ Vuladislai regis fratrem ad regnum inuitarunt. Acceptauit delatũ regnum Cazimirus, magna & saniore senatus Polonici parte nequicquam dissuadente: cæterùm iunioribus & prouisoribus siue curatorib. regni, cõpendij sui causa, quemadmodum creditum est, in primis suadentibus. Itaq; missi in Boemiã ad adeundam possessionẽ regni, nomine Cazimiri Sẽdiuoius Ostrorogius Posnanensis, & Ioannes Tencinius Sendomirensis, palatini, cum non contemnendis copijs, uel ut habet Bonfinius, cum duob. tantũ millibus equitũ, pacato agmine per Silesiam iter fecerunt. cum his sese non exiguus Boemorũ numerus coniunxit, ita ut ad quatuordecim millia essent in eo exercitu; uastabatq; is aduersariorum agros. Præuerterat eos Pragam Albertus, iamq; solenni ritu diadema susceperat. Quin coegerat etiam longè ualidiorem exercitum cùm de Boemis & Vngaris, tum ex omni ferè Germania. cum eo igitur, monitu suorum obuiam hostibus prodijt. Cazimiriani ne iniquo loco cũ longè potentiori hoste pugnare cogerentur, ad Thaborũ oppidum fossis & carris castra communiunt. Nec Albertus castra oppugnare ausus, non longè & ipse castra sua metatus est. Crebris excursionibus & leuibus certaminibus haud leuia utrinq; damna accepta. Cum autem Cazimiriani, quo tutiores essent ab ictibus bombardarum, quibus acriter petebantur, in oppidum se recepissent, dimisit Albertus exercitũ. Nam difficili & ipse pabulatione atq; annona iam utebatur: & perdifficilis erat oppidi operib. prꝛsidioq; permuniti oppugnatio. Cazimiriani quoq;, nullo operꝛprecio facto, numis exhausti, & amissis equis Boemia excesserũt. Verũ id priusquã Vuladislaus rex factũ resciret, quoniã de periculo eorũ certior factus erat, nihil deterritus minaci legatione Alberti, Poloniã omnẽ ad bellũ Boemicũ exciuit: & qua proximus patebat aditus, Cracouia proficiscenti, in Silesiã cum infesto minorũ Polonorũ exercitu ingressus, lõgè lateq; eam uastauit. Idem ab altera parte maiores Poloni in inferiore Silesia fecere. Causæ autẽ uexandæ Silesiæ

hæ fuerunt,

Laurẽtius Zaremba Silesios ultus.

Barbara imperatrix capta.

Albertus rex Vngarorum. Cazimirus Iagellonis filius à Boemis ad regnum uocatus, senatu Polonico improbãte.

Polonorũ expeditio in Boemiam.

Albertus rex Boemorum.

Poloni re infecta Boemia excesserunt.

Vuladislai regis expeditio in Silesiam.

hæ fuerunt, quòd Silesij partes Alberti sequebantur, & quòd latrocinijs Poloniam infestare non intermittebant. Ad hæc adulterina moneta cudenda & importanda, non parum incommodi Poloniæ afferebant. Itaq; ui metuq; adacti, Venceslaus Opauiensium & Ratiboriensium, Bolesl. Silesiorum pacta cum rege Polonorum & fratre eius Cazimiro.
laus Glogouiensium & Oppoliensium, Bernardus item & Ioannes & Nicolaus Oppoliensium Silesiorum duces, & nobilitas Bregẽsis, fœdus cum Vuladislao & Cazimiro icerunt, Cazimirumq; electum regem Boemorum approbarunt, pollicentes tum demum se in uerba eius iuraturos esse, ubi is diademate à Boemis redimitus esset: de falsa quoq; moneta inhibenda receperunt. Osuencimensium uerò duces, Venceslaus, Præmislus & Ioannes, primi omnium spoponderunt, se contra Cazimirum neminì affuturos esse. Quòd si aliorum Silesiorum uoluntates in eum inclinarent, se in uerba eius iuraturos esse. Hæc tunc acta in Silesia. Inde uerò in Boemiam rex progredi, & suis opem ferre parabat. Sed cum de statu rerum Boemicarũ apud Opauiam è palatino Sendomiriẽsi, è Boemia reuertente, cognouisset, exercitũ dimisit, domumq; redijt. Non fuerunt in ea expeditione Rusi & Podolij, clade domestica, quam insignẽ eius ęstatis initio à Tartaris acceperant, impediti: & ne qua maiore etiã absentes obruerentur, ueriti. Excurrerãt enim Tartari populabundi in Podoliam, ingentemq; prædã abigebant. Recedentes eos cum Podolij ualida manu facta persequerentur, in limosam quandã paludẽ ex metu recipere se coegerũt: ignarisq; locorũ, adactis equis impetũ in eos fecerũt. Stabant contrà instructi Tartari æquiori loco, eminusq; imbrem sagittarum in nostros, cum cœno conflictantes, iaculabantur. Ibi ancipiti malo perculsi primi, extremis, ut retrocederent, sibiq; explicandi sese ex illa difficultate locum darent, significabant. At illi actum esse de suis rati, in fugam se prorsus coniecerunt. Nec tartari occasioni defuerunt. Obtritis enim primis, cæteros auersos obstinatè persecuti, magna strage profligarunt, neminem uiuum seruantes. Ibi pleraque omnis nobilitas & firmamentum Rusiæ cum Michaele Buzacio præfecto Podoliæ concidit, ita ut crebris deinceps excursionibus Tartari omnem illam regionem absque metu peruastarent. Non est autem prætereundum egregium fortis uiri facinus, tolerantiæque exemplum singulare, Ioannes Vulodicus, gente Sulimæus, multis uulneribus confectus, cum inter cadauera iacens à uictoribus despoliaretur, ita compressit uitalem spiritum, ut cum barbarus caligas de pedibus eius non sine uulnere rescinderet, digitumq; cum annulo precideret, tamen nullã doloris atq; sensus significationem edidit, & incredibili patientia uitã seruauit. Vidisse eum se postea cum illis notis, Dlugossus memorat. Per illud tẽpus Albertus rex Cæsar à Germanis principib. appellatus est: quem honorẽ uix, ac non nisi assentientibus Vngaris, quib. promiserat se eum nõ esse suscepturũ, suscepit. Barbara uerò socrus cum ei cunctas possessiones, quas dotales in Vngaria Boemiaq; habebat, concessisset, ac duodenũm millium aureorum pensionem annuam ab eo accepisset, dimissa ab eo ex Vngaria in Poloniam commigrauit, & à Vuladislao rege perhumanè atq; honorificè accepta

Tartari Podoliam uastarũt, & Podolios profligarunt.

Michael Buzacius à Tartaris interfectus.

Ioannis Vulodici patientia.

Albertus Cæsar.

Barbara Sigismundi Imp. uxor in Polonia Sendomirienſi præfectura à rege donata est.

accepta est: & Sendomirien sem arcem cum præfectura & omnibus emolumentis ad utendum fruendum, & habitandum, quoad uiueret, accepit. In Boemia tamen eam nequiter, libidinose, sine ulla religione & spe futuræ uitæ reliquũ ætatis exegisse, uitaq; defunctã, in arce Pragensi in sepulchris regum solenni pompa à Georgio Podiebracio gubernatore condi tam esse, Vngaricarũ & Boemicarũ rerum scriptores memoriæ prodidere. Eodem anno confirmatũ est Vuladislao regnum in comitijs Petricouiensibus, mense Decẽbri habitis: amotisq; ab administratione curatores siue prouisores, cum rex iam quintum decimum annum (qui apud nos finiendæ tutelæ legitimus est) attigisset, ac iusiurandum solenne dedisset, Sigismundo magno duci Lituanorum, renouanti pacta conuenta cum Iagellone & Polonis, stabilitus principatus regio diplomate. Monetæ quoq; probandæ, qui præessent in singulis ciuitatibus, designati: ualde enim iactabatur numus. Verùm non diu id decretum ualuit, præterquàm in minore Polonia & Russia. Non conueniebat tunc inter Eugenium papam & cõcilium Basileense. Ille enim conciliũ Ferrariam reuocabat: quò iam Ioannes Palęologus Imperator, & Iosephus patriarcha Cõstantinopolitanus cum cõpluribus Græcis episcopis ea ipsa de causa appulerant: concilium uerò pontificatũ Eugenio abrogauerat, & alium pontificem creabat. Et concilium tamen & pontifex per oratores de pace inter Cęsarem & regẽ Polonorum componenda diligenter egit: quo commodius sublato inter hos principes bello, Græcis atq; Vngaris subueniretur. Vtriq; enim grauis erat rex Turcarum Amurathes: transalpinensem Valachiam uectigalem sibi fecerat. Ac per illud ipsum tempus Rasciam & Serbiam uectigales regum Vngarorum ditiones affligebat: Singidunũ siue Sinderouiam, uel Smiderouiam, quemadmodũ nostrates uocãt, urbem in ripa Danubij non multo infra Belogradum, quam Nandor Albã appellant, sitam, obsidebat & oppugnabat. Nec succurrere socijs Cæsar cõmodè poterat, Polonico bello distentus. Non abhorrebat igitur is à pace. Ac ne Poloni quidem: iam enim refrixerant studia Boemorum in Cazimirum: Silesij uerò Alberto marchione Brandeburgẽsi duce accepto à Cæsare, crebris populationibus, quemadmodũ scribit Aeneas Syluius & Dubrauius, Poloniam uexabant: siue adeò, ut uult Bonfinius, uexare parabant. Itaq; ex illis ipsis comitijs Petricouiensibus quatuor de primoribus Polonis legati missi ad Cæsarẽ Vuratislauiã, quò is uenerat è Boemia, multis hinc inde iactatis, eò rem perducebant, ut potestas fieret Boemis denuò, quem uellent regem creandi. Id eo lubentius faciebãt nostri, quòd Cæsar secretò pollicitus esse dicebatur archiepiscopo principi legationis Polonicę, daturum se Cazimiro Boemiam in dotem cum filia natu minore. Nec tamen de pace conuenire ibi potuit, uariante Cæsare conditiones pacis, Teuthonum quorundam cõsilio & maleuolentia. nam ipse uir bonus erat, & pacis amans. Discedentes autẽ legati infecta pace, precibus legatorum pontificis atq; concilij ægrè reuocati sunt. Namyslouię denuò tentatum de conditionibus pacis: neque ibi tamen ea conuenit: induciæ modò quadrimestres, per quas commodius pax conficeretur, constitutæ.

Barbaræ imperatricis nequitia.

Comitia Petricouiæ.

Prouisores abrogati.

Tutelæ finiendæ tempus legitimũ apud Polonos.

Iusiurandum regis.

Lituanorũ cũ Polonis pacta renouata.

Monetæ probãdæ magistri.

Concilium Ferrariam ab Eugenio reuocatum.

Græci uenere ad concilium.

Basileense concilium Eugenio pontificatũ abrogauit.

Oratores Eugenij & Basil. concilij ad Cæsarem & Polonos.

Rascia & Serbia à Turcis afflictæ.

Smiderouia obsessa.

Silesij Poloniã infestant.

Polonorum legatio ad Albertum Cæsarem.

Induciæ Polonorum cum Cæsare.

constitutæ. Atque id anni millesimi quadringentesimi trigesimi noni principio actum est. Quo quidem anno pax foris fuit, domi turbæ quædam, siue nouandarum in religione rerum studio, siue ecclesiastici ordinis odio & inuidia, siue utroque excitatæ, paucorum supplicio sedatæ sunt. Corcinum ex composito, quemadmodum uult Dlugossus, indicta erant comitia post pascha. Et iam rex, peragrata maiore Polonia, & parte Russiæ, eò uenerat: conueniebant & proceres, cum Spitco Melstinius, facta clàm non contemnenda manu equitum asseclarum, agrestibus'que suis armatis, apud Piascum maiorem pagum suæ ditionis, haud longè à Corcino, in oppidum improuisus irrupit: & impetu facto in diuersoria Vuladislai Vuladislauiensis episcopi, & Nicolai Lasocij decani Cracouiensis, summo mane quiescentibus adhuc omnibus ea diripuit. Idem'que de monasterio fecit, cum ibi Ioannem Conespolium cancellarium, & Ioannem Olessnicium marsalcum, qui ibi diuerterant, non inueniisset. Commodum enim sese subduxerant, præmonitià quibusdam Spitconis socijs, quòd eum infensum ipsis esse nouerant, quippe qui conatibus eius antea restitissent. His patratis, ex oppido suos eduxit: & eregionè oppidi, ubi Nida restagnans Vistulæ miscetur, castra curribus & fossis munire cœpit. Sed priusquam ea perficeret, coadunati omnes qui circum regem erant, impetum in exercitum eius Hincia Rogouio, ac Dobeslao Scecocinio, inermes ferè in armatum fecerunt: commisso'q; prælio, cum Spitconem ipsum inter primos pugnantem interfecissent, facilè cæteros in fugam egerunt. Nec multum ibi sanguinis fusum est: parci enim rex agrestibus, qui inuiti dominum secuti erant, iussit. Non pauci tamen in Nidam fluuium, quem à tergo habebant compulsi, submersi sunt: in Spitconem palpitantem adhuc iudicium institutum, damnatus'que perduellionis, triduo nudus & inhumatus in publico iacuit. Rapstinum arx eius in ditionem regiam redacta: Melstinum uerò uxori eius deprecanti concessum. Quin & iudicium decretum'q; suum rex proceribus supplicantibus, ne quid factum eius posteris obesset, clementer abrogauit, quòd amentia deliquisse diceretur. In Sbigneum uerò episcopum conatus illos suos maximè intendisse Spitco existimatus est, partim propter litem quandam priuatam ex affinitate ortam: partim etiam, quòd diris deuotus, & senatu abstinere iussus erat ab episcopo propter hæresim. Sed uim eius Sbigneus præmonitus, ad comitia non ueniendo, declinauit. Vulgò etiam creditum est, quemadmodum Dlugossus memorat, suasu & instinctu Sophiæ reginæ Spitconem facinus illud aggressum esse: sed in quem, aut quam ob rem id illa intenderit, coniectura assequi non possum. Non minores in maiore Polonia per idem tempus motus erant, Abraamo Sbanscio concitante: fauebat & hic Boemorum sectæ, Boemos'que sacerdotes hæreticos domi suæ alebat, per quos uirus in populum spargeret: Orthodoxis uerò sacerdotibus, & episcopo Posnanensi Stanislao Ciolco ita infestus fuerat, ut is Cracouiam commigrare cogeretur: eo uerò defuncto, & Andrea Bninio successore ei dato, magis etiam insaniebat Abraamus. Et

1439 ann.

Comitia Corcini.

Spitco Melstinius turbat comitia.

Spitco Melstinius interfectus, & perduellionis damnatus.

Rapstinũ arx Spitconi adempta.

Spitco cur Sbigneo fuerit infensus.

Abraam Sbanscius fautor hæreticorum.

Stanislaus episcopus Posnanensis cessit Sbanscio.

Andreas Bninus episcopus Posnanensis Sbansinũ adortus armis propter hæreticos.

perculit quidem eum anathemate Andreas episcopus: sed cum ea uia nihil proficeret, ui coercere nouatores adortus est. Coactos enim nongentos amplius equites de propinquis & clientibus suis, ad Sbansinum arcem duxit, dedíque sibi quinque Boemos sacerdotes coegit, quos instaurato Posnaniæ iudicio publicè cremauit: nec multo pòst Abraamus ipse mœrore, ira & pudore confectus perijt. Sic incendium illud pestilens haud leuiter iam gliscens in maiore Polonia, uirtute episcopi restinctum est. Habuit autem hic Andreas in episcopa competitorem

Nicolaus Lasocius electus Posnan. sed nõ confirmatus.

Nicolaum Lasocium decanum Cracouiensem: quem bona pars collegij Posnanensis elegerat, & rex Eugenio pontifici max. commendarat: sed tamen Andream prætulit pontifex infensus Lasocio, quòd legatus regio nomine in Basileense concilio, cum ibi de abrogando ipsi pontificatu ageretur, fuisset. Hoc anno Stanislao Pauulouio episcopo

Paulus Gizicius episcopus Plocen. ab Archiepiscopo cõfirmatus.

Plocensi mortuo, Paulus Gizicius scholasticus Cracouiensis & canonicus Plocensis successit, confirmatus à Vincentio archiepiscopo Gnesnensi, propterea quòd de Eugenij pontificis max. à concilio deiecti authoritate dubitabatur. Eodem anno magna pars Cracouiæ gemino in-

Cracouiæ incẽdium.

cendio conflagrauit. Superiori uerò Nicolaus Seraphinus præfectus

Cracouiæ tumultus contra senatum.

salis, & nonnulli alij de senatu urbis, ob importatam adulterinam monetam, populari inuidia penè deflagrarunt: quod ni conspirationem hominum subodorati, in arcem properè fugissent, cæsi essent tumultu & concursu populi. Glíscentem seditionem Sbigneus episcopus repressit, coniectis reis senatoribus in carcerem, & post aliquot septima-

Cõuentus Vngarorum cum Polonis.

nas desidente ira hominum, dimissis. Ad Pentecosten eiusdem anni actum de pace inter proceres Polonos & Vngaros, neque tamen regibus ipsis absentibus quicquam confectum: reiecta res ad congressum ipso-

Alberti Cæsaris mors.

rum regum: qui antequam contingeret, Albertus Cæsar ab expeditione, quam in Turcas nullo operæprecio instituerat, reuertens, disenteria ex immoderato esu peponum contracta, uitam finiuit. Post cuius mortem Vngari recta secum ratione perpendentes in quantis essent periculis Turcico bello implicati, communicato cum defuncti Cæsaris & re-

Vngari Vuladislaum regem Pol. ad regnũ uocant.

gis sui uxore Elizabetha consilio, ad Vuladislaum regem Polonorum regnum unà cum ipsius Elizabethæ coniugio detulerunt. Tametsi prægnans tunc erat Elizabetha: sed neque certum erat, marem ne paritura esset, neque tutum, maturam regno ætatem pueri expectare. Missi pu-

Oratores Vngarorum in Poloniam.

blicè ad acciendum Vuladislaum è Polonia, Ioannes Signiensis episcopus, Matco siue Mathias Taloncius, Dalmatiæ & Croatiæ præfectus, quem Banum illi uocant, Emericus Marcellus magister curiæ regiæ, Ioannes Perenæus maior, & Ladislaus Palocius, mense Februario insequentis anni cum splendido comitatu & legatis ciuitatum Cracouiam uenerunt, & postulata totius Vngariæ Vuladislao regi exposuerunt. Res in consultationem senatus posita: uariabant sententiæ sena-

Consultatio senatus Pol. de regno Vngarorum.

torum, dissuadentibus multis, difficultatemque duorum amplissimorum regnorum administrandorum, & Turcici belli magnitudinem exaggerantibus: alijs contrà rem splendoris & gloriæ plenam nequaquam

repudiandam

repudiandam esse censentibus, neque prodendam barbaris cum florentissimo regno salutem & amplitudinem reipublicæ Christianæ, quæ illo quasi firmissimo quodam propugnaculo niteretur: & præstabilius autem consultiusque esse, Polonos Vngarorum armis atque periculo contra Turcarum uim sese tueri, quàm illis proditis, & illo quasi intermedio pariete sublato, per se ipsos omnem maximi ac difficilimi belli molem sustinere. Pronior in eam partem erat Vuladislai animus, ut regno suo paterno contentus esse uellet, cùm propter illas, quas paulo antè exposuimus causas, tum quòd adolescens prouectæ mulieris coniugium fastidiebat. Sed tamen cessit plurium diuersum suadentium sententiæ, & Vngarorum precibus. Et aderat fortè Amurathis Turcarum domini si- *Turcarũ legatio ad Vuladislaum regem.*
ue imperatoris legatio, quæ uiuente adhuc Alberto Cæsare missa, fœdus & amicitiam tyranni, pecuniamque, & centum millium armatorum auxilia Vuladislao contra Albertum deferebat. De conditionibus deinde cum Vngaris tractatum. Conueniebat iam legatis, totius conuen- *Pacta Vuladislai regis cum Vngaris.*
tus Vngarici & reginæ mandata disertè proferentibus, ut si Elizabetha regina ex Alberto Cæsare masculum posthumum peperisset, eum Vuladislaus ad Boemorum regnum adipiscendum adiuuaret, Vngaricum ipse ad posteros suos transmitteret: quòd si nullos mares liberos relinqueret, tum demum ut Alberti posthumus in Vngaria ipsi succede- *Vngari oratores reuocantur è Polonia.*
ret. Hæc dum ita constituuntur, interim aduolat ex Vngaria ueredarius cum literis ad legatos, quibus scriptũ erat, ut re infecta redirent, eo quòd regina filium peperisset. Verùm non putabant id legati ex dignitate suæ gentis fore: & habebant etiam in eum euentum diserta mandata, ut etiamsi regina marem peperisset, nihilominus Vuladislao regnum deferrent. Abiecerat eo nuncio rex omnem de suscipiendo eo regno cogitationem: sed tamen uictus est legatorum perseuerantia. Tum demum Turca *Ladislaus posthumus Alberti Cæsaris filius.*
rum legationi, quæ aliquot menses Cracouiæ expectarat, responsum à rege datum est, regnum sibi ab Vngaris delatum esse: quòd si Amurathes amicitiam suam expeteret, Vngariam ne infestaret, socijs Vngarorum Rascijs redderet quæ ademisset. Nam is post expugnatam Smiderouiam, alias etiam quasdam Rasciorum munitiones partim uiuente, partim defuncto iam Alberto cæperat. His ita confectis, legati Vngarorum, duobus ad deducendum regem relictis, cæteri in Vngariam reuerterunt: ac Perenæus quidem apud Sarissam arcem suæ ditionis regem uenientem hospitio accepturus substitit: Mathias uerò & Emericus ad reginam, dolorem & iram dissimulante, mcontenderunt: eiusque iussu *Turcicæ legationi respõsum à rege datum.*
Vngari oratores ab Elizabetha regina capti.
comprehensi, & in uincula cum omni comitatu suo coniecti sunt. Id ubi Sendiuoius Ostrorogius palatinus Posnanienſis, & Ioannes Conespolius cancellarius Poloniæ, qui legati à Vuladislao ad reginam missi erant, accepere, omissa, Simonis Agrienſis episcopi suasu, legatione, in Poloniam reuerterunt. Scinduntur in duas partes Vngari, dum alij reginæ, alij Vuladislao student. Nihil tamen hæc Vuladislaum mouebant, ut mutaret sententiam. Quin aliud quoque longè maius impedimentum fortuna ei obiecit. Nam per eos dies, quibus iter adornabat in Vngariã, *Poloni oratores ad reginã.*
Vngarorum diuersa studia.

Sigiſmundus dux Lituanorum à ſuis interfectus.

nuncium accepit è Lituania, Sigiſmundum ducem Lituanorum auarè & crudeliter dominantem, cõſpiratione Iuani ſiue Ioannis Ruſsi ducis Zartorienſis, & aliorum quorundam Ruſſorum & Lituanorum procerum apud Trocos interfectum eſſe, permultorumq́, maximè Samagitarum ſtudia in Michaelem filium eius inclinare: Suitrigellonem uerò Luſcum Ruſſorum proditione rurſus in poteſtatẽ ſuam redegiſſe: magnos etiam theſauros Sigiſmundus reliquerat, eosq́ Ioannes interfector unà cum Trocenſi arce occuparat. Sic autem is Sigiſmundum ex inſidijs adortus eſſe fertur. Vrſam habebat Sigiſmundus cicurem, quam ad mẽſam & ad cubiculum familiariter admittebat. Ea ſiue non uenerat illo eunte cubitum, ſiue de more emiſſa exiuerat, & à coniuratis alicubi concluſa erat. Eius igitur unguium ſtrepitu ad oſtiũ cubiculi aſsimulato, coniurati intro miſsi, ducem nihil tale ſuſpicantẽ trucidarunt. Deſiderabant nonnulli de primoribus Lituanis regis preſentiam, & res ipſa flagitabat. Nihil tamen is de ſua in Vngariã profectione mutabat, ne leuitate quadã aut metu & anguſtia animi cœpto deſtitiſſe uideretur. Cazimiro uerò fratri recipiendæ, parandæ & gubernandę ſuo nomine Lituanię negociũ dedit. Ingreſſurum aũt iter poſt mediũ Aprilem, ingens aquarũ inundatio, ſoluta tũc primùm niue & glacie, remorata eſt. Aſperrima enim præterita hyems fuerat, magnaq́ niuium uis ante mediũ Nouembrẽ delapſa, ad illud uſq́ tempus durarat. Neq́ uerò bene ſuperiore æſtate fruges prouenerant, ita ut hominibus uulgò foliis atq́ tenerioribus frondibus arborũ, & radicibus herbarum ueſci neceſſe eſſet. Pecudes uerò & iumenta uetuſtis tuguriorum ſtramẽtis detractis ęgrè ſuſtentata: indeq́ magna uis morbi paſsim graſſabatur. Cuncta hęc agminatim cõcurrentia, ominoſa uulgò habita, regem tamen minimè cõmouerunt. Itaq́ inſtitutũ iter adornans, in minore quidẽ Polonia & Ruſsia Ioannem Cizouiũ caſtellanum Cracouienſem, in maiore uerò Albertum Malſciũ palatinum Lencicienſem uicarios pro ſe reliquit: præfectos Cracouienſem, Poſnanienſem & Podolienſem neſcio qua de cauſa mutauit, & in Cracouienſi quidẽ præfectura illum ipſum Cizouiũ Ioanni Pilecio, in Poſnanienſi Creslaum Curozuancium Stanislao Oſtrorogio, in Camenecenſi uerò Theodoricum Buzacium Petro Polaco ſuffecit: porrò Scepuſium Sbigneo epiſcopo Cracouienſi, ut inde ſibi debitũ pro argento cælato ſignatoq́, cuius nõ modicũ pondus regi mutuò dederat, deduceret, cõmendauit: Boleslao duci Maſouiorum præcepit, ne Drohicinenſem tractũ, quem poſt interfectũ Sigiſmundum Lituanorũ ducem, ex fœdere uetuſto, ſed ab ipſo Sigiſmundo renouato, occuparat, cuiquã concederet. His peractis, & rebus omnino Polonicis pro tempore conſtitutis, cum magnificentiſsimo apparatu, & comitatu nobilitatis Polonæ ſplendidiſsimo, & iuſti exercitus ſpeciem prę ſe ferente, in Vngariam profectus eſt: præmiſſoq́ Simone Roſcigonio epiſcopo Agrienſi, Vincentio Samotulio caſtellano Medirecenſi, Ioanne Sennenio, & Andrea Tencinio, Budã in poteſtatem ſuã redegit. Quod quidem percommodè accidit: paulo pòſt enim Vlricus comes Ciliæ, reginæ Elizabethæ propinquus, cum quingentis equitibus eandem ob cauſam

Luſcũ à Suitrigellone interceptum.

Trocenſis arx à duce Zartoriẽſi occupata.

Cazimirũ rex Lituaniæ pro ſe præficit.

Inundatio.

Aduerſa omnia regi in Vngariam iter paranti.

Hyems aſpera.

Fames.

Peſtis.

Gubernatores Poloniæ.

Præfecti primarij mutati.

Scepuſium Sbigneo epiſcopo commendatũ.

Drohicinenſis tractus Lituanis ademptus à Maſouijs.

Vuladislai profectio in Vngariam.

Buda redacta in poteſtatem Vuladislai.

ob causam à regina missus uenit: sed cognito quòd nostri arcẽ & urbẽ tenerẽt, ad reginã se uacuus recepit. Illa uerò certior facta de omnibus, filiũ suum Ladislaũ nondũ quadrimestrẽ, sublato de Alba regali diademate diui Stephani, à Dionysio Zecho cardinali & archiepiscopo Strigoniẽsi, presentib. & assentientib. Benedicto laurinẽsi episcopo, Vlrico comite Ciliẽsi, Ladislao Gara ærarij præfecto, Nicolao Fristacio, Stephano Rosgonio, & Thoma Zecho fratre archiepiscopi, coronari curauit. Postea quã Budã uenit Vuladislaus, magnaq; nobilitatis & procerũ (in quib. & archiepiscopus Strigoniẽsis, & Ladislaus Gara fide publica accepta fuere) multitudo ad eum cõuenit, huiusmodi concionẽ per interpretẽ habu isse fertur. Alium ego, proceres & uiri Vngari, alium longè quàm uideo, regni huius statum me reperturum esse speraui. Credebam enim summo omnium ordinum hominum'que consensu me accitum esse, ut uobis uolentibus imperarem, Turcarum'q; arma ab Vngaria depellerem. Itaq; omissis rebus Lituanicis, quæ meam præsentiam nunc maximè requirebant, desiderio uestro, & precibus legatorum uestrorũ satisfeci, & meum ad uos aduentum maturaui. At nunc aduenienti alia se mihi rerum facies offert. Non idem est sensus omnium: diuersa studia: habet inter uos non paucos nec obscuros fautores Alberti filius posthumus, & iam ab his diademate redimitus est. Quid hinc aliud, quàm ciuile & penè parricidiale bellum inter uos propediem expectandum est? Eius ego uobis author causa'q; esse nolo Vngari. Abundè regno paterno contentus sum: Vos, me nihil obstante, quouis modo commodis uestris, & quieti, salutiq; publicæ diligenter etiam atq; etiam prospicite: mei uerò nullam ducite rationem. Hæc elocuto rege, secedunt in consilium Vngari, admirantes regis modestiam, & excelsum animum. Deinde Laurentius Hedreuarus palatinus Vngariæ ex omnium sententia gratias regi egit, quòd patris clarissimi & optimi regis uestigijs insistens, religionem Christianam defendere in primis studeret, quemadmodum ille propagare studuisset, pluris'que publicam salutem, quàm suam amplitudinem faceret: deinde orauit eum, ut susceptum semel summa omnium cum lætitia & spe optima regnum ne repudiaret. Non falli eum, quòd crediderit, publico omnium ordinum consensu id ad se delatum esse: permanere autem illum consensum, optima atque etiam necessaria ratione nixum. Paucos siue muliebri consilio seductos, siue dominandi alieno nomine cupidos, cum regina mutasse sententiam, & alienissimum ab illo tempore de infante coronando consilium iniuisse: sed eorum conatibus improbis se cunctos usq; ad sanguinem obstaturos esse. Ne quam uerò ei dubitationem relinquerent, statim cuncti in uerba eius iurarunt, orsi ab Dionysio archiepiscopo: sublatũ'q; de more gentis in humeros Vuladislaum, acclamante populo, regẽ renunciarunt. Vissegradũ deinde itum est, ubi asseruari solebat diadema, quod diui Stephani ferebatur: uerùm id regina inde clàm omnibus surripuerat. Quare parum abfuit, quin Ladislaus Gara Banus, præfectus eius arcis & ærarij, tumultu populi cõcerperetur. Captus quidẽ est: sed mox regis beneficio liberatus, cũ is in Poloniã statim

Ladislaus post humus infans coronatur ab Vngaris.

Archiepiscopus Strigon. et Ladislaus Gara fide publica ad Vuladislaũ uenere.

Vuladislai regis oratio ad Vngaros.

Responsum ab Vngaris Vuladislao datum.

Vuladislaus ab Vngaris rex renunciatur et attollitur.

Ladislai Garæ periculum.

Vuladislai fides.

Vissegradensis præfectura Vincentio Samotulio mandata.

Vuladislai coronatio.

rediturum se esse minaretur, ni sibi Ladislaus, qui fidem suam secutus eò uenerat, condonaretur: decretum autem est, ut Vissegradensis arcis præfecturam deinceps non nisi Polonus obtineret. Itaque Vincentio Samotulio Medirecensi castellano tunc ea mandata est. Regi uerò diadema de caluaria S. Stephani detractum ad XVI Cal. Augusti solenni ritu apud Albam regiam ab archiepiscopo Strigoniẽsi impositum. Accidit per eos dies facinus memorabile. Vngarus quispiam obscuræ sortis, indicauit magnam auri uim ab Elizabetha regina sibi obtrusam esse, ut Vuladislaũ regem uel ferro, uel ueneno de medio tolleret. Id siue uerum fuit indicium, siue ementitum spe maioris muneris, Vuladislaus irremuneratum, prætermisit atque dissimulauit, ne quam Elizabethæ infamiam suscepti sceleris inureret: Vngari uerò indicem ignitis forcipibus immaniter dilaniatum dissecuerunt. Coronatione ritè peracta, rex Polonos proceres, qui se in Vngariam deduxerant, dimisit. Ex his Sbigneus

Regis clementia, & Vngarorum ira in proditorem.

Sbigneus Cardinalis designatus.

Amadeus dux à concilio Basileensi pontifex max. creatus.

Sbignei periculum apud Keuessum.

episcopus nouo Cardinalis presbyteri honore tam ab Eugenio pontifice max. quàm ab Amadeo Allobroge, quem concilium Basileense, amoto Eugenio suffecerat, & Felicem quartum appellarat, auctus, Cracouiam reuertens, magna omnium gratulatione exceptus est. Tametsi intinere apud Keuessum oppidum in Vngaria non multum abfuit à periculo, iurgio & prælio inter oppidanos & familiam eius concitato. Nemo tamen de comitatu eius cæsus est, uulnerati complures. Oppidani uerò multorum sanguine & nece, dimidij́que oppidi conflagratione, excitati temerè tumultus pœnas luerunt. Conuentum deinde minores Poloni bis apud Corcinum egerunt, & auxilia quinque milliũ equitum regi in Vngariam decreuerunt: in eorum uerò stipẽdia ut agricolæ duodenos grossos in iugera penderent: sculteti & equites, qui nullos haberent adscriptitios, octonos & quadragenos, quæ marca apud nos dicitur. Cæterùm qui equites per se ipsi eam militiam obire uellent, ut & ipsi & adscriptitij eorum ab omni pensione immunes essent. Fuit autẽ necessarium id subsidium, propterea quòd Vngari apertius iam factiones alere cœperant, & partim regi, partim reginæ studebant. Et firmiores erant reginæ partes in superiore Vngaria, Austriæ & Morauiæ finitima: cuius ciuitates pleræque omnes à Teuthonibus habitatæ, non contemnendo externi militis mercenarij́ præsidio, duce Ioanne Iscra Boemo, in fide reginæ continebantur: ab his aduersariorum agri uexabantur, munitiones etiam partim expugnabantur, partim per proditionem intercipiebantur. Ab altera quoq; parte Ladislaus Gara, malè referẽs regi liberatori suo gratiã, temerato unà cũ archiepiscopo Strigoniẽsi iureiurãdo, multos in reginæ partes potẽtia & authoritate sua pertraxerat, & ualidũ exercitum cõtraxerat. Cõtra eum rex, non expectatis Polonorũ auxilijs, aulicũ suũ comitatũ Vngaris & Polonis constantẽ, & quos ad manus habuit Vngaros uoluntarios, Nicolao Fristacio, siue Vilacho, ut habẽt alij́, qui à regina ad regẽ defecerat, & Ioanne Huniade ducib. misit: & certã sibi uictoriã pollicentẽ, insigni strage profligauit. Ladislaus tamẽ ipse fugam euasit; sed non ita multo pòst à Friderico Cæsare, qui Alberto patruelí à Ger

Conuentus minorum Polonorum Corcini.

Iugerale tributum decretum regi in subsidium à minoribus Polonis.

Marca.

Vngarorum fluxa fides.

Ioannes Iscra.

Ladislaus Gara cum archiepiscopo Strigoniensi deficiũt à Vuladislao.

Nicolaus Fristacius.

Ladislaus Gara fusus fugatusq;, & à Cæsare captus.

Fridericus tertius Cæsar.

liàGermanis principibus ſucceſſor datus erat, captus, ſeptuaginta millibus florenorum ſeſe redemit, cum reginam ſecutus in Auſtriam uenisſet. Captiuos autem omnes rex liberaliter dimiſit. Qua clementia permagnam apud Vngaros gratiam inijt, Slauoniam'que & Croatiam, miſſo illuc Nicolao Laſocio decano Cracouienſi legato, ſine armis recepit. Friſtacium uerò & Huniadem ampliſsimis muneribus affecit. Et illum quidem Croatiæ Banum, hunc uerò Tranſyluaniæ Voieuodam ſiue palatinum fecit: deinde uerò etiam Themeſsienſi & Seuerinenſi præfectura auxit. Inde primùm Ioannis Huniadis, quem & Coruinum à uico in quo natus eſt, appellauere quidam, nomen celebre eſſe cœpit: cum is antè clarus non fuiſſet, matre Græca, patre autem Valacho natus. Nonnulli eum à Sigiſmundo Cæſare genitum eſſe exiſtimarunt. Ab eo quidem Huniadum arcem in extrema Tranſyluaniæ ora, & inde cognomen ipſe accepit. Deinde uerò cum is nauiter rem gereret, Turcas'que Vngariam infeſtantes aliquoties magnis cladibus affeciſſet, etiam magiſter Vngaricæ militiæ factus eſt à Vuladislao. Dum ita diſsident inter ſe Vngari, ne Boemi quidem quieti fuere. Edictis enim Pragam noui regis creandi cauſa comitijs, cum interim Elizabetha Alberti Cæſaris uxor peperiſſet, ac de nato hærede regni Boemos illuſtri legatione admonuiſſet, alij bene meritorum de ſe regum Alberti filium Sigiſmundi nepotem, Ioannis pronepotem præteundum non eſſe cenſebant: alij ineptam regno adminiſtrando ætatem pueri, inteſtina'que diſsidia cauſati, ad Albertum Bauarorum ducem regnum deferebant: quorum ſententia uincebat. Sed Albertus morlem turbulenti regni auerſatus, & à Friderico Cæſare, ne Ladislao poſthumo paternum regnum præriperet, præmonitus, non accepit oblatum regnum. Ad Fridericum Cæſarem deinde itum eſt, ut is regnum uel ipſe ſuſciperet, uel pro tutore duntaxat cognati infantis, quoad ille adoleſcat, adminiſtraret. Vtrunque negauit: quòd neque eum, quem omni ratione defenſum ire debeat, iniuria afficere ſibi conueniret, neque tam negocioſum pauper'q; regnum alieno nomine gerere uellet. Ad Ladislaum potius Boemi hæreditarium regnum deferrẽt, & gubernatores ipſi ſibi legerent, penes quos foret ſumma rerum, quoad rex adoleſcat. Fecere iuſſa Boemi, deſignato'q; rege Ladislao, ad Meinardum & Ptaſconem primores ſummam adminiſtrandi regni detulerunt: quorum hic erat hæreticus, ille rectè de religione ſentiebat. Nec tamen ceſſabant domeſtica latrocinia. Non multo pòſt extincto Ptaſcone, conſpiratione idem ſentientium, Georgius Podiebradius prætextu adminiſtrationis dominatum arripuit, Pragam gentis metropolim & Meinardum gubernatorem in poteſtatem ſuam redegit. Nec multo pòſt Meinardus extremum clauſit, diem non ſine ueneni ſuſpicione: uires ſumpſere hæretici authore Rochezana pſeudarchiepiſcopo. Hæc de Boemicis rebus obiter hic modò commemoraſſe ſuffecerit. Dum ita res turbantur in Boemia & Vngaria, Cazimirus regis frater cum pleriſq; primoribus minorum Polonorũ, & ducibus Maſouiorũ Cazimiro & Boleslao, accepta

Slauonia & Croatia in poteſtatem Vuladislai redacta.

Ioannis Huniadis genus, honores, & res geſtæ.

Boemorũ diſſidium in creando rege.

Albertus Bauarus regnũ Boemicũ repudiauit.

Fridericus Cæſar & regnum & adminiſtrationẽ Boemiæ recuſauit.

Ladislaus poſthumus rex Boem. deſignatus.

Meinardus & Ptaſco gubernatores Boemiæ.

Georgius Podiebradius dominatum apud Boemos arripuit.

Cazimirus magnus dux à Lituanis creatus est.

accepta de ærario regio pecunia, splendido comitatu pro gubernatore in Lituaniam profectus, Vilnæ dux magnus à Lituanis renunciatus est, nequicquam reclamantibus Polonis, & fœdera, regisque aduersam uoluntatem testantibus. Sed plus ualuit apud Lituanos præsens metus. Verebantur enim, ne, si uicarius modò ducis esset Cazimirus, Michael Sigismundi cæsi filius, Samagitarum & aliorum fautorum suorum ope principatum arriperet, pœnasque mortis paternæ à se expeteret. Quin apud Russos iam noui motus extiterant: & Smolenscia plebs in primis tumultuata, sumptis armis præfectos suos cum nobilitate profligarat & eiecerat, arcem in potestatem suam redegerat, & Georgium Mescislauiensium ducem, dominum sibi adsciuerat. Sed Cazimirus nouus dux cum subitario exercitu, exusto oppido, ingentique cæde hominum edita, arcem recuperauit. Hæc igitur causa siue prætextus fuit Lituanis, creandi sibi magni ducis præter sententiam regis, & contra pacta conuenta cum Polonis. Petiuit tamen à rege postea per legatos diligenter Cazimirus, ut factum Lituanorum approbaret: sed non modò non impetrauit, uerùm etiam uehementius eum iritauit, quòd neque exemplum regi placebat, & Michaelem Cazimirus patrimonio omni exuerat: & Bielscum, Melnicum, ac Drohicinum cum omni eo tractu Boleslao Masouiorum duci eripiebat. Nam Boleslaus eas munitiones auo suo Ioanni ab Iagellone rege olim donatas, sed à Vitoudo deinde ereptas, post Sigismundi demum obitum ex pacto occuparat. Insequens annus nihil ferè memorabile habet, nisi quòd minorum, ac deinde maiorum etiam Polonorum, & Russorum auxilia partim ex mercenarijs militibus, partim ex uoluntarijs collecta, ducibus Ioanne Tencinio palatino Cracouiensi, Ioanne Olesnicio castellano Sendomiriensi, Petro Odrouanzo palatino Russiæ, Gregorio siue Riscane Kerdeio palatino Podoliæ, Ioanne Sennenio præfecto Sendomiriensi, Derslao Rithuianio, Laurentio Zaremba castellano Siradiensi, Nicolao Scora iudice Posnaniensis regionis, & nonnullis alijs uiris nobilibus, in Vngariam, nequicquam prohibẽte Iscra, ad regem uenerunt. Quorum opera, ductu Tencinij in ea quidem parte, quæ Austriæ finitima est, superiores ferè partes regis fuerunt, Posonienſis arx obsidione liberata: aliæ munitiones, quæ reginæ præsidijs tenebantur, partim per uim, partim per deditionem extrema adhuc hyeme receptæ sunt: Vlricus comes Ciliæ captus. In ea uerò ora, quæ ad Poloniam uergit, diuersa fortuna regis fuit, ita ut ab obsidione Cassouiæ, re infecta, discedere Poloni cogerentur, Kesmarcum amitterent: Scepusiensem etiam oram, quæ in ditione Polonorum est, & à Sbigneo episcopo tunc tenebatur, Iscra infestaret, & Podolinum obsideret. Nec tamen eò rex arma conuertere ab Vngaris permissus est, siue propter grassantem pestem: siue quòd ij uererentur, ne pertæsus tam negocioſi ac turbulenti regni, in Poloniam, propinquitate loci inuitatus, sese subduceret. Pestem tamen ita is contempsit, ut quamuis plurimi passim repentè concíderent, & in intimum quoque cubiculum eius contagio morbi peruaderet,

Smolenscij res nouantes à Cazimiro cohibẽtur.

Michael Sigismundi ducis filius, patrimonio spoliatus à Cazimiro. Bielscum, Melnicum, ac Drohicinum Cazimirus Masouijs eripit.

Poloni auxilia mittunt regi in Vngariam.

Diuersa fortuna regis Vuladislai in Vngaria.

Pestẽ Vuladislaus contẽpsit.

deret, nihilo tamen minus uersaretur in publico, regia'que obiret munia. Apud Parsouiam uerò Poloni proceres cum Lituanis conuentum egêre: fruſtra'que, Lituanis rem inficientibus, concordiam inter Cazimirum regis fratrem, & Boleslaum Masouiorum ducem, & Michaelem Sigismundi ducis filium tentarunt. Per quod tempus Moschorum dux, adiunctis sibi Tartaris Casanensibus excursionem fecit in Lituaniam, Vesmensem'que tractum ferro & igni depopulatus est: quem ut ulciscerentur Lituani, ipsi quoque uicissim ditionem eius longè latéque uastarunt, & ingentem prædam abegerunt, Moschos'que se insecutos commisso prælio fuderunt, Cazimiro interim Smolensci euentum belli expectante. Sequenti anno maiores Poloni facta manu Silesiam finitimam depopulati sunt: ac duo castella, Gorsouum & Cecerinum expugnarunt & incenderunt, ulti crebra Silesiorum latrocinia. Vexatum est tamen postea nihilominus territorium Velunẽse à Vuratislauiensibus, duce Hasenemero, siue Zaiesso Austrio, Vierussouum'que oppidum cum castello incensum, ac dominus eius Vieruss captus. Podoliam uerò atque Russiam, Leopolim usque, ingentia Tartarorum examina impunè ferro igni'que uastarunt, & infinitam penè captiuorum multitudinem, cæteram'que prædam abegerunt. Reuertentes, Vindica Gliniano-rum præfectus cum parua manu insecutus, magna strage afflixit, multos'q; captiuos liberauit: sed ad extremum hostium multitudine circumfusus, honestissimam cum suis omnibus mortem oppetijt. Rex ubi de excursione Tartarorum nuncium accepit, Polonos & Russos proceres profuse magis quàm liberaliter, non modò pecunia de reditibus Polonicis proueniente, uerùm etiam censibus, possessionibus, ac totis præfecturis, præter leges Polonorum, siue donatis, siue hypothecæ nomine addictis, atque etiam alienis bonis perperàm per imprudentiam attributis, remuneratos dimisit. Ex his Petrus Odrouanzus palatinus Russiæ, & præfectus Leopolienſis, cum suis Russis properè reuertens, cum Agriæ à Simone episcopo lautè acceptus esset, à Boemis, qui Cassouiæ erant in præsidio, summo diluculo duce Telepho in oppidum improuiso irruentibus, captus est, currus'q; eius direpti: sed Boemos cum præda raptim sese recipientes, consecuti nostri pariter cum comitatu episcopi, ad internecionem penè ceciderunt, sua'que omnia præter ipsum Odrouanzum recuperarunt. Nam eum Telephus in arcem quandam propinquam præmiserat: sed eum tamen præfectus arcis Iacobus Zuder regi condonauit: defectionis'que suæ impunitatem, placato rege eo munere, impetrauit. Pauci hostium uiui in potestatem nostrorum uenêre: inter quos fuit ipse Telephus. Hi omnes Simoni episcopo traditi, non multo pòst ab eo, icto cum Iscra fœdere, & affinitate firmato, dimissi sunt. Sub idem ferè tempus, Nicolaus Zaica Brozouiciæ, & Nicolaus Comorouius Podolini in Scepusio præfecti, cum parua manu noctu Aperiassum oppidum, quod modico Iscræ præsidio tenebatur, admotis scalis ingressi, raptim direptum incenderunt: quo properè cognito Iscra cum expeditis equitibus eos abeuntes insecutus, facilè fusis,

Polonorum cõuentus cum Lituanis irritus.

Moschicũ bellum.

1442 ann.

Silesia uexata à Polonis.

Velunenses uexati à Vuratislauiensibus.

Tartari uastarunt Podoliam & Russiam.

Vindica.

Clades Russorum.

Vuladislai regis profusa liberalitas.

Petrus Odrouanzus captus in Vngaria.

Iacobus Zuder.

Telephus captus.

Aperiassum direptum & incensum à Polonis.

Poloni fusi ab Iscra.

uel cæsis, uel captis paucis, qui cum ducibus hostem à longè conspectum temerè expectarunt, prædam ferè omnem recepit, Zaicam & Comoro-

Brozouicia arx altera arsit, altera Iscræ dedita est.

uium duces cæpit: & ad Brozouiciam admotis castris, altera arce siue fortuito incendio, siue subiecto à quopiam igni exusta, altera per dedi-tionem potitus est. Quocirca subsidiarias aliquot cohortes Sbigneus Cardinalis ad tenendum Scepusium mittere ex Polonia coactus est. Ae-

Legati Cardinales duorum pontificum ad Vuladislaum regem.

statis huius initio duo legati pontificij in Vngariam ad regem ijsdem de causis uenerunt. Ab Eugenio quidem Iulianus Cęsarinus Cardinalis, epi scopus Sabinensis: à Felice uerò & concilio Basileensi Alexander Zemo-uiti Masouiorum ducis, & Alexandræ regiæ amitæ filius, patriarcha A-

Alexander Masouius Cardinalis.

quilęiensis, episcopus Tridentinus, & Cardinalis presbyter tituli S. Lau-rentij in Damaso non ita multo antè ab ipso Felice creatus. Atq; hic quidem ut Felicis, ille uerò ut Eugenij authoritatem rex unà cum suis omni-

Optio pontificis de duobus. Concilium Florentinum.

bus sequeretur, postulauit. Iustior Eugenij causa Vngaris uisa est, quippe quæ Græcos etiam & Armenos aditipulatores haberet, qui concilio Ferrariam ab eo conuocato, & propter pestem Florentiam translato in-terfuere. Adfuit & Isidorus Kiouiensis ac totius Russiæ metropolites, cum ducentorum equitum comitatu. Polonis, quoniam Academia Cra-couiensis authoritatem concilij defendebat, & nō modò Sbigneum Cra-couiensem episcopum, sed etiam Vincentiū archiepiscopum Gnesnēsem Cardinalis presbyteri honore ornarat Felix, tutius uisum neutrum, do-nec dissidium illud maneret, pro pontifice max. agnoscere. Egit deinde Iulianus cum rege & Vngaris de pace facienda cum regina Elizabe-tha. Quæ relicto in Austria, ac Friderici Cæsaris tutelæ commendato La dislao puerulo, cum sacro diademate, Strigonium redierat, quo Vnga-ros partes suas secutos in fide contineret: egit & de suscipiendo bello con

Pax inter regē & reginam in Vngaria.

tra Turcas. Et pax quidem cum regina secretis conditionibus composi-ta est, cum ad eam rex Iaurinum rogatu Iuliani ueniisset, moresq;, & uirtu-tem suam, ac dignitatem oris ei probasset. Verùm ea pax, regina paucis

Elizabetha imperatrix mortua.

diebus ex dysenteria ac dolore matricis mortua, rursus infecta est, defen-dentibus nihilo segnius partes Ladislai posthumi, seu uerius suam rem agentibus, & nullo amici & inimici discrimine omnia infestātibus ijs, qui in superiore Vngaria cum regina senserant. Iactatum est uulgò, reginam ueneno sublatam esse. Bonfinius quidem eam Budam ad regem uenis-se, & inde Iaurinum reuersam, post tertium diem torminibus uentris ingenti regis dolore extinctam esse, scriptum reliquit. Neque uerò in persuadendo bello Turcico plus difficultatis sensit Iulianus, cum non tam utilitas inferre bellum barbaris, quàm necessitas illatū ab ijs depelle-re, & amissa recuperare suaderet. Etenim Amurathes non ignarus Vn-garicorum dissidiorum, ciuilisq; belli, infestabat reliquum Rascię, atque Transyluaniam: Bielogradum obsederat, & summa ui oppugnarat. Et quamuis Vuladislaus rex per Dobrogostium Ostrorogium, & Lucam Gorcanum Polonos, oratores suos, postulasset ab eo, ut ab obsidione di-scederet, & pacem fœdus'que dudum ultro expetitum secum sanciret: ille tamen ferox, amandatis Smiderouiam oratoribus, continuauit ob-

sidionem

sidionem in septimum mensem. Nec nisi maxima suorum strage adactus, ab ea recessit. Ac ne tunc quidem demisit spiritus: quin dimittens oratores regios, ijs demum legibus pacem se daturum esse respondit, si sibi reliquum Rascię & Bielogradum traderetur. Pollicebatur legatus regi & Vngaris ad id bellum ingentia põtificis max. & quorundam principum Christianorum auxilia. Ad hæc autem Vngarorum spes per se ipse iam inde ab initio in Vuladislaum erectæ, rebus ad eam diem aduersus eundem hostem auspicijs eius prosperè gestis, augebantur. Nam præter id quod Amurathes à septimestri illa Bielogradi oppugnatione re infecta turpiter discedere coactus erat, Ioannes Huniades regis huius auspicijs eosdem barbaros tribus insignibus prælijs, uno apud idem Bielogradum, altero in Transyluania, tertio apud Vascapum in finibus eiusdem Transyluaniæ per illud ipsum tempus uicerat, & magnis cladibus affecerat, Mezitem Bassam ducem exercitus bellicosissimum cum filio interfecerat, Sciabadinum alterum Bassam trepidè fugere coegerat. Commouebat etiam & regem & Vngaros Stephani siue Georgij Despotę Rascię & Albaniæ misericordia, qui paucis illis annis utraque ditione à Turcis exutus, & filijs duobus captis, exectis, & excæcatis orbatus, regis beneficentia in Vngaria sese sustentabat: & cùm publicè cunctis supplicabat, tum priuatim singulos proceres prehensabat, ut in suum dominatum restitueretur. Ad extremum superba Turcarum tyranni Amurathis legatio in illud fortè consultationis tempus coniecta, omnium animos uehementer accendit: afferebat autem ea pacem uel inducias Vngaris, si tributum tyranno, quem Cæsarem & illi uocant, quotannis penderent: aut Bielogradum, quod Nandor Albam, & Albam Græcam uocant, olim Taurunum fuisse existimatur, traderent. In quam spem barbaros Mathias Taloncius Dalmatiæ & Croatiæ Banus, illorum uires & felicitatem, ac perturbatum Vngariæ statum secum reputans, & grauiora metuens, adduxisse existimatus est. Itaque procerum animis ad bellum inclinatis, comitia Budam ad Pentecosten, anni sequẽtis, qui fuit à Christo nato 1443, à rege indicuntur. Ibi bellum uno omnium consensu decernitur. Mittuntur oratores ad Fridericum Cæsarem, & ad alios principes Christianos, & ad Cruciferos Prussienses atque Liuonienses, nominatim in hostes Christiani nominis militiam professos, petitum auxilia ad tam piam ac toti Christianæ reipublicæ salutarem expeditionem. Sed nihil usquam impetratum, prętęr duorum annorum indutias à Cæsare Friderico. Pontifex quidem Eugenius piam Crucis militiam aduersus barbaros per omnes nationes Christianas pronũciari iussit. Inde aliquantulus uoluntariorum miljtum, siue adeò promiscuæ multitudinis numerus confectus est, quem Iulianus legatus, cruce pro uexillo utens, duxit. Poloni regi suo non contemnenda auxilia misêre. Per id tempus Nonis Iunij magnus terræ motus Vngariam, Boemiam & Poloniam afflixit, quo multa ædificia & arces etiam quædam concussæ ac deiectæ sunt. Vicesimasecunda die mensis Julij Buda castra mota sunt: transmisso'que apud Salsum lapidem Danubio, ad hostiles terras peruentum.

Bielogradum à Turcis frustra obsessum et oppugnatum.

Victoriæ tres de Turcis per Huniadem partæ.

Stephanus Despotes Rascię et Albaniæ pulsus à Turcis.

Amurathis legatio ad Vuladislaũ regem.

Comitia Vngarorum Budæ. 1443 ann.

Bellum contra Turcas decretum.

Christianorũ principum auxilia frustra implorata.

Terræ motus.

uentum. Capta & incensa in Rascia & Bulgaria nō pauca ignobilia oppida, & cæteræ munitiones: in his insignis in primis Sophia, quàm Sardicā nonnulli antiquitùs fuisse uolunt. Vbi ad Morauam fluuium uentū est, cum didicisset rex ab exploratoribus in propinquo esse hostium copias, Ioannem Huniadem cum decem millibus expeditorū militum, in quibus Poloni erant, contra eos misit: qui cum intempestæ noctis silentio improuiso in statiua eorū impetum fecisset, magna strage ad internecionem hostes profligauit. Cęsa feruntur ad triginta millia Turcarū, capta quatuor. Bulgaria deinde pleraq; omnis, quemadmodū Bonfinius memorat, partim per uim, partim per deditionē, ob linguæ & stirpis cognationē, Polonorum opera potissimum, in potestatem regis redacta, ad fines Macedoniæ peruentum est. Altissimi & celebratissimi apud poetas & historicos, Græcos præsertim, montes Macedoniam atque Thraciam à Mysis, Dardanis, & Triballis, qui nunc Rasciani Seruij, Albani, & Bulgari sunt, separant, nec nisi duobus locis peruij, altero ad pontum Euxinum, & in Thraciam uergente, altero in Macedoniam perangusto ac difficilimo tramite, sed propiore à castris regijs: & insederat iam eum penè infinita uis Turcarum, duce Carambeio, propinquo tyranni, præfecto Asiæ, quam Natholiam corrupto seu detruncato nomine nunc uocant, ab Amurathe ad prohibendum nostris transitum post primam illam claudem transmissa. Edixerat autem Amurathes Carambeio, prorsus ne manus cum nostris consereret: cuius tamen ille edicti, animaduersa nostrorum paucitate, tenax non fuit. Sed nostris ad montes appropinquantibus, pridie natalis Christi Dei nostri impetum fecit in regis exercitum: nec rex detrectauit pugnam: uictosq; & fusos barbaros, duce ipso Carambeio capto, in montes compulit: & rupem in qua statiua habebant, usque ad uesperum summa ui frustra, & non sine suo incommodo, ita ut ipse quoque, licet armatus, aliquot sagittas aduerso pectore excíperet, oppugnauit. Ita quidem ferè Dlugossus noster, & Philippus Callimachus. Antonius uerò Bonfinius aliter paulo hoc prælium literis prodidit. Scribit enim, exercitum regis, cum prope claustra montium peruenisset, partim difficultate transitus deterritum, partim hyberni cœli inclementia & fame confectum, missionem, nequicquam reclamante Huniade, ac deprecante Georgio Despote, efflagitasse. Ac regem quidem cum omni alio exercitu conuersis signis reuertentem, uno die præcessisse. Huniadem uerò cum expeditis lentius subsecutum, quo tutiorem transitum regi præstaret: in eam manum Turcas impetum fecisse, & fusos fugatosque esse, priusquam rex cum cæteris copijs, opem suis ferens reuerteret. Venientem autem cum omni exercitu, hostem fugientem ad montes insecutum esse. Ita Bonfinius: qui nescio an assentari Huniadi in gratiam Mathiæ regis filij eius, cui suos illos de rebus gestis Vngarorum libros dicabat, uoluerit. Vtcunque res acta est, satis constat Polonos bonam operam in eo prælio regi nauasse, non solum equites, uerùm etiam pedites, cum ij immixti equitibus, hostilium equorum inguina suffoderent, equitibusque ipsis crura

Sophia urbs capta à Vuladislao.

Turcæ ad Morauam profligati.

Bulgaria capta ab Vngaris.

Montes Macedonici.

Turcæ iterum uicti.

Carambeius Bassa & dux Turcarum captus.

Rex ictus in oppugnatione rupis.

crura præciderent. Post hanc uictoriam orabat regem magnopere Georgius Despotes, ne reduceret exercitum, priusquam Rasciam & Albaniam omnem receptam atque pacatam sibi restitueret: ac centum millia numûm aureorum dabat. Sed uile est infame aurum, nec adduci ullo modo exercitus potuit, diutius ut illic maneret, equis & hominibus uulgò fame tabescentibus. Quoniam autem ostentabant se à tergo proficiscentibus Turcæ, ueritus rex insidias, aut uim ullam maiorem, quo expeditius agmen duceret, arma quidem superflua uel de hostibus capta, uel à suis desideratis relicta, in terram infodit: cætera uerò impedimenta, & hostium spolia, quæ oneri futura erant militibus, exusit, magnisq; itineribus Bielogradum peruenit. Ibi aliquot diebus refecto exercitu, continuato itinere Budam attigit: & nudis pedibus urbem ingressus, signa hostium in æde uirginis matris nomine dicata affixit. His in uniuersum orbem Christianum celeri fama uulgatis, frequentes à plerisque omnibus principibus & rebuspublicis, etiam à Constantinopolitano Imperatore Ioanne Palæologo, legationes, tam insignem uictoriam regi gratulabantur, & ad prosequendum incœptum bellum eum cohortabãtur, pollicentes auxilia. Nominatim autem põtifex Eugenius cum Venetis, Genuensibus, & Philippo duce Burgundionũ, classem ad prohibendũ Turcis ex Asia transitum deferebant. At uerò Poloni proceres missis publicè & priuatim legatis, uerè & ipsi gratulabantur tam felices successus regi suo: obtestabantur autem eum, ut uno illo periculo defunctus, ne rursus difficilimi & longinqui belli fortunã tentaret: sed in Poloniam ut primo quoq; tempore ueniret, ac benemerentis patriæ saluti atq; tranquillitati etiam atque etiam consuleret. Nam & Tartari crebris excursionibus Podoliam atque Russiam infestabant: & Lituani cum duce suo Cazimiro bellum aduersus Boleslaum Masouium ob occupatum Drohicinensem tractum apparabant: & uerò è Silesia magna belli moles conspiratione principum existere uidebatur, ex huiusmodi principio. Sbigneus Cardinalis & episcopus Cracouiensis, ut ecclesiam suam locupletaret, emerat à Venceslao Cesinensium duce ditionem siue ducatum, ut uocant, Seueriensem, sex millibus marcarum Pragensium: sed in adeunda possessione difficultas ei à Nicolao Ratiboriensium duce obiecta est. Eum uerò dum nostri publicè ea de re ductore Petro Saffranecio bello persequũtur, fortè cõtagio & incõmoda belli Boleslaũ Oppoliensium ducẽ, qui extra noxã erat, attigerãt. Is igitur à nostris res repetebat: ni rederentur, bellum denunciabat: & adiuturi eum cæteri Silesiorum duces, ut erãt ferè cognati & affines inter se, uidebãtur. Hæc igitur præsentia pariter & impendẽtia mala ut rex aduentu suo sedaret & auerteret, Poloni magnopere instabant. Quòd si is à Turcico bello tamẽ abduci nõ posset, certè ne quid se inconsultis de eo statueret. Hæc optimi regis animum in diuersa distrahebãt. Hinc dulcedo degustatæ gloriæ, & cohortationes maximorum Christiani orbis principũ: illinc Polonorũ, quib. quantum deberet intelligebat, preces, & impendentia pericula, cogitationes eius differebant. Vicit tamen causa totius Christiani orbis publica, instante

Fames in exercitu.

Legationes principũ Christianorum ad Vuladislaum.

Polonorũ consilium.

Tartari Podoliã infestarunt.

Silesiorum motus.

Seuerienſis dominatus à Sbigneo Cracouiensi episcopo emptus.

Regis deliberatio.

maximè legato. Cæterũ rex ne Polonos omnino despicatui ac derelictui habere uideretur, pollicetur ad Pentecosten se in Polonia futurum, ac de amplissimi consilij sententia rempublicam constituturum esse. Vngaris uerò ad diem S. Georgij Budam indixit comitia. Quò Iscra quoque adcomitia Vngarorum Budæ. uersæ factionis princeps euocatus, data à rege fide aduenit. Nam Vngari proceres post reginæ mortem omnes iam in fide & potestate regis erant. Ibi pactis cum Iscra & factione Ladislai pueri inducijs, bellum in inducię cum Ladislai parte. Turcas summo omnium ordinum consensu decernitur: oppidanis atque agrestibus pecunia in sumptus belli, quia ærarium regium nullum erat, imperatur. Dant ultrò nomina piæ militiæ Ioannes Varadiensis, & Simon Agriensis episcopi. Peractis comitijs regem in Poloniam iter adornantem Vngari proceres summo studio atque contentione retinuere, ueriti, ut à Polonis, desiderium eius non ferentibus, rursus dimitteretur. Quæ res non parvo Polonis constitit. Nam Boleslaus Oppoliensis poBoleslaus dux Oppoliensis mercatores Polonos diripuit. steaquam cognouit, regem Turcico bello implicatum, in Poloniam uenturum non esse, maiore confidentia mercatores Cracouienses ad nundinas Vuratislauienses proficiscentes diripuit: atque id damnum ad ducenta millia aureorum numûm æstimatũ est. Quæ res cum regi in Vngaria renunciata esset, quietos esse iussit suos, quoad ipse à Turcico bello reuerTurcæ pacem postulãt à Vuladislao. teretur. Dum autem bellum id cõparatur, de pace à Turcis agi cœptum est cũm Georgio Despote Rasciç, & Ioanne Huniade, per speciẽ redimendi Carambeñ: pro quo quinquaginta millia numûm aureorum numerata sunt Despotæ. Quo uerò proniorem ad pacem redderet Huniadem Despotes, promisit ei cũcta, quę exul in Vngaria partim Sigismũdi & Alberti Cæsarũ, partim Vuladislai regis munificẽtia nactus erat. Cupiebat autem pacẽ Amurathes propterea, quòd nõ ignorabat quanto consensu & quãta mole Christiani principes cõtra se bellũ pararẽt, & satis iam anno superiore solius Vuladislai uires magno suo malo expertus erat: adhæc aliud ei pergraue bellũ in Asia à Carmanorum principe imminebat: in quod totis uiribus incumbere, pace cum Vuladislao facta, cogitabat. Nec Vuladislaus, neq; Vngari ab honesta & gloriæ plena pace abhorrebant: ex multo tẽpore petere à Turcis, ac nõ dare ipsis pacem soliti: & nihildum de classibus & naualib. socijs afferebatur. Segedinũ igitur profecSegedinum. tus rex, non intermisso tamen apparatu belli, quo facilius hostem in suas conditiones perduceret, oratores Amurathis ampla dona afferentes in augusto Vngarorum & Polonorum consessu audiuit: pacem quę petentibus, siue adeò inducias decem annorũ, dedit his legibus, ut AmuInducię decem annorũ gravibus conditionibus Amurathi concessæ. rathes Golubeciam, Synderouiam siue Smiderouiã, Zarnouiam, Crussoueciam, Couinum, Seuerinum, Nouobardum, ubi argenti metalla sunt, Srebernicũ, Ostrouiciã, Surinum, Cosnicũ, Coperhanũ, Procopiã, Lascoueciã, Zelonigrodũ arces, totamq; Rasciã, & eam partẽ Albaniæ, quæ in ditione Despotæ Rasciæ fuisset, ac duos filios Despotę captiuos redderet: ad eaq; implenda pauci dies cõstituti. Interim allatæ sunt literæ Munitiones Rasciæ & Albaniæ. Francisco cardinali Veneto procancellario & præfecto classis apostolicę, & aliarũ sociarum classiũ præfectis, itemq; ab Imperatore Cõstantinopolitano,

polítano,quibus nunciabatur,Amurathem omnes ferè copias ſuas in Aſiam ad Carmanicum bellum traduxiſſe:mare ſocijs claſsibus teneri. Maturaret rex expeditionem:neq; occaſionem tam commodam, tamq; lucu lentam Græciæ liberandæ,& Europę uindicandę, elabi ſibi è manibus ſineret.Pollicebantur autem ij,ſe præſtaturos eſſe,ne Turcæ in Europam rurſus traijcerent: Palæologus autem terreſtres etiam copias & ſocietatem belli polliceri.His permotus Iulianus cardinalis, qui pacem fruſtra dudum diſſuaſerat, tunc uerò ad omiſſum bellum ſumma cura atque diligentia regē incitare:belli præmia longè ampliora quàm pacis,in immenſum attollere: neceſsitate expreſſam pacem, quæ diuturna futura non eſſet, labefactare, ac temporis cauſa ſimulatam dicere: argumento eſſe, quòd lapſo iam tempore, tamen promiſſa à barbaris non implerentur: quòd ſi maximè nulla per eos mora in tradendo fieret, priora tamen cum pontifice, duce Burgundionum, Venetis & Genuenſibus fœdera, & ſocietatem pij belli initam magis ualere oportere. Quòd ſi qua religione rex teneretur, ne iuſiurandum barbaris datum uiolaret, illo ſe eum metu, pontificis max. authoritate prorſus liberare. Hæc identidem agendo & inculcando tandem perpulit iuuenem, ut nouo ſacramento ſe cum proceribus ad proſequendum bellum Turcicum obſtringeret, cedente de priore ſententia etiam Huniade, Bulgarici regni promiſsione illecto. Non placebat hoc regis de uiolandis pactis conſilium Polonis proceribus, qui abſque eo quoque regem illo bello tunc implicari moleſtè ferebant, & pacis nuncio dudum exhilarati erant. Itaque cum primùm hæc acceperunt, comitia Petricouiam ad uiceſimamquintam diem Iulij indicunt, legationem ad regem decernunt; ſed eos ille anteuertit,miſſo ad conuentum Ioanne Cruſcinio cuſtode Cracouienſi,qui referret,regi omnino conſtitutum eſſe Turcicum bellum perſequi, iuberetq; Polonos auxilio eſſe Boleslao Maſouio aduerſus Lituanos & Cazimirum, ſi bellum id æquis conditionibus dirimere non poſſent. Iam enim Cazimirus ad Drohicinum caſtra poſuerat. Habebat & Boleslaus exercitum,genere militū hoſtili non imparem: in quo multi de Polonica nobilitate uoluntarij militabant: nec Michael Sigiſmūdi ducis & Boleſlai gener aberat,qui non parum momenti rebus ſoceri allaturus eſſe uidebatur,propterea quòd cōplures de Lituanico exercitu cum eo clàm ſentire,commiſſoq; prælio tranſituri eſſe ad eum dicebantur.Nec tamen Nicolaus Pouala ſuccamerarius Sendomirienſis, & magiſter militiæ Maſouiticæ fortunam pręlij abſente Boleslao experiri uolebat. Intererat enim Boleslaus comitijs. Atq; ibi eo petente,è ſententia regis decretum eſt, ut Lencicienſes,Cuiauij,ac Dobrinenſes arma pro eo ſumerent:præmiſsi tamen ad Cazimirum Vincentius archiepiſcopus Gneſnenſis,& Ioannes Oleſsnicius palatinus Sendomirienſis,cum pacem nequirent,inducias & cōtrouerſiæ totius reiectionē in aduentū regis cōfecerunt.Sed mox ipſis inter ſe ducib. de re tota ita cōuenit, ut Boleslaus Cazimiro omnē illam controuerſam ditionem, excepto Vigrouienſi territorio,concederet,ac duodecim millia florenorū Pragenſium ab eo acciperet. Nec ad amuſsim tamen

Abſolutio à iuramento.

Poloni nō probant conſilium regis de uiolandis pactis.

Comitia Petricouiæ.

Mandata regis ad Polonos.

Bellū inter Lituanos & Maſouios.

Decretū de iuuādis Maſouijs contra Lituanos.

Tranſactio.

Cazimirus Vigros Mſouijs eripuit.

tamen Cazimirus ea pacta conuenta ſeruauit: mox enim & Vigrouienſe territorium Boleslao eripuit. Legati uerò, qui ad regem deſignati erant, ubi de Gruſcinio cognitum eſt, regem iam iter ingredi, reuocati ſunt. Miſſæ tamen publicè ad regem illa ipſa de re literæ per ueredarium. At ille poſt medium Septembris Segedino caſtra mouit, non ſatis alacer, nec ſpe optima, propterea quòd uiolari à ſe fœdera & iuriſiurãdi religionem non cogitare non poterat. Iam enim Turcæ & filios Deſpoto, & munitiones promiſſas reddiderant: & animaduertebat, quàm longè minores copias, quàm pro magnitudine belli, & quàm ſuperiore expeditione duxiſſet, duceret. Multi enim cùm ex Vngaris, tum ex alijs Chriſtiani orbis nationibus non occurrebant, pacis conuentione decepti: ad hæc de Polonis, qui circum regem fuerant, multi, quòd eorum ſpei liberalitas regis minus reſpondebat, commeatu accepto diſceſſerant. Cuius rei inuidiam Nicolaus Laſocius, qui fiſcum regis adminiſtrabat, ſuſtinuit. Directo autem in Bulgariam itinere, tertia die Nouembris rex cum omni exercitu apud Orſauam Danubium traiecit. Erat conſilium regis, ut Callipolim ad oram Helleſponti ſitam, ubi erat ſtatio claſsis Italicę, rectà duceret, & ibi ſe cum maritimis copijs coniungeret. Atque eò, ſi compendioſo maximè itinere peruenire uellet, per fines Macedoniæ & Adrianopolim proficiſci eum neceſſe erat. Quoniam autem iter illud difficilimum, quemadmodum ſuperius commemorauimus, per mõtes tranſitum habet, nec muniri paucitas exercitus proficiſcentis obiectu curruum inter anguſtias poterat, per Bulgariam planiori & flexo in læuam itinere ad pontum Euxinum exercitus iter habuit, nec oppugnationi urbium & arcium intendit, ut milites quàm integerrimi ad dimicationem eſſent. Ad Nicopolim, quæ metropolis Bulgariæ eſt, quarto de triceſimo die cum peruenisſet, uenit ad regem Vuladus, qui & Dracula, palatinus Tranſalpinæ Moldauiæ, ueniam petens, quòd neceſſarium cum Turcis fœdus ſuperiori tempore iciſſet: uiſaq; paucitate exercitus regij, in quo uix quindecim millia equitum, pedites uerò longè pauciores, & ij ferè cruce ſignati erãt, cum reditum regi perſuadere nequaquam poſſet, quatuor millibus ſuorum hominum duce filio exercitum eius auxit: ipſe uerò domum reuertens, duos equos perniciſsimos, duosq; iuuenes uiarum peritos in aduerſum belli euentũ ei dedit. Vbi ad fines Thraciæ multorum clariſsimorum & admirabilium ſignorum atq; monumentorum, à uetuſtis Imperatoribus poſitorum, quæ barbari demoliti erant, ueſtigijs etiam tum uiſendæ peruentum eſt, propoſuit rex edictum, ut milites à Chriſtianorum templis manus abſtinerent: itemq; ut Turcæ liberè & ſecurè ſaluis rebus ſuis, munitionum præſidijs decederent, eiusq; edicti exempla per Turcas captiuos quoquouerſus dimiſit: hinc deditæ nõ nullæ munitiones. Petreſſum uerò & Sumenum, quæ Pezechium & Sunium uocat Bonfinius, cum non dederentur, una die ſumma ui expugnatæ ſunt. Vbi præclarum in primis eximiæ uirtutis ſpecimen duo Poloni equites Ioannes Tarnouius, & Leſcus Bobricius (uel Vngaricorum annalium teſtimonio) edidere, dũ alter Sumeni portas, duobus uulneribus acceptis,

Expeditio Vuladiſlai cõtra Turcas.

Exercitus Vuladiſlai exiguus.

Nicolai Laſocij tenacitas.

Conſiliũ regis.

Nicopolis metropolis Bulgariæ.

Vuladus ſiue Dracula palatinus Tranſalpinenſis.

Thraciæ uetera monumẽta.

Edictum regium.

Petreſſum & Sumenum arces expugnatæ.

Ioannes Tarnouius, Leſcus Bobricius.

acceptis, refregit, alter Petresi murum primus ascendit. Interim Amurathem cum quadraginta, uel ut Bernardus Vapouius scribit, centum, siue ut Paulus Iouius, octoginta millibus Turcarum infra Callipolim paruis nauibus ex Asia traiecisse allatū est, siue conniuentib. Venetis & Genuensibus mercede corruptis, siue cum cōmeatus comparādi causa è custodia decessissent. Nec tamen hic nuncius regem ab incœpto deterruit. Decima die Nouembris, cum nostri ad Varnam, quam Dionysiopolim dixere ueteres, oppidum mox clade sua nobile futurum, quod iam in deditionem receperant, castra haberent, post ortū solem hostes adesse ab exploratoribus nunciatū est. Laborare ex apostemate pedis rex cœperat: itaq; Huniades militibus prælīū poscentibus, ita acies instruxit. Sub ipsis radicibus montium, qui ad Varnam terminantur, lacus sinui maris cōtinens, uallem mille passuū latam in medio inter se & montes relinquit: in ea igitur ualle arcuatā Huniades aciem direxit: ac dextrū quidem cornu montibus continens, Despotæ, Transalpinis, Iuliano legatō, Varadiēsi & Agriensi episcopis, & Franco Bano, adiuncto ijs Bobricio cum paucis Polonis, attribuit: sinistrum ipse sibi desumpsit: regem in media acie cum cæteris Polonis & Vngaris aulicis collocauit: currus, qui magno pugnantibus munimento ab lateribus & à tergo solent esse, non optimo consilio in extremo cum imbelli multitudine relicti sunt: propterea quòd intra eos multorū ignauia facile latêre diceretur. Ita instructa acie, ad duo milia passuum hostibus obuiam itum est: deinde signis defixis, quæ tamen subdita tempestas in tranquillo coorta concerpsit, ad tres horas hostes expectati. Apparuerunt ij pòst, ab extremis collibus in dextrum cornu nostrorum inuehentes: nec eorum impetum nostri ab ea parte, equis insuetum camelorum aspectum & odorem non ferentibus, Transalpinis'que illico dissipatis, sustinuerunt: fusi fugati'que per montosa uersus Galatam ad decem ferè millia passuum. Meliore uerò fortuna à rege & Huniade ab alia parte collata signa, & ad quatuor millia passuum submoti non sine cæde barbari, instabili ferè genere pugnæ utentes. Inde ad opem ferendam suis, qui reliqui in dextro cornu cum Iuliano & Franco Bano ægrè uim barbarorum sustinebant, rex reuertens, inde quoque hostes in fugam egit, ita ut ij dissipati Thraciam trepidatione implerent, quasi deletis iam omnibus suis copijs. At rex fuso fugato'que iam omni equitatu Turcico, in Ianizerorum phalangem, in qua Amurathes ipse erat, & in quam se Bassa Asiaticus ex fuga recipiebat, temerè cum paucis, ijs'que Polonis maximè, inuectus, cum ab Huniade, siue persequente adhuc hostem fugatum, ut Vngari & Turcæ ipsi, siue fugiente cum dimidia parte exercitus, ut nostri prodidere, nequicquam reuocaretur, pedem referre turpe, & se genere'que suo indignum esse duxit: nec enim eius esse, qui bellum inferret, fugere. Itaque cum magnam inter conferendum Bonfinius memorat, interfecisset, ad extremum sub uesperum iam, equo ab Ianizeris confosso perijt, princeps longiore uita & immortali gloria dignissimus. Aliquanto aliter Callimachus hoc prælium enarrat,

Turcicus exercitus.

Varna.

Acies Christianorum.

Triste omen.

Conflictus apud Varnam.

Galata.

Vuladislai uirtus et audacia.

Bassa Asiaticus à rege interfectus.

Vuladislai regis interitus.

enarrat. Ac de instructa quidem acie regia non dissentit ferè ab ijs quæ nos memorauimus, nisi quòd Huniadē cum Valachis Transalpinis nullum sibi certum locum sumpsisse scribit, intentum ad subueniendum, sicubi suos laborare conspexisset. Cęterū in conflictu memorat idem, eos qui in dextro cornu erant Vngaros, dēso sagittarum imbre à Turcis eminus lacessitos, subijsse temerè non seruatis ordinib. in aduersos colles: indęq; aucta hostium multitudine depulsos in uallē, cum aliquādiu dimicassent, tandem dissipatos esse: & episcopos quidem fugientes perijsse, legatum uerò cum Despote & Francobano ad munitionē curruum sese recepisse, ibiq; ancipiti pugna aliquandiu dimicatum esse: donec Lescus Bobricius, qui audendo hortādoq;, uim hostiū potissimum sustinuerat, multis uulneribus confossus cecidit. Ibi uerò cedentibus iam Vngaris, in currus impetum factum esse à Turcis. Id animaduertentem regē cum Huniade accurrisse, hostemq; ferocē ad duo millia passuum submouisse. Reuersos deinde diuersis locis pugnam suorum restituisse, & omnem barbarorum equitatum in fugam egisse. Inde nostros ad prædam uersos, fortè in camelos onerarios incidisse: eorum aspectum & odorem insuetum equos non tulisse, nec regi aut retineri à sessoribus potuisse. Regem interim cum paucis equitibus ad Ianizerorum aciem peruenisse. Ibi cruentum fuisse prælium: & iam Turcæ penitus ad fugam spectabant, cum nostros partim camelorum occursu, partim falsa interfecti regis fama perturbatos conspexere: ibi uerò cohortati sese mutuò Ianizeri instaurant prælium. Huniades uerò uisa suorum perturbatione & fuga, regem nequicquam inter confertissimos hostes pugnam cientem reuocare conatus est. Ad extremum is excussus ab equo saucio, Ianizerorum telis obrutus est. Huniades cum regis occisi cadauer recuperare non posset, omnibus diffugientibus, ipse quoque cum paucis Valachis meliori se fortunæ seruauit. Ita ferè, quamuis pluribus uerbis, Callimachus. Nec barbari, equitatu destituti, persequi fugientes Vngaros atque Transalpinos, ac ne currus quidem & castra usque ad tertium diem oppugnare ausi sunt. Nox enim pugnantes adhuc opprimens, incertam eis fecerat uictoriam: & insidias autem timebant. Tertio demum die castra, immaniter trucidatis ægrotis & saucijs, direpta. Iulianus Cardinalis fugiens, à Transalpino nauiculatore, cum per Danubium ueheretur, propter aurum quod secum ferebat, occisus, & in profluentem nudus deiectus perijt. Callimachus in ualle quadam à latronibus spoliatum, & à Gregorio Sanocio prætercurrente conspectum, & cum exprobratione perfidiæ increpitum, perijsse scribit. De Polonis duo tantum ex eo prælio euasere, Ioannes Ressouius, qui postea Cracouiensis episcopus: & Gregorius Sanocius, cuius modò meminimus, qui Leopolienſis archiepiscopus fuit. Cecidere autem insignes maximè duo fratres Tarnouij, Maior & Gratus, & Martinus atq; Stanislaus, Zauissij Nigri filij. De omni exercitu, qui uiginti millia pugnatorum non excesisse existimatur, uix quintam partem eo prælio desideratam esse, & tamen uix tertiam euasisse, multo pluribus in cœno ac longa fuga absumptis: Turcarum autem ad octo-

Turcarum timor post uictoriam.

Iuliani Cardinalis mors.

Polonorū strages.

Exercitus utri usque magnitudo, ac desiderato rū numerus.

ad octoginta millia, ut uult Dlugossus noster: secundum Bonfinium autem supra triginta millia (cum fuissent sexaginta) periere. De captiuis Polonis Paulus Grabouius, qui Chelmẽsis episcopus, Albertus Zichlinius, qui procancellarius regni, Ioannes Vantropca Strelcius, qui canonicus Cracouiensis, & præpositus apud S. Michaelis, Andreas Sennenius, Ioannes Borouinius, Martinus Choranzicius, & Petrus Lathosinius, postea mirabiliter euaserunt. Duodecim uerò alij ingenui adolescentes Poloni Adrianopoli, cum ab Amurathe ex omni captiuorum numero propter eximiam formam secreti, ut circumcisi pro catamythis & cinœdis essent, & in cubiculum tyranni deducti fuissent, in necem eius coniurarunt: peregissentque facinus præclarum, & omnibus seculis memorabile, nisi in ipso articulo à Bulgaro, quem unum socium consilij adhibuerant, proditi essent. Atque ij tamen, ubi rem palàm esse cognouerunt, ne tyranni siue libidini, siue crudelitati essent obnoxij, obditis ostio pessulis, armati inter se concurrerunt, & mutuis uulneribus fortiter ceciderunt. Accidit autem clades hæc anno à Christo nato millesimo quadringẽtesimo quadragesimoquarto. Regni uerò Vuladislai in Polonia quidẽ undecimo, in Vngaria uerò quinto, cũ is uicesimum ætatis suæ annum uixdum egressus esset. Fuit autem Vuladislaus hic procera statura, facie fusca, sed honesta, ac dignitatis plena, capillis nigris, laboris & inediæ patientissimus, abstemius, iusticiæ & religionis cultor eximius: probitate, comitate & clementia etiam in hostes singulari, liberalitate propemodum nimia: animi uerò magnitudine tanta, ut nihil humile cogitaret, nulla difficultate ab eo quod consultò instituerat, auelli se pateretur. Denique summa in eo fuerunt omnia, quæ maximos & optimos principes decent: Poloniæ quidem, totus in Turcicum bellum intentus, minorem quàm debuit curam gessit: eiusque regni non modò ærarium in alienam rem exhausit, uerum etiam reditus profusis largitionib. extenuauit. Sed ne ob hæc minus grata esset apud Polonos eius memoria, consequentia tempora effecerunt.

Polonorum captiuorum eximia uirtus.

1444 ann.

Vuladislai regis effigies, mores & studia.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER SECVNDVS ET VICESIMVS.

INTERREGNVM.

POSTEAQVAM in Polonia de clade regia incerto primùm rumore, deinde & sermonibus eorum qui fuga euaserant, percrebuit, ingens mœror atque luctus mentes omnium peruasit. De rege ipso, uiueret ne, an cæsus esset, certum sciri non poterat. Non deerant tamen in Vngaria, qui euasisse eum, & uel Constantinopolim, uel Venetias, uel in Moldauiam, uel in Transalpinam peruenisse arbitrarentur: nonnulli etiam in Rascia siue in Albania cum exer-

Rumor incertus de rege.

citu incolumem esse dictitabant. Et quanquam uarietas suspecta esse poterat, credebatur tamen id quod maximè optabatur, donec residere sensim & langueſcere ea fama cœpit. Tunc uerò missi publicè in Thraciam, Græciam & Bulgariam Ioannes Ressouius, & Aegidius Sucho-dolius, perquisitum regem, nihil tamen explorati retulere. Dum autem hæc ita fiunt, Poloni proceres inducias annuas cum Bernardo & Boleslao ducibus Oppolienſium publicè pacti sunt Glogouiæ: quæ argumento sunt, orto à latrocinijs mutuis initio, ne ab armis quidem temperatum esse. Conuenit autem, ut captiui utrinque data cautione dimitterentur: Polonis cum aliquo alio bellum gerentibus, ut liceret ex Oppolienſi agro commeatum petere: duces uerò illi ne cui aduersus eos opem ferrent, neue suos homines ferre paterentur, ac ne transitum quidem præberent per ditionem suam latrunculis & hostibus Polonorum: si quid iniuriæ damnive datum esset alteris ab alteris, de eo bini utrinque arbitri certis locis conuenirent, ac decíderent. De uniuersa autem controuersia, ut Vuladislai regis, si is reuersus esset, arbitrio staretur, si cum Polonis proceribus rem non composuissent: promittebant enim ob id uenturos se esse in Poloniam. Cum Vuratislauiensibus quoque & Namislouiensibus & Nouoforensibus tertio pòst anno decennes inducíæ factæ ijsdem ferè conditionibus. Porrò Opauiensium, Ratiboriensium, Cesinensium, Osuencimensium, & Toscensium duces eo ipso anno Cracouiam cum uenissent, pacem & cõcordiam cum regibus & regno Polonorum redintegrarunt. Vnde satis euidens est, non leues offensas tunc Polonis cum uniuersa Silesia intercessisse, ex quo tempore rex Vngaricis negocijs, & Turcico bello distentus erat: quæ tamen magna ex parte sopitæ sunt, incerto adhuc rumore de morte eius.

Sileſiorũ cum Polonis offenſæ mutuæ compoſitæ.

Ladislaus puer ab Vngaris rex creatus.

Cæterùm ubi cognitum est, Vngaros alium sibi regem, Ladislaum posthumum Alberti Cæsaris filium, nondum quinquennem, creasse, Poloni quoque ad XXIII diem Aprilis insequentis anni post amissum regem Siradiæ comitia sanè frequentia de rege creando habuere: atque ibi in Sbignei Cardinalis sententiam, quamuis aduersantibus nonnullis, qui expectandum adhuc censebant, decretum factum est, ut Cazimiro Vladislai fratri regnum mandaretur. Facilimè & æquo animo fratrem fratri cessurum, si is uel post aliquot annos reuerteret. Missi legati quos episcopi ediderunt, ad Cazimirum in Lituaniam, qui eum re tota suspensa, ad alia comitia, quæ Petricouiam ad XXIIII diem mensis Augusti indicebantur, euocarent ad consultandum in commune, & constituendum de Republica Polona, rege orba. Et Polonorum quidem legatos ille absque certo responso dimisit: suos uerò ad conuentum Petricouiensem cum his mandatis misit. Debilitatum se ægritudine ex aduerso casu fratris, uenire eò non potuisse, & inopem esse cõsilij, præter, quòd immatura sibi ea de surrogando rege consultatio uideretur: se quidem, dum adhuc incerta essent omnia, neque regnum, neq; administrationem ullam susceptúrum esse. Videri autem sibi, ut ij deinceps quoque summę rei præessent, quos Vuladislaus in Vngariã discedens, uicarios & gubernatores

Comitia Siradiæ de nouo rege creando. Cazimirus à Polonis rex creatur.

Comitia Petricouiæ. Cazimiri legatio ad Polonos.

natores reliquisset. Non acquieuit in eo responso cõuentus. Itaq; placuit, ut octo principes senatus ad Cazimirum proficiscerẽtur, ac diserte ad regnum suscipiendum eum uocarẽt: si renueret, aut cunctaretur, alium sibi quæsituros esse. Neq; enim tutum sibi esse, neq; consultũ reipublicę, diutius principe carere. Perstabat in sententia Cazimirus, siue quòd de fratris uita non desperaret, siue quòd Lituani proceres ægrè eum à se dimittererent, libertatis, & lenis, ne dicam lenti imperij, dulcedine degustata: ac ueriti, ne absente eo Michael Sigismundi filius dominatum arriperet, interfectiq; que patris pœnas à se expeteret: aut si cui alij principatus à Cazimiro mandatus esset, ne is profusas ipsius donationes in se retractaret: adhæc Luscum & Podoliam in suam ditionem redigere cupiebant. Id autem, si regnum susciperet Cazimirus, commodè fieri non posse iudicabant. Nec tamen Cazimirus regnum penitus repudiabat. Vbi per Lituanos stare, quo minus Cazimirus tunc regnum delatum acciperet, animaduersum est, actum est cum eis diligenter: sed nihil impetratum. Itaq; discedebant re infecta legati, testati sese Polonum' que nomen omne functum esse officio suo, quod paternũ fraternumq; regnum Cazimiro detulissent. Deinceps aliter sibi prospecturos esse. Regina Cazimiri mater, quæ ea de re in Lituaniam legatos antecesserat, filium, ut saniore consilio uteretur, nequicquam obsecrabat: quem ubi obstinatum uidit, à legatis impetrauit, ut referre illi de re tanta ad Lituanorum & Russorum conuentum liceret. Ad octauum Idus Ianuarij sequentis anni, qui fuit post Christum natum 1446, eum certum responsum Polonis daturũ esse. Vbi tempus id aduenit, frequensq; nobilitas cum proceribus Petricouiã conuenit, uenêre sex legati à Cazimiro & Lituanis, differri adhuc rem postulantes: quod ni fieret, bellum comminantes, propterea quòd Cazimirus armis ius suũ persecuturus esset: quẽ tamen dicebãt in principatu Lituanorum acquiescentem, regnum non appetere. Iritati hoc responso Poloni, alium regem creare sibi statuunt. Sed cum ad rem uentum est, pœnitentia nonnullorum mentes subijt, metuentium ne graues inde motus existerent. Veniebat enim in mentem, Cruciferos, orto inter Polonos & Lituanos dissidio, minimè defuturos esse occasioni uexandæ & infestandæ Poloniæ. Quare placuit rursus rem in tertium mensem differre, & interim adhuc Cazimiri animum pertentare. Missi ad id Prædiborius Conespolius Sendomirienſis, & Sciborius Sarleius Sciboricius Inouuladislauienſis castellani, qui authores comperendinandi in senatu fuerant, nihilo æquius responsum retulerunt. Itaque ad uicesimamoctauam diem Martij, cum frequens senatus Petricouiam conuenisset, cunctus' que, quo religiosius reipublicæ consuleret, sacris CHRISTI IESV mysterijs procuratus esset, inita de rege creando suffragia, ea tamen conditione, ut Cazimiro etiam tum acceptandi regni locus relinqueretur: persuadebant enim sibi complures, mutaturum eum esse sententiam, ubi intelligeret, alium regem creatum esse. Et episcoporum quidem sententiæ ferè in Fridericum marchionem Brandeburgensem, qui iam antè gener & successor Iagelloni regi destinatus fuerat, inclinabant: præter

Polonorũ legatio ad Cazimirum.

Lituanorum consiliũ de retinendo Cazimiro.

Reginæ studiũ in euehẽdo ad regnum filio.

1446 ann.

Comitia Petricouiæ.

Cazimiri legatio ad Polonos.

Comitia Petricouiæ.

Suffragia de nouo rege.

Paulum Gizicium Plocensem episcopum, qui ad alterutrum de ducibus Masouiorum Vuladislao & Boleslao, regnum deferebat: hunc secuti Ioannes Cizouius castellanus, Ioannes Tencinius palatinus Cracouiensis, Lucas Gorcanus palatinus Posnaniensis, & maior pars senatus, & plaraque omnis nobilitas, Boleslaū regem edebāt. Itaq; in hanc sententiam senatusconsultū factum, & Boleslaus à Vincentio archiepiscopo Gnesnensi rex renunciatus: designatisq; quinq; de primorib. oratores ad eum, si Cazimirus ante Pentecosten mutatæ uoluntatis significationē nullam dedisset. Ibi Cazimirum, cum de his quæ Petricouiæ acta erant, celeriter certior factus esset, pœnitere uehemēter cōsiliī sui cœpit: nec modò speratum regnum se amisisse dolebat, uerùm etiam de principatu Lituanorum, ac de uita denique in periculum se uenturum esse propediem augurabatur: non ignorabat, impigrum esse Boleslaum, & sibi merito suo inimicum: Michaelem uerò hostem itidem suum, generum eius esse; in eum'que rursus Lituanorum & Samagitarum studia inclinata esse, alienatis à se animis: quòd molestè ferrent, Gastoudi arbitratu sibi imperari: & meminerat aliquoties iam insidias à coniuratis capiti suo & ferro & ueneno comparatas esse, etiam ab his quos charissimos & intimos habuerat: in quibus Suesta quispiam Russus fuit, quem tantopere dilexit Cazimirus, ut in eodem cum eo lecto cubaret. Cogitabat ergo, si secundis rebus suis, septies tamen petitus, ægrè insidias depulisset, quid futurum esset aduersis? itaque consultores suos, & ipsos per se peccatum suum agnoscētes, reprehendebat: & ad matrem secretò misit, petens, ut erratum suum, si quo modo posset, corrigeret. Nec segniter ea proceres atque nobilitatem pro filio prehensauit, multa largiendo, plura pollicendo. Nec difficulter minores Polonos induxit, ut conuentum apud Belzice agerent, indeque Petrum Curouium castellanum Sandecensem ad Cazimirum mitterent. Is ubi cupere eum iam regnum renunciauit, regem eum nobilitas, quę frequens Cracouiam conuenerat, renunciabat, reclamante Sbigneo, & nonnullis alijs proceribus, qui leuitatem multitudinis reprehendebant, quòd nulla propria Cazimiri legatione expectata, soli sine cæteris Polonis de re tanta statuerent. Itaq; reiecta res ad maiores Polonos: ad quos Ioannes Pelecius legationem sibi desumpsit. At illi Coli conuentu acto, in Cazimirum ipsi quoq; rursus animos inclinant: & abrogata Boleslai electione, legationē nouam ad Cazimirum decernunt, ut ad penultimam diem Septembris Parsouiæ, siue usquam alibi in finib. Lituaniæ inter Breste & Parsouiā conuentū secum ageret. Deinde & minores Poloni ad XVIII Cal. Septemb. Corcini cōuentū rursus egerūt, & Colense decretū approbarunt. Erāt enim cōplures de procerib. atq; nobilitate, qui amplas patris fratrisq; Cazimiri profusa liberalitate possessiones nacti, uerebātur, ne Boleslaus, regnum adeptus, irritas eas faceret. Et fit ferè, ut priuatæ res publicis preferātur. Conueniunt ergo frequentes proceres ad constitutam diem Parsouiam. Cazimirus uerò diu frustra expectatus, & admonitus ut ueniret, negauit ullam se significationem uoluntatis suę de suscipiendo regno, aut de conuentu

Boleslaus Masouius rex à Polonis creatus est.

Cazimirū pœnitet non susceptī regni.

Gastoudi potētia & authoritas.

Suesta Cazimiro charissimus.

Cazimirus Lituanorum & Russorum insidijs petitus.

Minorū Polonorū studia in Cazimirum.

Sbignei graue consilium.

Legatio Polonorū ad regē.

Cazimiri tergiuersatio.

uentu pariter instituendo, dedidisse Petro Curouio: sed matris & quorundam Polonorum procerum sibi amicorum precibus adductū se Breste uenisse. Si quid secum fortè Poloni agere uellent, illuc ad se uenirent. Nimia tunc erat nostrorum hominum patiētia, & misera propemodum conditio, qui barbaricum fastum & ludificationem tam æquis animis ferrent. Et tamen miserunt ij sex de primoribus ad eum Breste: nam uniuersos proficisci non placuit, ne qua ui ad iniqua pacta adigerentur. Dicebatur enim Cazimirus non exiguam Lituanorum atque etiam Tartarorum manum secum habere. Eam uerò conditionem ille legatis tulit: non aliter se susceperturum regnum, nisi Podolia, Luscum & Olescum Lituanis redderentur. Quam cum nostri non acciperent, & re infecta recederent, insurrarunt nonnulli de nostris Cazimiro, in manu ei fore parare, insurrecto regno, ut per se ipse faceret ea quæ tunc aliunde postularet. Ita patrem eius Melstinio, ita Suitrigelloni, ita Vitoudo denique eas ipsas ditiones concessisse. Placuit Cazimiro consilium. Sic tandem Polonorum desideriis assensus est, & ad octauum demum Calend. Iulij sequentis anni in Poloniam ad suscipiendum regnum uenturum se esse recepit. Perpulchrè autem regni, ut ita dicam, crepundia auspicatus est. mox enim, quemadmodum Dlugossus memorat, Lomazos & Polubice à præfectura Parsouiensi & à Polonia abstraxit: ut iam tunc credo documentum daret, meritò sibi à Polonis supplicatum esse. Ita tunc discessum est. Nec multo pòst Nicolaus & Venceslaus Ratiborienſium, & Boleslaus Cesinenſium duces aduenientes Cracouiam, pacem cum Polonis, reddita Sbigneo episcopo Cracouiensi Seueria, fecerunt. Per eadem tempora Ioannes Huniades in Vngaria magnas res gesit. Non multo enim post Varnensem cladem, cum à Transalpinensi palatino Dracula, à quo ex aduerso prælio fugiens captus erat, dimissus esset, coacta ualida armatorum manu, Turcas Rasciam infestantes ad Sauum fluuium nocturno prælio profligauit: mox Vlricum Ciliæ comitem, Croatiæ & Slauoniæ finitimæ, ut in interregno imminentem, peruastata ditione eius, ad deditionem compulit. Inde cum ad comitia Vngarorum, quibus rex creatus est Ladislaus puer, uenisset, omnium consensu prorex siue gubernator factus, Transalpinensem Valachiam cum infesto exercitu ingressus est: uastatisq; agris, Draculam cum uno filio cæpit & interfecit, alterum uita & libertate donauit: regem à Friderico Cæsare, ubi educabatur, bello repetijt: & Austriam, Styriam, Carinthiam' que uexauit: nec tamen peruicit, ut Ladislaus Vngaris redderetur. Ac ne Boemis quidem efflagitantibus is missus est. Itaque ibi Georgij Podiebradij nutu & arbitrio cuncta gerebantur. Ita simili quodam fato tria hæc regna tunc, ut aliàs nonnunquam, erant. Sed nos iam Cazimiri regnum ordiamur.

Legatio ad Cazimirum.

Cazimirus cõditiones fert Polonis.

Improbum cõsilium.

Cazimirus suscipit regnum.

Pax cum Ratiborienſibus & Ceſsinenſib. ducibus.

Transalpina Valachia ab Huniade uastata.

Georgius Podiebradius gubernator Boemiæ.

CAZIMI-

CAZIMIRVS TERTIVS REX.

1447 ann.

IGITVR anno Christi 1447, Cazimirus insigni Lituanorum & Russorum comitatu stipatus, uicesimaquinta die Iunij, quemadmodū conuenerat, uenit Cracouiā: insequenti die ritu solenni coronatus est: tertia de more castellano Cracouiensi coronā, Palatino sceptrū, Posnaniensi uerò palatino pomū, & Sendomiriensi gladium præferentibus, in forum urbis ad recipiendum ab oppidanis iusiurandum descendit. Ibi priusquam præparatum sibi solium ascenderet, controuersia inter episcopos ac duces Masouiorum Vuladislaum & Bolesłaum (nam Cazimirus anno superiori obierat) de loco, utri dextrum magis latus tenerent, orta, reuerti regē in arcem re infecta coegit. Cessere tamen postea duces episcopis. Accidit autem res ominosa inter solennes ceremonias. Nam cum de pagis aliquot Tinecensi monasterio subiectis pecudes pigneratę ob negatā regi nouo inusitatam procurationem siue stationem essent, mulieres rusticanæ pecudes suas secutæ, eiulatib. & lamentis, nō sine molestia & fremitu omnium, templū impleuerunt. Monasteriū quoq; Mogilēse, quo die Cazimirus Poloniæ fines attigit, totū forte fortuito incendio cōflagrarat. Nec sanè fefellit omē: sensere enim pressuram ecclesiæ & monasteria postea hoc rege regnante. Consultatū deinde est, utrum de duobus rex pontificē max. agnoscereť: Felicem'ne, à quo oratores ea de re aderāt: an Nicolaum quintū, qui Eugenio mortuo nuper successerat, & literas ad regē miserat. Hūc agnoscere placuit: missíq; ad eum legati, Vissota Gorcanus, præpositus Posnaniēsis, & Petrus Samotulius castellanus Callisiensis, impetrarunt regi decem millia florenorū in subsidiū contra Tartaros, quę ordini ecclesiastico in Polonia imperata sunt: itemq; facultatem conferendi nonaginta sacerdotia, quæcunq; in prouincia Gnesnensi uacatura essent, & ad ius summi pontificis pertinerent. Petierant autem ij regio nomine decimā decimæ, & ius omnium sacerdotiorū in tota Polonia conferendorū, & pensionē siue denariū S. Petri. Sed ea negata sunt. Nec multo pòst Felix in gratiā Nicolai certis pactis interuenientibus, omni iure pontificatus se abdicauit, & concilium Basileense solutum est, cum acta eius Nicolaus approbasset. Peractis ritè noui regni ceremonijs, dimissisq;, & extra portam honoris causa deductis Lituanis proceribus, rex Cazimirus in maiorē Poloniā comitāte matre profectus est: & cum esset Calisiæ uenit ad eum Michael Sigismūdi Lituanorū ducis filius, supplex & prostratus ad pedes eius, reddi sibi paternā hęreditatem petens: nihil tamen æqui impetrauit. Posnaniam ubi rex aduenit, tota urbs fortuito incendio conflagrauit. Quam calamitatem infelicium ciuium, rapacitas regij comitatus auxit. Sed rex in fontes supplicio capitis animaduertit. Lublinum quoque, Znena, Siradia, Bochnia, & Xianzum oppida eodem anno arserunt. Comitia deinde Petricouiæ ad diem diui Bartholomæi memoriæ sacrum habita: in quibus leges quasdam rex de amplissimi consilij sententia condidit: pacē & pacta cōuenta Vladislai fratris cum Cruciferis approbauit: missísque ad eos uicissim legatis, iusiu-

Cazimirus rex coronatur.

Masouiorū ducum cōtrouersia cum episcopis de loco.

Cazimiri Masouij obitus.

Episcopi ducibus antepositi.

Omen.

Mogilensis monasterij incendium.

Legatio Cazimiri ad Nicolaū pont. max.

Postulata regis à pontifice.

Schisma sublatum.

Basileēsis concilij acta approbata à pontifice.

Sigismundi Lituani repulsa.

Posnania arsit.

Oppida exusta.

Comitia Petricouiæ.

tis,iusiurandum secundum ea ipsa pacta ab eis exegit. rogatus autẽ à proceribus,ne quid eorum quę in Polonorum ditione essent aut fuissent,Lituanis concederet:proficiscens in Lituaniam, ut graues & prudentes uiros de Polonico senatu secum duceret: Theodorico Buzacio præfecto Podoliæ,qui arces quasdam à Lituanis interceptas recuperarat,ut ueniã daret:omnia de Lituanorum,quos secum habebat, consilio negauit, & properè in Lituaniam secessit. Quo quidem facto additi sunt animi improbis & sceleratis hominibus,ut furtis & latrocinijs non modò uias publicas,sed pagos etiam ac domos equestrium hominum, & oppida infestarent,rege interim in Lituania uenationibus assiduis uacante, & neutiquam curante res Polonicas. Itaq; impunitate creuit licentia, adeò ut nostri quoq; non pauci de nobilitate latrociniorum societatem cum Silesijs & Vngaris inirent,præfectis regijs & senatoribus nonnullis si nõ fauentibus,certè conniuentibus. Multorum tunc mercatorum merces propè Grebouiam direptæ:multi item pagi in ora Velunensi direpti & incensi:Bendinum quoq; oppidum dolo captum & exustum. Sequenti anno sub finem Maij, comitia cum Lituanis apud Lublinum habita sunt. Postularunt Lituani,ut sibi æquo iure fœdera cum Polonis essent, utq; caput illud,quo Lituania Poloniæ Vuladislai Iagellonis diplomate adiungitur & inseritur, de fœdere tolleretur: item'que,ut Podolia,Olescum, Vetli,Lopatinum,& Grodlum territoria, quæ præter ius sibi adempta esse asseuerabant,redderentur. Ad hæc, ut commodè & placidè Poloni responderent,neq; Lituanorum animos à se alienarent,rex petiuit. Re in consultationem posita,responsum est: Commodiorem uiam ad retinendos Lituanorum animos non esse, quàm ut Lituani Russiq; omnes Polonorum regno atque nomine, abrogato principatu suo,censeri se deinceps uelint. Quod cum illi abnuerent, tunc demum ad postulata eis responsum est. primùm quod attineret ad fœdera,rectè ea à Vuladislao rege & Vitoudo constituta ac descripta esse:nec esse,quod querantur de iniquitate fœderum Lituani,quibus libertatem, nobilitatem, immunitates,& multa præterea præclara adepti essent: non licere autem Polonis quicquam de ijs mutare,ne penitus ea labefacerent. Podoliam à Cazimiro magno rege, submotis Tartaris quæsitam, & Camenecia, Chaceno, Cecinis,Bacota,Mezibozo arcibus,& quibusdam alijs castellis munitã, à Ludouico deinde possessam,ad Iagellonem quoq; unà cum regno peruenisse:ab eo primùm Melstinio,deinde Suitrigelloni fratri,ad extremũ Vitoudo ad tempus concessam esse.: morte Vitoudi ad ius Polonorum rediisse,prouidente etiam ipso Vitoudo paulo ante obitum,& sacramẽto præfectos adigente, ut non nisi regi eam traderent:id'q; ita factũ esse. Nam de Olesco, Vetlis,Lopatino,Lusco,& Grodlo, extare etiam apud se diploma Sigismundi magni ducis Lituanorum, testatum facientis,ea ad Poloniam pertinere:supereſſe etiam inter ipsos, qui hæc ita se habere meminissent. Ita tunc responsum Lituanis, conuentusq; solutus est. Venerat eò Baptista Camerinensis episcopus, legatus à Nicolao pontifice max.& auream rosam dono regi attulerat:sed Cracouia demum,rege eò

Postulata Polonorum à rege negata.
Theodoricus Buzacius.
Latrocinia.
Cazimirus Poloniã neglexit.
Grebouia opp.
Bendinũ opp.
1448 ann.
Comitia Lublini cũ Lituanis.
Lituanorũ postulata.
Polonorum responsum.
Podolia iuris Polonici.
Luscum iuris Polonici.
Legatus pontificius ad regẽ.

reuerſo, dimiſſus eſt. Nullum autem honorem ei Cracouiam uenienti Academię prędides habuere, propterea quòd affirmarent, non Nicolaumà ſed Felicem iuſtum eſſe pontificem, quippe qui Eugenio ritè amoto, e concilio Baſileenſi ſuffectus eſſet. Necdum enim de ceſsione Felicis incr- buerat. Paucos dies Cracouiæ rex commoratus, cum inducias cum Sile ſiorum ducibus in unum annum prorogaſſet, in Ruſsiam profectus eſt, ad ſedandos motus Moldauicos. Stephano & Heliæ fratribus palatinis uita defunctis, huic quidem Romanus, illi uerò Petrus, filij in dominatu ſucceſſerant: ex his Petrus Ioannis Huniadis, qui Vngariam pro Ladiſ- lao rege gubernabat, ope fretus, Romanum eiecit: erat autem Romanus conſobrinus Cazimiri regis: eiectus in Podoliam profugit. Hunc ergo reducere Cazimirus, & res inter diſsidentes patrueles componere uole- bat. In itinere autem certior fit, Romanum ueneno ſublatum eſſe: itaque accelerauit iter, Raſſoſq; Præmiſlienſes. Leopolienſes, Belſenſes, Chel- menſes, & Podolios arma ſumere, & ſe ſequi iuſsit. Sublato enim æmulo detrectabat Petrus iuſiurandũ in uerba regis, quod prius per legatos ob tulerat: detrectabat enim Petrus imperiũ eius, Leopoli cum eſſet rex, ue- nit ad eũ matertera, Romani extincti mater, cum ducentis equitibus Va lachis: ac equites quidem, fide eorum commẽdata, prędenti pecunia ſub- leuauit: materteræ uerò Colomeiam conceſsit. Cameneciam deinde cum ueniſſet, ingenti Podoliorum lætitia & liberalitate exceptus eſt. Inde le- gatos ad Petrum palatinum miſit, Petrum Odrouanzum palatinũ Ruſ- ſiæ, & Prædiborium Coneſpolium caſtellanum Sendomirienſem, & prę fectum Premiſlienſem, cum his mandatis, ut ille ad ſe ueniret, atq; in uer- ba ſua iuraret: Michaelem uerò Sigiſmundi ducis filium profugum ut ſi- bi traderet. Nam is cum inſidiari capiti ſuo regem intelligeret, è Lituania in Maſouiam ad ſocerum, inde in Pruſsiam: & cum ne ibi quidem tuto eſſe poſſet, in Sileſiam, ad extremum in Valachiam profugerat. Et ad prę ſtandum quidem iuſiurandum uenturum ſe eſſe Petrus, accepta à rege fi- de, recepit: Michaelem uerò, qui ad ſe confugiſſet, ut proderet, neq; ex fi- de ſua, neq; ex dignitate regis fore reſpondit: ſed iuſſurũ ſe, deinceps ut fi nibus ſuis excederet. Itaq; ad Tartaros is deinde profugit. Non expecta- uit autẽ rex Petrũ: ſed miſsis ad eũ quatuor legatis, Chocimi promiſſum iuſiurãdũ abſens ab eo cõſiliarijſq; & nobilitate Moldauica accepit: quo diſertè illud cauebat, irrita fore eſſeq; fœdera, quæ Petrus & Valachi cũ quibuſuis hominib. atq; principibus prius iciſſent: quib. uerbis Vngari potiſsimùm deſignabãtur: ipſum aũt palatinũ uẽturum eſſe ad regem in- tra tres menſes poſteaquam accitus fuerit, datumq; iuſiurãdum in uerba eius iteraturum: miſsis autem Chocimum legatis rex ipſe properè in Li- tuaniam, ut tempori ad comitia Nouogrodecenſia adeſſet, ſe recepit. Ve nerat autem ad eum Tartarorum principis legatus Cameneciam, auxilia contra Petrum Valachum pollicens: eumq; rex cum ſecretis mãdatis di- miſerat. Vix autem in Lituaniam ad conſtitutũ locum uenerat, cum Tar tari rapidi torrentis in modum in Podoliam populabundi ſeſe diffude- runt, ferro & igni cuncta uaſtantes. Quos tamẽ Theodoricus Buzacius præ-

Valachici motus.

Huniades gubernator Vngariæ.

Colomeia palatinæ conceſſa. Legatio Cazimiri regis ad palatinum Valachiæ.

Valachi cum palatino iurant in uerba regis Polon. abſentis.

Tartari Podoliam uaſtarunt. Buzacius Tartaros uexauit.

prefectus Podoliæ cum expedita manu, angustis & impeditis in locis, palatos aliquoties adortus, non leuibus incommodis affecit, multosq; captiuos liberauit. Reuertentes autem Tartari, à Iurza Russo siue Lituano ad Braslauiam comiter accepti sunt: unde aucta est suspicio, eos siue à rege, siue à Lituanis subornatos, Podoliam uexauisse. Per hæc tempora Vincentio Cotto archiepiscopo Gnesnensi mortuo, Vuladislaus Oporouius episcopus Vuladislauiensis à maiore parte collegij in gratiam regis suffectus est. Ei uerò in Vuladislauiensi episcopa, Nicolaus Lasocius à Nicolao pontifice maximo contra uolũtatem regis, qui Ioanni Gruscinio fauebat, successor datus est. Nec tamen possessionem bonorum, rege per præfectos prohibente, adeptus est Lasocius: anno autem sequenti, peste apud Camerinum de uiuis sublatus, liberam Gruscinio episcopam reliquit: uir ingenio, solertia, doctrinaq; singulari, cuius etiam consilio Ioannes Huniades multum usus esse fertur. Hoc ipso anno Ioannes Huniades cum accepisset Amurathem Turcarum principem in Vngaros arma sumere decreuisse, ultro cum uigintiduobus millibus Vngarorum & auxiliariorum obuiam hosti in Bulgariam ad Schitnizam Huuium processit, adiunctis sibi in societatem belli palatino Transalpinẽsi, & Alexandro Albanensium principe, quem Turcæ Sanderbeccum appellarunt, qui ab Amurathe defecerat. Nam Georgius Rasciæ Despotes, cum post Varnensem cladem dominatum suum Amurathis munere recuperasset, fidem datam barbaro seruauit. Nec tamen Alexander ad condictum locum tempusq; occurrit. Triduo ibi à mane usque ad uesperum infestis animis dimicatum est. Ad extremum superante hostium multitudine, defatigati Vngari succubuere. Nec tamen Turcis incruenta cessit uictoria. Trigintaquatuor millia barbarorum in ijs prælijs cecidisse feruntur, Christianorum uerò ferè octo millia. Huniades fuga saluti suæ consuluit: sed cum in Despotæ manus incidisset, ab eo detentus, ac deinde certo pacto dimissus est, dato pro se obside Ladislao filio: quẽ tamen paulo post comminatione belli repetitum recepit: Despotæq; contra Turcas, ditionem eius propter dimissum se infestantes, cum exercitu præstò fuit, & inopinato aduentu suo perterritos hostes in fugam egit. Nec diu postea uixit Amurathes: moriens Mahometi filio, quem uiuens successorem sibi designarat, imperium reliquit. Sed nos nostra repetamus. Insequenti anno, cum Michael dux profugus Starodubum, Nouogrodum Seueriẽse, & nonnullas alias munitiones in Russia Moschis finitima auxilio Tartarorum intercepisset, tumultuariasq; regis copias fudisset, maiore mole rex contra eum arma mouit: eiectoq; eo, munitiones interceptas recepit. Dum autem in Lituania commoratur, Sophia regina, & Sbigneus cardinalis, missis in Vngariam Ioanne Zagorio magistro curiæ reginæ, & Ioanne Dlugosso maiore canonico Cracouiensi legatis regio nomine, pernicioſum inter Ioannem Huniadem, & Ioannem Iscram bellum, Polonis quoque propter uicinitatem (nam in Scepusiensi ora gerebatur) metuendum, pace inter eos facta, interceperunt. Decembri demum mense rex in Poloniam ad comitia Petricouiensia

Tartari comiter accepti à Lituanis.

Vuladislaus Oporouius Archiepiscopus Gnesnensis.

Nicolaus Lasocius inuito rege episcopus factus, possessiõe exclusus est.

Nicol. Lasocij laus.

Vngarorum expeditio contra Turcas.

Rascia Turcis subdita.

Vngari uicti à Turcis.

Huniades captus à Despote Rasciæ.

Turcæ fugati ab Huniade.

Amurathis mors.

Mahometes Turcarũ princeps.

1440 ann.

Seuerienſis ditio in Russia à Michaele occupata, à rege recuperata est.

Huniades & Iscra Polonorũ opera reconciliati.

Comitia Petricouiæ.

Contentio de loco inter Cardinalem & Archiepiſcopum.

uienſia reuertit: ubi magna exorta eſt inter proceres de prærogatiua loci & ſententiæ dicendæ controuerſia, propter Sbigneum epiſcopum, cui à duobus pontificibus prius cardinali presbytero deſignato, Nicolaus paulo antè inſignia eius honoris miſerat. Nam illo in ſenatum uenie-

Cardinalis dignitas.

nte, Vuladislaus archiepiſcopus, ne principem locum amitteret, cum omnibus maiorum Polonorum proceribus, qui & ipſi prerogatiuam illam ad minorem Poloniam à ſe transferri nolebant, diſceſsit. Volunt enim cardinalem etiam presbyterum & diaconum maiore eſſe dignatione, quàm epiſcopum & Archiepiſcopum, atque etiam patriarcham. Rex

Friderici Cæſaris legatio ad Cazimirum.

nihilominus cum his qui manſerant, ſenatum habuit, Friderici Cęſaris legationem pro Vuladislao Maſouiorum duce propinquo ſuo poſtulantem, ut rex eum Rauam atque Belſum, quę rex repoſcebat, ſecundum fratres, abſq; liberis defunctos, retinere pateretur, audiuit, & cauſam illam cum Vuladislao in aliud tempus reiecit. Expoſtularunt grauiter cum rege maiores Poloni, de ſenatu ſe abſentibus habito: & ut archiepiſcopus

Cardinalis & Archiepiſcopus è comitijs diſceſſerunt.

principem in ſenatu locum retineret, contenderunt. Sed negauit rex id ſibi in manu eſſe: quando ſic uiſum ſit pontifici, authoritati eius ſtari oportere. Ad extremum, ne quo obſtaculo controuerſia illa eſſet reipubl. exoratus Sbigneus Petricouia diſceſsit, archiepiſcopo quoque diſcedente. Liberius deinde habita ſunt conſilia de repub. quibus nonnulla ſalutaria ſtatuebantur. Sed ea cuncta mox irrita fuere, cum rex, proceribus pe-

Cazimirus recuſauit iuſiurãdum dare Polonis.

tentibus ſolenne iuſiurandum, quòd ritè & ſecundum leges regnum adminiſtraturus eſſet: dare, & regum ſuperiorum acta, conſtitutiones, & beneficia quæuis publicè & priuatim conceſſa, rata habere, ne quid Lituanis ſuis detraheret, recuſaret. Sequenti anno, nempe 1450, ueris ini-

1450 ann.

tio conuentum rex egit Cracouiæ cum ſolis minoribus Polonis, de inquirendis & cohibendis furtis & latrocinijs, quæ impunitate admodum inualuerant etiam inter primos de nobilitate: nominatim q; Petrus

Conuentus minorum Polonorum.

Petrus Safranecius de latrocinio ſuſpectus.

Safranecius uulgò magna infamia laborabat. Et placebat primoribus inquiſitionem uulgò haberi. Verùm Ioannes Tencinius palatinus Cracouienſis, cuius magna erat apud nobilitatem gratia & authoritas, eam rem diſſuaſit, non quòd faueret is furibus & prædonibus, ſed quòd agi quicquam, & ſtatui publicè cum rege nollet aduerſus uniuerſæ Poloniæ conſenſum. Conuenerat enim inter proceres ſuperioribus comitijs, ne

Ioannes Tencinius palat. Cracouien.

Poloni noluerunt pro rege habere Cazimirum, donec iuſiurãdum ipſis daret.

pro iuſto rege Cazimirum haberent, quoad is iuſiurandum, quod à ſe petebatur, præſtitiſſet. Reuera tamen nimium (ut fit) nonnulli proceres ſanguini ſuo & neceſſarijs indulgebant, quo maiorem ſibi potentiam compararent. Itaque ſoluto conuentu, creuit magis perditorum hominum licentia, & iam regi quoque ipſi Safranecius inſidias tendere dicebatur. Miſit deinde rex Petrum Odrouanzum & Prædiborium Conſpolium cum exercitu Ruſſorum & Podoliorum in Moldauiam, quæ nouis tunc rurſus motibus agitabatur. Quid Petro palatino Valachorum factum fuerit, non reperio. Sed tamen Bogdanus, qui ſe nothum Alexandri palatini filium eſſe præ ſe ferebat, dominatum apud Valachos, quaſi hæreditario iure ſecundum fratres legitimos ad ſe pertinentem in-

Procerum Polonorum indulgentia in propinquos & neceſſarios.

Valachicum bellum.

Bogdanus palatinus Valachiæ.

uaſit.

uasit. Supererat adhuc paruus Heliæ filius Alexander cum matre profugus: atque is reductus paulo antè fuerat iussu regis à Ioanne Sennenio Oleſſio, Bogdanusq; eiectus. Sed cum Sennenius copias reduxisset, Bogdanus, qui in montana se abdiderat, facta aliquanta manu latronum, & nouas res cupientium hominum, quibus eorum qui cum Alexãdro sentiebant, bona pollicebatur, Alexandrum rursus eiecerat. Ac deliberatũ quidem est in consilio regio, an rex Valachiam omnino subigeret, atque in prouinciæ formam redigeret, attributis Alexandro puero bonis in Russia: sed res magnę difficultatis uisa in feroci populo, & externi dominatus impatiente, & propter Turcarum uicinitatem, qui Bulgariam & ulteriorem Danubij ripam tenebant. Cõsultius uisum, ut alienis uiribus & alieno periculo tam potentem hostem à se arcerent. Itaque Odrouanzus cum Conespolio, Valachis ipsis petentibus & opitulantibus, reducere iterum Alexandrum iussi sunt. Atque hi tripartito agmine Valachiam ingressi sunt: Alexander enim Valachos, Theodoricus Buzacius Podolios, quibus præfectus erat, cæteros uerò Russos Odrouanzus & Conespolius ducebant. Bogdanus imparem se hosti animaduertens, in nemora sese cum suis abdidit. Ac de pace tamẽ cum nostris, dolos nectens, per internuncios egit: impetrauitque ea lege, ut Alexandri nomine, donec is ad quintumdecimum annum perueniret, Valachiæ præesset, regique septuaginta millia, quemadmodum Dlugossus scriptum reliquit (nam Bernardus Vapouius habet septem millia modò) Turcicorum aureorum, equorum certum numerum, & pecorum greges quotannis penderet. Pace facta reuertebantur nostri: ibi Bogdanus circumductis suis, syluam apud Crasne pagum, qua iter habebant nostri angusto & impedito tramite, insedit. Sed ea de re edocti nostri à transfugis & exploratoribus Burculabi, quo nomine præfectum arcis illi uocant, qui summa fide partes pueri tuebatur, curribus & impedimentis cũ præsidio Valachorum duce Burculabo, & ala Podoliorum præmissis, ipsi expediti pręlij fortunã æquo & iniquo loco tẽtare, ac honestè potius occumbere, quàm turpi & fugæ simili receptu, perfido hosti incruentam uictoriam concedere, statuunt. Complures tamen de exercitu iniussu præfectorum clàm se cum impedimentis subduxerunt. Sexta die Septembris Bogdanus cum expedito agmine apparuit: nec nostri quamuis consternatis Valachis, qui cum Alexandro erant, pugnam detrectarũt. Equitatu nostri, peditatu hostis pro loci opportunitate abundabat: sed eum tamen peditatum equitatu texerat. Equestri pugna conserta, & acriter inuehentibus nostris, hostes cedentes, & huc atque illuc dissipati, peditum aciem ostendêre. Nec eo segnius tamen à nostris, quamuis iniquo genere pugnæ, dimicatum est. Fortissimi quique de nostris, & qui in prima acie pugnam ciebant, cadebant: & iam inclinare cœperat tota acies, cũ Burculabus certior factus de prælio, collocatis in tuto curribus, cum præsidiaria illa sua manu aduenies, nostris animum addidit, hostium uerò ferociam & exultationem repressit, territosque in fugam uertit. Ita nostri inſperata & cruenta uictoria potiti sunt: multos

Consultatio Polonorũ de Valachia redigenda in formam prouinciæ.

Pacta cũ Bogdano palatino Valachiæ.

Valachi uectigales regi Pol.

Bogdani fraus.

Valachi fusi fugatiq;

Petri Odrouãzi & Michaelis Buzacij mors.

multos enim fortes uiros amisêre: atque in his principes Odrouanzum palatinum, & Michaelem Buzacium. Pugnatum est à mane usque ad uesperum. Hostes fuga dissipatos quadriduo Burculabus in sylua conquisiuit. Bogdanus sospes Barlotum, oppidi id nomen est, sese recepit. Nostri

Barlotum opp. Valachiæ.

quamuis uictores, ualde tamẽ debilitati, & maiorẽ ex amissis fortibus uiris dolorẽ, quàm ex profligatis hostibus lætitiam capientes, satis tunc habebant domũ reuerti. Odrouanzum palatinũ Ioannes frater archiepiscopus Leopolienſis paucis diebus secutus est, mœrore confectus: cui

Gregorius Sanocius archiepiscopus Leopolien.

Gregorius homo plebeius, è Sanoco oppido ortus, artium liberaliũ magister, cuius superius meminimus, successit. Nõ multo pòst Tartari, ubi de strage Russicæ nobilitatis accepêre, magno impetu in Podoliam atq;

Tartari Russiã & Belsensem populati sunt.

Russiam usq; ad Grodecũ oppidum & fines Belsensiũ populabundi excurrerunt: parumq; abfuit, quin Vuladislaũ Masouium, Belsensem dominatum secundi fratris mortẽ obtinentem, & uenationi tunc uacantẽ, caperent: abactaq; ingenti hominũ, pecudum & iumentorũ prẽda, incolumes ad sua se recepêre. Inde ingens mœror atq; luctus, ac metus etiam geminato malo, nõ modò Podolios atq; Russos, uerùm omnes Polonos afflixit: cum nemo esset, qui, si quid mali rursus ingruisset, succurreret, rege in Lituania cõmorante, & conuentũ cum Lituanis de Podolia & Lusco agente. Ne in Cracouiensi quidẽ ora quietæ res fuere per id tempus.

Seueria infesta à duce Toscensi.

Nam Prẽmislus dux Toscensiũ, coacto exercitu Seueriã episcopi Cracouiensis arcem oppugnauit: reiectus uerò inde cum ignominia, tractũ illum omnẽ diuexauit: sed eũ Sbigneus cardinalis coadunatis aliquãtis copijs ultus est usq; adeò, ut eum ad petendam pacẽ, & satisfaciendum de damnis datis adigeret. Ad Pentecosten demum sequentis anni rex Petri couiam ad comitia uenit: ibi actum rursus de Sbigneo cardinali, ipso absente: nam eum rex, ne ueniret, rogarat. sancitumq;, ut is quidem principem in senatu locum obtineret: deinceps uerò, ne quis eum, atq; legationis etiam apostolicæ perpetuæ honorem, rege & senatu inconsultis, peteret aut usurparet. Cracouiam deinde rex ueniens, conuentum minorum Polonorum egit: ad quem Lucas Gorcanus palatinus & præfectus Posnanienſis, Nicolaus Scora castellanus Calisiensis, & Laurentius Zaremba castellanus Siradiensis & præfectus Velunensis, nomine omnium maiorum Polonorum adfuere. Tentatum ibi rursus de purganda Polonia latrocinijs: sed inquisitionem nobilitas pleraque abnuebat. Nec ea sanè magnopere opus erat, si rex in eos modò, quorum publica erant scelera, animaduertere, infames'que latronum receptu munitiones Berualdum & Velcinum in potestatem suam redigere uoluisset. Velcinum Gels Silesius, Berualdum Vulodicus Scrinius unà cum Catharina uxore latrocinans tenebat. Clausum est autem iter mercatoribus Polonis Vuratislauiam, propter noua telonia in Silesia instituta. Interdictum'que externis mercatoribus, & præsertim Norembergensibus, Cracouiæ & aliorum oppidorum domicilijs, propterea quòd nostris uictus quærendi rationes præriperent: cum Boleslao uerò Oppolienſium duce, rursus prorogatæ induciæ.

Comitia Petricouiæ.

De Cardinalatu & legatione constitutio comitialis.

Conuẽtus Cracouiæ.

Latrocinia.

Vuratislauiam ne proficiscantur cum mercibus mercatores Poloni.

Mercatoribus externis interdictum domicilijs in Polonia.

Cæterùm

Cæterorum cum rex iusiurandum solenne poscereturimpetrauit ut ea res differretur tantisper,donec communis cum Lituanis conuentus age retur: atque is Parsouiam ad penultimam diem Augusti indictus est. Im petrauit etiam, habito denuò apud Corcinum minorum Polonorum conuentu, ut seni grosi in iugera, pro necessarijs usibus reipublicæ con ferrentur: eius quę pecuniæ quæstores atque dispensatores, Cracouien sia et Sendomirienſis palatini constituti. Ibi Sbigneus arrepta occasione, grauiter regem increpuit, cùm de alijs quibusdam criminibus, tum de Michaelis Sigismundi ducis filij iniuria, & indigna supplicis repulsa: ob quæ minus ei prosperè caderent omnia. Cumq; eum de sententia non di moueret, Deum testatus est, eum reum fore omnium, quęcunq; hominibus ac ditionibus ipsius aduersa euentura essent. In Russiã inde per Sendomiriam rex iter habuit. Venit ad eum Sendomiriam Dauid, Mustaphæ Amurathis Turcarum principis non ita pridem defuncti fratris filius: qui pulsus olim à patruo, in Vngaria complures annos exulauerat, & religionem Christianam susceperat: tunc autẽ cognita patrui morte, præreptum imperiũ repetere in animo habebat: & à Cazimiro petebat, ut sibi per eius ditiones transire liceret. Quod impetrauit quidem ille, & splendida insuper munera à rege accepit: sed cum ad Istri ostia peruenisset, Machometemq; post Amurathẽ patrẽ apud Turcas sine cõtrouersia imperare didicisset, per Poloniã in Vngariã rediit, & ibi consenuit. Samboriæ cum esset rex Cazimirus, legatio Sophiæ reginæ & procerũ Polonorum eum consecuta est, rogans & admonẽs, ut ne Luscum à Polonia alienari pateretur. Nam Suitrigello, qui id obtinebat, grauiter ægrotabat: idem contendebant, qui præsentes in regio comitatu erant. Rex ad comitia Parsouiensia integrã eam rem reiecit: & cupere se quidẽ Luscum Polonis adiungere, affirmauit: sed prouidẽdum esse etiam atq; etiam, ne Lituani ea re alienarẽtur. Venit etiam eò Maria Helię defuncti Valacho rum palatini uxor, cum Alexãdro filio, regis opem aduersus Bogdanum implorans. Reiecta res ad comitia proxima. Interim eos, & munitiones quas retinebant in Valachia, Andreas Odrouanzus prefectus Leopoliensis tueri iussus est. Comitia deinde Parsouiæ habita. Ad quæ Lituani non ueniebant, nisi fides publica ipsis data esset: uerùm ea negata est, ne quid fœderibus derogaretur. Tandem rex obuiã eis egressus Lomasos usq;, secum eos adduxit. Gastoudus tamen uenire renuit. Eadem autem quæ prius, Lituanorum postulata in eo conuentu fuerunt, cùm de Podolia, Lusco, & cęteris, ad quę Rathnum etiam accessit: tum de corrigendis fœderibus, quòd ea se inscijs, non sine contumelia sua, & obnoxiæ seruitutis testificatione, conscripta essent. Itaq; in eandem quoque sententiam eis à Sbigneo cardinali cunctæ Poloniæ nomine responsum est: refutatumq; euidentissimè illud, quòd illi se inscijs fœdera conscripta esse asseuerabant. Nam et Mathias Vilnensis episcopus, & alij proceres Lituani negare non poterant, se ea posterius approbasse, & iureiurando suo confirmasse: simul que de Podolia, & cæteris quæ sibi uindicabant, professos esse, ad Polonorum ius ea pertinere: sumerent tamen ijs de rebus, quos

Parsouiæ conuentus Polonorum & Lituanorum.

Sbigneus episcopus regem obiurgat.

Dauid Turcæ profugus.

Maria palatina Valachiæ.

Andreas Odrouanzus Alexãdrum Valachũ tueri iussus.

Conuentus Polonorum cũ Lituanis Parsouiæ.

Fides publica negata Lituanis.

Gastoudus.

Lituanorũ postulata refutata.

quos uellent, siue iudices, siue arbitros, uel regem denicq; ipsum communem principem, ne quam querendi ansam, neu quod dissidij fomentum relictum haberent. Verùm illi ne hanc quidem tam æquam conditionem acceperunt. Ne uerò iritatis animis discederetur, placuit in annum integram rem differri ad alia eodem in loco habenda comitia. Conuentu soluto rex in Lituaniam ad uenationes secessit, rerum Valachicarum cura Ioāni Cizouio castellano & præfecto Cracouiensi, Petro Samotulio Posnaniensi, & Prædiborio Conespolio Sendomiriensi castellanis mãdata: Polonicis uerò quasi derelictui habitis, nihil motus recenti complurium equitum Velunensium cæde, à Ioanne Gels prædone in conflictu quodã patrata. Tametsi potuit rex habere nõnullam excusationẽ, pestis uitationem: quæ grauiter eo anno maiorem Poloniam afflixit. Minor enim ferè immunis ab ea fuit, quamuis magnus esset undicq; Cracouiam hominum concursus, Iubilæi à Nicolao quinto pontifice max. ad spacium unius anni post peractum Romanũ concessi gratia. Eum uerò ille Cracouiæ, Gnesnæ, Leopoli, & Vilnæ cõcesserat ea lege, ut quisq; dimidium eius, quod in itinere Romano impensurus esse uideretur, in capsam reponeret: ex ea uerò pecunia, ut dimidium regi in sumptus belli contra Tartaros gerendi cederet: de reliquo dimidio, dimidium Sophia regina in dotem egentium puellarum auferret, reliquum uerò pontifici pro instaurandis Romæ templis mitteretur. Sed cum grauis uulgò esset ea æstimatio, ad quartam redacta est. At illi, qui ad componendas res Valachicas designati erant, dum moliuntur, interea Bogdanus à Petro Alexandri maioris nostho filio (qui & ipse sibi ius in dominatu Valachiæ uendicabat, & fœdus atque societatem cum Alexandro iniuerat) ebrius per dolum interfectus est. Nec multo pòst, ipsum quoq; Alexãdrum idem ille Petrus rupto fœdere de medio tollere conatus est: feciss etq; adeò, ni se ille subduxisset. Reuersus autem cum præsidio Polonorum Alexander, nihil tamen propter hybernum tẽpus anni, & q̃ Petrus in interiora secesserat, agere potuit. Venit per id tempus ad regem Philippi Burgundionum ducis legatio, auxilia uel pecuniarium subsidium ad bellum Syriacum contra Soldanũ Ægypti et Syriæ regem petens. Sed ei responsum est, regem satis negocij habere, ut Tartarorum, qui & ipsi barbari sint, uim à suis propulsẽt: tantum abesse, ut quietos lacessendos sibi esse putet. In Vngaria uerò per idẽ tempus Huniades gubernator Ioãnem Iscram, Cassouiam & alias quasdam in ea ora munitiones obtinentem, & sibi dicto minus audientem, cũ insidijs frustra appetisset, aperto bello adortus, monasterium, quod ille præsidio munierat, obsidione cinxit: sed Iscra coadunato raptim de Boemis & Polonis quatuor millium armatorum exercitu, laborãtibus suis, deditionemq; superbè recusanti Huniadi offerentibus succurrit: cõmisso autem prælio, & obsessis tempestiuè erumpentibus, uictus & magna clade affectus est Huniades cum sexdecim millibus Vngarorum. Anni sequentis, qui fuit 1452, mense Februario, Suitrigello dux moriens, Luscũ Lituanis ad hoc turmatim accurrentibus tradi mandauit, immemor & illorum maleficij, & Polonorum beneficij: cum illorum opera arcem illã atq;

Legati in Valachiam.

Silesij Velunenſem oram uexarunt.

Peſtis.

Iubilæus in Polonia.

Pecuniæ Iubilæi diſpenſandæ ratio.

Bogdanus Valachus interfectus.

Petrus dominatum inuaſit.

Philippi Burgũdionis ad Cazimirum regẽ.

Huniades ab Iſcra uictus.

1452 ann. Suitrigello obijt.

Luſcum Lituani occuparunt.

atq; ditionem amisisset, horum uero beneficio recuperasset, ac iureiurando sese & præfectos suos nobilitatemq; omnem obstrinxisset, mortuo se, non nisi Polonis parituros. Et eodẽ ferè tempore Michael Sigismundi ducis filius apud Moschos exulans, ueneno opera Lituanorum procerum, ut creditum est uulgò, in poculum infuso, extinctus est. Vtriusq; corpus Vilnam relatum, honorificè à rege sepultum est. Hos paucis diebus Petrus Chranstouius episcopus Præmislienſis præcessit. Magni inde motus in Polonia extiterunt, fremebantq; uulgò in regẽ, tum ob Luscum ipso cũniuente, atq; adeò assentiente, ut creditum est, interuersum: tum ob episcopam Præmislienſem, Nicolao Blascouicio, homini externo, nempe Silesio, delatam: habitaque sunt nonnulla eas ob res conuenticula à minoribus Polonis maximè, atque Rusis. Inde Ioannes Olessnicius palatinus Sendomirienſis, & Albertus Michouius castellanus Zauichostenſis publicè ad regem de Lusco, de Præmislienſi episcopa, ac de iureiurando exigendo allegati, ex itinere reuocati sunt, cum castellanus Cracouienſis rege uolente & iubente Luscum interceptum esse affirmasset, ne contemptui esset illa legatio: decretumq;, ut minores Poloni atq; Russi Vuladimiriam à Lituanis nuper exustam reficerent, præsidioq; firmarent, & Luscũ quocunq; modo possent, in potestatem suam redigerent. Sed irritum tamen decretum id fuit, metu offensæ regiæ: & quòd negliguntur ferè, quæ à multis pariter, ac non uno aliquo curanda suscipiuntur. Præceptum est autem thesaurario & salinarum præfecto, ne qua arma Luscum, quamuis mandante rege, mitterent: quod fortasse rex, Lituanorum quàm Polonorum, amantior mandarat. Hæc ubi regi renunciata sunt, grauiter in Sbigneum cardinalem, & palatinos Cracouienſem atque Sendomirienſem exarsit: & assentatoribus nonnullis incitantibus, questum de ijs ad maiorum Polonorum conuentum misit, quasi illi regnum sibi abrogarent, & reditibus Polonicis interdicerent: à proceribus petiuit, ut Sendomiriam ad Pentecosten uindicandæ contumeliæ & ignominiæ suæ causa ad se uenirent. Venere Ioannes Vuladislauienſis episcopus, Lucas Gorcanus Posnanienſis, Nicolaus Sarleius Brestenſis, & Boguslaus Inouuladislauienſis palatini: ac de minoribus Polonis aliquot nominatim euocati. Venerant & alij quidam non uocati nominatim: sed ij, quòd fauere Sbigneo, in quem maximè regis ira efferbuerat, uidebantur, à consilio excludebantur. Nec tamen rex uoti compos factus est: cum omnibus constaret, illos quos rex accusabat, immeritò ac falso delatos esse. Vbi uenit Cracouiam, uenerunt & illi quadam die in consilium, & grauiter cum eo expostularunt, quòd assentatoribus aures accõmodaret, ut se pro hostibus traduceret, atque infamiæ notam sibi studeret inurere. Paratos se esse purgare omni ratione ea quæ sibi obijcerentur. De corrigenda quidem inutili atq; praua regni administratione, se pro officio suo egisse, & consilium captasse, necessarium magis, quàm utile reip. Si quid secus fiat, quàm rex uellet, penes ipsum eius rei culpã esse, qui nec ipse peccata sua multa magnaq; corrigeret, neq; salutaribus monitis obsecundaret: ocio, uenationibus, epu-

Michael dux mortuus.

Polonorum fremitus aduersus regem.

Legati Polonorum ad regem.

Polonorum conatus contra regis sui sententiam.

Querela regis apud conuentũ maiorum Polonorum de minorũ primoribus. Conuentus Sendomiriæ.

Primores minorum Pol. expostularunt cum rege.

Regis facta reprehensa.

lisq; uacantem eum assiduò, neque causas afflictorum hominum cognoscere, neque de quiete atque tranquillitate publica cùm à barbaris hostibus, tum à latronibus præstanda consilia inire: superiorum regum acta, constitutiones & prærogatiuas, suas cuiq; ordini benignè datas, nō modò non approbasse adhuc toto quinquēnio, sed labefactare etiã per summã multorum iniuriam: creberrimis & grauissimis subuectionibus miseros oppidanos & agrestes ad inopiam redigere: ab ecclesiasticis et monasticis hominibus inusitatas pensiones siue stationes, & alimenta equorũ exigere: nuper adeò externo homini, suis longè dignioribus præteritis, Præmislien sem episcopam destinasse: Lituanis totum sese dedere, Polonis neglectis: illos solos in cubiculum & in familiarem uitæ consuetudinem admittere: cum illis seria iocosq; miscere: in illorum usus atq; amplitudinem Polonicum ærarium reditusq; exhaurire: illis deniq; Luscum & Podoliam à Polonorum iure abstrahenda permittere, atq; adeò fauorem opemq; suam ad id impertiri. His de rebus plerisq; crebrò cum à se & priuatim & publicè admonitum, dicebat Sbigneus, qui pro omnibus uerba faciebat, nec tamen emendatũ. Itaq; deinceps abstinere se uelle cõsilio regio, ne eius peccata approbare uideret: sed nihilo tamen magis ecclesiarũ, monasteriorũ, pupillorum & uiduarum causis uel cum periculo uitę suę defuturũ. Subiecerunt Cracouiensis & Sendomirien sis palatini, eandem suã esse sentẽtiam: & cum dicto omnes de consilij loco excesserunt, cęteris consiliarijs, qui aderant, tacitè eorum sententiam ferè approbantibus, sed rege iritato mutire non ausis. Venerant ad regem nonnulli duces uicini: aderãt & aliorum legationes: pudebat regem dare his audientiam, primoribus senatus in consilium non ueniẽtibus. Itaq; actũ cum his est, utrinq; ut omnia, etiam de episcopa Prę mislien si, integra ad proxima comitia, quæ Siradiã ad uicesimam quartã diẽ mensis Augusti indicebant, penderẽt. Ita illis delinitis, auditę ac dimissæ sunt legationes. Non multo pòst Tartari improuisa in Podoliã excursione facta, propterea quòd stationes & excubię à Theodorico Buzacio prętermissę erant, permagnã prędã abegerunt, & Rouũ castellũ cęperunt. Rex in maiorem Poloniã, & inde Nessouiã profectus, Ludouicũ Erlichausiũ Magistrum cum episcopis & primoribus Cruciferorũ ad se uenientem, lautè & magnificè accepit, uicissimq; ab ipso Toruniam inuitatus est. Interea Boleslaus dux Oppolien siũ, non tam absentia regis, quàm mutua eius cũ proceribus offensione ac dissidio fretus, ualida militũ manu è Boemis, Morauis & Silesijs conducta, bellum Polonię indixit: Seuerien sem & Velunen sem tractũ hostiliter uastauit. Id ubi rex cognouit, sumere arma Polonos iussit: sed nemo obtemperauit. Itaq; ipse quidem Siradiam ad comitia contendit: aulicum uerò comitatum suũ, ne tamen negligere prorsus res Polonicas uideretur, ad reprimendam uim hostium in oram Velunen sem misit: sed is nulla re memorabili patrata, nonnullis peste, quæ in Sile sia & finitima Polonia tunc grassabatur, absumptis, ad regem rediit. Et commodùm Boleslaus de pace misit. Igitur factæ sunt cum eo rursus unius anni induciæ, interim ut de pace accuratius ageretur.

Sbignei episcopi grauitas & libertas in dicendo.

Tartarorũ excursio in Podoliam.

Rouum castellum captum.

Conuentus regis cum Magistro Cruciferorum.

Polonia à Silesijs uastata.

Induciæ cũ duce Oppolien si.

In comi-

In comitijs uerò eadem cantilena à Lituanorum legatis superbè & non si ne minis repetita. Eiq; modestè à nostris respõsum est: cum rege de iure iurando & confirmatione importunius actum: itaq; is in angustum redactus, cum octo primoribus consiliarijs secretum consiliũ habuit: & cum assueueraret, nõ posse tũc se sine capitis sui periculo atq; defectione Lituanorum, postulatis Polonorum satisfacere, annum unum impetrauit, ut interea Luscum & primarias Lituaniæ munitiones in potestatem suã redigeret, thesaurumq; Lituanicum in Poloniã transferret. Tametsi admonebat Sendomiriẽsis palatinus Olesnicius, uidendũ esse, ne rex Polonos uana spe & pollicitatione lactaret: eoq; syngrapha siue diploma, quod ea de re fidem faceret, ab eo exactum, & regis ac omniũ illorum signis obsignatum, archiepiscopo asseruandnm concreditum est: atque ita conuentus ille solutus. Sub illud uerò tempus Tartari rursus in Podoliã populabundi usq; ad Leopolim excurrerunt: & cum se recedere simulassent, reuersi quater, eos qui ex latebris ad messem prodierant circumuentos, in miseram seruitutem abegerunt. Quocirca rex Ioannẽ Cizouiũ castellanum, & Ioannẽ Tencinium palatinũ Cracouien. in Russiam ad reprimẽdam cum Russis atq; Valachis efferatam rabiem barbarorum proficisci iussit: ipse in Lituaniã, quamuis dira peste afflictam, ad uenationes secessit. Sed dum nostri sese parant, Tartari prẽda onusti discessere. Compertum est autem, à Lituanis eos immissos fuisse. Mox enim ij Radiuilũ Hosticouitiũ cum amplis muneribus ad barbaros remunerandos miserũt. Sed is cum fortè in id tempus, quo Sadachmetes Tartarorũ dux cũ suis è Podolia reuersus, ab Ecigere duce Tauricano profligatus est, incidisset, excussus & exutus à uictoribus, nudus dimissus est. Sadachmetes uerò fugiens cum nouẽ filijs, & familiaribus siue purpuratis, quos Murzas & Vlanos illi uocant, in Lituaniã, tanquã ad amicos, sese recepit: sed eũ spes sua fefellit. Nam captus à rege & Lituanis, & cum paulo pòst Kiouiã fugisset, è fuga retractus, Cauunæ in custodia usq; ad mortẽ asseruatus est, ut ea re hostẽ eius Ecigerẽ in fide & officio cõtinerent. Necq; Cracouiensis ora à belli cladibus tunc immunis fuit. Etenim Præmislus Toscensiũ, & Ioãnes Osuencimensiũ duces, coactis nongẽtis mercenarijs militibus equestribus atq; pedestribus, finitimã sibi orã Poloniæ impunè populãdo longè lateq; peruagati sunt, nacti occasionẽ commodam, q̃ sine ullo præsidio tunc ea loca essent, proceribus cũ nobilitate ob seuientẽ Cracouiẽ & circũquaq; pestẽ partim dilapsis, partim extinctis. Causa uerò belli fuit, bellũ aliud inter Petrũ Saffranecium & Vlodicum Scrinnium de Berualtho gestũ: cuius incõmoda ut à finibus suis duces illi propellerẽt, duo millia florenorũ Saffranecio promiserant. Itaq; Saffranecius cũ sua causa id bellũ motum esse intelligeret, è Malesso castello de illis capto, & Bendino, ditiones eorũ cum centũ equitibus totidẽq; peditibus uicissim infestauit, usq; adeò ut homines tributo pacem uulgò redimere cogeret. Et iam duces etiã ipsos tædiũ eius belli cæperat, propterea q̃ stipẽdijs exhausti erant. Quamobrẽ pacem à Saffranecio petiuerunt & impetrarũt his legibus, ut profiterentur, iniustè se Poloniæ bellũ intulisse: captiuos

Comitia Siradiæ.
Lituanorum legatio.
Secretum consilium.
Regis excusatio, quòd non præstaret promissa.
Cautio regis.
Tartari Russiã peruastarunt.
Lituani Tartaros in Russiam immiserunt.
Tartarorum ciuile bellum.
Murzæ & Vlani apud Tartaros.
Sadachmetes Tartarus à Lituanis in custodia habitus.
Silesij Poloniam uexarunt.
Pestis.
Saffranecius Silesiam infestauit.
Malessum castellum.
Pacta Saffranecij cum Silesijs ducibus.

dimitterẽt: & ſupra duo millia prius promiſſa, octingentos florenos ipſi ſoluerent. Ille uerò Maleſſum ſibi uiciſsim redderet. Atque hæc quidem priuata ducum illorum cum Saffranecio pacta conuenta fuerunt. Cum Prẽmislo uerò Toſcenſi inducię in ſex menſes publicè factę, propter hyberni cœli, quo hęc gerebant, inclemẽtiã. Nec tamẽ is fidẽ ſeruauit, nanq; mercatores Cracouienſes Vuratislauia cum mercibus reuertentes haud multo pòſt diripuit. Per idẽ tẽpus, cum Fridericus Cęſar, altero diadema te prẽter morẽ, ac tertio de more unà cũ noua nupta Leonora regis Portugallię filia, Romę à Nicolao pontifice, fauẽtibus cunctis Italis, coronatus, in Auſtriã reuertiſſet, neque redderet Auſtrijs, Vngaris & Boemis Ladislaũ regem duodecim annos natum, quemadmodũ in Italiam profiſciſcens promiſerat, obſeſſus ab ijs, Ciliæ comite Vlrico ductore, dimiſit eum è tutela ſua, Auſtriaq; ceſsit. Nec multo pòſt miſsi ad Ladislaum in Boemiã à Cazimiro rege Polonorũ legati, Nicolaus Sarleius Breſtenſis palatinus, ac Derslaus Rithuianius præfectus Sendomirienſis, Elizabethã ſororem eius petitum in matrimoniũ, optatũ reſponſum retulerunt: nec tamen pacta ſponſalia tunc confecta ſunt, ſed reiectum id Vuratislauiam, quò Ladislaus è Boemia ſeſe uenturũ promittebat. Nec ſcio an legati Poloni non ad conciliandas regi ſuo nuptias, uerùm ad cohoneſtandam coronationẽ Ladislai miſsi, iniuſſu regio nuptiarũ et affinitatis mẽtionẽ fecerint, eoq; nihil tunc effectũ. & Ladislai regis ac Vlrici comitis, cuius arbitrio rex adoleſcẽs cũcta gerebat, legatio paulo pòſt ad Cazimirũ uenit, animũ eius de nuptijs exploratura, quemadmodũ ſcribit Vapouius. Hoc anno cũ Mahometes Turcarũ princeps Carmanorum regem ſubegiſſet, turbatoq; fœdere, quod cũ Cõſtantinopolitano Imperatore conſtitutũ habebat, in ora Propontidis ſumma celeritate arcẽ excitaſſet, claſſemq; armaſſet, qua Grẽcos quaſi obſeſſos teneret, ne libero mari uterẽtur, Nicolaus põtifex Iſidorũ metropoliten Kiouienſem, qui Cardinalis factus ab Eugenio, & à Ruſsis ſuis, quod ſe cum Latinis in cõcilio Florentino cõiunxiſſet, pulſus, Romã reuerterat, legatũ miſit Conſtantinopolim. Cum aũt is metu Turcicę claſsis penetrare eò non poſſet, ad Alphonſi Arragonum, Siculorum & Neapolitanorũ regis, & Venetorum opẽ cõfugit. Habebant ij tunc pariter claſſem inſtructã aduerſus Soldanũ Ægypti. Ab ea igitur claſſe Iſidorus, Turcarum claſſe deuicta ac diſiecta, ad imperatorẽ Conſtantinopolim deductus eſt. Nihilo tamẽ minus Mahometes inſequẽti anno eam urbem obſedit, & acriter oppugnauit, & poſt quinquageſimũ obſidionis diem, Gerlucæ cuiuſdam Græci proditione cæpit, & imperatorem Conſtantinum Palæologum fortiſsime dimicãtem ad portam urbis interfecit: nec multo pòſt Gerlucæ, cum cognouiſſet eum ab imperatore, quem prodiderat, magnis beneficijs affectum fuiſſe, iuſtam proditionis mercedẽ diro ſupplicio exoluit: ſedemq; imperij Conſtantinopoli poſuit. Sed ad curriculum reuocetur oratio. Eiuſdem anni initio pauci Tartari improuiſo in Lucenſem & Oleſcenſem oram excurſionem fecerunt, & ad nouem millia captiuorum, ingentemque aliam prædam abegerunt: ijdemque iterum ad Paſcha, auctinumero,

Mercatores Cracouiẽſes diripti à duce Toſcenſi.

Fridericus imperator bis Romæ coronatus.

Frider. idẽ obſeſſus in noua ciuitate.

Ladislaus rex ſui iuris factus.

Legatio Cazimiri ad Ladislaum regẽ Vngar. & Boem.

Ladislai regis & Vlrici comitis legatio ad Cazimirum.

Turcæ Carmaniam et Cõſtantinopolitanum imperium ſubegerunt.

Iſidorus Ruſsus Cardinalis legatus ad imperatorẽ Conſtant.

Iſidorus cardinalis pulſus à Ruſsis.

Turcica claſsis diſiecta à Chriſtianis.

Conſtantinopolis capta.

Proditionis iuſta merces.

Turcici imperij ſedes Conſtantinopolim trãſlata.

1453 ann.

Tartarorum excurſio in Ruſsiam.

numero, Trebouulienſem agrum depopulati ſunt. Hos inſecuti Ioannes Laſcius Zincouienſis, Ioannes Nemez, quo nomine Poloni Germanũ appellant, Latiſſouienſis, & Mathias Mezibozenſis præfecti, noctu in ſecuros ac ſopitos, perpauci in longè plures impetum fecerunt, & magna ſtrage eos profligarunt, prædamq́ omnem excuſſerunt. Trecenti cum è nocturno illo tumultu euaſiſſent, & paucitate noſtrorũ animaduerſa ſeſe recollegiſſent, poſtero die denuò cum noſtris manus cõſeruere. Sed ij quoq; nõ reſumptis prorſus ex trepidatione nocturna ſuorũq; ſtrage animis, paruo negocio fuſi. Reliquias fuga diſſipatas Braslauienſes exceperunt, & partim trucidarunt, partim captiuas regi miſerunt, ita ut ne unus quidem euaſiſſe exiſtimetur. Per hoc tempus Alexander palatinus Moldauorum, cum paternum dominatum, adiuuantibus Polonis recuperaſſet, in fide regis atq; Polonorum ſemper ſe fore, iureiurãdo coram legatis regijs dato, et literis conſignatis, unà cum cõſiliarijs ſuis profeſſus eſt: & ſocietatem belli totis uiribus contra Tartaros, & quoslibet alios hoſtes promiſit. Per idẽ tempus Vuladislaus archiepiſcopus Gneſnenſis, qui Oporouiã arcem muniuit, uita defunctus, Ioannẽ Sprouium gente Odrouanzum, prepoſitum Sendomirienſem, canonicũ Gneſnenſem, & ſcribam regium accepit ſucceſſorem, cum plura ſuffragia, quàm Thomas Strempinius theologus, in gratiã regis tuliſſet. Tametſi Vapouius ſcribit, Strempinio magis fauiſſe regem: ſed à ſenatu perſuaſum poſtea, Sprouium, uti digniorem, ipſi prętuliſſe. Archiepiſcopum Mathias Vilnenſis, & Paulus Camenecenſis epiſcopi paucis diebus ſecuti ſunt. Menſe Iunio rex apud Parſouiam, Polonorum ſimul & Lituanorum comitia habuit. Verùm ad ea tamen Lituani proceres non adfuerũt, inſidias neſcio quas cauſificantes: legationem modò miſere, quæ uſitatam illam de corrigendis fœderibus, reddendaq́ Podolia & Volynia cantilenam occineret. Proferebant noſtri diplomata Iagellonis, Vitoudi & Suitrigellonis: & ſuis ipſorum argumentis Lituanos refellebant, quòd ij dicerent oppigneratam Vitoudo à Iagellone rege Volyniam & Podoliam quadraginta millibus aureorum fuiſſe: uel inde enim liquidò conſtare, eas terras Polonici iuris eſſe, & mortuo Vitoudo unà cum pecunia in ditionem Iagellonis legitima ſucceſsione recidiſſe. Ad extremum ferebant eis arbitros, ſiue regem, ſiue pontificem maximum, ſeu quem alium principem uellent. Tartarorum principẽ ſiue Cæſarem illi edebant. Quod cum indecorum, atque etiam ridiculum eſſet, ita dimiſſa eſt legatio, ut intelligerent Lituani, Polonos iuri ſuo nequaquam defuturos. Tentatum eſt à rege & nonnullis conſiliarijs, ut in aliud tempus res tota adhuc reijceretur: ſed negatum eſt. Deinde auditæ legationes Vuladislai & Boleslai Maſouiorum ducum, nobilitatis & ciuitatum Pruſsicarum, & Magiſtri, totiusq́ ordinis Cruciferorum. Maſouij Ticocinum & Gonianzum à Lituanis intercepta, repetebant: Pruſsi aduerſus iniurias & impotentem dominatum Cruciferorum, opem regis implorabant. Cruciferi contrà, ne rex aduerſus fœdera Pruſsis adeſſet, poſtulabãt. Reſpõſum eſt Pruſsis & Cruciferis,

Laſcz. Tartari ad internecionẽ cæſi à Ruſſis.

Alexander palatinus Moldauiæ iurat in uerba regis Pon. abſentis.

Oporouia arx. Ioannes Sprouius archiepiſcopus Gneſnẽſis electus.

Comitia Parſouiæ.

Lituanorum legatio.

Refelluntur Lituanorum poſtulata.

Ticocinum & Gonianzum à Lituanis intercepta.

Pruſſi regis opem implorãt contra Cruciferos.

Regem ueluti Christianum principem dissidia nolle alere: si eo arbitro uti uellent, non recusaturum. Masouijs durius rex inconsulto senatu & nõ sine comminatione respondit. Quocirca grauiter à Sbigneo Cardinali obiurgatus est: non esse regium, asperioribus dictis aut factis quenquam lædere: inter apes quoque regem aculeo carere: Masouios duces, non modò non cõtumelioſè, sed honorificè acceptum oportuisse, quippe qui socij & consanguinei Polonorum, & propinqui regis ipsius essent. Ad hæc, causam illam ad uniuersam Poloniam attinere. Non passuram eam, socijs atque adeò sibi iniuriam illam fieri. Approbarunt Sbigneí dicta cæteri senatores, & gratias ei egerunt. Itaque moderatior deinde rex in legatos fuit. De iureiurando deinde, & confirmandis actis superiorum regum & principum, cum eo Sbigneus idem publicè omnium nomine egit. Admonuit regem contemptus Lituanici, cùm quòd uocati ab eo ad comitia non uenirent, tum quòd alioqui etiam imperium eius nõ magni facerent, & omnia arbitratu suo agerent. Admonuit & periculorum atque insidiarum, quibus ab eis identidem appetitus esset. Contrà, Polonorum fidem, studia, obedientiam, atque etiam nimiam penè patientiam exaggerauit: petiuit'que, ut his uicissim quàm illis propensiorem ac magis propicium rex sese exhiberet: his quàm illis fidelioribus atque beneuolentioribus consultoribus uteretur: illorum contumaciam his adiutoribus retunderet. Neque defectionem eorum se uigentibus & incolumibus reformidaret, aut certè non impunitam speraret. Se uolentes lubentes'que ipsi dicto audientes esse: etiamsi fortuna paginam uerteret, se nihil de suis erga ipsum studijs mutaturos esse. Illos, qui secundis ipsius rebus tam infidi essent, quales futuros esse sperare deberet reflante fortuna? In hanc fermè sententiam cæteri quoque omnes multa dixere. Audiuit hæc rex subtristis, demisso capite, & crebra ex imo pectore trahens suspiria. Hæc ita quidem Dlugossus de Parsouiensibus comitijs memoriæ prodidit: idem'que Ioannem Osuencimensium ducem superiori anno necessitate adductum, cum arx Osuencimensis à nostris oppugnaretur, Cracouiæ cum proceribus transactione facta, arcem certis conditionibus dedidisse memorat. Sed extant in Archiuio regio pacta ipsius Ioannis cum proceribus Polonis hoc demum anno millesimo quadringentesimo quinquagesimotertio, non Cracouiæ, sed Parsouiæ, & quidem absente rege conuenta: quibus ille recepit, arcem Osuencimensem, quæ tunc obsidebatur, se intra certos dies castellano & præfecto Cracouiensi traditurum esse, & ad regem in Lituaniam profecturum ueniæ petendę dedendi'que sese ipsi gratia. Quod si repulsam ab eo passus fuerit, se ei mille & octingentos aureos partim mutuò sibi datos, partim in stipendia militum & bellum expensos, ad medium mensem Augustum exoluturum esse: ac tum demum ut sibi arx sua redderetur, deinde rex, si uellet, iniuriam suam suorum'que persequeretur. Quod ni ad eam diem exolueret, post id tempus pro damnis quoq; deligendorum utrinque arbitrorum arbitrio regi satisfaceret, priusquam sibi arx redderetur. Quod si ipse è uiuis excederet, pacta hæc ad Venceslaum

Rex obiurgatus à Sbigneo & senatu.

Lituanorũ contumacia aduersus regem.

Polonorum obsequium.

Osuencimensis dux Parsouiam profectus.

Osuencimensis ducis pacta cũ Polonis.

ceslaum fratrem, Zatoriensium ducem, pertinerent. Quas conditiones rex approbauit, & Ioannem in gratiam recepit. Parsouia Petricouiam ad alia comitia, ad diem natalem diui Ioannis baptistæ indicta, itum est. Ibi fortasis acta sunt ea cum rege, & à rege, quæ Dlugossus Parsouiæ acta esse prodidit. Ibi quidem prolata est ab archiepiscopo regis promissio diplomate consignata, postulatum'que à rege, ut ei promissioni tandem satisfaceret. Sumpta ad deliberandum die, respondit ille: non licere sibi aduersum priori iurijurando, quod Lituanis dedisset, iusiurandum dare: daturum tamen, sed uti regem modò Polonorum, non etiam uti Lituanorum principem. Captiosum, sicuti reuera erat, id iusiurandum uisum est. Itaq; instare proceres unà cum Sophia regis matre, ut captione illa rex abstineret, & commendato cuipiam Lituanorum principatũ, Polonam rempub. per se ipse diligentius administraret: Lituanos à suo contubernio amoueret: quatuor de primoribus Polonorũ senatoribus publicè designandos, semper in consilium adhiberet, ac de illorum sententia cuncta ageret ac decerneret: quę uerò præter sententiã ipsorũ acta uel decreta forent, ut irrita essent: stationes & subuectiones uti moderatius & more antiquo exigeret. Ni hęc faceret, diutius non esse expectaturos, quin sibi reiq; suę publicę aliter prospicerent: dictis'q; facta adiecerunt, ac data & accepta fide mutuò sese obstrinxerũt, neutiquã defuturos esse patriæ reip. His tandem tam importunis postulatis atq; etiam minismo tus Cazimirus, iusiurãdum, quale petebatur, dedit. Quo facto proceres cętera postulata remiserunt, siue adeò in aliud tempus reiecerunt, ueriti ne ægrotum regis animum exacerbarent, simul sperantes eum tempore sanatum iri: Præmislo Toscensi è senatus consulto induciæ in biennium concessæ: item'que Bernardo, Boleslao & Nicolao Oppoliensibus ducibus. In nonum usque diem tunc durauere comitia: quod quidem uelut nouum & inusitatum Dlugossus memorat. Quomodo is nũc acciperet, cum in tertium, interdum in quartum etiam mensem durant. Cazimirus rex Petricouia discedens, paucos'que dies Cracouiæ commoratus, in Lituaniam secessit. Ratus autem Ioannes dux Osuencimensium absente eo oblatam sibi esse occasionem recuperandi arcem Osuẽcimensem, quam tunc ab eo traditam Ioannes Curopatsa regio nomine obtinebat, facta manu subitaria, eam adortus est: sed repulsus à nostris cũ ignominia, ruinas uetustæ arcis, cui Volco nomen fuit, refecit, indeq; latrocinio uexare Poloniã cœpit. Quare exciti Poloni proceres, aulicos regis atq; suos comitatus, duce Ioanne Tencinio palatino Cracouiensi, ad obsidendam eam arcem miserunt: & facilè ea per uim potiti fuissent, nisi nobilium iuuenum, qui uoluntarij ad eam militiam conuenerãt, ne quid in oppugnatione aduersi paterent, ratio ducta esset. Interim pax data Ioanni petenti, ea conditione, ut accepto certo precio, de quo tunc cõuenit, omni prorsus ditione Osuencimensi regi Polonisq; cederet. Sic tandẽ Osuencimẽsis regio longo quasi postliminio in ditionem Polonorum redijt: nobilitas'que omnis eius oræ sequentis anni initio solenni iureiurãdo fidem suam regi & regno obstrinxit. Quanquam ne postea quidem quieuit Ioannes,

Comitia Petricouiæ.

Polonorum postulata à rege acerbiora.

Polonorũ procerum confœderatio.

Iusiurandũ regis Polonis datum.

Comitia nouem dierum.

Osuencimensis arx frustra tentata à Ioanne duce.

Volcum arx instaurata.

Osuencimensis principatus redijt in potestatem regis Pol. 1454 ann.

Osuencimensis conuentus iuratus in uerba regis Polon.

Ioannes, donec repetitis identidem pactis, auctoq; precio, post tertium annum ius omne suũ regi concessit. Per hęc tempora maiores in Prussia motus à nobilitate & oppidanis contra Cruciferos extiterunt, cum Imperator Fridericus, quem iudicem partes sibi sumpserant, illos non modò non uindicasset ab intolerabilibus iniurijs Cruciferorum, uerũ etiam sexcentorum milliũ florenorum multam eis irrogasset, ac magistro eos denicq; tanquam seruos addixisset. Itaq; illi magnitudine iniuriarum & contumeliarum permoti, conspiratione inter se facta, plerasque omnes munitiones & oppida sex & quinquaginta in potestatem suam, ejectis Cruciferis, redegerunt: missa'que ad regem splẽdida legatione ea omnia, se'que, & omnem Prussiam, Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem ei dedebant. Sendomiriæ ea legatio regem è Lituania reuertentem reperit: sed Cracouiæ Februario mense adesse iussa est. Nam rex ad nuptias in illud tempus constitutas festinabat: quo etiam frequens senatus, quo inconsulto nihil de re tanta statuere poterat, conuenturus erat. Nona die Februarij noua nupta Cracouiam splendido comitatu aduenit: à rege ipso unà cum matre obuiam ei profecto deducta. Dos ei centum millia aureorum numûm fuit promissa, ea conditione, ut ea penes regem remaneret, etiamsi illa sine liberis decessisset: nec tamen ea numerata est. Rex uerò ei loco muneris nuptialis prouentus annuos quinque millium marcarum in salinis Bochnensibus & Velicienſibus constituit. Postridie contentio inter Archiepiscopum & Sbigneum cardinalem fuit de nuptiali ceremonia, uter eius administer esse deberet: quòd ille Archiepiscopus & primas, hic cardinalis & Cracouiensis episcopus, ubi hæc agebantur, esset. Re diu agitata, conuenit tandem, ut Ioanni Capistrano eum honorem deferrent. Erat autem is, Italus non ignobilis de sodalitio Franciscanorum, qui se Obseruantes & Bernardinianos appellant, doctrina, facundia & sanctimonia uitæ pollens, usqueadeò, ut multis miraculis eam comprobaret. Susceperat autem peregrinationem Boemorum maximè ad rectam religionem reducendorum gratia: & cum in ea re apud Boemos non multum profeciſſet, à Sbigneo cardinali accitus, anno superiori Cracouiam, effusa obuiã omni penè ciuitate cum sacerdotibus & episcopo, atq; ipso etiam rege & regina, aduenerat: & posita in foro, ac deinde hyberno tẽpore in æde Virginis matris cathedra, quotidie per interpretem ad populum conciones habebat, & multos ægrotos diuina uirtute sanabat: authorq; fuit Sbigneo, ut cœnobiũ omniũ primùm in Polonia suo sodalitio sub arce ad Australem portam urbis conderet. Huic ergo tunc datum est negocium, nouos coniuges ritu solenni cõiungendi. Sed cum is neq; Polonicam, neq; Germanicam linguam calleret, ac Sbigneo muneris eius functionem adiudicaret, Sbigneus utriusq; linguæ peritus, cedente Archiepiscopo id peregit. Archiepiscopus uerò sacris operatus, nouam reginam inunxit, ac diademate cinxit. Post hæc Prussorum legati, quorum princeps Ioannes Basenus erat, in senatum introducti, facta audiẽtia prolixè exposuerunt, qua improbitate, & quibus artibus Cruciferi Pomeraniam & Michalouiensem tractum olim Polonis in-

Friderici imperatoris arbitrium inter Prussos & Cruciferos.

Prussi se & munitiones suas regi Polo. dedũt.

Nuptiæ Casimiri regis cum Elizabetha Alberti Cæsaris filia.

Contẽtio inter cardinalem & archiepiscopũ.

Ioannes Capistranus Franciscanus uir sanctus in Poloniã uenit.

Cœnobium D. Bernardini.

Prussorum querelæ de Cruciferis.

nis interuertissent: qua crudelitate in Dobrinum, Cuiauiam, Masouiam, cæteram' que Poloniam parentem suam ferro & igni debacchati, in solitudinem ferè eas oras redigissent: quàm infidam incertam' que pacem cum Polonis colerent, semper' que coluissent: deinde quàm acerbo, crudeli, contumelioso, & impotenti dominatu in se usi essent, atque etiam tum uterentur: commemorabant eorum rapinas, stupra, & libidines in uxores, liberos' que suos è complexibus maritorum atque parentum abstractos: quod si qui contrà mutire ausus esset, in eos uerbera, uincula, & sexcenta tormentorum genera, capitis denique supplicia deprompta esse. His tot ac tantis malis ut occurrerent, se confœderationem quandam inter se fecisse: eam uerò à duobus Magistris, Paulo & Conrado approbatam & confirmatam, à Ludouico, qui tunc Cruciferis præerat, abrogari cœpisse, & Imperatoris Friderici opem contra se, quasi rebelles subditos, imploratam esse: ad eum se legationem splendidam, purgandi sui, Cruciferorum' que accusandorum causa, misisse: legatos suos per Morauiam iter facientes, à latruncunlis, quos Cruciferi subornauissent, captos, & in uinculis aliquandiu asseruatos, & ad extremum dimissos, ad imperatorem peruenisse. Ibi cum is ex compromisso iudicium instauraret, nihil æqui se impetrare potuisse, eo' que re adhuc integra iudicem illum recusasse: nihilo tamen minus instantibus aduersarijs, & legatis principum Germanorum, quos ij corrupissent, adiuuantibus, non modò abrogatum esse fœdus suum, uerùm etiam sexcentorum millium florenorum multam sibi dictam esse: atque adeò infamia se notatos, & libertate priuilegijs' que spoliatos, seruorum aut pecudum in morem tam impotentibus dominis addictos esse, & ab ijs deinde trecentos morti destinatos. Eam tyrannidem se diutius ferre non potuisse: sed sumptis armis, Cruciferos eorum' que magistratus & præsidia ex oppidis, urbibus, atque arcibus plerisque omnibus eiecisse, neque deinceps in potestate eorum fore. Scire autem se probè, à Polonia se, oras' que illas à se cultas & habitatas, olim partim dolo, partim per uim ac per summam in iuriam auulsas fuisse: non ignorare, Cruciferos initiò Polonorum beneficio in illis oris consedisse. Ad illorum igitur, qui & Cruciferorum patroni, & iusti domini sui essent, opem, se supplices confugere, eis' que se suaq; omnia dedere: orare, ne se in extrema sua necessitate despicerent, neue opprimi, & ad extremum excindi paterentur. Nihil autem esse, q; Poloni uererent, ne ea re fœdera cũ Cruciferi suiolarẽt. Iam ab illis prioribus uiolata, cũ ciues Chosnenses, propterea q; ij se urbẽ q; suã bello adacti Polonis dedidissent, contrà quàm conuenerat, capitis supplicio affecissent, et noua fœdera cũ Lituanis aduersus Poloniã dudũ iciissent. Non uoluntate Cruciferos, neque pacis colendæ studio, sed ui à se adactos, pacem cum Polonis feciisse, & in eam diem seruasse. Se enim cunctã superiorum bellorum molem, dum illi Marieburgensis arcis mœnibus sese ferè continent, sustentasse: defessos autem & exhaustos, ad pacem illos impulisse. Non aliena Polonos occupaturos, uerùm sua recepturos esse,

Confœderatio Prussorum.

Prussorum legati capti.

Prussi iudicem Fridericum imperatorem recusarunt.

Prussi Polonos pro iustis dominis agnoscunt.

Cruciferi fœdera cum Polonis uiolarunt.

quæ ipsis sedes Apostolica aliquoties adiudicasset: spondere autem sibi fortunam regis, & Polonicæ gentis uirtutem, illa omnia è sententia sua ipsorum'que processura esse. Nec se sibi defensoribus'que suis esse defuturos. Huiusmodi ferè fuit Prussorum oratio. Relata re ad senatum, uera esse quæ dicebantur à Prussis, omnes recognoscebant: meminerant multi, Cruciferos quater ictū cum Iagellone rege fœdus rupisse: & ad extremum, ut pontificis maximi & Basileensis concilij authoritate id sibi facere liceret, elaborasse: ciues Chosnenses, propterea quòd se regi in bello dediderant, contra pacta & iusiurandum suum immaniter interfecisse: commercia cum Polonis capitali supplicio Prussis interdixisse. Memorabant seniores, eos cum hostibus Polonorum consilia & arma socia non semel coniunxisse, Polonis'que pium aduersus barbaros bellum diuersa parte gerentibus, Poloniæ fines impiè & perfidè infestasse: nulla cum eis fœdera, nullam certam pacem esse. Hæc tunc in senatu commemorabantur: sed tamen de acceptanda deditione uariabant sententiæ: censebant multi: nonnulli, quorum princeps Sbigneus fuit, dissuadebant: alij uerò ad comitia rem integram reijciebant: cuius sententiæ Tencinius palatinus Cracouiensis author erat. Nec deerat suis ex altera parte Cruciferorum legatus, thesaurarius eius ordinis, qui ad cohonestandas regias nuptias missus, quinquaginta millia florenorum ad corrumpendos proceres Polonos secum attulerat. Atque is cum uniuersos publicè fœderum admonebat, tum priuatim singulos orando & pollicendo prensabat. Ad extremum clientes ac uectigales regi Polonis'que Magistrum atque Cruciferos in futurum omne tempus fore promittebat. Quocirca quindecim plus minus dies consultando absumpti sunt. Legati Prussorum ubi comperendinari rem animaduertêre, contenderunt à rege, ne differret: alioqui se alios dominos & patronos sibi quæsituros esse, qui obuijs, quod aiunt, ulnis tam luculentam conditionem accepturi essent. Apparebat'que eos in Boemiam ad Ladislaum regem profecturos esse: nam is cupere id se significabat. Interim afferebatur è Prussia, nobilitatis & ciuitatum partes indies meliores fieri: Magistrum & Cruciferos in angustum redactos, Marieburgi & Stumæ ferè munitionibus sese tueri: Brodniciam arcem, ne in aduersariorum potestatem ueniret, Ioanni Coscelecio Inouuladislauiensi palatino à commendatore siue præfecto traditam esse: nam oppidum in fide Cruciferorum mansit. His igitur impulsi rex atque proceres Poloni, ne tam luculentam & insperatam occasionem recuperandi ea quæ maiores sui olim amiserant, uix unquam postea redituram, sibi elabi paterentur, deditionem Prussorum accepere: tametsi præuidebant nonnulli motus bellorum, qui inde consecuturi, & Poloniam atque Germaniam inter ipsas collisuri essent: uerebantur'que quorsum tanta illa & inopinata prosperitas ad extremum euaderet. Thesaurarius ubi acceptam esse deditionem didicit, absque mora Cracouia discedens, in Silesiam, indè que in Misniam & Saxoniam, mercenarios milites conduc-

Cruciferi quomodo se gesserint contra Polonos.

Senatus Polonici uariæ sententiæ de recipiendis Prussis.

Cruciferi non desunt sibi.

Cruciferorum res minus prosperæ.

Prussi à Cazimiro rege Polon. in fidē accepti.

ctum

ctum contendit. Prius tamen aculeum, & ueluti seminarium quoddam intestini mali atque dissidij, quo distinerentur nostri, immisit, cum Petrum Saffranecium, hominem callidum, audacem, & factiosum, & latronum, furum, atque sicariorum, ut inquit Dlugossus, sociũ & fautorẽ, donis promissis sicq; clàm corrupisset, ut bello & latrocinio Poloniã, exagitaret. Et facilè id erat persuadere homini turbulẽto, & huiusmodi rebus assueto, & qui se ob id regi bonisq; omnibus inuisum esse intelligeret. Non latuit hoc regem atque proceres: uerùm nonnullis res uisa incredibilis: alij porrò dissimulando sanatum iri insaniã eius iudicabãt. Missi extemplò in Prussiam Andreas episcopus Posnanienſis, & Ioannes Conespolius cancellarius Poloniæ, iusiurandum ab uniuersa nobilitate ac ciuitatibus concepta formula in uerba regis datum acceperunt: episcopi in aduentum regium dilati sunt: arces, quibus rex iusserat, traditæ. Quanquam Torunenses, Elbingenses, Gdanenses, & Kynixbergenses, siue Regiomontani ciues, eas quæ urbibus suis imminebant, diruerãt: quæ res neq; nostris neq; Prussicę ipsi nobilitati placuit: sed neq; ad uersandi, neq; factũ reprehendendi tempus tunc erat. Per idem tempus Fridericus marchio Brandenburgensis nouam Marchiam, quæ Cassubia fuit antiquitùs, detrectantem & ipsam Cruciferorum imperium, in deditionem accepit: missa'que ad regem legatione, ut cum bona eius uxoria id esset, petiuit, auxilia contra Cruciferos pollicens. Sed nihil certi responsum est, propterea quòd Stolpensium quoque Pomeranorum dux eam petebat, & suo quodam iure sibi uendicabat, & in clientela & fide regis fore se unà cum ditionibus suis, duo'que millia equitum ad quoduis bellum regi Polono adducturum, pollicebatur. Ne huic quidem certum responsum datum. Tametsi Vapouius, Marchionem occupatione Cassubiæ, quæ iuris fuisset Polonici antiquitùs, abstinere iussum esse scribit: ni faceret, ui & armis depulsum inde iri. Vngarorum quoque & Boemorum rex Ladislaus eam ditionem iure quodam suo repetebat. Misit deinde rex legatos, ad Ladislaum quidem Nicolaum Chranstouium tribunum Cracouiensem: ad imperatorem uerò apud Ratisponam Germanorum comitia tunc habentem, & ad pontificem maximum, Ioannem Brezium Luteci filium iureconsultum, qui factum suum defenderent, & Cruciferorum querelas refellerent: ipse Breste Lituanicum ad conuentum Lituanorum excurrit, & cum his constituit, ut Liuonienſium auxilia transitu in Prussiam prohiberent: inde mox Lenciciam ad comitia ad Calendas Maias indicta contendit. Ad quæ pauci de minoribus Polonis & Russis aduenere. Decretum autem ibi est, ut rex Toruniam se conferret, pacandæ Prussiæ causa: Cuiauios atque Dobrinios, si opus esset, ad aulicum comitatum suum in auxilium Prussorum, qui tunc Cruciferos Marieburgi & Stumæ, & in Brodnicẽsi oppido, suo pariter & mercenario milite è Polonis & Boemis collecto, obsidebant, adiungeret. Masouij uerò duces frustra iterum à rege & Lituanis sua ibidem repetiuerunt, quamuis omnes copias suas regi ad Prussicum bellum pollicerentur. In Prussiam deinde itum est, ma-

Petrus Saffranecius redemptus à Cruciferis, latrocinio turbat Poloniam.

Prußi iurant in uerba regis.

Arces à primarijs ciuitatibus Pruſſ. dirutæ.

Noua Marchia à Friderico Brandeburgensi occupata.

Frid. Marchionis, et ducis Pomeranorum legationes ad regem Cazimirũ

Legationes à Cazimiro rege ad regẽ Vng. et Boem. ad imperatorem, & ad pontificem.

Comitia Lenciciæ.

Cruciferi obsessi à Prußis.

Masouiorum preces irritæ.

gna & splendida procerum caterua regem comitante. Ibi Toruniæ, Elbingæ & Gdani iteratum publicè à proceribus, nobilitate, & ciuitatibus ritu solenni iusiurandum in uerba Cazimiri & successorum eius regum Polonorum, tribus palatinis, in sua quoque satrapia, præeuntibus. Episcopi quoque tres, nempe Arnoldus Culmensis, Gaspar Pomesaniensis, & Nicolaus Sambiensis, cum suo quisque sacerdotum collegio, in uerba regis iurarunt: abiecto'q; regis permissu, cultu Cruciferico, ueterem habitum diui Augustini regulam profitentiũ resumpserunt. quartus Franciscus Varmiensis apud Cruciferos Marieburgi erat: sed collegium tamen eius unà cum cæteris iusiurandum dedit. Ladislai deinde regis legati Boemi Ioannes Perstenius siue Rosembergius, & Sdencus Costca (nam Chranstouius nihil certi retulerat) auditi, expostularunt cum rege, quòd suo rege inconsulto, Prussorum deditionẽ secus quàm Cracouiæ in nuptijs pollicitus erat, accepisset: postularũt'q; ut Pragam legatos mitteret cum luculentis mandatis ad constituendum de rebus Prusicis: quarum cura magnoperè ad regẽ Boemorũ pertineret, quòd & patronus Cruciferorũ esset, & Prussiam omnem nuper interuenente Alberto Friderici marchionis Brandeburgensis fratre germano à Cruciferis in deditionẽ accepisset. Interim aũt, ut Cazimirus obsidiões institutas solueret, bello'q; Cruciferis inferendo supersederet. Ridiculè superba & arrogans nostris uisa est ea legatio, nec'q; à miti ac ciuili Ladislai ingenio profecta: id quod paulo pòst secreto ipsorum legatorum indicio cõpertum est. Nam ij Georgium Podiebradium, penes quem tũc summa rerũ apud Boemos erat, eius legationis authorem prodiderũt. Itac'q; ad eam nihil aliud responsum est, quàm Cazimirum nunquam recepisse Ladislao, quòd ipso inscio Prussos in deditionẽ accepturus non esset. Ad cætera eum per suos legatos responsurum esse. Ita dimissi Boemi, nec permissi Marieburgum ad Cruciferos ire. Ladislaus uerò cum è legatis suis reuertentibus legationis suæ summam, responsum'q; Cazimiri cognouisset, Ioannem Rabstenium ad eum properè misit, priorem legationem corrigens, & pollicens, non obstaturum se esse, quo minus ille omni Prussia potiretur. Grata hęc fuit legatio regi, cunctis'q; itac'q; missi in Boemiam Ioãnes Tencinius palatinus Cracouiensis, & Petrus Samotulius castellanus Posnanienſis, ut uoluntatem illam Ladislai confirmarẽt. At Cazimirus comitia Prussorum apud Grudentum habuit: ibi tributum siue exactio certa in capita constituta est, unde emerita stipendia Boemis mercenarijs, quos primo motu Prussi acciuerãt, & qui Marieburgum etiam tum ignaui obsidebant, soluta sunt: dimissi'que ij sunt, siue quòd ambiguæ fidei esse uiderentur, siue quòd nimio conducti essent. Nam sex & uiginti floreni in tres menses equiti numerabantur. Id adeò necessitas Prussis expressérat, ne militari præsidio nudi, à Cruciferis opprimerentur, & ut ij secum potius contra Cruciferos, quàm cum illis contra se essent. Pro Boemis uerò aulicum suum comitatum rex ad continuandam obsidionem Marieburgi misit, præfecto ei Ioanne Scecocinio præfecto Lublinensi. Decretum est etiam, ut sedecim

Episcopi Prussici iurant in uerba regis Polonorum, et cultum Cruciferorum abijciunt.

Varmiẽse collegium iurat in uerba regis.

Ladislai Boem. regis legatio ad Cazimirum.

Cruciferi dedidere Prussiam Ladislao regi.

Georgius Podiebradius.

Alia Ladislai legatio.

Legatio Cazimiri ad Ladislaum.

Comitia Prussorum Grudenti.

Tributum decretum.

Stipendium equestre ingens.

Ioannes Scecocinius præfectus Lublinensis.

tim ex nobilitate & ciuitatibus allecti, à consilijs regi essent, qui cum eo de republ. Prussica consultarent, summóq; iudicio præsiderent: itemq; ut arces & munitiones episcoporum atque ecclesiarum, quoad bellum duraret, in potestate nobilitatis essent. Hæc adiuncta ad illas prerogatiuas, quæ initiò deditionis Cracouiæ ipsis à rege datæ erant: quibus Prussi cum Polonis quasi in unum corpus redacti sunt, nimirum ut eorum consiliarij cum Polonis pariter in comitijs de repub. consultarent, ad honores & magistratus regni admitterentur, ius creandi regis pariter haberent: cæterùm suo quisque iure, seu Culmensi mallent, seu Saxonico, seu Prussico, seu denique Polonico, uiuerent: quæ bona quisque antiquitùs siue priuatim, siue publicè obtinuisset, deinceps quoque retineret: telonia cuncta & portoria, nominatim que id quod librale seu funtzol Teuthonicè dicebatur, quo bini oboli à marca exigebantur, & pensio ea quæ à Polonis principibus in Pomerania olim instituta, Narzas siue porcus uulgò uocabatur, remissa & sublata: merces naufragio iectæ, ijs quorum fuissent, aut legitimis eorum hæredibus remissæ: nam eas antea Cruciferorum præsides iniustè sibi uendicabant: honores & magistratus publici, & præfecturæ arcium ne cuiquam externo secundum usum & consuetudinem cæterarum regionum Poloniæ mãdarentur: ius monetæ Toruniæ, Elbingæ, Kynixbergæ & Gdani cudendæ cum imagine & inscriptione regia, quoad bellum duraret, in commune eis concessum. Finito uerò bello, ut Toruniæ modò & Gdani regio nomine sumptu que ea cuderetur: mercatoribus uerò potestas facta est, quoquo uersus in Poloniam cum mercibus proficiscendi, easq; deponendi, & uænum exponendi ubicunque uellent. Ad extremum Ioannes Basenus, uicarius regis & gubernator, cum rex abesset futurus esset, constitutus: Gdanensi uerò ciuitati, cum ea splendidè & honorificè in primis regem cum omni comitatu ipsius accepisset, peculiariter census septingentarum marcarum remissus: moletrinæ omnes urbanę, & insula minor adiacens, quàm Vistula mare, & montes in medio concludunt & efficiunt, addicta & attributa: tredecim modò pagos, ac duo prædia rex sibi excepit, & pro his omnibus annuam pensionem duûm millium aureorum ciuitati, unde Cruciferis sexaginta aureorũ millia quotannis prouenisse scribit Vapouius, imposuit: itemq; ut ea quotannis quatuor dierum sumptus sibi unà cum omni comitatu suo aulico præberet: pro arce uerò diruta, ut magnificum palatium regi in urbe, horreumq; siue granarium, & stabulum cocto latere exædificaret.

Consiliarij Prussici.

Munitiones ecclesiasticæ nobilitati cõmissæ.

Prussorũ unio cum Polonis.

Prærogatiuæ & priuilegia Prussorum.

Funtzol sublatum.

Narzas.

Naufragæ merces.

Externi ab honoribus excluſi.

Moneta.

Mercatura.

Ioannes Basenus gubernator Pruss.

Gdanensi ciuitati concessa à rege.

Insula minor.

Gdanenses quid regi debeant.

Gdanensium reditus publici.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM

LIBER VICESIMVS TERTIVS.

Legationes põtificis & imperatoris ad Cazimirum.

CONVENTV Grudentino soluto, Toruniam rex rediit, cum quinque legatos è comitijs Ratisponensibus pontificis max. imperatoris, principum electorum, Philippi Burgundionum, Ludouici Bauorum ducum, ac totius Germaniæ nomine ad se uenire cognouisset: atque ij cum ad regem in senatum introducti essent, petebant à rege, ut Cruciferis data uenia, si quid deliquissent, Prussiam omnem redderet: atque ad bellum Turcis inferendum, recuperandam' que Constantinopolim arma secum & cum cæteris Christianis principibus cõiungeret. Imperatori & Germanis curę esse res Prussicas, & earum causa maximè eos alia comitia Francofordiam ad Rhenum ad tertium Calendas Octobris indixisse. Rex, quo diutius Germanos bellum contra se molientes suspensos teneret, nihil aliud responsi legatis dedit, quàm suos se legatos ad illa ipsa Francofordiensia comitia de rebus ijs missurum esse. Petebant deinde legati, ut sibi ad Magistrum Cruciferorum adire liceret, atque ut rex Marieburgi, Stumæ & Brodniciæ obsidionem solueret. Sed neutrum impetrarunt: Sabellinis tamen uestibus honorificè munerati, dimissi sunt. Non multo pòst ij qui Stumæ in præsidio erant, fame inualescente, ita ut quinquaginta de eis perirent, arcem regi cum apparatu bellico dediderunt, uitam modò & res suas saluas pacti: & quinquaginta quidem ex ijs Marieburgum ad suos se receperunt, macie tabé que luridi. centum reliqui, in quibus erant quatuor Cruciferi, in castris regijs manserunt. Apud Marieburgum uerò cum obsessi in nostros erupissent, cruenta pugna coorta, hostes magna strage in arcem compulsi sunt: ac longè maior ea fuisset, ni hostes fugientes puluis texisset. Gdanenses uerò nauem pice, resina, sulfure, & eiusmodi ignis alimentis plenam, in pontem Marieburgensem secundo Nogato impulerunt: sed magno tamen conatu hostium, pons incendio correptus, seruatus est. Iam & ipsi inter se præsidiarij milites, iurgio propter scortum concitato, intra arcem conflixerunt, ducemq; suũ interfecerũt. Non cessabat interim thesaurarius Cruciferorum in Germania: ne Magister quidem Germanicus: atq; is bona & reditus suos distraxit, ut socijs in Prussia laborãtibus celeriter opem ferret. Itaque ab his duobus octo millia mercenariorum militum, peditum pariter & equitum è Germanis, Boemis & Silesijs conscripta, ac Baltassare & Rodolfo Zeganensium ducibus, & Bernardo Sumbergio Boemo ductoribus, per nouam Marchiam in Prussiam missa sunt: & iam Plauenius Boemus, Cruciferorum & ipse stipendia merens, cum

Responsum regis.

Stuma regi dedita.

Res gestæ apud Marieburgum.

Res gestæ apud Choinicã.

Plauenius.

cum mille equitibus à Choinicienſibus in urbem receptus erat: magnáque Polonis damna agros uaſtãdo intuliſſet, niſi Nicolaus Sarleius palatinus Vuladislauienſis, præfectus Slochouienſis ac Tucholienſis, cum mille ducentis equitibus, & ſeptingentis peditibus, ferociam eius repreſsiſſet. Id ubi cùm amicorum admonitu, tum exploratorum relatione à noſtris cognitum eſt, rex maiores Polonos ſolos arma ſumere, & ad Choiniciam præſtò eſſe iuſsit. Adfuere ferociores quàm armatiores, ac diſciplinæ militaris expertes, per ſuorum agros non ſecus quàm per hoſtiles, rapinis, incendijs, ſtupris & ſacrilegijs debacchantes. Veniẽtibus ad Cerequiciam alterò à Choinicia milliario rex occurrit: tumultuantesque, ac de prærogatiuis & iuribus ſuis intempeſtiuè flagitantes, uix ſedauit, & in ſeptem turmas diſtribuit: inſtructosque ad Choiniciam, quò hoſtes contendere nunciabantur, duxit. Suadebant nonnulli proceres regi, ne cum imperita illa & minimè obſequenti multitudine hoſti pugnandi copiam faceret: ſed pateretur eum Choiniciam ingredi: ibi eum facilè quaſi retibus & caſsibus concludi, & commeatus inopia fameq; ſine ſanguine citò expugnari poſſe: breui enim omnem eius arcis commeatum à tanta multitudine exhauſtum iri: aut ſi tandem committere prælio rem uellet, id quod maiores Poloni poſcebant, auli-cum comitatum à Marieburgi obſidione, aut uerò Ioannem Zarnicoui um caſtellanum Gneſnenſem, & Ioannem Vedelium cum quinque millibus, quæ ad præſidium, niſi fallor, maioris Poloniæ reliquerat, acciret. Diſſuadebat Ioãnes Coneſpolius cancellarius de aulico comitatu, ne ob ſidione remiſſa hoſtes releuarent. Aſſeuerabant maiores Poloni (quod fit plerunque, ut quo quiſque eſt imperitior, eo ſit arrogantior) in ſe ſatis uirium eſſe, uſque adeò, ut uel aurigarum ſuorum flagellis hoſtes in fugam actum iri iactarent. Quocirca non grauatè eis rex ceſsit, præſertim cum de paucitate hoſtium intellexiſſet: neque enim procul ij aberãt. Fortè autem ſpeculatores utriuſque partis in ſe mutuò inciderunt: commiſſóque prelio, noſtri non incruenta uictoria potiti ſunt. Ad quartum decimum Calendas Octobris, cum hoſtes aduentare dicerentur, rex aciem inſtruxit, easque regendas atque ducendas Lucæ Gorcano Poſnanienſi, Stanislao Oſtrorogio Caliſsienſi, Nicolao Sarleio Inouuladislauienſi palatinis, atque Derslao Rithuianio caſtellano Roſperienſi, nobilibus quidem illis hominibus & potentibus, uerùm in arte militari non magnum uſum habentibus, commiſit, cum id ultro ipſi ſibi deposciſſent. Sub ueſperum tandem hoſtiles acies apparuere. Abſceſsit noſtris prior illa alacritas & ferocitas conſpecto hoſte, cœptumque trepidare ab ijs qui nunquam armatas acies aſpexerant. Duces Poloni ad iniquum locum & limoſum, ubi equi commodè circumagi non poterãt, inſtructum exercitum deduxere, & in confertos hoſtium ordines impetum fecere. Et fauit quidẽ initiò noſtris fortuna: turbati primi hoſtium ordines: Zeganẽſiũ dux alter interfectus, Bernardus Sumbergius uiuus captus: ſed mox acrius connixi hoſtes, ſparſos & ſine ordine pugnantes noſtros

Maiores Poloni ad arcendos hoſtes educti tumultuantur, ſuaq; infeſtant. Cerequitia.

Arrogantia cum imperitia cõiuncta.

Duces copiarum.

Prælium apud Choiniciam.

Zeganẽſis dux occiſus.

Sumbergius captus.

nostros represserunt. Ibi trepidari & concursari temerè à nostris cœptũ est. Submittebant tamen duces laborantibus subsidiarias cohortes, exequata'que erat pugna, cum subitò extremum agmen, in quo rex erat nulla euidenti causa expauefactum, in fugam se coniecit, nequicquam retinente & reuocante rege. Quo conspecto, ij quoque qui in prima acie pugnabant, fugientes suos secuti sunt. Perseuerabat rex cum paucis instaurando pugnam. Quod nisi ui ab ijs, quibus eius custodia mandata erat, abstractus esset, uiuus in hostium potestatem uenisset. Hostes victores, castris quoque opulentis, in quibus ad quatuor millia curruum fuere, potiti sunt: nec tã grauis quàm ignominiosa ea clades nostris fuit. Vix sexaginta desiderati: in quibus insignes fuere Petrus Scecocinius procancellarius, Nicolaus Morscius uexillifer Sendomirienſis, Ioannes Zauissij Nigri filius prefectus Colensis, & Ioannes Rizinius: capti trecenti triginta: inter quos nobilissimi Lucas Gorcanus, Nicolaus Sarleius, Ioannes felix Tarnouius, Ioannes et Nicolaus Rithuianij, Ægidius Suchodolius, Ioannes Melstinius, Sendiuoius Lezenscius, Petrus Stricouius, & Bartholomæus Ogrodenius fuere: sed in his complures erant, qui fugæ turpitudine secũ reputata, cum euadere possent, siue adeò iam euasissent, reuersi hostibus sese dedidere. Atque ij Marieburgum deducti, ac durius habiti, maxima pars interiere. Mortuos ne sepultura quidem crudi & immanes hostes dignati sunt: sed equis abstractos, in profluentem abiecere. Eius uerò cladis culpam, opinione hominum, ducum imperitia, qui neque idoneum prælio locum cæpissent, neque leuiorem equitatum ad turbandos & perrumpendos hostium ordines præmisissent, neque quicquam omnino præuidissent, sustinuit. Sed fortasse fletibus & eiulatibus sacerdotum, monachorum, uiduarum, pupillorum, & agrestium, quorum facultatibus maiores Poloni ad id bellum proficiscentes, crudeles & sacrilegas manus adiecerant, id supplicium expensum est. Sunt qui regijs facinoribus eam cladem acceptam referant: atque id postea Sendiuoio cuidam theologo, canonico Gnesnensi, homini pio & religioso, diuinitùs reuelatum esse, eum'que ad regem uenisse, & assurgere stare'que iusso, dum Dei mandata audit, semotis arbitris, magna Dei beneficia, & ipsius ingratitudinem peccata'que exprobrasse: & ni mutaret mentem, grauiora comminatum esse. Inuidia quidem fortunæ regiæ, quæ suspecta erat multis, clade hac non maxima expiata est. Crucigeri obsessi, ubi de suorum successu certiores facti sunt, nimia lætitia, quasi debellatum iam esset, exultauere: solus marsalcus uir prudens, tristior, uereri se dixit, ne plus illa uictoria uictoribus quàm uictis mali afferret. At Prussorum insigniores ciuitates, missis ad regem Nessouiam, quò se receperat, legationibus, hortatæ sunt eum, ne uno illo aduerso casu frangeretur: reciperet animum, & peccatum illud corrigeret. Se fidem semel datam nũquam mutaturos, & facultatibus atq; corporibus suis ipsi ad extremum usque non defuturos. Rex collaudatis eis, respondit, irritatum se magis esse clade illa, quàm fractum; curaturum ne lætitia illa hostibus

Polonorum fuga & clades.

Cazimiri regis fortitudo.

Cæsi & capti nobiliores.

Crucigerorum immanitas.

Cladis acceptæ causa.

Cazimirus rex à Sendiuoio canonico Gnesnẽsi correptus.

Marsalci Crucigerorum prudentia.

Prussicarum ciuitatum studiũ erga regem.

hostibus diuturna esset. Soluit deinde obsidionem Marieburgi, easq; copias accitas ad se in præsidia arcium ac cæterarum munitionū distribuit, præfectis ex aulico comitatu suo impositis: propterea quòd Prussi minus diligenter eas seruabant: & nuper adeò Stuma & Preismarca oppida, contempta paucitate præsidiariorum, qui Ioannis & Gabrielis Basenorum familiares erant, ad hostes defecerant. Ad hæc Dersauia & Gneuum, quam Meuam Germani uocant, oppida in ripa Vistulæ sita, aduenienti à Choinicia exercitui Cruciferorum ultro sese dedidêre. Id igitur malum ne latius serperet, ut sunt ferè mentes hominum secundum flatum & reflatum fortunæ mutabiles, & arces rex oppidá que præsidijs muniuit, & mercenarium militem è Silesia, Moratia & Boemia acciuit: & uerò Poloniam reliquam, Russis & Podolijs ad subitas Tartarorum excursiones reprimendas relictis, ad bellum exciuit. Instabat quidem hyems, ueruntamen impigrè paritum est. Tantus erat in animis omnium ardor ignominiæ, quæ apud Choiniciam erat accepta, delendæ, ac retinendæ Prussiæ. At Cruciferi glorioſi uniuersam Germaniam fama uictoriæ suæ in immensum extollenda implerunt: Prussos uerò dimissis quoquouersus nuncijs, uenia & impunitate proposita, ut ad se rursus à rege deficerent, sollicitabant: sed surdis hæc auribus canebant: nec præter Sambiensem episcopum quisquam inuentus est, qui fidem illis haberet, atque is porrò perbenignè scilicet ab eis acceptus est. Marieburgum enim uenientem cunctis facultatibus priuatis pariter & ecclesiasticis, quas secum apportarat, Magister exuit: inde uerò, & ex imaginibus, aliá que supellectili sacra, aurea & argentea undique comportata & conflata, exiguam quandam partem emeriti stipendij militibus cum iurgio ac tumultu effligitantibus soluit: de reliquo autem, quæ quadringenta millia florenorum erāt, cum eis pactus est, nisi ad liberales dies, quod Carnilpriuium uulgò uocant, exolueret, Marieburgum ac cæteras munitiones suas captiuos que in potestatem eorum traditurum se esse. Tametsi non multum ij operæprecij fecêre, nescientes uti uictoria: receptis enim oppidis illis, quę superius commemorauius, Marieburgi desides multum temporis contriuerunt. Ne nostri quidem multo plus egerunt. nam cum omnes copiæ conuenissent, transmisso apud Toruniam nauali ponte Vistula, ad Lasinum ductæ sunt, atque ibi in sylua uno millia-rio ab eo oppido totum ferè mensem inertes statiua habuere: duo tantum oppida, Prabuta, quam Teuthones Bissouisuerderum uocarunt, & Nelcisalca, capta sunt. Interea qui ad Boemorum regem legati missi erant, reuerterunt, optata omnia referentes. Hos paucis diebus Boemica Ladislai legatio secuta est, petens ut Cazimirus ad diem Nonarum Decembriū, Vuratislauiam ueniret, & arctius cum Ladislao fœdus iceret: deinde controuersiam quandam permagnam de finibus inter ipsum & marchiones Misnenses ex compromisso dirimeret: postremò ut ipse quoque omisso bello cum Cruciferis, compromissum faceret, omnem que causam Ladislao arbitrandam permitteret. Excusa-

Arces Prussicæ Polonis commissæ.

Stuma et Preismarca ad Cruciferos defecere.

Gneui Dersauiæq; deditio.

Polonorū ex peditio in Prussiam.

Sambiensis episcopus ad Cruciferos defecit.

Ecclesiastica supellex conflata à Cruciferis.

Cruciferorum pactū cū mercenarijs militibus.

Lasinum opp.

Prabuta & Nesciſalca oppida capta à Polonis.

Ladislai regis legatio ad Cazimirum.

uit Cazimirus, se ab incœpto bello abesse non posse: missurum tamen se primores de senatu. Missi archiepiscopus Gnesnensis, castellanus Lublinensis, & Ioannes Brezius archidiaconus Gnesnensis: tamen controuersiam illam cum Marchionibus non diremerunt, negantibus ijs, se in alium quempiam, quàm in ipsum regem Polonorum compromissum fecisse. Dimisit deinde rex nobilitatem, hyberni belli pertæsam, medio Ianuario sequentis anni, cum ea duodenos grossos de singulis iugeribus in stipendium mercenariorum militum promisisset, hoste non faciente pugnandi copiam. Rex quoque ipse, præfectis, Culmensi quidem Andrea Tencinio, Pomeraniæ uerò Petro Samotulio castellano Posnanensi, inferiori uerò Prussiæ Ioanne Colda Boemo, & omni mercenario milite ijs parêre iusso, in Poloniam discessit: atque inde in Lituaniam profectus, nouos quosdam motus à Gastoudo excitatos sedauit: & ut Lituani socia cum Polonis arma aduersus Cruciferos coniungerent, quod detrectarant, perfecit: ibi'que ueris omne tempus exegit, & cùm aliorum principum legationes audiuit, tum Tartarorum ducis Ezigeris fœderati, auxilia contra Cruciferos pollicentis, & ut Podoliam atque Volyniam se uiuente rex arcibus & oppidis contra impotentiam liberorum gentis'que suæ muniret, suadentis: se enim senuisse, illos autem quietis & ocij impatientes esse. Per hoc tempus Sbigneus cardinalis & episcopus Cracouiēsis, cum Sendomiriæ Quadragesimam ferè omnem arctiore abstinentia peregisset, ac die Palmarum nomine apud Christianos celebri publicè sacris operatus esset, sequenti uerò die Conespolij cancellarij exequias peregisset, ex lassitudine morbum contraxit: cruorem'que exputans præfocato anhelitu, postridie, quæ prima dies Aprilis erat, uitam cum morte commutauit, cum triginta duos annos episcopus fuisset, uixisset sex & sexaginta: uir magnus, pupillorum & uiduarum patronus, in egenos liberalis, ecclesiæ uindex atque defensor acerrimus, reipublicæ studiosus, & constans aduocatus, minarum periculorum'que contemptor. Hic Sandeciæ nouæ collegium sacerdotum cum prælatis instituit: facultates suas omnes egenis & studiosis adolescentibus, ecclesijs item & monasterijs, propinquis præteritis, testamento legauit. Successorem accepit Thomam Strempinium theologum, procancellarium, non tam regis fauore, quàm uniuersi sacri collegij studio designatum. Quo quidem die Cracouiæ plus quàm centum domus in Arcensi & Canonicorū plateis fortuito incendio deflagrarunt. Arx non sine labore defensa est. Gnesnæ quoque aliquoties de cœlo tacta basilica, globus'que de fastigio deiectus. Quo tempore etiam Nicolao quinto pontifice maximo mortuo, Sixtus quartus in pontificatu successit. Sbigneum septem ferè mensibus præcessit Boleslaus dux Masouiorum, prudens, modestus, & religiosus princeps. Qui quatuor filios, Conradum, Cazimirum, Boleslaum, & Ioannem, duas'que filias, Annam & Sophiam, superstites reliquit. Nihil interim in Prussia memorabile gestum est, nisi quòd leuibus aliquot prælijs certatum est: in quibus omnibus ferè nostri superiores

Iugerale tributum.

Gastoudus turbat in Lituania.

Ezigeres Tartarus amicus Cazimiro.

Sbignei cardinalis & episcopi mors & laudes.

Sandeciæ nouæ collegiū sacrū institutum.

Thomas Strempinius episcopus Cracouien. electus.

Cracouia arsit.

Sixtus quartus papa.

Boleslai ducis Masouiorū obitus & liberi.

riores fuere. Zialdouia oppidum, Slauici Humbouij Masouij, cuius fidei rex id commendarat, proditione in potestatem hostium uenit. Sed non multo pòst Ioannes Colda id recuperauit, direptum' que incendit, intromissus ab oppidanis, cum habitum commendatoris Elbingensis assimulasset: multos' que Cruciferorum milites ibi peremit. Duo item oppida Kynixbergæ, uetus & noua urbs, in inferiore Prussia, Crucigeris portas aperuere: tertium, cui Cnipouiæ nomen est, in fide Polonorum permansit: atq; id hostes circumsedêre. Parum autem abfuit, quin uetus quoque Torunia, quò nouæ oppidanos dubiæ fidei Tencinius compulerat (duo enim sunt oppida, muris fossisq; distincta) per proditionem duorum primariorum ciuium, & parœci, atq; sodalium Dominicanorum, in potestatem hostium ueniret. Iam'q; eò Magister Bernardum Sumbergium, & quosdã alios milites, quasi aliud acturos præmiserat, & ipse cum tribus millibus hominum armatorum ueniebat, cum ab apparitore ciuitatis conspiratio detecta est, sumptum' que supplicium de proditoribus. Ita Magister irrito cœpto reuertens, complures pagos circumcirca incendit. Hæc tunc in Prussia rege absente acta. At rex rebus Lituanicis compositis, Petricouiam ad comitia mense Maio uenit. Vbi cum Prussorum legatis instantibus, de Prusico bello consultaretur, nõ uisum est expeditionem publicam edicere, quòd pergrauis ea futura erat multis, ex hyberna superiore magna molestia et incommodo afflictis, & quòd satis uiriũ erat in mercenario milite aduersus eas copias, quas tunc habebant hostes: sed pecunia deerat, unde militi præterita simul & futura stipendia soluerentur. Quamobrem pigrius is belli munera obibat, ac munitionibus sese tueri satis habebat, neq; ob sessę ab hostibus Cnipouię subueniebat. De pecunia igitur parãda cum ageretur, placuit, agrestibus duodenûm grossorũ in iugera pensionem rursus imponere. Verùm id alteris demum comitijs, ad uicesimã quartam diem Iulij indictis, ęgrè perfectum est: simul'q; decretum, ut, si opus esset, ad unicos restes, hoc est, ad unicũ regis mandatũ, cum alioqui tribus intra menstrua spacia sese consequentibus ex instituto & lege opus sit, nobilitas omnis certo loco præstò esset ad bellũ in Prussia prosequẽdum. Nihilo tamen minus segniter bellum à rege administrabatur, maximè quòd ei mercenarij milites hostium spẽ iniecerant, si emerita apud Cruciferos stipẽdia sibi soluerent, dedendarum arcium & munitionum reliquarum: quas iam cõcedentibus ex pacto Cruciferis, in potestatem suam redegerant. Atque ea de re conficienda Ioannem episcopum Vuladislauiensem, & Ioannem Rithuianium præfectum Sendomiriensem ad eos allegarat. Verùm tergiuersabantur, & extrahebãt rem ij milites, qui erant Teuthonici generis. Continuabatur autem Cnipouiæ obsidio, prouiderant' que diligenter hostes, & oppidani reliquorum duorum oppidorum, quæ ad eos defecerant, ne quid omnino ad obsessos importaretur: & alueum Prægolæ fluminis, quod oppidũ alluit, tignis & roboribus impediuerãt. Rex ubi obsessos in extremo discrimine esse accepit, missa aliquanta pecunia militibus, iussit ut illico laborantibus

Zialdouia Cruciferis dedita & recuperata.

Kynixberga uetus & noua ad Cruciferos defecit.

Cnipouia diu obsessa, ac tandẽ per deditionem recepta à Cruciferis.

Torunia propè prodita.

Comitia Petricouiæ.

Comitia iterũ.

Restes ternæ.

Spes dedendarum munitionũ regi facta.

Legati missi in Prussiam.

Pregola fl.

Cnipouiæ deditio.

subuenirent.uerùm dum id fit,obsessi non ferentes longiorem moram, desperato omni auxilio,sese dedidere:uerùm Zeganensium duci superstiti,non Magistro. Quo successu elati Teuthones milites,minus iam secum de deditione munitionum agi patiebantur. Rex uerò amissione Cnipouiæ perturbatus, ueritus' que ne cæteræ ciuitates illius exemplo à se deficerent (& sanè de Gdano atque Torunia rumor sparsus erat)

Polonorum expeditio in Prussiam.

expeditionem toti Poloniæ sub autumnum edixit,& ad confirmandos Prussorum animos legationem misit.Nec illi mutabant fidem:nonnullos' que primores ciues in oppidis,quos Cruciferorum partibus fauere persenserant,capitis supplicio affecere:aliquot modò ignobilia oppida in inferiore Prussia,Cnipouiæ exemplum secuta sunt. Rati autem,hostes occasioni se deesse non oportere,ad Fridelandiam exercitum admo-

Cruc iferorum clades apud Fridelandiam.

uerunt. Præerat ei oppido Scubela quispiam Boemus cum præsidio: is ubi aduentare hostes accepit,simulata negligentia,ad ipsa usque mœnia oppidi pertingere eos passus est:deinde subitò bombardis,quas opportuno loco collocarat, in confertos iaculatus, magna clade, maiore uerò perturbatione eos affecit. Confestim' que in trepidantes cum suis erumpens, longè eos propulit, & quingentos ex eis cæcidit, centum uiuos cæpit. Cæterùm expeditio illa intempestiua neque cupidè susceptа est à nostris, & lentior multo fuit, quàm par erat. Adfuerunt quidem nonnulli maturius:sed dum cæteros expectant, magnam frumenti uim ex agris Cuiauiensibus raptam,in castra,quasi ibi hybernaturi essent, conuexerunt: quam postea motis castris incenderunt. In itinere quoque quoquouersus ecclesiasticis & regijs bonis parsum non est. Rex Breste præcesserat: quò cum proceres Poloni ad eum conuenissent, flagitantibus stipendium militibus, inita ratio est parandæ pecu-

Polonorum licentia.

Ecclesiastica uasa conflata à Polonis.

niæ,neque honesta,neque utilis, sacra ecclesiarum uasa ac donaria conflandi,archiepiscopo,& Vuladislauiensi Posnaniensi' que episcopis,assentiētibus.Quod cum in tribus diœcesibus, quarum episcopi consenserant,factum esset,sola sex millia florenorum redacta sunt.Nam è Cracouiensi nihil ablatum est,non permittente episcopo. Cum autem cunctæ copiæ conuenissent, nauali ponte apud Toruniam Vistula traductæ sunt. Interea Fridericus Marchio Brandeburgensis ad Magistrum Cruciferorum cum quingentis cataphractis equitibus profectus, & complures dies ibi commoratus, relicto apud hostes equitatu, ad regem in castra uenit,petens ut se arbitro rex cum Cruciferis pacem faceret.Id uerò non ex animo faciebat, sed ut aptum bello gerendo tempus eximeret. Vbi non abnuere regē sensit,reuersus ad Cruciferos, regi renūciari iussit,optimas, & ultro ipsi expetendas, meritisq; eius maiores

Strempinij episcopi factum animosum.

Fridericus Marchio fauet Cruciferis.

Conuentus de pace apud Coscelecium.

conditiones se allaturum esse. itaq; cōdicta ad Coscelecium pagum die, missi à rege Ioannes episcopus Vuladislauiensis & cancellarius, Ioannes Tencinius Cracouiēsis, Petrus Opporouius Lencicienſis palatini, & Hincia Rogouius castellanus Siradiensis, uana fuisse Friderici promissa repererunt.Postulabāt enim Cruciferi, ut rex omni Prussia (quo nomine iam Pomeraniam quoque,& Gulmensem,& Michalouiensem

compleꝛ

complectimur) sibi decederet: tum demum, quocunque uellet iudice se cum disceptaret. Increpitus à nostris Fridericus, quòd non bona fide cum rege ageret, ne tamen nihil egisse uideretur, pollicebatur, Crucíferos Culmensem & Michalouiensem regionem nostris concessuros, ac impensas belli soluturos esse. Quas conditiones cum non acciperent nostri, re infecta discessum est, ferocioribus factis Cruciferis quingentorum cataphractorum equitum accessione, quos Fridericus discedens in castris ipsorum relinquebat. Itaque intermissum spe pacis belli studium resumptũ. Eodemq; itinere quo superiori anno, ad Lassinũ non optimo consilio castra mota sunt. Prętergressus autem oppidum exercitus, non longo interuallo ad obsidendum id reuertit. Spectabant ad deditionem oppidanorum animi: sed quadringenti Cruciferorum equites præter castra nostrorum, in quibus nulla erat militaris disciplina, in oppidum ingressi, eos confirmarunt, strenuéq; oppidum defenderunt. Itaq; obsidione in Nouembrem mensem extracta, cum maiore penè obsidentes, quàm obsessi inopia premerentur, neq; commoda esset frumentatio & pabulatio tanto exercitui, dilapsis metu nostrorum (qui nulla in eos iniuria se abstinebant) agrestibus, & frumento maturè ante aduentum nostrorum in munitiones conuecto, serò consilium suum rex damnauit: & niues autem pluuijs mixtę, uentíque acriores, quos & homines desuetudine militię molliores affligebant. Igitur soluta obsidione, rex dimisit exercitum, quarta fermè parte equorum amissa, domuitionem flagitantem: ipsis quoque Prussis nostrarum partium, discessu eius lætantibus. Neque enim minoribus, nec scio an maioribus etiam damnis & incommodis ab eo, quàm ab hoste, agri eorum affecti erant, ita ut ne tectis quidem parceretur. Dum hæc ita geruntur in Prussia, latrunculi è Silesia Ioanne & Cauuca Sueborouijs fratribus Polonis, & Georgio Stosso Morauo ducibus, in agrum Ilcussensem & Slauucouiensem impetum fecerunt, raptáque cùm alia præda, tum equis octoginta, quorum opera in plumbi metallis aqua exhauriebatur: & Slauucouia propter iniuriã, quam Sueborouius à præfecto eius oppidi acceperat, incensa, Velunensem quoque agrum uexarunt: & Cempnum arcẽ, natura loci munitã, agrestium censum domino afferẽtium habitu ingressi, cęperunt, & Virbentam loci dominum in Morauiã abduxerunt. Sed arx postea obsessa diu à Velunensi nobilitate, et cohorte archiepiscopi, & episcopi Posnanensis, latrũculis pacto excedẽtibus, recuperata est. Causa latrocinãdi eis fuit, emerita quidẽ in Prussia sub rege stipẽdia: quę cum non numerarent ob inopiã ærarij, illi ex professo, quouis modo ea se à Polonis repetituros esse denunciarãt, & ad eos magnus egentium & perditorum hominum numerus ex omni uicinia cõfluebat. At in Masouia Vuladislaus dux Plocensis, hectica febre, quam illi generi hæreditariam fuisse Dlugossus memorat, exinanitus, per eos dies uita excesit, Zemouito & Vuladislao filijs pueris relictis. Ne Boleslai quidem alterius fratris, cuius paulo antè meminimus, filij adulti, & gerendi rebus maturi erant. Itaque Paulo Gizicio Plo-

Lassinum frustra obsessum à Polonis.

Disciplina militaris neglecta apud Polonos.

Ioannes & Cauuca Sueborouij & Georgius Stossius latrocinantur in Polonia.

Slauucouia incensa.

Cempnum arx capta & recepta.

Vuladislai ducis Plocensis mors & liberi.

Masouijs ducibus hectica peculiaris.

censi episcopo cunctę Masouię administratio mandata publicè, quoad pueri adolescerent. Atqꝫ is bene & cũ laude se gessit: mores quosdã legeśqꝫ barbaras exercendorũ iudiciorũ, pœnaruḿqꝫ exigẽdarũ sustulit, non sine sumptu suo. Rex dimisso exercitu, apud Grudentũ cum senatu de gerendo deinceps bello consultauit. Et quoniã mercenario militeid geri placebat, nec suppetebat pecunia in stipendiũ, censebãt plerique de iunioribus, pensionẽ duodenũm grossorũ agricolis imponẽdã esse, suis quidẽ atqꝫ nobilitatis simplã, regijs uerò et ecclesiasticis duplam: ad hęc ut ecclesiasticus ordo dimidios reditus suos conferret. Atqꝫ in eam sententiã decretum factũ, Cracouię & in alijs oppidis promulgatũ est non sine summa profanę tyrannidis infamia, & ecclesiastici ordinis iniuria, cui inuito immunitas diuinis humaniśqꝫ legibus concessa eripiebat. Tametsi retractatũ id decretũ est in comitijs Petricouiensibus insequentis anni, qui fuit 1456, principio, contendentibus episcopis: decretuḿqꝫ, ut ęstate sequenti publica in Prussiã expeditio maturè post Pentecostẽ fieret. Nec tamen ea facta est, propter angustiã rei frumentariæ & pabuli, ex magnis pluuijs & inundatiõe aquarũ. Quin & superioris anni expeditio magna ex parte eam calamitatẽ inuexerat. Ad hæc aũt nihil ea expeditione opus esse uisum est, propterea ꝙ debellatum iam esse uideba tur, cum nostri, quib. id negociũ mandatum erat, cum hostiũ militibus de dedendis munitionibus & reddendis captiuis decidissent, septuagin taseptẽ florenos in singulos equites, dimidium in pedites pacti, urgentibus maximè Prussis, ac dimidiũ eius pecunię pollicentibus. Qua de causa rex ipse etiã in Prussiã excurrerat. Itaqꝫ alteris comitijs ad sextũ Idus Septemb. Petricouiã indictis, de pecunia paranda à nostris cõsultatum est: nam in ęrario regio prorsus nulla erat. placuit uniuerso cõuentui, ut rex pariter, & ecclesiasticus, equesteŕqꝫ ordo uniuersus, dimidiũ annuorum censuũ conferrent, ne honorum quidẽ & magistratuũ fructibus exceptis: oppidani uerò, soli iuxtà ac mobilium bonorum ęstimatione facta, ut binos grossos à marca penderent: agrestes uerò unũ grossum in capita marium & fœminarum: cęterùm equestres homines, qui nullos haberẽt agricolas & adscriptitios, neqꝫ census, uicenos quaternos grossos. Nec tamen Petricouiæ res ea confecta est: sed maiores quidem Poloni in Colensi, minores uerò in Corcinensi demum conuentu denuò instituto, decretum id approbarunt, lectis quæstoribus, qui eam pecuniam ex republ. dispensarent. Cæterùm ecclesiastici ad synodum eam rem reiecerunt, ac pontificiæ modò siue usitatæ æstimationis dimidium contribuerunt. Quanquam Cracouiensis episcopus ultro tres quartas, cæteri uerò episcopi iustas censuum pariter ac decimarum pecuniariarum dimidias contulerunt. Cum autem ne hæc quidem suffectura essent, aurum insuper & argentum sacrum è Cracouiensi templo à rege importunè flagitatum, sed constanter negatum est: placatuśque rex quinque millibus florenorum, episcopi & sacri collegij fide à mercatoribus mutuò acceptis, ut rex ea postea solueret. Missi sunt etiam legati è comitijs Petricouiensibus in Podoliam, qui arces armis,

Paulus Gizicius episcopus Plocensis, gubernator Masouiæ.

Decretum iniquum de tributo ecclesiasticis impositio retractatum.

Comitia Petricouiæ. 1456 ann.

Transactio Polonorũ cũ Cruciferorum militibus.

Prussorum studium erga Polonos.

Comitia iterũ.

Tributum ingens.

Conuentus Coli & Corcini.

Episcoporum munificentia in bellũ Prussicũ.

Cracouiensis basilicæ argentum regi negatum.

Podolia munitur contra Lituanos.

mis, commeatibus, & propugnaculis munirent, & iusiurandum à præfectis earum exigerent: propterea quòd Lituani missa ad regem legatione, Podoliam repetebant, admonentes eum iurisiurandi, quod sibi profecturus ad suscipiendum regnum dedisset: ni faceret, non toleraturos se esse diutius eam iniuriam. Addebant autem eis animum Cruciferi fœderati. In Valachia uerò per id tempus, Alexandro palatino ueneno sublato à suis, Petrus, cuius mentionem superius fecimus, populi fauore successit: missisque ad regem oratoribus aliquoties, tandem à distento tot simul curis & negocijs assensum impetrauit. Ita quidem Dlugossus de Petro hoc memorat: sed nos è monumentis literarum Russicarum, quæ extant in Archiuio regio, comperimus, anno 6963 ab orbe condito, qui est post Christum natum millesimo quadringentesimo quinquagesimoquinto, Petrũ palatinum Valachorum in uerba regis iurasse, Andrea Odrouanzo palatino Russiæ cum alijs quibusdam proceribus Polonis id iusiurandum exigente & recipiente: & auxilia regi regnoque more maiorum suorum contra quosuis hostes promisisse: matri uerò suæ Mariæ regis amitæ possessionem territorij Seretslei Targensis confirmasse, usque ad aliam transactionem cum rege. Vnde appareret alium hunc esse Petrum, Heliæ filium, Alexandri uerò tunc extincti fratrem. Indidem autem comperimus hoc anno, hunc ipsum palatinum unà cum consiliarijs suis misisse oratorem ad principem Turcarum Mahometem, ut pacem ab eo duûm millium aureorũ tributo redimeret. Nam is post subactum Constantinopolitanum imperium uehementer uexabat Valachiam: & distinebantur tunc Poloni bello Prussico, ne suis & clientibus opem ferre possent. Nihil enim non agebant Cruciferi Teuthones, ut eam prouinciam nuper amissam recuperarent: ac per illud ipsum tempus Brathianum arcem munitissimam in Culmensi tractu, præsidiarijs militibus, Ioanne Tresca præfecto absente, corruptis interceperant: Brodniciam uerò clàm noctu intercipere conati, non latuerunt, & non sine strage repulsi sunt: multisque in locis leuibus certaminibus commissis, ubique inferiores fuere. Porrò Torunensis plebis intemperantia, nisi fallor, nostrorum militum irritata, in Cruciferorum partes propensior, claues portarum urbis magistratibus suis sibi aduersantibus, seditione coorta, ademit. Verùm Gdanenses accitis properè regijs militibus de proximis præsidijs, eum tumultum sedarunt, ducentis de primoribus plebis comprehensis, & septuaginta ex his, qui capita seditionis fuerant, cæsis. Per idem tempus magistratus urbis Cracouiensis Nicolaum Turscium presbyterum, & Nicolaum Gnoinium, & ipsum sacris initiatum, furti reos, captos, & quæstionibus examinatos, noctu clàm capitali supplicio afsecit. Quamobrem toti ciuitati sacris interdictum est, donec episcopus à rege exoratus, trecentis florenis multæ nomine acceptis, id interdictum sustulit. Inuaserant autem illi duo, alter quidem in scholastriam, alter uerò in canonicatum Cracouiensis ecclesiæ, quorum sacerdotiorum superstites erãt possessores. Nec rex necis eorũ imperatę suspicione

Lituanorum legatio ad regem asperior.

Cruciferi fœderati cum Lituanis.

Petrus pal. Moldauiæ iurat in uerba regis.

Valachi tributarij Turcis facti.

Valachia infestata à Turcis.

Brathianũ proditione captũ.

Torunensis plebis motus à Gdanensibus compressus.

Turscius & Gnoinius sacris initiati, necati à senatu Cracouiensi.

Interdictum Cracouiæ.

Senatus Cracouiensis multatus ab episcopo propter animaduersionem in sacerdotes.

ſpicione caruit. Comitijs Petricouienſibus, quemadmodum diximus, peractis, rex, auctus filio Vuladislao, nequicquam retinentibus Polonis proceribus, & ut Pruſsicas res prius conficeret, flagitantibus, in Lituaniam ad ſedandos motus ibi concitatos profectus eſt. Etenim Lituani plerique abſentia regis offenſi, & Podoliæ cupiditate incenſi, alium ſibi principem creare conſtituerant, Simonem Kiouienſium ducem, Olelconis filium. Eorum principes erãt Gaſtoudus Simonis ſocer, Georgius dux Oſtrogienſium Ruſſus, & Alexander quiſpiã humili loco natus, ſed ſingulari regis gratia in ſublime euectus. Nam Moniuidus cum ſuis propinquis et gentilibus, & nonnullis alijs, regias partes tuebatur. Hos igitur motus rex indulgentia & largitionibus ſuppreſsit magis in præſens, quàm ſedauit. Culpa omnis in Gaſtoudo hæſit, qui legationẽ illam ad regem cætero conuentu inſcio conflarat: & tamen impunè ei fuit. Gdani quoque per id tempus promiſcua multitudo tumultuata eſt, authore Martino Coga, obſcuro quidem, ſed ingenioſo & factioſo homine, & Cruciferorum rebus fauente. Cauſa ſeditionis fuit, quòd regij milites ſuburbana eius oppidi incenderant, & quòd rex in Lituaniam ſeceſſerat: unde colligebatur, & iactabatur uulgò, ei res Pruſsicas curæ non eſſe. Antiquis ergo magiſtratibus, quaſi aduerſarijs, amotis, nouos creant. Dum autem gliſcit ſeditio, Vlricus Ceruonca Boemus prefectus præſidij Marieburgenſis, data opera adueniens, longa & prudenti oratione in gratiam partes diſsidentes reduxit, & in fide regia continuit, oſtendens, quanto magis expediret ei ciuitati à Polonis ſtare, à quibus magnis beneficijs & libertate donata eſſet, & ſine quibus ægrè ſeſe ſuſtentare poſſet, quàm ſuperbis & crudelibus Cruciferis ſeruire. Miſit deinde ad maioris Poloniæ proceres, & ad regem, oſtendens in quanto diſcrimine eſſent res Pruſsicæ, & ut magis eas curæ haberent admonens. Atque ex eo tempore regiarum partium ſtudioſus eſſe cœpit, magna'que beneuolentia, cum noſtri ad redimendas à militibus Cruciferorum arces nondum ſatis parati eſſent, diem numerandæ pecuniæ prorogauit. Miſêre deinde maiores Poloni palatinum Breſtenſem ad regem in Lituaniam: miſêre & Gdanenſes, orantes ut is quamprimùm ad componendas res Pruſsicas adueniret. Nec tamen quieſcebat Coga, donec Ioannes Zarnicouins caſtellanus Gneſnenſis, qui cum Caliſsienſi caſtellano, Vuladislauienſi epiſcopo pro gubernatore in Pruſsiam à maioribus Polonis miſſo, adiunctus erat, Gdanum uenit. Cuius aduentu legitimus magiſtratus, authoribus Reinaldo Niderhouio & Ioãne Lindauio, ſumpta fiducia, capitale ſupplicium de Coga ſumpſit. Sic motus omnes cum eo conquieuerũt. Annus hic mẽſtrua pernoctis cometæ apparitione inſignis eſt: quam Turcica clades apud Nandor Albam, quæ Taurinũ olim dicta eſt, à Ioanne Huniade, & Ioanne Capiſtrano ducibus, quemadmodũ ſuperius attigimus, irrogata, & Mahometi imperatoris turpis fuga conſecuta eſt. Vbi non ignobilis fuit ſexcentorũ Polonorũ Capiſtranum ſecutorũ opera. Nec ita multo pòſt Huniades & Capiſtranus uitã cũ morte cõmutarũt.

Lituani res nouas moliuntur.

Moniuidus.

Gaſtoudus.

Gdanenſium ſeditio ab Vlrico Ceruonca ſedata.

Mart. Coga turbator.

Magiſtratus à plebe mutati.

Vlrici Ceruoncæ opera regi & Polonis nauata.

Poloniorum & Gdanenſium legationes ad regem.

Vuladislauienſis epiſcopus gubernator Pruſsiæ.

Cometes.

Turcarum clades apud Bielogradum.

Polonorum uirtus bello Turcico.

Huniadis et Capiſtrani mors.

Inſequen-

Insequenti anno Huniadis filius Ladislaus perduellionis insimulatus, cum Vlricum Cilię comitem insidiatorem suum interfeciſſet, capite pœnas luit. Mathias frater eius minor natu captus, & Viennam à rege ductus: Ioannes item Varadinensis episcopus, & complures alij de procerib⁹ Vngaris in uincula coniecti. Mater Ladislai & Mathię, magnanima mulier, non fletibus & lamentis indulsit: sed arma contra regem Ladislaum pro filijs sumpsit: maiusq; facinus ira suadente ausura, ac Turcas in auxilium accitura erat, ni res interuentu aliorum procerum composita fuisset: sed prius quàm Mathias ex pacto dimitteretur, Ladislaus rex in ipso nuptiarum apparatu Pragę obijt, siue ex repentino morbo, seu ueneno clàm à Georgij Podiebradij uxore ministrato. Dira quidem tormina sensit moriens: & medici Germani posteaquam Boemia excesserunt, uulgarunt nõ obscura ueneni hausti signa in eo apparuisse. Mortis causam ei fuisse existimant, Podiebradij partim ambitionem, partim offensionem uel metum. Etenim non obscurè Ladislaus iniquior & infensior erat hæreticis, eorumq; cœtus & sacerdotes, & in primis Rochezanam pseudarchiepiscopum amicum Podiebradij aspernabatur. Et sanè adeptus est regnum post Ladislaum Georgius, Rochezanæ & factionis eius opera, posthabitis Friderico Imperatore, Sigismũdo & Alberto Austriorum archiducibus è fœdere, Cazimiro rege Polonorum, & Vilelmo duce Saxonum, iure hęreditario nominibus uxorum & liberorum suorum regnum id petentibus. Vilelmus enim maiorem natu sororem Ladislai defuncti in matrimonio habebat. Nã Caroli regis Gallorum legatio, qui ingentibus pollicitationibus idem ambiebat, non nisi post comitia publicè audita est: idq; astu Georgij factum. Vngari Mathiam Huniadem annos decemseptem natum, authore Michaele Saladi no, siue Zilagio (sic eum uocat Bonfinius) auunculo eius, qui cum quinque, siue, ut uult Bonfinius, uiginti millibus armatorum ad regia comitia uenerat, regem crearunt: & numeratis Podiebradio quinquaginta millibus aureorum redemerunt. Extincto enim Ladislao, Georgius signatis annulo regio literis celerrimè eum Viẽna Pragã deduci curarat, magnum inde sperans compendium: qua spe fruſtratus non est: quin & filiam suam ei despondit, fœdusq; & societatem cum eo inijt. Et Vngari autem, quemadmodum scribit Dlugossius noster, Friderici, Cazimiri & Caroli Galli postulata, non sibi, sed Vuladislao natu maiori Cazimiri filio regnum illud adstruẽtium repudiarunt: cui Carolus filiã suam, eam, ni fallor, quam Ladislao dudum desponderat, uxorem cum summa dote pollicebatur. Vexauit autem tunc pestis Vngariam, eiusq; contagio etiam in finitimam Poloniam proserpsit. Sed hæc pleraq; hoc quidem anno, quem nunc persequimur, inchoata, sequenti uerò peracta sunt. Sed ad nostra redeamus.

1457 ann. *Ladislaus Huniadis filius ob interfectũ comitem Ciliæ, capite plexus.*

Mathias captus.

Mulieris magnus animus.

Ladislai regis mors.

Ladislaus infensus hæreticis.

Rochezana.

Georgius Podiebradius Boemorum rex.

Vilelmus dux Saxoniæ.

Mathias rex Vngar. creatus & redemptus.

Mathiæ cum Georgio fœdus & affinitas.

Pestis.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM

LIBER XXIIII.

1457 ann.

VERE autem nouo prioris illius anni, nempe 1457, rex Cazimirus, flagitantibus Prussis atq; Polonis, è Lituania in Poloniam ad Petricouiensia comitia uenit: atq; inde ad Colensem maiorum Polonorum conuentum profectus, impetrauit à nobilitate eius oræ, ut, quoniam pecuniam deerat in stipendium mercenarijs militibus, ipsa Slochouiam, Suece ac Tucholiam arces Pomeraniæ tuendas susciperet: deinde in Prussiam Gdanumq; diuertit: ubi à Carolo Danorum rege exule, pedibus extra urbem progresso, salutatus, & à Gdanensibus comiter & splendidè acceptus est: exolutaq; militibus hostium conuenta pecunia, nempe quater centenis septuagintasex millibus florenorum, Marieburgum, Gilauiam atq; Dersauiã ab eis recepit. Migrantes inde milites cum Magistro Cruciferorum & commendatoribus, rex tutò usq; ad fines Poloniæ deduci iussit. Nam qui cæteras munitiones obtinebant, parte pecuniæ accepta, cum reliqua ad constitutum tempus sibi soluta non esset, in fide Cruciferorum authore Bernardo Sumbergio manserunt. Maximè uerò rex à Gdanensibus ad exoluendã eam pecuniam, triginta millibus denuò extra ordinem collatis, adiutus est. Nec studium Vlrici Ceruoncę præfecti præsidij Marieburgensis erga regem obscurum fuit, cuius authoritate milites fidem non mutarunt, quamuis ad præstitutam diem reliqua pecunia sibi non numeraretur. Itaq; quinquagintasex millibus florenorũ in Suece, Golubo, Preismarco, Coualouia, & Gneuo obligatis & oppigneratis, rex eum muneratus est: & mox in duarum ex his primarum præfecturarum possessionem eum misit: Marieburgo quoq; eum præfecit: ipse Bydgostiam se recepit. Obsidebatur nihilominus Gneuum à mercenarijs militibus, & maioribus Polonis, iamq; tantum fames apud obsessos inualuerat, ut uix paucos dies obsidionem toleraturi esse uiderẽtur: sed nostri sine ulla disciplina militantes, nequicquam uetante ac deprecante magistro militię Prendota Lubessouio, domos dilapsi sunt, authore Ioanne Cromno Cotificio, corrupto ab hostibus. Atq; ob eam rem is postea capite damnatus est à rege. Per eosdem dies malè à Dobrinẽsibus quadringentis ferè domi pugnatum est contra octingentos hostes, qui ex Zialdouia excursionem fecerant. Atq; ij uastata ora Dobrinensi, non contemnendam prædam abegêre. Apud Sipelbeinum quoq; oppidũ in inferiore Prussia, quod à Cruciferis obsessum erat, infeliciter nostri ab obsidione hostem depellere tentarunt. His igitur successibus erecti Cruciferi, ad recuperationem Marieburgi adspirare cœperunt: & fauebant eis clàm complures oppidani, atq; etiam equites, qui in arcis præsidio cum Ceruonca erant. Itaq; constituta cum eis proditione, Bernardus Sumbergius

Comitia Petricouiæ.

Maiorum Polonorũ expeditio in Prussiã.

Carolus Danorum rex exul.

Marieburgum &c. regi dedũtur.

Gdanensiũ munificentia in regem.

Vlricus Ceruõca honoratus à rege.

Poloni dilapsi ab obsidione.

Prendota Lubessouius dux exercitus.

Cotificius proditionis damnatus.

Dobrinẽses fusi à Cruciferis.

Marieburgi proditio instructa.

gius cum expedita manu aduenies noctu, in oppidū receptus est: præsidiariosq; regios sine ullis excubijs per domos dispersos, & somno oppressos concidit: nonnulli tamen in tumultu nocturno in arcem euaserunt. Ceruonca tumultu oppidano excitus, hostem ad arcem concurrentem, lapidibus & omni telorum genere supernè repulit. Cum autem dies illuxisset, crebræ fiebant ex arce in oppidum globorum è bombardis proiectiones, ita ut nemo in propatulum impunè prodire posset. Sed in domib. ferè latitabant hostes, perfractisq; parietib. inter se commeabant. Veriti autem, ne qua ex arce eruptio in se fieret, fossa & aggere ab arce oppidum intersepserunt: quod cum perfecissent, traiecto Nogato, in Zolauam siue insulam maiorem impetū fecerunt, ut eam depopularentur, aut in potestatem suam redigerent. Fortè eódem Lubessoui⁹ cum reliquijs dissipati exercitus, & auxilijs Gdanēsium, Mariemburgo succursurus, sub idem tempus aduenit, nauibus Gdano aduectus. Eius milites ubi nec opinantes in hostem longè ualidiorem, quippe qui octingentorum numerū excederet, incidêre, metu perculsi, ad naues respectabant: sed Lubessouius stricto gladio pro hoste sibi futurum minitatus, quisquis ad fugam spectaret, fugam eorum inhibuit, & castra secundum aggerem insulæ metatus est: ita ut à tergo aggere, à fronte uerò curruum obiectu tutus esset. Sumbergius despecta eorum paucitate, castra adoritur: defendunt illi acriter: cum ecce in ipso feruore pugnæ quadringenti armati Stargarta in auxilium nostris aduenere. Instauratur prælium maiore ui, bisque pedem referre coacti hostes, tertium redintegrato prælio uicti, perpeti fuga Neitichum atque inde Mariemburgum se receperunt, octoginta de suis amissis, & Sumbergio duce uulnerato. Nihil tamen is de officio remisit: quin per illos ipsos dies Culma siue Chelmno oppido potitus est, proditione Boemi cuiusdam: qui cum prius stipendia fecisset in castris regijs, uxorem opulentam in eo oppido duxerat. Gilauia quoque regio præsidio, quod pabulatum exierat, excluso, in potestatem Cruciferorum uenit. De hac tam uaria, & maiore ex parte aduersa fortuna nostrorum, cum regi renunciatum esset, perfecit apud maiores Polonos, ut in centenas marcas annui census singulos hastatos equites mitterent: hastati autem unus nomine apud Polones tres equites continentur: nempe hastatus unus grauioris armaturæ cum duobus balistarijs: ciuitatibus pedibus imperati. Sex millia peditum pariter & equitum fuere: eaque Mariemburgum ductore Sciborio Chelmio præfectò Maioris Poloniæ, missa sunt. Atque is exercitus unà cum auxilijs Gdanensium & Elbingensium satis habuit hostes importando in oppidum commeatu prohibere: nec elici ad pugnam ab hostibus potuit, ne suburbanis quidem Torūnienses bus incensis. Dum hæc ita geruntur in Prussia, ne Cracouiensis quidem ora quieta fuit. Cauuca & Ioannes Sueborouij fratres, cum ea quam coegerant latronum manu, montem cui Zebrace nomen est prope Osuencimum, castello communierant: atque inde uiciniam omnem latrocinijs uexabant. Pluribus autem indies tanquam in sentinam quandam con-

Lubessouij uictus.

Polonorum uictoria de Sumbergio.

Neitichū opp.

Culma prodita Cruciferis, siue Sumbergio.

Gilauia dedita Cruciferis.

Maiorum Polonorum expeditio in Prussiam.

Sciborius Chelmius Præfectus Maioris Poloniæ.

Sueroboui⁹ latrocinium.

Zebrace mons.

fluentibus, in quibus & Ioannes erat, qui dux Osuencimensium fuit, alium quoque montem, qui Vapenna dicitur, prope Dopsice, item que Mislouice oppidum communierunt: parumq; abfuit, quin Osuencimum quoque in suam potestatem redigerent, octo de suis, qui capti in arce asseruabantur, summa turri potitis. Qui ut decederent, non ui, sed precio ducentorum aureorum perfectum est à præfecto arcis Ioanne Synouecio. Vix autem sub initium autumni minores Poloni edictis regijs excitisunt, ut contra latrunculos illos arma sumerent. His uerò sumptis, amicos quidem afflixerunt, in ecclesiastici ordinis bona fructusq;, quà proficiscebantur, impetum facientes: hostibus uerò non nocuerunt, sed cum Mislouice aliquandiu obsedissent, facto frustra aduersus oppidum impetu, irrito cœpto turpiter & proteruè discesserunt, quadraginta nobilibus præter cæteram multitudinem amissis, centum sauciatis. Sexaginta millia bellatorum in ijs castris censa esse Vapouius memorat. Rei malè gestæ culpa in proceres nonnullos, quasi cum hostibus sensissent, uulgò conjecta est. At ij uicissim contumaciam equitum, ac disciplinæ contemptum incusarunt. Nec mora, nostris ad sua dilapsis, Ioannes Osuencimensis Clobuscum oppidum diripuit & incendit. Quocirca aliam nostri defendendi sua rationem inire coacti sunt, partitis inter proceres muneribus: nempe ut Ioannes quidem Cizouius castellanus Cracouiensis Scauinæ, Ioannes Tencinius Ilcusi, Prædiborius uerò Conespolius castellanus Sendomirienſis Lelouiæ cum præsidijs essent: militibus stipendium de salinis constitutum rege inconsulto, duodeni grosi in hebdomadam. Ac ne Podolia quidem per idem tempus tumultus & incommodi exors fuit. Nam Tartari populabundi improuisò in eam oram incursionem fecere. In eos Bartholomęus Buzacius præfectus Podoliæ, cum Ioanne Lasscio succamerario, & inermi comitatu iter faciens, imprudens penè incidit: sed prior tamen eos ipse animaduertit. Duo erant eorum agmina: in maiore uulgus erat promiscuum, in minore eximij bellatores: uerùm nostri in maiore robur omne eius militiæ esse opinati, facto in id noctu impetu, quo territi bilioria omnia hosti facerent, facilè id fuderunt & conciderunt. Tumultu exaudito, alterum agmen loco cessit. Postridie illud quoq; adoriri nostris placuit, nocturna uictoria ferocibus, ratisq; minus cum illo negocij sibi fore. Et sanè non malè ausus illi eis succesisissent, si incūctāter, quemadmodum censebat Lasscius, in perturbatos impetū fecissent. Sed dum cunctantur, Barbari paucitate eorum cognita, animos resumpserunt, & in orbem nostros trepidantes & conglobatos abundante multitudine circumuecti, in medio concluserunt, & ad internecionem profligarunt, nō inultos tamen. Nec mora, uictores populatione omissa, ad sua se recepperunt, ueriti necubi defatigatos, & ad paucos redactos, nouus & recens hostis inuaderet. At rex Cazimirus constitutis, quemadmodū diximus, rebus Prussicis, Petricouiam ad comitia ad uicesimā quartam diem Nouembris indicta profectus est. Sed cū ibi nihil de republica ob infrequentiam senatus, ad reprimendam latronum uim intenti, constitutum esset, alij

Vapēna gora. Dopsice et Mislouice oppida.

Osuencimum propè captū.

Minorum Polonorum ignominiosa expeditio contra latrones.

Ecclesiastica bona uexata.

Clobuscum direptum & incensum.

Stipendium é salinis numeratum iniussu regio.

Tartari Podoliam populati.

Russorum anceps cum Tartaris pugna.

Comitia Petricouiæ.

alij conuentus Coli & Corcini acti sunt: & in his decretum, ut iugeralis exactio duodenûm grossorum agrestibus imponeretur, unde satis fieret ijs quibus emerita in Prussia stipendia soluta non erant: præfectura Cracouiensis, amoto ob ingraueſcentem ætatem Ioanne Cizouio, Nicolao Penanſco Vitouicio mandata est, auctis reditibus, quo numerosiorem familiam, pacandarum & à latrocinijs purgandarum uiarum causa posset alere. Satisfactum deinde ijs qui latrocinio & bello emerita stipendia repetebant: castellaq; ab eis dedita, diruta regis uoluntate, ne deinceps etiam latrocinantium essent receptacula. Nobilitati uerò Osuencimensi latrunculorum uexationibus afflictæ, à rege clementer subuentum est.

Tributum iugerale.

Cizouius amotus à præfectura Cracouiēſi.

Castella latronum diruta.

Conuentu soluto, rex unà cum regina, uti solebat, in Lituaniam secessit, indeq; ad Calendas Maias insequentis anni Petricouiam ad alia comitia rediit. ubi cum de expeditione in Prussiam consultaretur, ac decerneretur, uenit Ioannes Iscra ex Vngaria, hortans regem, ut regno Vngarorũ hæreditario uxoris suę iure animum adijceret, neq; occupari id à Mathia homine nouo pateretur: operam ad id suam regi pollicens: & retinebat is adhuc munitiones quasdam in Vngaria. Cum autem intelligeret, Prussicum bellum ei rei impedimento esse, componendi aut intercipiendi eius partes sibi sumpsit, rege pacem non abnuente. Ne Cruciferi quidem abhorrere à pace uidebantur: & sperabat Iscra facilius etiam fore negocium, quòd Boemorum mercenariorum armis, quorum ductores fere necessarij & familiares sui essent, tunc res Cruciferorum maximè nitebatur. Sed eum spes fefellit. Elati enim hybernis successibus paulo secundioribus Cruciferi, iniqua postulabant. Quocirca præcisa spe pacis, uniuersæ regni copiæ regis edicto ad Gneuucouiam cõuenere: inde Vistula nauali ponte transmisso, ad Papouiam castrametatæ sunt. Intercepere fraude eam arcẽ hostes, atq; inde Torunensem agrũ uehementer infestabant: sed permunita erat, nec sine multorũ periculo à nostris expugnari posse uidebatur. Cæterùm lixæ & calones atq; promiscuũ uulgus temerè & nemine iubẽte ad mœnia procurrens, mox omnẽ exercitũ incredibili expugnandę arcis ardore & spe inflãmauit. Itaq; facto impetu, portaq; effracta, cũ iam caperetur arx, hostes magnis clamoribus uictorũ misericordiã implorarunt: exauditiq; à Petro Samotulio castellano Posnanensi, penes quẽ summa in exercitu secundũ regem potestas erat, minore porta à castris auersa emittebantur. Sed parum abfuit, quin ipse quoq; Samotulius ab irata multitudine uiolaretur, ob Sbigneum Iauoriũ, Dobricium, atq; Dauidem Boemum castrorũ metatorem, in oppugnatione arcis interfectos. Fremitus quidẽ aduersus regẽ & proceres ingens fuit, cùm propter emissos hostes, tum quòd proceres nonnulli missis ministris cellas arcis cõmeatu & facultatib. refertas occuparãt. Quare subiecto igni à furente multitudine, arx tota cum omni copia & compluribus satellitib. procerũ, qui pertinacius cellas defendebant, conflagrauit: muri deinde arcis, ne ab hoste instaurarentur, rege iubente diruti. Ac triduo ibi statiua habita sunt. Inde ad Culmã siue Chelmnum mota castra. Nec tamen tentata est eius oppidi oppugnatio, quod amplum

1458 ann. Petricouiæ comitia.

Iscra pacis sequester inter Polonos & Cruciferos.

Polonorum expeditio in Prussiam.

Papouia intercepta à Cruciferis.

Petrus Samotulius dux exercitus.

Papouia capta incensa, ac diruta.

quidem & ſpacioſum eſt,& neq; arte,neq; natura munitum:ſed eò undique hoſtium copiæ confluxerant. Ad Marieburgum uerò itum eſt. Quod cum Bernardus Sumbergius Culmæ intellexiſſet,nocturno itinere anteuertere eò noſtros cũ expedita manu inſtituit: perfeciſſetq; id adeò, ni tota nocte erraſſet. Orto die,ubi ſe in noſtros incidiſſe animaduertit,fuga ſibi quemq; conſulere iuſsit:diſsipatos perſecuti noſtri, non leui ſtrage affecerunt,cęſis captisq; multis.Sumbergius ipſe euaſit,quindecim milliarium itinere eo die confecto: facultatum tamen iacturam fecit. Ad Marieburgum deinde noſtri caſtra poſuere: ac deſides ibi tempus triuere,ludificantib.eos ſpe pacis hoſtibus. Ad quam conficiendã Iſcra ſequeſtrũ ſe interponebat.Per quos dies Nouum oppidũ Pomeraniæ,dimiſſo Polonorum præſidio,quaſi ſuis uirib.ſe tuiturum eſſet, hoſtile accepit.E' diuturna uerò eodem in loco apud Marieburgum mora (nam in duos menſes extracta eſt obſidio)fœtore,& pabuli uictuſq; inopia regius exercitus afflictus eſt: ita ut octingenti homines,equorum autem ſeptem millia,fame & peſte interirent. Eam ob rem fremere multitudo,& facto agmine ad regis tentorium orare, ut ui ſe oppidũ non munitiſsimum capere pateretur, aut uerò obſidionem ſolueret: cũ utrumque ſuaſu procerum quorundam negaretur,negligentius omnes munera belli obibãt:ſolutaq; diſciplina,neq; cuſtodias & excubias ſeruabant. Inde creſcere hoſtibus audacia: ita ut ij erumpentes, leuibus incommodis noſtros afficerent. Inde coorta maior indignatio, quàm hoſtium clamor, auro ſe redemiſſe, ne oppugnarentur, è mœnibus uociferantium, auxit. Et ſanè deprehenſi ſunt nonnulli, noctu ad oppidum cum mandatis quorundam procerum commeantes. In primis autem Ioannes Breſius procancellarius eam infamiam uulgò ſuſtinuit: & niſi fuga ſe ſubduxiſſet, uiolatus eſſet à concitata multitudine. Tandem inducię cum hoſtibus uiginti menſium confectæ ſunt, ea conditione, ut intra id tempus octoni utrinque arbitri pacis apud Culmam conuenirent: inter quos ſi non conueniret, ut Alberti ducis Auſtriæ ſummum eſſet arbitrium. Interim autem Marieburgenſe oppidum Iſcra ſequeſter obtineret, ac utri parti id adiudicaretur traderet: aut ſi infecta pace diſcederetur, Cruciferis redderet. Dum autẽ hæc fiunt, uniuerſa nobilitas morę longioris impatiens, iniuſſu regio domos diſceſsit,orto à Ioanne Oſtrouicio, cognomento Naſsiano, diſcedendi principio. Quocirca rex quoq; ſuffecto in præfecturam Marieburgenſem pro Ceruonca Sciborio Chelmio,diſcedentem exercitum ſequi coactus eſt, nequicquam retinentibus Pruſsis,& in primis Gdanenſib.qui ei in quatuor millia militum ſtipendium, ſi apud Marieburgum manere uellet, pollicebantur, proſpera fortuna uſi eo anno in mercatura maritima, & magnopere ditati:ſed uxoris deſiderium ei fuit antiquius, ut ait Dlugoſſus: quæ quidem per eos dies ad quintum Nonas Octobris Cazimirum filium Craconiæ peperit. Quamobrem eò contendit: ibiq; legatos Georgij Podiebradij noui regis Boemorum audiuit,fœdus petentes,& ingentia auxilia contra Cruciferos, regniq; ſucceſsionem Cazimiro, quæ ſecundum

Marieburgum oppidum obſeſſum.

Nouenſes ad Cruciferos deſecerunt.

Strages hominum & equorum apud Marieburgum.

Ioannes Breſius de proditione ſuſpectus.

Inducię uiginti menſium.

Sciborius Chelmius præfectus Marieburgenſis.

Gdanenſium ſtudium in Polonos & regẽ.

Georgij Boemorum regis legatio ad Cazimirum.

Ladislaum

Ladislaum hæreditario iure ad uxorem liberosq; ipsius pertineret, pollicentes: Georgium procerum precibus uictum, regnum suscepisse, ne quis alius præriperet: eo defuncto ad iustos hæredes rediturum. His respondsum est, regem fœdus & amicitiam cum Boemis semper coluisse: cupere uerò, ut mutuum ab eis fieret: non commeruisse eum, ut cum liberis suis hæreditario regno excluderetur: atque eam iniuriam eum ad eam usque diem patienter tulisse. Quod si deinceps Boemi officijs & beneuolentia certare secum uellent, non ingratum eum experturos: Georgium non malè fecisse, facturumq; esse, si aliquam Cazimiri liberorumq; eius rationem in suscipiendo regno duxisset, sicq; legitimis hæredibus id relinqueret. Causa uerò tam modestę & submissę legationis Georgio fuit illa, quòd animaduertebat, nonnullos de Boemis proceribus, itemq; Silesios & Lusacios, alienis à se animis esse, propterea q̃ cum Rochezana ab ecclesia & religione catholica non obscurè dissentire uidebatur: & cum Morauiam obiret paulopost sumptum ab Vngaris episcopis, quos Mathias rex miserat, diadema, Iglauia ciuitas portas ipsi clauserat. Eam cum ille cum ijs, quas ad manum habebat, copijs obsedisset, Austriorum Archiduces Iglauiensibus præstò fuere, & Moraui infestauere. Ibi Georgius maioribus copijs accitis è Boemia, cùm Iglauiæ obsidionem continuauit, tum Fridericum Imperatorem in arce Viennensi ab Alberto fratre & ciuibus Viennensibus obsessum liberauit. Quanquam hoc alij posterius factum esse autumant. His igitur difficultatibus implicatus, ne maiore belli mole prægrauaretur, Cazimirum regem, qui persequi se uelle ius uxoris & liberorum suorũ non obscurè præ se ferebat, tali legatione placandum atque ductandum sibi esse existimauit. Comitia deinde ad medium Ianuarij sequenti anno Petricouiæ habita: ubi de pace ac de bello cum Cruciferis cõsultatum est. Increbuerat enim, Cruciferos his conditionibus pacem facere uelle, ut centum millia florenorum impensæ bellicæ nomine regi numerarent, uiginti millium tributum quotannis penderent, duo uexilla auxiliaria ad quoduis bellum mitterent, & ut singuli Magistri in regis uerba iurarent: Prussiam uerò cunctam sibi haberent, ijsdem finibus, quibus ante id bellum habuissent. Probabat magna pars senatus has conditiones: sed Prussorum legatio, commodùm adueniens, orabat regem atq; senatum, ne se in fidem susceptos, immanibus Cruciferis ad exquisitos cruciatus & in teterrimam seruitutem proderet: Elbingæ se cõuentum egisse, nouoq; fœdere sese inuicẽ obstrinxisse: extrema omnia pati malle prius, quàm in Cruciferorum impotentium dominorum potestatem redirent. Erant & in senatu regio, qui censerent, non ex fide atque dignitate regis & Polonicæ nationis fore, socios deserere: suaq; olim amissa, nuperq; recuperata, rursus prodere aut uẽdere. Non diuturnam pacem eo precio redimi: sed perpetuorum hostium uires refici, & opes augeri. Efficax fuit hæc oratio: decretumq;, non esse deserendos proditos ue Prussos. Verùm de ratione prosequendi belli, ad particulares conuentus reiectum est. Nobilitas enim Polona, præterita expeditione uehementer

Georgius rex Boem. hæresi infectus, inuisus Morauis, Silesijs, & Lusacijs.

Iglauia obsessa à Georgio.

Fridericus Imper. obsidione liberatus à Georgio.

1459 ann. Comitia Petricouiæ.

Consultatio de pace cum Cruciferis.

Prussorum legatio.

Nobilitas Polona detrectat bellum.

uehementer offensa, & pecuniarium subsidium negabat, & militiam in posterum detrectabat. Quam ne rex quidem probabat, propter nimiam atque pernicioſam equitum licentiam. Interim rex in Lituaniã cum regina excurrit: indeq; reuertens, ad Colensem maiorum Polonorum conuentum post initium æstatis adfuit: & ut expeditio in Prussiam pro modo facultatum decerneretur, à maioribus Polonis impetrauit: nempe, ut de centum marcarum censu annuo unus eques hastatus mitteretur: oppidani uerò regñ ut peditem suppeditarent. Difficiliores fuere minores Poloni, & emendari prius quædam in rege & magistratibus flagitabant. Itaque pro hostibus ducti sunt à rege nonnulli, quorum instinctu hæc fieri uidebantur: sed tamen eorum pertinaciæ datum est, ut ad Cal. Septembr. Petricouiam rursus comitia uniuersæ Poloniæ indicerentur. Missi uerò octo de proceribus, quemadmodum cum Cruciferis conuenerat, in Prussiam, ad agendum de pace, re infecta redierunt, cum neq; illi Nessouiam uenirent, neq; nostris Culmam ueniendi luculentam securitatem præstarent. Itaque fecerunt maiores Poloni satis promissis suis, ut exercitum in Prussiam mitterent. Verùm nihil is operæprecñ fecit: agros modò sociorum utcunq; tutatus est per æstatem: sub autumnum autem domum non expectata missione remeauit. Per quod tempus mercenarñ milites in inferiore Prussia insignem de Cruciferis uictoriam retulerunt: nec multum abfuit, quin Ludouicus Magister uiuus in potestatem eorum ueniret: preda ingens reperta, ita ut uiceni aurei in milites diuiderentur. Igitur de pace rursus agi cœptum à Cruciferis. Per quod tempus renouatis inducñs, Lubauia Cruciferorum præsidium accepit, cum ad eam diem in partibus regis fuisset. Ad Gneuum uerò complures naues frumentum & ligna atq; asseres è Polonia Gdanum portantes, ab hostib. interceptę sunt. Quę cum à rege repeterentur, respondit Magister, iniussu suo à militibus id factũ esse, neq; eos imperium suum exaudire: atq; adeò pacis quoq; arbitrium penes eos esse. Clementer rex ageret, & ordinem Cruciferorum ne penitus iret perditum. Sub finem Augusti mensis uenit ad regẽ Lenciciam Vuratislauiensium & Namislouiensium legatio, deditionẽ oppidorum suorum offerens, quòd sub imperio Georgñ regis Boemorum hæretici cum cętera Silesia esse nollent. Commendata est eorũ pietas & religio: sed aliter sibi prospicere iussi sunt, Cazimirum eos tueri nõ posse, Prussico bello implicatum: si pacem cum Cruciferis fecerit, tunc demum recipi eos posse. Et sustinuerunt ñ quidem aliquandiu bellum à Georgio illatum non infeliciter: sed pòst à legatis pontificis max. Pñ secundi, Aeneæ Syluñ prius dicti, qui per id tempus Calixto succesſerat, in eam credulitatem adducti, q Georgius ab ecclesia catholica alienus futurus deinceps nõ esset, trium annorũ inducias cum eo fecerunt, ut interim sui iuris, deinde uerò, si is hęresim abdicaret, dicto audientes ipsi essent: sed ut præfectum tamen ab eo ac cæteris deinde regibus inuiti neminem acciperent. Comitia deinde Petricouiæ habita sunt. Ad quæ Cracouiensis tractus legati siue nuncñ uenire detrectarunt, nisi fides publica à rege sibi

Maiores Poloni expeditionẽ in Prussiam decreuerunt.

Minores negarunt.

Cruciferi uicti.

Inducię.

Lubauia defecit ad Cruciferos.

Inducię uiolatæ.

Magistri excusatio.

Vuratislauiensium & Namislouiensium deditio repudiata à Cazimiro.

Aeneas Syluius papa.

Vuratislauiensiũ et Namisl. pietas & fortitudo.

Comitia Petricouię.

bi daretur. Acceperant enim, regem aulicũ suũ, & procerũ quorũdam, quib. fidebat, comitatũ in armis esse iussisse. Nã erat is admonitus, cõsilia cõtra se ab illis inita esse. Erat res noua & inaudita: sed tamen, ne qua maior turba & seditio exuscitaretur, datũ hoc illis est. Principes eius legationis erant Ioan. Rithuianius, prẹfectus Sendomirieñ. Ioan. Tarnouius, & Ioannes Melstinius. Impetrata uerò dicẽdi potestate in frequẽti conses su, Ioannes Rithuianius homo magno animo, & lingua prõptus, pro cæteris collegis & omni nobilitate in hanc sententiã ad regem uerba fecisse fertur: Ingentem animis dolorẽ haurimus, rex illustrissime, quòd nos imerentes ac tibi addictissimos pro hostibus ducis, & armatũ prẹsidium contra nos comparasti. Nemo est nostrũm, atq; adeò ex omni numero Polonẹ nobilitatis, quem odisse aut metuere debeas: omnes te summo studio prosequimur, semperq; prosecuti sumus. Verùm dura necessitas, & impendens exitiũ nos impulit, comitia hæc abs te efflagitare: non quo aliquid contra te moliremur, sed ut saluti & incolumitati nostræ, liberorum nostrorum, & longẹ posteritati, simulq; dignitati reipub. nostræ calamitosæ tandem aliquando prospiceremus. Quod si roges, quid id mali, aut unde est? Vnde nam censes? nisi unde minimè sperabamus, & unde minimè decuit: abs te, inquã, tuisq; magistratibus, quorũ etiam culpa omnis in te redundat. Tui prætecti non modò ius nõ reddunt potentibus uiduis atq; pupillis, uerùm etiam per summam iniuriam & potentiam nos fratresq; nostros opprimunt, bonis indicta causa spoliant: uinculis, uulneribus, & omni contumelia afficiunt: quemadmodum nuper post edicta hæc iam comitia Sigismundo Laticinio & Virbenthẹ Semnicio, ab Ioanne Curopathuua prætecto Chelmẽsi usuuenit. Atq; hẹc tamen, quòd priuata sunt, & ad singulos pertinent, leuiora ducimus: illa multò grauiora & acerbiora, quæ te conniuente, imò uerò indulgente, Lituani in nos designant: nempe quòd Luscum & omnem illam fertilem oram Russiæ nobis interceperunt: pagos nõnullos à Parsouiẽsi territorio abstraxerunt: Podoliæ quasdã munitiones occuparunt, reliquis etiam imminent: Masouiorum ducibus, socijs nostris, & clientibus tuis, duo territoria Gonianzum & Vangroueciam eripuere. Hæc te authore facere eos necesse est. Non facerent sanè, aut certè non impunè facerent, si alium regem haberemus. Tu eorum temeritatẽ & audaciam indulgendo alis, adeoq; prouexisti, ut non modò contra Cruciferos socia nobiscum arma exfœdere, & gratiam nobis de uindicata sibi Samagitia referendo, non coniungant, sed superbè tuum quoq; imperium iam detrectent. Nec tamen hæc te mouent, quo minus bonis & facultatib. huius regni tam ingratam Lituaniam ornes & augeas. Quòd si merita utriusq; populi recta ratione perpendas, reperies iniustè & indignissimè hæc abs te fieri. Illi neq; tibi, neq; patri tuo unquã satis fideles fuere: & cum iure uestro eis imperaretis, contra utrunq; non semel pernicioſa consilia iniere, ferro & ueneno uitam utriusq; appetiuere. Nos uerò illum quidem obscurum & ignotum, & angustè dominantem, ad amplissimum cõiugium & florentissimum regnum ultrò acciuimus, & in uni-

Cracouienses nuncij non nisi sub fide regis ad comitia uenere.

Rithuanij oratio ad regem in comitijs.

Præfectorum regiorum iniuriæ.

Lituanorum in Polonos peccata.

Lituanorum dubia fides erga dominos suos.

Polonorũ merita in familiam Iagelloniam.

uersum terrarum orbẽ celebrem reddidimus: Samagitiam & magnam partem Lituanię à Cruciferis ereptam, armis nostris atq; sanguine restituimus: fratrem tuum Vuladislaum non tantum ad Polonicum, uerùm etiam ad Vngaricum regnum fauore & impendijs atq; opibus nostris cuximus. In te uerò quales fuerimus, tu ipse testis es locupletissimus. Atq; ut alia prętream, Prussicũ quidem bellum per tot annos in hanc usq; diem & armis & facultatibus nostris, nostrorumq;, pro te impigrè sustinuimus. Pro his meritis ista nobis abs te refertur gratia, ut Lituanos exuuijs nostris uestitutum & ornatum eas: Iam ne illa quidem leuia sunt incommoda, quòd & ipse leuem monetam cudis, & adulterinã importari aliunde permittis: & furum latronumq; examina impunè in nos & nostros grassari pateris. Quæ facilè tu, quemadmodum debes, nobis quiescentibus, reprimeres, nisi regia bona & reditus perperàm dissipasses. Ad hæc procurationibus quoq; siue stationibus nimiũ onerosis nos & homines nostros uehementer exhauris: afflictos à potentioribus non modò non uindicas, sed ne audis quidem quiritantes. Hęc & alia acerba immeritò abs te accidunt, rex illustrissime, fratribus nostris, quos obsequentissimos & studiosissimos tui semper expertus es. Ea ut tãdem corrigas mutesq;, summopere per nos abs te petunt. Refer hanc gratiam benemerentibus: redde nobis, quę Lituani te indulgente ademerunt: moneta leui cudenda abfiste: adulterinam summoue: immoderatas stationes circumscribe. Magistratuum impotentiam & petulantiam refrena, & uigilantiam excita, ut uias publicas, regnumq; omne, pro debito suo, furtis & latrocinijs purgent: Polonię commoda & ornamenta ne minoris facias, quàm Lituaniæ: facq; denique patrem te, non uitricum nobis præbeas. Quod si impetramus, nullus nobis labor, nulli sumptus pro tuis commodis, & ad nutum tuum, graues erunt: ac ne sanguini quidẽ & uitę nostrę pepercerimus. Sin repulsam ferimus, nihil est quod extra ordinem à nobis expectes. Atq; ita tibi persuadeas, neq; nos in Prussia tibi sine legitimo stipendio militaturos esse, neq; pecuniæ quicquam collaturos, conferri ue passuros. Ita fermè Rithuianius. Modestè ad hæc à rege, culpam à se remouente, responsum est: sed tamen re infecta, comitia soluta sunt, maioribus quidem Polonis senum grossorum de iugero pensionem non abnuentibus, minorum uerò legatis negantibus factam sibi esse potestatem à nobilitate, alicuius oneris suscipiendi. Itaq; alia rursus comitia ad sextam diem Decembris eódem edicta. Vbi cũ regis senatusq; placito uiginti de primoribus, qui de repub. consultarent, statuerentq;, delecti essent, & rex correcturum se esse deinceps peccata à nobilitate sibi obiecta, & omnia in quib. homines uulgò offenderent, recepisset, iugeralis duodenûm grossorum exactio agricolis, & telonium omnium mercium omnibus quicunq; lucrũ sectarentur, in annum imposita: ab ecclesiastico uerò & equestri ordine octaua pars censuũ promissa regi in stipendia militãtiũ in Prussia. Ibi etiã præfectura Marieburgeñ. amoto nescio quam ob rẽ Sciborio Chelmio, duob. pariter Ioanni Coscelecio palatino Inouuadislauiensi, & Prendothę Lubessouio, à rege mandata est: fortasis

Polonicæ opes in Lituaniam exportatæ.

Moneta.

Latrocinia.

Stationes.

Viginti uiri delecti reipub. cõstituẽdæ causa.

Teloniũ annuũ institutum.

Octaua censuũ ab ecclesiasticis & equitibus.

Marieburgo præfecti Ioannes Coscelecius, & Prendotha Lubessouius.

fortaſsis ut alter territorio reditibusq; regijs, alter prę-
ſidio militari prę-
eſſet. Inde etiã Iacob. Sennenius Gneſnenſis, & Cracouiẽſis præpoſitus, orator ad nouũ pontificem Pium ſecundum à rege miſſus, ut ei de more gratularetur, & in poteſtate eius regẽ fore profiteretur. Impetrauit autẽ is, ut remitteret pontifex Pruſsis diras atq; excõmunicationes, quib. eos ad parendũ Cruciferis adigebat. Petebat idem de transferendis ex Pruſsia in Tenedon inſulam Cruciferis: in quo eũ omniũ ferè Chriano-rũ principum oratores diligenter adiuuabant, propterea quòd Maho-metes Turcarũ Imperator Corinthum, urbẽ Gręciæ nobiliſſimam, & Lemnum atq; Mitilenen inſulas paulo antè cęperat: & Peloponeſo Euboœæq; Imperatorũ fratrum diſsidio fretus, imminebat. Verùm id impetratum non eſt, impenſius indulgente Cruciferis & Germanis pontifice iam inde ex quo in aula & miniſterio Friderici Imperatoris fuerat. Quorum fortaſsis opera & odio in Polonos perfectum eſt, ut is nunquam de Polonis bene ſentiret: quod è ſcriptis eius cũiq; deprehendere licet. Ac ne de diris quidem & interdicto contra Pruſſos promulgato impetratum tunc eſſe à Pontifice, ex ijs apparet, quæ legatus eius Hieronymus Cretenſis Archiepiſcopus poſtea geſsit in Polonia & Vuratislauię, quæ ſuo loco exponemus: uerùm in legati potius poteſtate poſitum fuiſſe, ut cum in rem præſentẽ ueniſſet, faceret quod maximè ex re fore exiſtimaret. Septembri uerò menſe Cruciferi nõ contemnendã cladem acceperunt apud Paſſeneimum oppidum inferioris Pruſsiæ. Nam cum contra id quod in inducijs cõuenerat, oppidanos eius oppidi regias partes ſecutos ad defectionẽ ſollicitarent, illi re cum præfecto præſidij regij Michaele, cognomẽto Sromothni, cõmunicata, mitti ſibi prę-
ſidiũ à Cruciferis poſtularunt. Miſsi quingenti equites cum ualido peditatu. Ac cæteri quidem foris manere iuſsi, trecenti modò equites intromiſsi, ab armatis noſtris, quos Michael ex alijs prę-
ſidijs ad eã rẽ deduxerat, facilè cõciſi ſunt. Dolo animaduerſo, reliquũ agmẽ, cũ ſuis in oppido clauſis opitulari nõ poſſet, fuga ſibi conſuluit. Vernũ huius anni tẽpus uentorum uehementia, & aquarũ è ſolutis niuib. & imbribus bimeſtri inũdatione corruptis ſegetibus, non parũ incõmodi ac detrimenti Polonis attulit. Sub finem anni Elizabetha regina Ioannẽ Albertũ filium peperit. Inſequentis uerò anni initio conuentũ Poloni cum Boemis egerunt Bythomiæ, Prę-
miſlio Ceſsinenſium duce cõtrouerſiã de regno Boemico inter reges cõponere, & offenſiones inter Polonos & Sileſios tollere ſtudente. Sed tamẽ re infecta inde diſceſſum eſt, niſi quòd alius cõuentus ad octauũ Calendas Iulias in idẽ oppidũ condictus eſt: ad quẽ Boemi nõ adfuerunt, offenſi multis oppidorũ & uillarũ ſuarũ incendijs, à Cazimiro rege & uxore eius, quemadmodũ opinabantur, ſubornatis. Id ubi accepit Cazimirus, nõ putauit ſibi cõmittendũ eſſe, quin ſe uxoremq; ſuam Georgio expurgaret: nõ tã quòd inimicitias eius metueret, quæ tamen & ipſę Pruſsico bello durante intempeſtiuæ accidebant, quàm quòd ſe uxoremq; ſuam pro incendiarijs uulgò traduci permoleſtè ferret. Ac ea de cauſa Iacobũ Dembeniũ caſtellanũ Malogoſtenſem, & Albertũ Gor-

Iacobus Sennenius orator ad pontificem.

Pruſsi abſoluti à pont. max.

De Cruciferis transferendis tentatum.

Pius pontifex æquior Germanis, quàm Polonis.

Cruciferorum clades apud Paſſeneimum.

Annonæ difficultas.

Ioannes Albertus filius Cazimiro natus.

1460 ann. Conuentus Polonorum cum Boemis Bythomiæ.

Cazimiri legatio ad Georgiũ Boem. regem.

sciũ legatos ad eũ misit, qui se & uerbis & prouocatione ad singulare cer tamẽ, militari, & quidẽ barbarico more purgarẽt. Qui cũ iussa fecissent, nec inueniretur quisquã, qui asseuerare sparsum illũ de rege & regina ru morẽ auderet, Georgius quoq; nunquã id se de tantis principib. credi disse affirmauit. Sic ei satisfactũ cũ esset, peractus est intermissus conuen tus: & pax, fœdus atq; amicitia inter reges cõstituta, ea cõditione, ut neu ter alterius hostes ulla ope adiuuaret: solus pont. max. religionis causa à Cazimiro exceptus est. De Masouia quoq;, & pro ducibus eius oræ, ne quid negocij Georgius ipsi faceſſeret. Adiectũ, ut uno anno exacto, re ges ipsi confirmandæ amicitiæ gratia apud Glogouiam cõgrederentur, & ibi de dote Elisabethæ reginæ non exoluta inter se transigerent. Fue re autẽ ad eã rem missi à Cazimiro Stanislaus Ostrorogius Calisiensis palatinus, Ioan. Bresius Luteci filius, procancellarius, & Ioan. Dlugol sus canonicus Cracouiẽn. & custos Vislicien sis. Creditũ est autem ope ra Cruciferorũ & Bernardi Sumbergij submissos fuisse incẽdiarios illos Boemię: sparsumq; uulgò rumorẽ, quasi à rege & regina Polonorum ob interuersum hæreditariũ regnũ iratis id factũ esset. Idq; eò feciſſe Cruci feros, quo facilius ipsi bellũ cũ Polonis haberent, si eos Boemico quoq; bello implicassent. Nihil enim intentatũ ij relinquebant, quod ad perni ciẽ Polonorũ pertinere existimarent. Nec abhorret à uero, Albertũ Ar chiducẽ, ut uulgato hoc uerbo nobis uti liceat, Austriorũ, itẽq; Ludoui cũ Bauarorũ ducẽ, & legatos pont. max. Hieronymũ Cretẽsem Archie piscopũ, & Franciscũ Toletanũ Astigiensem Archidiaconũ, Vuratislauiẽsib. Georgio regi recõciliandis operã dantes, ab ijsdẽ Cruciferis sub ornatos, missis eiusdẽ anni initio ad Cazimirũ legationib. arbitrium om nis inter ipsum & Cruciferos cõtrouersię dirimẽdæ sibi popoſciſſe, quo facilius eũ spe pacis securũ & incautũ fallerẽt. Cazimirus autẽ Alberto, qui primus ea de re miserat, nõ grauatè permisit, ut amicè, si posset, inter partes cõponeret. Cęterùm de re uniuersa cõpromissum facere abnuit, ne illũ pro amico inimicũ caperet, cõmemorans qua fide se Sigismundus Cęsar quõdã in eiusdẽ modi re gesisset: Ludouico & legatis põtificijs re spõsum, regẽ postulata eorũ facturũ fuisse, nisi Albertus id arbitriũ occu passet. Erant autẽ suspecti regi legati pontificij de studio in partẽ aduer sam, quòd hic quidẽ Cruciferorũ causam Romæ prius egisset, ille uerò à mercatorio quæstu ad sacerdotiũ nuper trãslatus esset: fœdus tamẽ ictũ cũ Bauaro, itẽq; cũ Conrado Albo Olesnicensiũ duce, cũ quo diſsidij nõ nihil, propter iniurias quasdã ultrò citroq; illatas, Polonis intercesserat. His dimissis, in Rusiã Cazimirus nõdũ exacta hyeme iter instituit: id au tẽ apparanti nunciatur, Valciã arcẽ proditione Ioan. Vedelij præfecti, à Gaspar o Nostiuicio & Cruciferis interceptã esse. Boriouiũ autem Scrin niũ gẽte Labenciũ cũ non cõtemnẽda manu è Ziuecia & Vrimõte, Tur zagorã nostri uocant, Dopsice oppido impendente, subiectã orã latroci nio infestare. Et latrociniũ quidẽ Boriuoij rex per Nicolaũ Pieniãscum succamerariũ & præfectũ Cracouiensem, & Petrũ Comorouiũ cum au lico suo comitatu, & Sciricien si nobilitate missos, expugnato utroq; eius

præsidio,

Pax inter Cazimirum & Georgium. Masouia.

Cruciferorum artes.

Legationes põtificis & principum ad Cazimirum.

Alberto archiduci Austriæ permissa pacificatio cum Cruciferis.

Legati pontificij suspecti Polonis.

Valcia intercepta à Cruciferis.

Boriuoius Scrinnius latrocinatur.

Ziuecia, Turzagora.

præsidio, celeriter sustulit. Valciã uerò maiores Poloni recuperare iussi, obsederunt quidẽ arcẽ, sed nõ multo pòst ab obsidione re infecta recesserunt. Rex in Russiã profectus, Ecigerẽ Tartarorũ Imperatorẽ, & Stephanũ palatinũ Valachorũ per legatos auxilia contra hostes poposcit: promissa utrobiq; alacriter. Peragrata uerò Russia, Breste supra Bugum amnẽ cũ Lituanis cõuentũ egit: animos eorũ ad occupandã armis, cũ Poloni Prussico & Boemico, ut rebantur, bello distinerentur, Podoliã, procliues sanauit. In Poloniã uerò reuertens Maio mẽse, Sendomiriæ cũ minoribus Polonis, & mox Lencicię cũ maioribus cõuentus egit. Cõsultatũ de ratione belli gerendi cũ Cruciferis, missusq; exercitus ad recuperãdã Valciã, porrò cũ monachis Lubinensibus constitutũ, ut ne abbatẽ nisi à rege approbatum, haberent. Inde adeò hic mos inoleuit posterius in cæteris quoq; monasteriis totius Polonię, ut noui abbates assensum regis requirant. Per eosdẽ dies Marieburgenses oppidani, quatuor ferè mẽses à nostris obsessi, oppidũ, quod propè iã aberat, ut cuniculis actis caperetur, Ioan. Coscelecio præfecto arcis dediderunt. Recepto oppido, de tribus modò oppidanis, qui defectionis authores fuisse dicebãtur, capitale supplicium sumptũ: milites præsidiarij in uincula coniecti: cęteræ multitudini parsum est. Dũ Valcia à nostris obsidetur, Bernardus Sumbergius tria millia equitũ peditũq; Germanorũ & Boemorũ per marchiã Brãdeburgensem Cruciferis in Prussiã adducere, & propè iam adesse, uelleq; Valciã primùm obsidione liberare, nũciatur. Ibi Iacobus Dembenius dux regiarũ copiarũ, ueritus ne se hostes utrinq;, aduersum pariter & auersum adorirentur, soluta obsidione, in æquiorẽ locũ hosti aduentãti obuiam processit. Sed priusquã is appropinquaret, milites Germani & Boemi, cũ Frãcofordiã ad Odram sitã peruenissent, ac de deditione oppidi Marieburgẽsis accepissent, domos dilapsi, ducẽ cũ quingẽtis modò militib. deseruêre. Cũ his autẽ ille iter institutũm prosequens, & nostrorum occursum obliquo tramite declinans, confectis unius diei noctisq; itinere duodecim milliarib. & cẽtũ equis, qui laborẽ tanti itineris nõ ferebant, amissis, ad Choiniciã peruenit. Quo intellecto, ij qui in præsidio Valciæ fuerunt, nocte, arce incẽsa, eũ secuti sunt. Atq; is Gdanũ cõtẽdens, munitionẽ Gdanensiũ uno ab urbe milliario oppugnare adortus est, collocatis opportuno loco insidijs: ratus, id quod accidit, Gdanenses suis qui in præsidio erãt, opẽ laturos. Itaq; illi incõposito agmine ruẽtes, in insidias præcipitati, & nõ cõtemnẽda clade repulsi sunt, sexaginta amissis, ducentis captis, inter quos duo cõsulares fuere. Nõnullã reb. Cruciferorũ accessionẽ aduẽtus Sumbergij, secũdũq; illud prœliũ fecit. Mox enim Golubũ oppidũ proditione in hostiũ potestatẽ redactũ est: in quo nõ pauci Dobrinẽses equites unà cũ facultatib. suis capti sunt: arcẽ Ceruõca defendit. Puscũ itẽ, quod rex Suetiæ exul tunc hypothecę nomine, certã pecuniã Cazimiro mutuatus, obtinebat, ab eisdẽ interceptum: Belaui oppidum toto anno obsessum: Bartensteinenses oppidum suum dedidere: Suecæ arx superior permunita in ripa Vistulę, fraude ab hostib. intercepta est, quos ad cẽtũ usq; captiuus quidã, qui ibi asseruabatur negligẽtius, casibus in altũ sustulerat: Dobrinensis ora ne uastaretur, uectigalis

Valcia à maioribus Polonis obsessa.

Lituanorum comitia.

Abbatiæ sine assensu regio nõ accipiũtur.

Marieburgum oppidum per deditionem receptum à Polonis.

Iacobus Dembenius dux exercitus.

Cruciferorum copiæ dilapsæ.

Valcia incẽsa.

Gdanenses incommodo affecti à Sumbergio.

Golubum proditum Cruciferis.

Pusçum interceptum.

Belaui oppidũ obsessum.

Bartensteinum deditum.

Suece arx intercepta.

Dobrinenses uectigales Cruciferorum exercitui.

Ericus Sceciné sium dux Lemburgum & Bythouiam Cruciferis dedidit.

hosti facta. Porrò Ericus dux Scecinensium Pomeranorũ, propinquus & fœderatus, atq; socius regis, quem haud ita pridem rex, Calisiam ad se cum uenisset, non exiguis donis affecerat, nulla læsus iniuria, nulla ui adactus, uiolata fide & iureiurando, Lemburgũ oppidũ, & Bythouiam arcem, fidei suæ commissa à rege, hostib. dedidit, nequicquam deprecantib. Lemburgensib. uiris iuxtà ac mulieribus, pueris atq; puellis, & precium pro redimendis tredecim quibusdam captiuis (quam causam deditionis Ericus præ se ferebat) collata publicè pecunia pollicẽtibus. Neque nostris tamen penitus fortuna tergũ obuertit: Quizinũ & Varmia, oppida quæ Marieuerderũ & Fraumbergã Germani uocant, ab his noctu intercepta ac direpta: unde tanta præda miles ditatus est, ut ducenti floreni in capita cederent: duobus iustis prælijs uicti fusiq; hostes apud Paradisense monasteriũ, & cõpluribus amissis, in fugã acti. Ita uaria nostrorũ atq; hostiũ fortuna eo anno bellatũ est in Prussia. Septẽbri mense excessit è uiuis Thomas Strempinius Cracouiensis episcopus, uir singulari memoria & pietate magna præditus. moriens utensilia quædam non parui precij basilicæ Cracouiensi: Louiciensi uerò tẽplo mille florenos pro instituendo collegio sacerdotum, quos Mansionarios uulgò uocant, reliquit. Porrò librariã supellectilem in Gnesnẽsem, Posnaniẽsem, Vneouiẽ. & Louiciẽ. ecclesias, & in Academiam Cracouiẽsem partitus est. Eo mortuo tres de episcopa magno & reipub. incõmodo, & authoritatis ecclesiasticæ atq; pontificiæ detrimento, & pernicioso ambitionis exẽplo aliquandiu cõtenderunt. Nam ubi dies electioni dicta aduenit, misit rex ad collegium sacerdotũ, ad quod electio Episcopi iure & more antiquo pertinebat, ut Ioannem Cruscinium Vuladislauiensem episcopum, Cancellarium regni, sibi optarent episcopum. Sed tamen is in tanto numero tria modò præsentiũ, ac totidem absentiũ tulit suffragia: reliqua duorum & uiginti, quibus antiquior fuit regis iussione libertas & religio, in Ioannẽ Bresium procancellariũ regni cõcurrerunt. Verùm hic regijs minis deterritus, electionem suã repudiauit, Vuladislauiensis episcopæ adipiscẽdæ spe accepta. Certa iã spe erat de Cracouiẽsis episcopa Ioan. Vuladislauiensis, cũ Iacobus Sennenius Dobeslai palatini Sendomiriẽsis, & Sbignei cardinalis fratris filius, Gnesnẽsis & Cracouiensis præpositus, à pontifice maximo, apud quem ante annũ legatione regis nomine functus erat, episcopus Cracouiensis renunciatus est, cedentib. nomine Thomę Strempinij quibusdã, quos ille paucis ante mortem diebus ad peragendũ id Romæ, inscio rege procuratores nũcuparat. Id ubi rex accepit, fremere in Sẽneniũ, qui sine sua authoritate in regno suo Episcopus esse uellet: petentemq; per amicos & propinquos, magnos & nobiles uiros, non modò reijcere, uerùm etiã proscribere unà cũ fautoribus & receptatorib. eius adortus est, episcopo Vuladislauiensi, & Ioan. Bresio, itẽq; Ioan. Pilecio Cracouiensi, Luca Gorcano Posnaniẽsi, Stanislao Ostrorogio Calisiẽsi palatinis, & Ioan. Rithuianio marsalco regni, incitantibus. Nec deerat sibi Sennenius. nam & initiatus est sacris episcopalibus à Gnesnensi, Cracouiensi, et Vuratislauiensi suffraganeis, quos uocant, episcopis in arce paterna Pinzouiẽsi: & à pontifice acerrimum

Lemburgẽses redimere sese uoluerunt, ne dederẽtur Cruciferis.

Quizinum & Varmia capta à Polonis.

Cruciferi bis fusi à Polonis.

Strempinij episcopi Cracouiẽsis mors & testamentum.

De Cracouiensi episcopa contentio.

Ioannes Cruscinius.

Ioãnes Bresius

Iacobus Sennenius.

accerrimum & pœnale, ut uocant, mandatum, quo diris deuouebantur ñ qui eum pro episcopo Cracouiensi nõ reciperent, impetrauit. Verùm ab eo mandato uniuersum ferè collegium Cracouiẽsis basilicę, regio iussu & minis inductum, ad pontificem ipsum, siue ad futurũ uniuersale concilium prouocauit: sacris tamen singuli canonici abstinuere. Pauci quidam ex eo collegio, & omnino ex ordine ecclesiastico pontificiam quàm regiam authoritatem antiquiorem ducentes, cum Iacobo senserunt: inter quos primarij fuere, Demetrius Sennenius, Iacobi frater, Scarbimiriensis præpositus, Dlugossi duo fratres, Derslaus Crizanouius, & Nicolaus canonici Cracouienses: quibus sacerdotiorum reditus à Nicolao Pienanſco succamerario & præfecto Cracouiensi, regis mandato adempti sunt: itemq; Pauli Glouenij decani, qui negocia Sennenij Romæ gerebat. Hi, & item Georgius de Frãciscano sodalitio suffraganeus Cracouiensis, qui Sennenium consecrarat, Cracouia abesse iussi: Crizanouius uerò domo ab apparitoribus præfecti extractus, & per mediam urbem foras eductus est eo uestitu, quo canonici in templo utuntur: nempe uestę linea latiore, & palliolo cũ cucullo ex pellibus, quas hermellinas uulgò uocant, indutus. Qua re magnam in se populi spectantis commiserationem, gemitusq; de acerbitate regis commouit. Idem tres alijs inferioris ordinis sacerdotibus accidit, cultui diuino uacantibus. Reliquum collegium iureiurando à rege ipso adactum, ne quem iniussu suo ad possessionem bonorum episcopalium admitteret: quorũ tamẽ bona pars cùm à Pienanſco prafecto Cracouiẽsi, & alijs quibusdã, tum à necessarijs Vuladislauiensis episcopi, regio uel iussu, uel permissu, occupata tenebatur. Dlugossi domus Cracouiæ à Stanislao & Dobeslao Curosuencijs, episcopi Vuladislauiensis propinquis, rege inspectante & approbante direpta. Nec modò fieri talia rex tũc permittebat, sed iubebat. Qua in parte singularis Stanislai Vantropcę, gẽte Oxij, pietas & magnitudo animi filiẽtio prętereũda nõ est: qui iussus à rege in bona sacerdotũ suę cupiditati aduersantiũ inuadere, regẽ quàm Deũ offendere maluit. Sẽnenius ipse obsideri in arce Pinzouiensi à rege iussus, Melstíni se cum Ioan. Dlugosso seniore totum annũ cõtinuit, à domino arcis Ioan. Melstínio receptus, nequicquã prohibẽte rege, ne perduellem suũ & hostẽ publicũ seruaret. Ad pontificẽ uerò Ioan. Rithuianius præfectus Sendomiriẽsis & marsalcus regni, & Mathias Racianzius iurisconsultus & Canonicus Vuladislauiensis, rogatu & sumptu Vuladislauiẽsis episcopi missi, uehementer Sennenium, quasi ambitus reum, & seditiosum, & regi, populo, atq; ecclesiastico ordini inuisum, qui ui Thomã episcopũ cedere sibi coegisset, episcopamq; ui inuasisset, in qua inuasione propinquus eius Andreas Tencinius magnus uir, & facilè princeps senatus Polonici, populi Cracouien. cõcursu interfectus, & immaniter laniatus sit, apud põtificẽ criminati sunt: literasq; Sẽnenij Mãtua, cũ legatione fungeretur, ad regẽ scriptas, quib. incusare is põtificẽ, quasi plus æquo faueret Crucigeris, uidebatur, producebant, oblatis pontifici regio nomine magnis muneribus, & Friderici Imperatoris, ac Georgij Boemorum regis, ad quos

Sacerdotũ bona inuaduntur iussu regio, & ipsi Cracouia pelluntur.

Cracouiensis Canonicorum cultus.

Iusiurandum iniquum exactum à collegio sacerdotum.

Episcopalia bona occupata à profanis.

Dlugossi domus direpta.

Stanislai Vantropcæ religio.

Sennenius latuit.

Ioannes Melstinius cõtempsit regis mandata.

Legatio regis ad pontificem maximum.

Andreas Tencinius populi Cracouiẽsis cõcursu occisus.

quos Romam proficiſcentes ea de re diuerterant, commẽdaticijs literis. Nihil tamẽ aliud à pontifice impetrarunt, quàm ut is Hieronymo archiepiſcopo Cretenſi legato ſuo cauſam cognoſcendam delegaret, atq; interea Sennenio epiſcopæ adminiſtratione interdiceret. Neq; æqui quicquam Hieronymus, uix tandem uno anno exacto adueniens, pro Sennenio impetrare à rege potuit: ac ne Sennenius quidem ipſe, cum data fide cũ triginta comitibus uenire permiſſus, ſupplex ad genua regis accidiſſet, ad miſericordiam eum flexit: aſſeuerante rege, regnum ſe prius amiſſurum, quàm epiſcopum illum, aut quenquam omnino in ſuis ditionib. ſe inuito eſſe paſſurum. Ceſsit tandem Sennenius pertinaciæ regis: & retenta nonnulla parte bonorum epiſcopalium, receptaq; à Ioanne Gruſcinio pecunia, quam liti expenſam tulerat, hoc eſt, 4000 florenorum, epiſcopa Cracouienſi ſe abdicauit, duobus annis ac dimidio, ex quo controuerſia illa orta erat, præterlapſis. Quo facto ij quoq; qui cum eo ſenſerant, ad ſacerdotiorum ſuorum uſumfructum reſtituti ſunt. Sed ad Pruſſicum bellum reuertamur. Cum igitur Cruciferi aduentu Sumbergij, & aliquot oppidorum, quemadmodum ſuprà memorauimus, acceſsione, nõ tã uiribus quàm animis aucti, crebris excurſionibus regi ſubiectum agrum popularentur, rex menſe Decembri Lenſiciam, atq; inde initio noui anni, qui fuit 1461 poſt Chriſtum natum, Breſte in Cuiauiam cum omni comitatu ſuo aulico ſe contulit, ibiq; Februario menſe comitia habuit: ueritus, ne ſi ea Petricouię, quemadmodum indixerat, haberet, maiores Poloni, qui in caſtris ad arcendos à ſuis hoſtium impetus erant, dilaberentur. Sed cum infrequens admodum ſenatus eò conueniſſet, præſertim ex minore Polonia, nulla re memorabili acta, per Radomiã in Lituaniam profectus, ad ferias paſchę Vilnę Lituanorum comitia habuit. Inde repudiatis, ſeu uerius in aliud tempus dilatis eius gentis poſtulatis, quibus flagitabatur, ut aut ipſe ſecum maneret, aut Simonem Olelcouicium Kiouienſium principem in magni ducis loco ſibi pręficeret, in Poloniam reuertens, Sendomiriam ſenatum conuocauit: pauciſsimi affuere: itaq; neq; ibi quicquam ferè actum. Cracouiam deinde cum excurriſſet, menſe Iunio Inouuladislauiam ad Pruſsicum bellũ proſequẽdum profectus eſt, nobilitate omni totius Poloniæ eódem conuenire iuſſa. Verùm ea medio demum Auguſto menſe ægrè conuenit. Interim Cruciferi Sipelbeinum & Raſtemburgũ & Belauos oppida, & Morangum arcem obſedere. Neq; rex obſeſsis opẽ tulit: ſed peiore uſus cõſilio quorundam procerum, qui à Cruciferis corrupti eſſe dicebantur, in Pomeraniam ſigna conuertit, ut Fridenlandiam & Choiniciã reciperet, & Ericum Scecinenſium ducem ulciſceretur. Iactarunt certè Cruciferi, ſe auro, non ferro effeciſſe, ne noſtri obſeſsis ſubuenirent. Cęterùm præſidiarij milites, qui Sipelbeini erant, eruptione in obſidentes hoſtes facta, magna ſtrage eos repulerunt, caſtriſq; eorum potiti ſunt. Porrò apud Raſtemburgum, ciuium Magiſter ſimulata proditione, parum abfuit quin Magiſtrũ Cruciferorum in præparatas inſidias induceret: fraude à quodam de comitibus Magiſtri animaduerſa, & Magiſtro ciuium ante oppidum

Cognitio controuerſiæ delegata Archiepiſcopo Cretenſi.

Cazimiri pertinacia.

Sennenij tranſactio de epiſcopa Cracouienſi.

1461. *Comitia Breſte Cuiauiæ.*

Lituanorum comitia & poſtulata.

Conuentus Sendomiriæ.

Licentia Polonica.

Oppida à Cruciferis obſeſſa.

Cruciferorum clades apud Sipelbeinum.

pidũ cõfoſſo,nõ modò eius oppidi,ſed & Morãgi obſidio ſoluta eſt. Ne noſtri quidẽ,qui in aliarũ arciũ & oppidorũ præſidijs erãt, ceſſarunt: ſed cũ Elbingẽſib. ciuib. Io. Scalio Boemo duce coaduna:i,& nauib. eorũ per Habũ lacũ trãſportati in Sãbiã,regionẽ eã ferro & igni lõgè lateq; populati ſunt,& ingẽtẽ prædã inde aſportarũt: quippe qui inexpectati in orã ab ardore belli remotiorem irrupiſſent. Per quos dies Elizabetha regina Cracouię quartũ filiũ Alexãdrũ peperit. Paucis uerò dieb. antè, Andreas Tẽcinius,uir uetuſtate & claritate familię nobilis,Cracouię cõcurſu ac tumultu urbanę multitudinis in ędem diui Frãciſci memorię dicata oppugnatus,effractiſq; foris. in adito ſeu ſacrario inuẽtus, immaniter trucidatus eſt: interfecti cadauer per mediã plateã,quę fratrũ dicitur,in forũ cõtumelioſe tractũ,luto oblitũ,& pugionib. cõfoſſum,ambuſtaq; barba & capillis ludibrio habitũ,& biduo in curia ciuitatis,q; prętoriũ uulgò uocãt,aſſeruatũ,tertia demũ die amicis ad ſepulturã redditũ eſt: amici & miniſtri eius nocte dieq; inſequenti cũ ſe in turri tẽplo adiuncta ſtrenuè defendiſſent,ad extremũ uitã pacti in ciuiũ poteſtatẽ uenerunt,deductiq; in curiã tertia die,recõciliati multidini urbanę incolumes dimiſsi ſunt: filius Andreæ cũ in furno apud uiduã quãdã delituiſſet,noctu ex urbe ſaluus euaſit. Cauſam uerò huic malo Andreas ipſe prębuit,cũ fabrũ armorũ,quod arma ſibi ad bellũ proficiſcẽti tẽpori non perfecerat,bis pulſaſſet. Potuit quidẽ euadere initio ſtatim cooriẽtis tumultus,reginę nuncio,ut ſe in arcẽ ſubduceret,admonitus niſi turpe duxiſſet, cedere furori cõcitatæ multitudinis. Et ſanxerat quidẽ regina Elizabetha octoginta milliũ marcarũ pœna in ſequẽtẽ diẽ ut quieſceret,donec ipſa cauſam cognoſceret: ſed uicit pœnę metũ ira dolorq; nõ tã priuatę iniurię,q; publicę,ut opinabãtur,cõtumelię. Hęc res in caſtra renũciata,cũ leuius q; pro atrocitate ſui ferri à rege uideret, uehemẽti indignatione animos nobilitatis accendit, minus alacriter alioqui expeditionẽ illã obeuntis. Nã & infrequens erat exercitus,& nõ niſi Derslaus Rithuianius palatinus Sędomiriẽſis, & Euſtachius Sprouius,Io. archiepiſcopi Gneſnẽſis frater, gẽtilitia uexilla exerãt. & uerò diſplicebat ferè cũctis illa belli gerẽdi ratio,q; ab hoſtib. auerſum in ſuos cõuertebat. Excitatus ab omni exercitu Ioan. Amor Tarnouius caſtellanus Sãdecenſis,graui oratione apud regẽ atrocitatẽ cędis Tencinianę exaggerauit, excuſsitq; regi & ſenatui regio lachrymas. Rex peracerbũ ſibi eſſe illũ Tẽcinij caſũ teſtatus, cauſatusq; expeditionẽ, quo minus tã atrox facinus tũc uindicare poſſet,nõ inultũ fore cũ promiſiſſet, nõ difficulter multitudinẽ mitigauit: & prefectis exercitui Petr. Samotulio caſtellano Poſnaniẽſi,maioriſq; Polonię prefecto: & Io. Zarẽba caſtellano Siradiẽſi,& prefecto Velunẽſi, Naclẽſe territoriũ ſuæ ditionis,propterea q; tributũ hoſtib. pẽderet,acerbè uaſtauit. Deinde admotis ad Fridelãdiã caſtris,oppidũ ſeptẽ dies obſeſſum, octauo cũ oppugnare adortus eſſet,in deditionẽ accepit,facta abeũdi cũ rebus ſuis poteſtate hoſtiũ præſidio. Inde uerſus Choiniciam progreſſus, ad mille paſſus ab oppido quindecim dies in ſtatiuis nullo operę precio cõſumpſit,niſi q; per eos dies pars quædã exercitus adhibitis Tartaris Lituanicis,qui circiter ſexcẽti erãt,in ditionẽ Erici Scecinẽſiũ ducis populabũda excurrit, & uaſtatis

Elbingenſes cũ Polonis Sambiam populati.

Alexander filius Cazimiro natus.

Andreæ Tencinij cædes.

Ioannes Amor Tarnouius.

P. Samotulius & Io. Zaremba duces exercitus.

Naclenſe territorium tributarium Cruciferis, uaſtatum à Polonis.

Fridelandia recepta.

Tartari Lituanici.

Pomerani Scecinenſes uexati & profligati à Polonis.

igni quę obuia & immunita fuere, ingentẽ prædã auexit. Reuertentes nõ ſtros conſecuti hoſtes, & maiore ui adorti, magna ſtrage ab ijs profligati ſunt. Captiui regi traditi, cætera præda militib. ceſsit. Quo facto Sophia Erici uxor, mulier prę ſtãti forma, & liberali ingenio, ſuauiq; eloquio prędita, cuius hęreditarius erat principatus Scecinẽſis, in caſtra regis ſuppli cis habitu ueniens, regẽ marito ſuo placatũ reddidit. Feruntq; Cazimirũ, formã & prudentiã eius admiratũ, pœnituiſſe aliquatenus, quòd eã olim nõ cõtemnendũ principatũ, & magnã uim auri ab auo Erico ſeniore rege Daniæ pro dote afferentẽ, uxorẽ nõ duxiſſet. Rege apud Choiniciam tã diu ſtatiua habente, fremere cuncta nobilitas, cùm q; autumnalis cœli intẽperies, mixtæq; niuib. pluuiæ uulgo permoleſtæ eſſent: tũ quòd ſe fruſtra tempus terente in Pomerania, Cruciferi in diuerſa parte nauiter rẽ gererent, Morangumq;, Sipelbeinũ, & Raſtẽburgũ maiorib. uiribus denuò obſiderent, exaudiebãturq; uulgò uoces puerorũ, malũ cõſilium regi acclamantium. Quare inito conſilio, cũ deinceps milite mercenario bellũ illud geri placuiſſet, nobilitasq; omnis in ſtipendiũ duũ milliũ militũ, quæ mox in Pruſsiã contra hoſtes mitterentur, uiceſimã redituũ ſuorũ annuorũ partẽ (proceribus onus id recuſantibus) contuliſſet, & in ſequentẽ annũ tributũ duodenũm groſſorũ in iugera ſciuiſſet, ſub finẽ Septẽbris dimiſit rex exercitũ: idq; eo incunctantius fecit, quòd ad ſeditionẽ & ciuile bellũ res uergere uidebatur, Maioribus Polonis in Petrũ Samotuliũ præfectũ, aſperè & auarè gerẽtẽ magiſtratũ, frementibus, illoq; contrà neceſſarios & clientelas armante. Rex reuertens, Bydgoſtiæ dies aliquot, dũ mercenariũ militem, dato ei duce Petro Dunino Prauucouio ſuccamerario Sẽdomirienſi, in Pruſsiã tranſmittit, cõmoratus, acerbum de morte Sophiæ reginæ matris ſuæ nunciũ accepit. Febrim ea ex melopeponibus contraxerat, & mox paralyſi accedẽte extincta eſt, uno & quadraginta annis poſteaquam Vuladislao regi nupſerat, exactis, mulier religioſa, magnanima, ſed iracũda: & cùm ad amplificãdũ cultũ diuinũ munifica, tũ in luxũ profuſa: quo factũ eſt, ut nõ modicũ æs alienũ relinqueret: quod moriẽs, ut filius diſſolueret, mãdauit. Extãt ampla eius donaria, ueſtesq; ſacrę magni precij in baſilica Cracouiẽſi, & in delubro, quod magnificè à fundamẽtis excitatũ, & omni apparatu ſacrorũ, collegioq; octo ſacerdotũ inſtructũ, ac ſanctiſsimæ Trinitati dicatũ, baſilicæ frontiſpicio adiũxit: in quo etiã ſepulta eſt. Duninus accepto à rege exercitu, Suecæ arcẽ ſuperiorẽ in Pomerania, aliquandiu à Bidgoſtienſi & Cuiauienſi nobilitate, & ab altera parte à Gdanenſibus nauali apparatu obſeſſam, aduẽniens, in deditionẽ recepit. At hoſtes ex diſceſsione noſtrorum auctianimis, Morangũ, Sipelbeinum & Raſtemburgũ, itemq; Belauos toto anno obſeſſos in Pruſsia præfectis dedentib. in poteſtatẽ ſuã redegerunt, Dunino ob ſuorũ paucitatẽ ſubuenire obſeſsis nõ auſo. Braunsbergẽſes eiecto regio præſidio cũ Io. Scalio Boemo præfecto, Paulũ epiſcopũ Varmiẽſem cũ Cruciferis ſentiẽtẽ receperũt: & cũ id Scalius intẽpeſta nocte recuperare conatus eſſet, parũ abfuit, quin in hoſtiũ poteſtatẽ ueniret. Fridelãdẽſes in inferiore Pruſsia idẽ conati, cũ aliquoties à noſtris, qui in præſidio

Sophia Scecinenſiũ dux regem exorauit.

Nobilitatis fremitus in regẽ.

Rex puerorũ clamoribus exagitatus. Tributum decretum.

P. Samotulius inuiſus maioribus Polonis.

Petr. Duninus dux mercenariorum militũ.

Sophiæ reginæ ſenioris mors & mores.

Sophiæ munificentia in cultum diuinum.

Suece arx à Polonis & Gdanenſibus recuperata. Cruciferorum ſecundæ res.

Braunsbergẽſes Polonos eiecerunt. Fridelandenſes præſidium regium trucidarunt.

dio relicti erant, nõ sine cędib. represi essent, ad extremũ hostib. clàm ac citis primo diluculo portas urbis aperuere, eorumq; ope prędiarios incautos cõtrucidarũt. Stargartha siue Starigrodũ in Pomerania à tribus è magistratu urbano proditũ. Ne Gdanũ quidẽ ac Torunia extra periculũ fuere, studijs multitudinis propter prosperiores successus ad Crucíferos inclitãtib. & illis multos ad proditionẽ solicitãtib. cùm per alios, tum per duos quosdã Carthusios monachos de Paradisensi monasterio. Fuisq; perfecta proditio, si ad cõstitutũ cũ proditorib. tẽpus Cruciferi adfuissent. Deprehensi proditores pœnas dedêre. Brodnicia quoq; oppidũ in Culmẽsi tractu, negligentius custoditũ à Nicolao Coscelecio palatino Inouuladislauiẽsi, interceptũ: arx uerò propugnaculis circũquaq; extructis arctius obsessa est. In quã tamẽ modicũ prędiũ, cũ nõ copioso itẽ cõmeatu à Dunino submissum, ui per medias hostiũ stationes aliquot militib. desideratis perrupit. Quare diutius ea sustinuit obsidionẽ. At Cazimirus Bydgostia profectus in maiorẽ Poloniã, autumni tẽpus ibi cõsumpsit: inde Corcinũ ad comitia, ad sextã diẽ Decembr. edicta, se cõtulit. Ibi auditę legationes Ecigeris Tartarorũ principis, Georgij Boemorũ regis, & Friderici Marchionis Brãdeburgẽsiũ. Tartari oblatis muneribus, pacẽ, amicitiã, societatem, & auxilia cõtra quosuis hostes regi pollicebãtur, quãuis à Lituanis se ad inuadẽdã Podoliã solicitari dicerent. Boemi congressum cũ suo rege Glogouię ad Cal. Maias, & arbitriũ cũctæ cõtrouersiæ, quę Cazimiro esset cũ Cruciferis, regi suo postulabãt: quod Crucíferos quoq; nõ abnuere dicebant. Brãdeburgẽses principẽ suũ suspectum, q; sentiret cũ Cruciferis, purgabant, operãq; & ipsi suã ad componendas cũ illis res pollicebãtur. Tartaris actę gratię, missaq; splẽdida dona. Boemi absq; certo responso dimissi, Cazimiro per suos legatos respõdere pollicẽte. Nec ita multo pòst Stanislaus Ostrorogius Calisiẽsis palatinus, & Ioan. Tarnouius castellanus Sãdecẽsis, ad Georgiũ missi cũ his mãdatis, ut ad diẽ Iduũ Maij Glogouię maiori cũ Cazimiro cõgrederetur: de pace cũ Cruciferis faceret arbitratu suo, modò ne Pomeraniã, Culmẽsem & Michalouiẽsem ditiones Polonis abiudicaret. Brãdeburgẽsi uerò exprobratę iniurię, cõmemoratąq; in ingratũ Marchionẽ regia beneuolentia, quòd rex neq; cũ Ludouico Bauaro, neq; cũ Boemis coniungere sese aduersus eũ in animũ induxisset: de pace cum Cruciferis, si se interponeret Marchio, nõ inuito rege facturũ esse. Legatis dimissis, iudiciũ cõtra Cracouienses cõsules de cæde Andreę Tencinij institutum est. Atq; ij citati, cũ nõ sisterent sese, eo quòd beneficio Cazimiri secũdi regis cautũ sibi esse dicerent, ut nõ nisi Cracouiæ corã rege causam unquã dicerent, absentes ad capitalẽ pœnã, & octoginta millia marcarũ dãnati sunt. Peractis comitijs, ad finẽ anni rex Cracouiã profectus est. Ibi insequentis anni initio, instauratũ in arce in ciues Cracouienses iudiciũ iure Polonico, illis nequiquã ad Saxonicũ, quo ciuitates Polonicæ ferè utũtur, prouocãtibus: sera enim ea prouocatio siue exceptio tunc esse dicebat, omissa priore iudicio Corcinensi. Pronunciata sententia cõtra ciues: sed nihil tunc actũ ijs, qui fide regia sese stiterant. Cæterùm paucis diebus missi in urbẽ Nicolaus

Stargartha prodita Cruciferis.

Carthusij monachi Crucíferorum rebus studentes.

Brodnicia arx obsessa à Cruciferis.

Comitia Corcini.

Tartarorum legatio.

Boemorum legatio.

Marchionis Brandeburgensis legatio.

Cazimiri legatio ad Georgiũ Boemum.

Iudicium regiũ de cæde Andreæ Tencinij.

1462.

Ius Polonicum de cæde.

Scora Gaiouius Caliſsienſis caſtellanus, & Nicolaus Pienanſcus præfectus Cracouieñ. quatuor è ſenatu urbano, totidẽ de plebe, & magiſtrum lictorũ ad pœnam depopoſcerunt: dediti: & iureiurãdo Ioan. Rabſtiniį ſiue Tenciniį, interfecti Andreę filį, ſecundũ leges patrias rei peracti, ſex tunc in arce, ne qui nouus motus exiſteret, ſi in urbe id fieret, capitib. plexi ſunt: tres reliqui uita donati à Ioan. Rabſtinio, in carcere plus quàm to to anno in arce Rabſtinenſi aſſeruati ſunt, donec res cũ Tenciniįs tranſacta eſt. Iaroslao Sarleio uni de damnatis regina Elizabetha, quamuis domũ ea de re ad Ioan. Rabſtiniũ adiuiſſet, ueniam impetrare nõ potuit. Sic ira Tenciniæ familiæ exatiata eſt ſanguine, quanquam non eorum penes quos culpa cædis fuit. Nã & Clemens armorũ faber, qui multitudinem concitauit, & Ioannes Doiſuon, qui Tenciniũ latitantẽ prodidit, fuga ſaluti ſuę cõſuluere. Sex itẽ millia florenorũ ſenatus Cracouienſis Ioanni caſtellano Cracouienſi fratri, & Ioanni filio defuncti Tenciniį exoluit. Et ægrè quidẽ Derslai Rithuianiį palatini Sendomirienſis, & Iacobi Dembeniį theſaurariį regni, à rege ad componendã rem delegatorũ, opera, & Iacobi Sennenįs precib. eò res perducta eſt, Tenciniįs dimidiũ multæ ſiue uadiį à regina editi, hoc eſt quadraginta millia, poſcẽtibus. Acriter interim obſidebatur Brodnicia à Cruciferis. Itaq; miſsi ad regẽ ab equeſtri Pruſſorũ ordine, & ciuitatibus oratores, Gabriel Baſeuus palatinus Culmenſis, Otto Machuicius, & duo ſenatores Gdanenſes, Philippus Biſſouius & Ioan. Marpurgius, petiuerunt ab eo, ut Pruſsicarũ rerum maiorem curã ſuſciperet, arcemq; munitiſsimã & nobiliſsimã Brodniciã, quæ ægrè iam aliquot menſium obſidionẽ toleraret, ne in poteſtatẽ hoſtium uenire pateretur: permultũ in una illa arce ſitum eſſe ad retinendã Pruſſiam, & confirmandos Pruſſorũ animos. Cõſultiſsimè autẽ eũ facturum eſſe, ſi quàm primum in Pruſsiam ipſe cũ exercitu ueniret, ac Mariebur-
gi degeret: ſi pecunia careret, Pruſſos ciſam ſine acciſam (tributum ſic appellant) ac redituum ſuorũ dimidiũ collaturos eſſe, atq; adeò theſauros ipſorum, & fortunas omnes in poteſtate regis fore: ſi eſſet remiſsior, uideret ne ditiones ampliſsimas atq; opulentas, magno labore & ſudore, multo ſanguine, & maximis impendįs de manib. cupidi & improbi hoſtis recuperatas, nõ ſine ſũmo dedecore rurſus amitteret: ſeq; in fidẽ receptos, tetris & immanib. tyrannis proderet. Hac legatione motus Cazimirus, magnã partẽ aulici comitatus ſui, & quantũ mercenariorũ militũ ſtatim ad manũ habere potuit, in Pruſsiã ad liberãdam obſidione Brodniciã ad Duninũ preмiſit. Duninus quamuis auctus copijs, tamẽ obſeſsis nõ ſuccurrebat, hoſtiũ uires reformidans: qui ad famã noſtrorũ aduenientium, omnes copias Brodniciã contraxerant, & oppidi munitione ſeſe tuebantur. Itaq; obſeſsi, cum diutius inopiam & famem ferre non poſſent, menſe Februario uitam reſq; ſuas ut ſibi auferre liceret pacti, arcem Cruciferis dediderunt. Per id tempus Zemouitus Maſouiorum Plocenſium, & Vuladislaus Rauenſium atq; Belſenſium duces, Vuladislai filį, cõtinuatis penè funerib. elati ſunt, à Gothardo Ribenio caſtellano Sochazouiẽſi gente Raduanio ſiue Virbouio, cui Ribną pagum eripere uoluerant, ueneno,

Cracouiẽſes ciues capitali pœna damnati, & multati.

Pruſſorum legatio ad regẽ.

Pruſſorum ſtudium erga regem & liberalitas. Ciſa.

Brodnicia arce potiti Cruciferi.

Zemouitus & Vuladislaus Maſouiorũ duces ueneno ſublati.

heno,ut uulgò creditum est,de medio sublati.Et quoniã nullos ij liberos relinquebant,de successione inter cognatos eorũ,& regẽ certatũ est.Cognati legitimæ hereditatis nomine pro se quisq; defunctorũ ditiones ad se trahebant.Erant autẽ fœminę proximę Catharina & Agathia siue Ofca amitę defunctorũ: quarũ Catharina Michalusconi Lituano duci matrimonio iuncta,uidua tunc erat:Agathia cũ Cesinẽsi duce nupta,Venceslaum & Premislũ filios moriens reliquerat,qui maternã hereditatem petebant:petebat & Margarita soror patruelis defunctorũ,Zemouiti filia,Conradi nigri Olessnicensium siue Cozlensiũ ducis uxor.iam & Conradus,Cazimirus,Boleslaus,& Ioannes Boleslai Varsauiensium ducis filij,quanquam remotiores,nimirũ quarto gradu defunctos attingentes, tamen quia mares,ad se iure bona eorum pertinere asseuerabant. Rex uerò,quòd mortui duces nullos suos heredes masculos reliquissent,iure feudi caduci ditiones illas sibi & regno suo uẽdicabat. Ac Belsenses quidem donatione Iagellonis haud ita pridem à regno auulsi,non difficulter Andreæ Odrouanzo palatino Russię & præfecto Leopolienſi,& Ioanne Cuiropatuua succamerario Lublinẽsi & præfecto Chelmensi authoribus,in uerba regis iurarunt. Plocensis uerò conuentus priuato propriorũ principum dominatu delectatus,authore Paulo episcopo Plocensi,regis imperium,præsertim cum Cazimirum non probaret, detrectabat. Et primùm quidem Catharinam, quam superius commemorauimus: deinde quòd ea mulier,& sterilis esset,Conradum de Varsauiensibus ducib.natu maximũ,ducẽ sibi asciuit,attributis Catharinæ nonnullis possessionibus.Rauensis & Gostininensis conuentus,Grotho Nouomescio authore,Catharinam cũ non contemnenda manu ad se uenientem repulerunt. His auditis Rex Louiciam contendit,indeq; Ioannem Vuladislauiẽsem, & Andream Posnanienſem episcopos, Lucã Posnanienſem, & Petrum Lencicienſem palatinos,& Ioannem Tarnouium castellanum Sandecensem,uiros primarios,oratores ad Plocenses misit:à quibus cũ nihil aliud impetratũ esset,Lenciciam,ex constituto cum Plocensibus, conuentum ad sextum Nonas Maias edixit. Eò cum pauci quidam de Plocensi conuentu,nec ij primores cum Barbara Boleslai quondam Varsauiensiũ ducis uxore tunc uidua conuenissent,re infecta discessum est. Itaq; alia rex comitia Petricouiam ad tertium Idus Nouembr. edixit,ad eaq; Paulum episcopũ,ac cęteros Plocenses proceres,ni uim suam experiri uellent,nominatim adesse iussit.Interim autem,quoniam Rauã & Gostininũ Catharinа ui subigere aggressa erat, ab armis ut discederetur.His actis rex Gloգouiam ad constitutũ cũ Georgio Boemorũ rege congressum profectus est:quib.diebus Lencicia post discessum regiũ conflagrauit.Nec ita multo antè,Cracouia horrẽdo incẽdio in cœnobio Dominicanorũ sodalium è fornace alchymistica, quemadmodum uulgò iactatum est, orto arserat, ita ut dimidia ferè pars urbis ad meridiem & occidentem solem uergens absumeretur. Eius autem incendij culpa partim in acerbitatem regis aduersus Iacobum Sennenium,& cum eo sentientes sacerdotes,quorum decimas quoque rex diripi iusserat: partim in cædem

De successione in Masouia & Belsensi cõtrouersia.

Belsenses in uerba regis iurarunt.

Plocenses alienati à rege Poloniæ.

Rauenses & Gostininenses regis fidem secuti.

Legatio regis ad Plocensem conuentum

Comitia Lenciciæ.

Lenciciæ & Cracouiæ incẽdium.

Andreæ Tencinñ in æde sacra irreligiose patratam, uulgò relata est. Glogouiam aduenienti Cazimiro, Georgius Boemus, qui prior eò aduenerat, cũ Vuratislauiensi & Olomucensi episcopis, & quatuor ducibus Silesiorum, splẽdido & ambitioso apparatu ad unum milliarium occurrit. uicêre tamẽ nostri magnificentia & multitudine, in sex turmas descripti. Salutatione mutua ex equis facta, Cazimirus in arcem deductus est: Georgius in curia urbana diuertit. Nouem deinde dies dati colloquijs: quibus fœdus, ante annum Bythomię ictum inter reges, confirmatũ est: adiectum, ut id ad mortem utriusq; esset stabile. De Osuencimo, Volco, Zatoria, Ziuecio, Seuero & Berualto munitionibus ac territorijs, Boemus Polono ne faceſſeret negocium: Polonus uerò à Boemo dotẽ Elizabethæ uxoris suæ nomine ut ne repeteret. De iniurijs mutuis & controuersijs delecti utrinq; proceres, alternis uicibus in Polonia & Silesia certis locis conuenientes disceptarent. Proximus conuentus regum, si quis deinceps futurus esset, ut in Polonia ageretur. Ad extremũ societas contra Turcas inita, promissaq; auxilia mutua, utri bellum à barbaris illatum esset. De rebus Prussicis nihil actum, tergiuersantibus Cruciferis, successu belli & receptæ Brodniciæ elatis. Venit eò ad Cazimirum Ludouici ducis Bauari legatio, in Fridericum marchionem eum incitans, & cõtra Cruciferos auxilia uicissim pollicens. Cui quid responsi datum sit, non liquet. Reges ita constitutis rebus, & missis ultrò citroq; hospitalibus muneribus, discesserunt, Georgio Polonorum opes & splendorẽ admirante, nec ausò unquam Cazimirum ad conuiuium inuitare, eo quòd prior ipse ab eo inuitatus, acceptusq; magnificẽtissimo apparatu, prodere paupertatem suam, quæ gentis est ambitio, nolebat.

Cazimiri & Georgij regum conuentus Glogouiæ.

Pacta regum Pol. & Boem.

Bauari ducis legatio ad Cazimirum.

Polonorum splendor.

Boemorum ambitio.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVS QVINTVS.

CAZIMIRVS Glogouia discedens, Posnaniam diuertit: ubi cum tribus septimanis subsisteret, Cruciferorum præsidiarij Choiniciẽses in Palucos populabundi excurrerunt. Nostri quoq; in nouam Marchiam excurrerãt: sed ab hostibus profligati, pauci fuga euaserũt. Nec mora Inouuladislauiam rex contendit: inde missis agrestibus cum præsidio aulici comitatus sui, segetes hostium in Culmensi tractu succidi iussit. Prodigia per id tempus in Polonia minore apparuisse memorantur. Quadam die sole occidente plus quàm duabus horis imaginem crucifixi cum gladio ab occidente ad meridiem in aere tendere uisam esse: caput siue caluam diui Stanislai aliquoties dum in solenni supplicatione circunfertur, sudasse. Consecuta sunt domi quidẽ latrocinia, duce Boriuoio Scrinnio gente Labentio, & Vulodico ex Letaua, cum ij cum mille hominum manu rupe quadam inter Volcum & Zaros, quam

Paluci regio. Polonorũ strages.

Prodigia.

Latrocinia. Letaua arx.

quã Sola fluuius alluit, munita, Oſuencimẽſem oram omnẽ infeſtarent. Quos Pienanſcus præfectus Cracouienſis, facta è Sciricienſibus & mercenarijs paucis tumultuaria manu, cum ſe cũ Petro Comorouio & Prædislao Dmoſicio, hoc è Scepuſio, illo ex Vngaria aduenientibus coniunxiſſet, non modò à latrocinijs cohibuit, ſed in munitione illa, quã Bucone ciam dixere, obſeſſos aliquandiu, cum Boriuoius ex Oſtrauia ipſis nõ ſuccurreret, fame ad deditionem compulit, uitam modò & ueſtimenta pactos. In Pruſsia uerò cum Cruciferi nauiter rem gererent, rex ut eorũ audaciam reprimeret, Toruniam ſe cõtulit, indeq; aulicos ſuos cum Petro Dunino, & mercenario milite, Varmienſi baſilicę ſiue Fraumbergę obſeſſæ ab hoſte præſidio ſummiſit. Cuius aduentu Magiſter Crucifer orum conterritus, & aleam pugnæ periclitari nõ auſus, deſertis caſtris, fugiens ſoluit obſidionem: noſtri caſtra hoſtilia diripuêre. Nonnihil fortaſse momenti hoſtibus ad fugam attulit, quòd agrum ſuum Sambienſem à Gdanenſibus Habum tranſuectis, acerbè uaſtari acceperant. Et ferè agreſtibus eius oræ hoſtilis cõſtabat exercitus: itaq; retineri ij nequiuerũt, quin ad ſua defendẽda dilaberentur. Rex interim Toruniæ commoratus, & à Torunenſibus liberaliter habitus, nonnunquam reginam in arce Neſſouienſi degentem uiſebat. Erat apud Culmã Bernardus Sumbergius cum aliquanta manu hoſtium. Is cum è uicinis agris ſubinde prædas ageret, quadam die ſuos, nauibus traiecto amne Viſtula, noctu ad Neſſouiã iuſſit excurrere. Non ita multo antè rex id oppidum in gratiam Torunenſium in ſuperiorem ripam tranſtulerat: domus quæ in ueteris oppidi loco relictæ erant, uici ſpeciem præ ſe ferebant. Eum igitur uicum cum hoſtes noctu incendiſſent, trepidatum eſt à noſtris, qui ibi diuerterant, nihil tale ſuſpicantibus. Mox abiecto metu, Tartari cum perpaucis aulicis ad perſequendum hoſtem emiſsi, & naues repetentem amolientemq; aſſecuti, magnam ſtragem gladijs ſagittisq; ediderunt, & nauibus cunctis potiti ſunt: ſex modò uiui cum duab. nauibus de omni illo numero euaſerunt. Porrò Duninus hoſtibus à Fraumberga depulſis, Gdanenſemq; agrum populatione infeſtantibus, ipſe quoq; copias ſuas eò traduxit. Neq; ſatis habuit hoſtem liberiorib. excurſionibus arcere, ſociosq; defendere: ſed in hoſticum progreſſus, Stargartenſium, Bythouienſium, Lemburgenſium & Puſcenſium, quæ territoria nõ ita pridem in hoſtium poteſtatem uenerant, fines ferro & igni uaſtare adortus eſt. Hoſtes ubi noſtros prædæ cupiditate longius ad iniqua loca inter ſtagna & lacus prouectos animaduertere, ualidam & ipſi manum deducto è proximis ſuis munitionibus præſidiario milite, agreſtibusq; arma ſumere iuſsis, coegerunt, opportunitate locorum contra noſtros uſuri. Idq; eo maiore fecere fiducia, quòd cõmodum Fricius Raunechius Auſtrius, & Caſpar Noſtiuicius Sileſius, nouos milites è Germania & Sileſia ipſis adducentes, aduenerant. His igitur copijs coadunatis, occurrere noſtris parabant: tramitesq; omnes, ne quà noſtri ex anguſtijs effugere poſſent, ſucciſis quoquouerſus arboribus, interſepiebant. Qua de re Duninus per exploratores factus certior, ad regem mittit curriculo, qui eum, ut periclitantib. actutũ ſubue-

Buconecia caſtellum latrocyum.

Fraumberga ab obſidione Cruciferorum liberata.

Gdanenſes Sãbiam uaſtarũt.

Cruciferorum clades.

Neſſouia trãſlata.

Pomerania uexatur utrinq;.

niat, orent. Nec mora rex Albertum Gorsciũ cum reliquo comitatu suo ac Tartaris Lituanicis ad succurrẽdum suis mittit. Id ubi duces hostium compererunt, minore parte in castris aduersus Duninũ relicta, ipsi cum maiore ac delecta, ripam Vistulæ, qua Gorscium traiecturum esse existimabant, insederunt, ut eum, prius quàm se cum Dunino coniungeret, opprimerent. Sed Gorscius deflexo itinere, alibi liberè fluuiũ traiecit. ubi id intellexerunt hostes, omisso Gorscio, propius ad Duninũ castra mouerunt, ut eum priusquam Gorscius cum eo se coniungeret, ad pugnam elicerent: aut certè in angustijs conclusum, excluso Gorscio, obsessum tenerent. Non ignorabat Duninus de aduentu suorum: exploratum etiam habebat, longè maiores esse hostium uires, quàm suas. Itaq; non minus de auxiliaris illius, quàm de sui exercitus periculo sollicitus, noctu hostes in se intentos fallere, ac per deuias syluas euadere ad Gorscium decreuerat. Id ne facere posset, hostes diligẽter cauerant, deiectione arborũ transitu omni impedito. Mutato igitur cõsilio, ferro per medios hostes uiam sibi ad suos aperire statuit: instructaq; equestri acie, qua peditem contegebat, in hostes contendit. Alacres & illi pugnam capessunt, magna spe uictoriæ. Et ita se authore Nostiuicio inuicem adiurarant ac deuouerant, ut qui de suis pedem retulisset, sine omni tergiuersatione pro seruo regi sese dederet. Vbi ad congressum uentum est, Paulus Iasenius gente Goldouius, aulicus regius, armatus ab latere inter duas acies magno impetu procurrens, hastas hostium in nostros intẽtas auertit. Eodemq; momento nostri inopinata re perturbatos summa ui adoriuntur: & mox uel confractis, uel abiectis hastis, gladijs utrinq; res geritur, pugnatur acriter: omnibus non tam declinare ictus, quàm hostem ferire studium est. Audacia nostri, hostes multitudine superabant. Cumq; totas tres horas dubio marte pugnatũ esset, utrinq; quasi ex cõposito discessum est. Mox recreatis paululũ uiribus, utriq; nõ ad pugnã, sed ad persequẽdũ alteros cõtendunt, utriq; alteros uictos discessisse rati. Occursu mutuo instauratur prælium, rursusq; una hora dimicatũ est, donec sauciato Fricio ductore exercitus, & peditib. nostris assiduo balistarũ ictu dextra hostiũ latera feriẽtibus, retrocedere sensim ij cœperunt. Sed mox reuocãte & sistente Fricio, redintegrabatur pugna, si quod nostri trepidantib. recolligendi sese spacium dedissent. Interim dum ciet pugnam, animatq; suos Fricius, interfectus corruit. Ibi tum effusa fit fuga hostium cum altero duce Nostiuicio, iurisiurandi paulo antè dati, & ab omnib. exacti, immemore. Pedites desperata lõgiore fuga, pars in castra sese recepere, pars castra prętergressi, stagna lacusq; propinquos petiuere. Nostri pernicitate equorum freti, fugientes persecuti, magnam cædẽ edebant. ubi ad castra hostilia peruentũ est, ibi nonnihil difficultatis nostris obiectum erat. Etenim hostes ea, qua parte stagno non tegebantur, fossa & sudibus acutis foras obuersis munierant. Sed cupidis uictorib. non facilè quicquam obstat. Nostri enim præuertendos sibi esse hostes perterritos, priusquam ad castrorũ defensionẽ accurrerent, rati, admotis calcaribus cæcorum in morẽ in sudes obiectas ruebant: confossisq; equis nonnullis, tandẽ cõtextum sudium perfregerunt,

Stulta adiuratio.

Pauli Iasenij audacia.

Prælium & uictoria Polonorum de hostibus apud Puscum.

Fricius cæsus. Nostiuicij fuga.

Castra hostiũ capta.

perfregerunt,& uno impetu caſtra cæperũt, atq; diripuerũt,quindecim bõbardis maioribus,ducentis curribus,armis,impedimentis, & cõmeatu referta. Interim equites hoſtiũ caſtra ſua præteruecti,plurimi euaſere. Ala una in locũ deiectu arborũ à ſe ſeptum delata, nec inueniens exitũ, à noſtris conciſa eſt. Cęſa eo die hoſtiũ duo millia,capti ſexcenti, & maior propemodum quàm pro numero noſtrorũ ſtrages edita. De noſtris centũ gregarij milites ceciderunt.de nobiliorib. tantum Hector Chodoraſius deſideratus eſt: ſed pauci reperti,qui ſaucij non eſſent. Duninus in femore & in manu uulnera accepit. Ad Puſcum hoc pręliũ commiſſum eſt quintodecimo Cal.Octobr. Triduũ pòſt in ijſdẽ ſtatiuis humãdo cæſos, & ſaucios curando,conſumptũ eſt. Per quos dies Ericus Stolpenſiũ Pomeranorũ dux fortunã,ut credebat,ſequutus,mutata fide,quam Cazimiro regi,impetrata per uxorẽ uenia,dudũ dederat,cũ ſexcẽtis equitib.gra uis armaturæ ad caſtra Cruciferorũ cõtendens, cũ profligatũ eorũ exercitũ accepiſſet,raptim ſeſe ex itinere domũ recepit: nõ paucos tamẽ extremi agminis à noſtris inſequentib. partim captos, partim trucidatos amiſit.Honoratus eſt à rege uictor exercitus Petrus Duninus,Paulus Laſenius, Venceslaus Neborius,Nicolaus Vilcanouius,Thomas Odrouãzus, Ioã.Dlugoſſus, canonicorũ frater,& triginta alij uirtutis ergò militarib. donis inſignib.ornati. Eodẽ illo tẽpore tribus alijs in locis proſperè item dimicatũ eſt à noſtris:apud Laſenecium pagũ, & apud Piſsiam flumen in Maſouia,unde propinquarũ hoſtiliũ munitionũ præſidiarij milites prædas agebant:& apud Suece. Apud Elbingam quoq; non multo pòſt, naual prælio hoſtes à noſtris profligati ſunt. Prorogatum autem eſt à rege militib.ſtipendiũ,cũ eccleſiaſticus ordo decreto Caliſsienſis ſynodi ſubſidiũ regi in maiore quidẽ Polonia uicenũm groſſorum,in minore uerò ſenũm de prouentu uniuſcuiuſq; libræ ſiue marcę argenti contuliſſet. Sub finem Octobris Vlricus Ceruonca Boemus,cũ à Georgio rege eius gentis carcere,in quẽ biennio in gratiã Cruciferorũ cõpactus erat,Cazimiro poſtulante emiſſus eſſet,Golubũ oppidũ noctu ingreſſus,in poteſtatem ſuã redegit,hoſtili præſidio ſatis ualido partim capto,partim interfecto: turres duas,quæ acriter defendebantur,igni ſubiecto in deditionẽ accepit:de authorib. defectionis capitale ſupplicium ſumpſit.His ſucceſsib. magna rurſus animorũ inclinatio in regias partes facta eſt.Rex deinde ad comitia Petricouiam ad undecimã diẽ Nouẽbris edicta profectus eſt.Pauci eò de minorib.Polonis,incertũ quam ob cauſam, conuenêre. Venêre autem Conradus Maſouiorum Varſauiẽſium dux,cum matre Barbara, & Catharina amita,Michaluſconis Lituani ducis quondã uxore,& Paulo Ploceñ.epiſcopo,comitatu octingẽtorũ equitũ,itemq; Conradus Niger Oleſſnicẽſium dux,Plocenſem & Belſenſem principatũ cognationis iure ſibi uendicantes. Dati à rege recuperatores ſiue iudices: Stanislaus Oſtrorogius palatinus Caliſsienſis pro ſummo iudice,Grothus uerò Cazimirius pro ſuccedaneo,quẽ ſubiudicẽ noſtri uocant,iudicio præſidere iuſsi,his adiuncti palatini & caſtellani aliquot pro aſſeſſoribus.Inſtauratoiudicio,regij procuratores Ioannes Rithuuianius Marſalcus,& duo iuriſconſulti,

Cæſorum & captorum numerus.

Erici Pomerani perfidia.

Polonorum uictoriæ de Cruciferis.

Contributio.

Vlricus Ceruõca in carcerem coniectus.

Golubum receptum.

Comitia Petricouiæ.

Iudicium de Plocenſi & Belſenſi ditione.

iuriſconſulti, negabant legitimæ cognatorum ſucceſsioni locũ eſſe in deditit̃js ſeu feudatarijs, ut uocant, bonis, cuiuſmodi eſſet cũcta Maſouia, Polonorum regib. antiquo iure obnoxia: ſed regem optimo iure defunctis ducibus deditit̃js, qui nullos mares liberos relinquerent, ſuccedere. Refellebant id Conradi Varſauienſis cauſidici, quòd dicerent, à Cazimiro eius nominis ſecundo rege Maſouiorum duces è deditit̃js penitus exemptos eſſe. Contrà regij negabant, Cazimirum aut quenquam omnino regem ſine aſſenſu ampliſsimi conſilij tantum de cõmodis & iure regni detrahere potuiſſe. Iuraſſe autem pòſt in uerba regis Zemouitũ, Cazimirum, Ioannem, & Vuladislaum duces. Atq; ita diſceptata cauſa iudices ſecundum regem pronũciarunt, Maſouijs iudicium illud fruſtra iam detrectantibus, & ad pontificem maximum, & quemuis alium qui ſciret, poſſet, & uellet iuri ſuo opitulari, prouocantibus. Cum Alberto Auſtriorum archiduce fœdus ictum, ea cõditione adiecta, ne Cazimirus dotem Elizabethæ uxoris ſuæ ab eo repeteret. Nihil præterea memoratu dignum in ijs comitijs geſtum eſt, propter ſenatus infrequẽtiam: niſi quòd Hieronymus Cretenſis archiepiſcopus, legatus pontificius, cuius iam ſuperius mentionem fecimus, annum ferè totum expectatus, ſub finem comitiorum adueniens, ad pacem cum Cruciferis faciendam, & ad bellum Turcicum regem hortatus eſt publicè: priuatim autem ſolo archiepiſcopo interprete reconciliare Iacobo Sennenio regẽ conatus eſt, affirmans, epiſcopam ſemel à ſede Apoſtolica ipſi iniunctam, inuito adimi iure non poſſe. Sed rege aſſeuerante, malle ſe regno decidere, quàm illum patiẽſe epiſcopum: legato que uiciſsim uociferante, præſtare ut tria regna pereant, quàm ius & authoritas eccleſię perturbetur: re infecta, & iritatis utrinq; animis diſceſſum eſt. Conuenit tãdem inter eos poſtero die, ut rex alia comitia eódem in decimamſeptimã diem Ianuarij ediceret: interim uterq; ſcriptis ad Pontificem literis contenderet, ut ſi aliter fieri non poſſet, ad Vuladislauienſem epiſcopam Iacobus Sennenius transferretur. Et mox legatus explorata regis uolũtate de pace, ad Cruciferos in Pruſſiam contendit: nec tamen ultra Breſte Cuiauienſe progreſſus, per literas & internuncios cum Magiſtro Crucifero rũ de pace egit. Rex uerò diſcedens & ipſe Petricouia, Rauæ & Goſtinini poſſeſsionẽ adijt: & hanc quidem præfecturam Nicolao Cutenio, illam uerò Grotho Ceſnico (ſiue id illi gentilitium nomen, ſiue magiſtratus, quem pocillatorem dicimus, appellatio fuit) quoad uiuerent cõfirmauit: poſſeſsiones etiã quaſdam utrique hæreditario iure donauit, propterea quòd horum duorũ opera potiſsimũ ditiones illæ ipſi adiunctæ eſſent. Archiepiſcopo uerò Gneſneñ. libram ſiue marcam auri è Louicia Maſouijs ducibus Sochaſſouiæ quotannis pendi ſolitam, in omne deinceps tempus remiſit: quibus peractis Radomiam ad reginam uxorem ſe contulit. Per id demum tempus Vienenſes ciues tumultu ciuili ob ſex ſenatores in carcerem coniectos concitato, Fridericum Imperatorem in arce duobus ferè mẽſibus obſederunt: & Georgium Boemorum regem, cum exercitu liberandi eius cauſa uenientem, Alberto Friderici fratre duce, inſidijs exceptum in, ſub urbanis uillis

Fœdus cum Alberto duce Auſtriæ.

Legatus pontificius.

Regis cum legato altercatio.

Tributum Louiciæ nomine remiſſum archiepiſcopo.

Fridericus Imperator obſeſſus à Viẽnenſibus.

Georgius Boemus profligatus.

illis profligarunt. Pax deinde facta, ea conditione, ut Fridericus Maximiliano filio principatum illum concederet, eiusq; tutelã Albertus patruus gereret. Fridericus ut gratiam referret Georgio, filios eius duces Munsterbergensium in Silesia creauit. Hoc etiam anno reperio Stephanũ palatinum Valachorum in uerba regis absentis iurasse, & promisisse, præsenti quoq; idem iusiurãdum solenni ritu se daturum esse intra duos uel tres menses, cum euocatus fuerit. alius ne autem sit hic Stephanus ab illo, quem superius iurasse narrauimus, aut si idem, cur iusiurandum repetiue rit, nihil compertum habemus: nisi fortè ex eo, quòd is tunc retractauit omnes alias obligationes suas huic cõtrarias, colligi rectè potest, eum intermedio tempore mutasse fidem, & ad Vngarũ desciuisse. in quo suffragari nobis uidetur Vngaricarum rerum scriptor Bonfinius, qui hæc tempora persequens, Valachorum palatinum, siue Vaiuodam, ut ipse uocat, in fide Mathię regis fuisse memorat. Huc accedit & illud, quòd proceres & consiliarij ipsius pro ipso, quasi cui ipsi fides non haberetur, spopõderunt, quòd eum deinceps in fide regis Cazimiri & officio retẽturi essent. Post initium insequentis anni Cazimirus Petricouiam ad præstitutam comitijs diem rediit. Adfuit frequens senatus, & Hieronymus legatus pontificius, itemq; Iacobus Sennenius. Aduenêre & Conradi cęterorũq; fratrum Masouiorum ducum oratores, Nicolaus Bogleuius Varsauiensis palatinus, Vincentius Gizicius Marsalcus, Nicolaus Mirzenecius, & Nicolaus Malcus iurisconsulti: Lituanorum uerò procerum Totiuil & Cuzek. Ac Sẽnenius quidem omnibus nequicquam tentatis, cessit pertinaciæ regis, sicuti iam suprà exposuimus. Ioãnes Gruscinius Cracouiensis epiſcopus designatus in Vuladislauiensi, successorem accepit Ioãnem Lutecum Bresium procancellarium regni: quorum triũ ambitio & pontificiam authoritatem in Polonia debilitauit, & electioni liberæ uim attulit: ita ut ex eo tempore ea sublata, umbra modò eius quædam penes sacra collegia remaneat, non sine grandi non modò ecclesiasticæ authoritatis, uerùm etiam religionis & reipub. iactura. Etenim donec liberæ sacerdotum electioni in creando episcopo locus fuit, fuit tamen aliquod bonorum & malorũ, dignorum indignorumq; discrimen, cũ sacerdotes sumptis reuerenter tremendis Christi mysterijs, iurati de futuro episcopo ferrent suffragia: uirtute, doctrina, & pietate tunc ambiebatur, plus quàm fautoribus, aut necessariorum precibus, aut mulierum blanditijs atq; lachrymis, aut splendore comitatus, aut apparatu conuiuiorum, & compotationibus, aut commendatione generis & familiæ, aut assentatione, & sacerdoti indecoris ministerijs, aut etiam largitione. Vigebat igitur disciplina ecclesiastica: minus sibi permittebãt ij qui episcopi fieri cupiebant: seruiebant famæ & existimationi: & non modò reprehensionem collegarum, sed etiam sinistram cuiusuis suspicionẽ cauebant. Episcopi uerò facti, nihilominus pro fratribus ducebant collegas ante suos: in consilium eos de rebus maioribus adhibebant, plurimumq; reuerebantur, & officium suum nauiter faciebant, memores quid solenni & seriò dato iureiurãdo recepissent. Ad aulas principum quoties ueniebant (ueniebant autem

Maximilianus dux Austriæ.
Georgij filij duces facti.
Steph. Moldauiæ pal. iurat in uerba regis Polon.
Stephani dubia fides.
Comitia Petricouiæ. 1463 ann.
Iacobus Sennenius cessit episcopa.
Ioãnes Gruscinius episcopus Cracouiensis.
"Episcoporũ electiones liberæ.
"Quales olim episcopi.
"Episcoporũ dignitas & authoritas.

» tem rarius, nec tam sua suorum'ue, quàm publicæ utilitatis gratia)
» de uia ipsis decedebatur, assurgebatur, omnis'que honos habebatur,
» & quasi numinibus quibusdam tantum non ad genua procumbeba-
» tur ab ipsis etiam principibus. Porrò in consilijs de republica in iu-
» dicijs, in defendendis ac uindicandis bonis & hominibus ecclesiasti-
» cis, pupillisq; & uiduis, denique in admonendis & corrigendis non
» modò infimis & mediocribus, uerùm etiam primoribus, atque a-
» deò regibus ipsis liberæ erant eorum uoces & sententiæ, singularis di-
» gnitas, summa authoritas. Non inhibebat uocem accepti beneficij
» memoria, non spes futuri. Nec eleuabat authoritatem dicentis aut
» arguentis ambitio, & conscientia audientium: nec metus aut inscitia
» dignitatem deprimebat. Non erat necesse episcopo & sacerdoti pro
» foribus cubiculi regij inter scurras & uilia uentris mancipia assidere:
» nec sannas & scommata leuissimorum quorunque ferre: non turpiter
» & indecorè adulari & adblandiri non modò elegantioribus istis cu-
» biculi & mensæ regiæ administris, ut aliquam tamen ij uel ioco men-
» tionem absentis apud regem faciant: uerùm etiam satellitibus, iani-
» toribus, ne dicam etiam horum concubinis atque scortis, matellio-
» nibus, morionibus, ac cæteræ feci aulicæ, atque ipsis denique catel-
» lis principum. Itaque florebat tunc respubl. florebat religio, flore-
» bat ordo ecclesiasticus: florebant scholæ & Academiæ, sacerdotum &
» episcoporum seminaria: splendescebant templa: aulæ uerò principum,
» horum præceptis & exemplis institutæ, urbanitatis, uirtutis, fortitu-
» dinis, prudentiæ, modestiq; & pudoris erant officinæ, non fastus, ignauiæ,
» ebrietatis, libidinū, temeritatis, impudentiæ, & omnis nequitiæ & impie
» tatis ganeæ ac barathra. Nunc sublata electione, hæc & multo plura alia
» mala bonis illis successerunt, & in domos ac familias, atque adeò in ipsa
» intima cubicula episcoporum, nedum in profanorum principum au-
» las inuaserunt: simul'que dignitas sacerdotum, indecorè emerendo &
» emendo fauore etiam abiectissimorum uiluit: labefactata est authori-
» tas: nutat, ne dicam ruit, Respublica: religio prostrata penè concidit.
» Quæ omnia Principes non tam episcopis debent imputare & sacerdo-
» tibus, quàm sibiipsi, qui nuncupandorum episcoporum ius sacris col-
» legijs ereptum, sibi uendicarunt. Nam ut nihil perperam ij faciant,
» nihil affectioni cuiquam indulgeant, sed eadem illa omnia, quæ iura-
» ti sacerdotes in electionibus episcoporum habere solent, ob oculos ha-
» beant, certè longè facilius unus aliquis, & is quidem alienis ferè ocu-
» lis & auribus sentiens & iudicans, errat & fallitur, quàm multi gra-
» ues, acuti, & multarum rerum periti: & aliud is plerunque spectat,
» quàm quod potissimum spectandum est in deligendo episcopo: & ue-
» rò expeditius est, unum quàm multos corrumpere. Tametsi magna,
» ne dicam præcipua huius rei culpa est penes Pontifices maximos, mea
» quidē sententia: qui nisi electiones collegiorū primi labefactare adorti es-
» sent, nūquā eò audaciæ reges prouecti essent. Sed nos inutili deploratio-
ne omissa, ad rē redeamus. Sic igitur de episcopa Cracouiēn. tūc actū est.

et prodesse debuit ossa Cabanis

Scholæ sacerdotum seminaria.

Principum aulæ quales olim, et quales nunc.

Principes alienis oculis & auribus sentiūt.

Electionum sublatarum culpa penes pōtifices max.

Masouij

Masouij nihil & ipsi impetrarunt. Petebant autem, ne ducibus suis rex molestus esse pergeret de Plocensi ditione, aut certe externis & à suspicione alienis hominibus causam cognoscendam & iudicãdam permitteret. Ferebantque regi iudicem Fridericum Marchionem Brandeburgensium, uel Albertum archiducem Austriorum, uel Ludouicũ ducem Bauarorum. Lituanis Podoliam, Belsensem, Olescensem, & Rathnensem tractus non sine comminatione belli repetentibus, nihil aliud responsum est à senatu, quàm missum iri ea de re legatos ad conuentum Lituanorũ. Et mox legati designati, Stanislaus Ostrorogius palatinus Calissiensis, & Ioannes Rithuianius Marsalcus regni. Porrò in Prussiam bellum siue expeditio decreta est. His peractis Cazimirus Radomiam ad uxorem, & inde cum ea in Lituaniam profectus est. Quem consecuti legati senatus Polonici, postulata Lituanorum in conuentu Vilnę disertè refutarunt. Sed cum Lituani non acquiescerent, rex causam ad conuentum communem Parsouiam indicendum reiecit. Legatus uerò pontificius Petricouia discedens, in Prussiam à præsidio militari regis iussu ad Magistrum Kynixbergam deductus. Secundæ tunc res nostris erant in Prussia. Nam præter ea quæ superius commemorata sunt, apud Vormitham, quam Ornetã Poloni uocant, Pauli episcopi Varmiensis, qui uiolata iurisiurandi religione ad Cruciferos desciuerat, milites unà cum aulicis Magistri præsidiarijs, cum per proditionem noctu capere id oppidum constituissent, proditi ab illo ipso, qui oppidi proditionem ipsis promiserat, & à Ioanne Scalio præfecto præsidij regij præparatis insidijs intromissi, ad unum omnes aut capti, aut trucidati sunt, quotquot ingressi erant. Nam qui in extremo agmine fuere, ne multitudo hostium nostros pauciores prægrauaret, exclusi & inopinato periculo perterrefacti, in propinquos lacus glacie concretos diffugerunt, ruptaq́ꝫ fragili etiamtum glacie demersi periere. Apud Scampe item oppidum agri Dobrinensis trecenti equites hostiles è præsidio arcis Brodniciensis prędatum profecti, ab Vlrico Ceruonca, qui Golubi erat, profligati sunt, ita ut perpauci fuga euaderent capti ex his octoginta. Arx uerò Slochouia, ne proditione in hostium potestatem ueniret, pręsidiariorũ Pomeranorũ opera seruata est. Vuladislaus Castellanus & Præfectus Naclensis, illius etiam arcis præfectus erat, eamque absens Georgij cuiusdam sculteti nobilis, gente Topori, fidei commendarat. Is igitur Georgius, cum prodendæ arcis consilium cępisset, præsidiarios milites, quos conatibus suis aduersaturos esse suspicabatur, per speciem commeatus ex hostico importandi emissos, arce excluserat, et (ueré ne an falsò, non liquet) præfecti iussu id se fecisse dictitabat, nec nisi duodecim, & eos quidem Pomeranos, quos minus supectos habebat, secum reliquerat. Hi ubi eum pactiones cum hostibus de prodenda arce inire animaduertêre, siue inuidia & auaritia incensi, siue officij & fidei suæ memores (nam ne hoc, quidem constât) comprehensum eum in fundum turris concluserunt, & fide accepta præfecto aduenienti portas arcis aperuerunt. Sed is uiolata fide omnes eos capitali affecit supplicio. Quod factum uariè suspicandi occasionem hominibus præbuit. His igitur successibus nostrorum moti

Masouiorum postulata.

Lituanorum postulata.

Cruciferorum clades apud Vermitham.

Apud Scampe.

Slochouiæ periculum.

Pacis desiderium apud Prussos.

moti Cruciferi, pacem afferentem legatum pontificium cupidè acceperunt. Promiscua uerò multitudo cùm uirorum, tum matronarum & puellarum belli & penuriæ cæterorumq́ incommodorum bellum consequentium pertesa, lachrymare gaudio, ac desyderio pacis legatum magistratusq́ suos supplex obtestari, ut exoptatam eam sibi quibusuis, modò tolerabilibus conditionibus conficerent, ni se prorsus perditum ire uellent. Ibi legatus, æquissimus scilicet pacis arbiter per interpretem, quemadmodum proditum est, laudare & confirmare constantiam populi: hortari, deinceps quoq́ ut in fide Crucigerorum permaneret: regem Polonosq́ carpere, & cùm iniquitatem causæ eorum exaggerare, tum mores fidei religionis, & humanitatis expertes calumniari: studium suum erga Cruciferos omnibus modis testatum facere: denicq́ certam perpetuam'que pacem, aut duodecim duntaxat annorum inducias ipsis, quasi regem quò uellet adducturus esset, certò polliceri. Ita confirmatis eius oratione animis omnium, mittuntur cum eo Breste tres oratores, ad tractandum de pace cum Polonis, quos eò rex eius rogatu miserat. Fuerunt autem ij, Ioannes Vuladislauiensis, Andreas Posnanienſis episcopi, Stanislaus Ostrorogius Calissiensis, Petrus Opporonius Lencicienſis, Nicolaus Coscelecius Brestenſis palatini, Sendiuoius Zechel præpositus conuentus Clodauiensis, Ioannes Dambiouuca, Iacobus Schadecus, & Mathias Racianzus doctores, partim theologi, partim iurisconsulti. Ad constitutam diem, hoc est, ad Calendas Maias conuentum, indeq́ infectis rebus discessum est, orta inter Polonos & legatum acerba contentione & iurgio ex huiusmodi causa. Veniebant legati à ciuitatibus Toruneſi, Elbingenſi, & Gdanenſi: eos legatus ingressu oppidi & conuentu prohibere oportere contendebat, quòd eas ciuitates, simul'que cæteros Prussos, qui cum Polonis sentiebant, ipse diris deuouisset. Contrà Poloni, iniquissimum id esse præiudicium affirmabant, & ab instituta re alienissimum. Admissi igitur legati, frustra reclamante legato apostolico. Mox ille toti oppido sacris interdixit. uerùm id interdictum Poloni contempserunt, orto initio à militibus, qui per speciem supplicationis ob rem bene gestam à suis apud Helgebeilam, oppidum'que id à Scalio captum ac direptum, facto concursu ad templa, nolarum siue campanarum pulsu, festoq́ cantu oppidum impleuerunt. Ibi uerò furere legatos, uociferari, non modò se, uerùm etiam pontificis & sedis apostolicæ authoritatem contemni. Nec cessere furori eius Poloni, grauiter in eum inuecti per Ostrorogium, quòd cum pacificatoris personam sustineret, nihil minus quàm paci studeret, sed classicum etiam caneret. Cuius rei clariora etiam documenta proferebantur eius literæ ad Cruciferos, à nostris interceptæ. Ita tunc iritatis animis discessum est. Et legatus quidem Cracouiam, ubi controuersæ episcopæ sequester & administrator à pontifice constitutus erat, proficiscì cupiens, cum prohiberetur à Polonis, Vuratislauiam se contulit: indeq́ missis ad regem in Lituaniam literis, questus est de Brestenſi contumelia, in Vuladislauiensem episcopum potissimum culpam conferens. Quod si rex agi de pace nihilominus à se uellet, extra fines Poloniæ locum constitueret, quò tutius aduersarij uenire possent.

Legati iniquitas

Conuentus Polonorum cum Cruciferis de pace.

Prussi propter interdictū submoti à legato, à Polonis admissi sunt ad conuentum.

Legati iniquitas.

Legatus non admissus Cracouiā.

possent. Et hæc quidem ostentans, Prussos & Pomeranos Vuratislauiam lubilæi gratia uenientes, in partes Cruciferorum pertrahere omni ratione conatus est, minis etiam intentatis. Quin mulieribus maritorum consuetudine & contubernio interdixit ijs quæ maritos à fide regi data auellere nequirent. De qua iniquitate eius aliquanto antè quàm is ueniſſet in Poloniam, Iacobum Sennenium prædixisse Dlugossus memorat. Misit tamen postea Cazimirus ad eum legatos, Ioannem Rithuianium Marsalcum regni, & Iacobum Schadecum iureconsultum & canonicum Sendomirienſem, postulatum, ut interdictum siue diras, quibus Prussos regias partes secutos, indicta causa deuouerat, relaxaret, & æquiorem sese in componenda pace præstaret. Verùm illo non nisi ad tempus, quoad de pace tractaretur, diras relaxare uolente, acceptum id à rege non est, nec ipse in Poloniam deinceps uenit. Tametsi Bernardus Vapouius ueniſſe eum, omnia prolixè pollicentem, infectaque pace recessisse, memorat. Verùm id non conuenit cum ijs quæ Dlugossus, cuius tempore hæc acta sunt, scribit. Nempe misisse eum postea ad regem, denuò deposcentem sibi pacificandi ipsius cum Magistro prouinciam: missosque uicissim ad eum à rege Iacobum Schadecum iurconsultum, & Ioannem Sepinium, qui dicerent, regem non abnuere, modò ut is Prussos interdicto absoluat, Posnaniamque ueniat. De damnis & impendijs penes eum fore arbitrium, ac de cæteris, modò ut Pomeraniam, Culmensem, & Michalouiensem tractum Poloni retinerent: cumque ille non remitteret de interdicto, Romam eum reuertisse Vuratislauia. Hac æstate quingenti nostrates Russi milites, permissu regis, Casensium stipendio conducti, cum ad defendendam eam urbem aduersus Turcas proficiscerentur, apud Bogum amnem à Lituanis & Volynijs deleti sunt, ex huiusmodi causa. Braslauiam Lituanicæ ditionis oppidum cum peruenissent milites, excitata temerè cum oppidanis rixa, unum ex ijs forte fortuna intereme-runt: cumque gliscere in se magis ac magis tumultum concitatæ multitudinis animaduerterent, oppidum incenderunt, quo minore negocio indè se euoluerent, oppidanis incendio restinguendo occupatis. Præfectus erat arci Michael dux Zartorienſis. Is dolore simul & ira incensus, cum tumultuaria manu nostros abeuntes persecutus, quater in eos impetum fecit: quaterque non sine clade suorum repulsus, affluente ex toto territorio oppidanorum & agrestium, qui propter Tartarorum uicinitatem bellicosi & in armis probè exercitati sunt, multitudine, uada suprà memorati fluuij præoccupauit, & truncis stipitibus que impediuit: indeque rursus subducens sese, impeditos in trajiciendo flumine à tergo & lateribus adortus, cunctos atrociſſimè trucidauit, ne supplicibus quidem parcens. Quinque soli ex omni eo numero fuga elapsi sunt. Præda omnis, qua hostis potitus est, triginta millibus florenorum æstimata. Sic urbs illa nobilis, Genuensium colonia, Theodosia, quemadmodum uocant, olim dicta, fruſtrata nostrorum ope & præsidio, non multo pòst à Turcis

Legatio regis ad legatum pontificis.

Russi auxiliares Casensium deleti à Lituanis & Volynijs.

Casa à Turcis capta.

Lesbos insula & Bosna à Turcis subiugata.

Turcis subiugata est. Mouebat autem Cafenses ad implorandam opem Turcarum uicinitas, qui in ipso huius anni initio Lesbon insulam, & mox Bosnam regnum florens opibus & munitionibus, in suam potestatem rede

Stephani Bosnensium regis auari interitus.

gerant, regemq; Stephanū cum primaria arce laice in deditionem acceptū, contra fidem datam, ad palum alligauerant, & sagittis confixerant, expro brante ipsi Mahomete imperatore ignauiam, quòd cum argento & auro, cu ius immensa uis in thesauris eius reperta erat perire, quàm ad defendendū

Ianizeri.

sese & suos, eo uti maluerit. Ex eo uerò tempore Ianizeri, quæ phalanx est Turcica, ab hoc ipso Mahomete primū instructa, Slauonica lingua uulgo uti cępere, triginta millibus ex captiua iuuentute Bosnensi in eum ordinē

Polonorū de Turcis uictoria ad Sauum fluuium.

allectis. Longe uerò prosperiores successus tunc habuerunt ij Poloni, qui Mathię regis ære cōducti Felice Paniouio gente Gozębio, & Ioanne Sre scouio Doliuio, cognomento Albo ducibus, in Vngaria militabant. Fue runt aūt ij quingenti equites, qui ad reprimendam Turcarū excursionem è Bosna factam, missi à rege cum septingentis itidem equitibus Vngaris, miserti Christianorum, qui ad septem decem millia utriusq; sexus in fœ dam seruitutem à barbaris abigebantur, obfirmatis ad uincendum aut mo riendum animis, cum Vngari multitudine hostium pauefacti diffugissent, prima noctis uigilia in barbaros, ne paucitas sua conspecta illis animum adderet, impetum fecere: resistentibusq; acriter Turcis quinquies pugnam redintegrarunt. Sic tota nocte pugnatū est. Die uerò illucescente, cum bar bari paucitatem eorum conspexissent, cohortati sese inuicem, & in duas a

Rascianorum dubia fides.

cies diuisi, à frōte pariter & à tergo adoriri eos satagebant. Verùm hoc pa rantibus, Poloni captiuorum clamore animati, acrius instabant. Aberat haud longè Rascianorum turma, expectans euentum prælij, ut cum uicto ribus sese coniungeret. Ea igitur cum meliore loco rem Christianorum esse animaduertisset, inuecta est & ipsa in Turcas. At illi desperatis rebus, Sauum amnem propinquum effusa fuga petiuere. Et commodùm naues ad traijciendos eos adnauigarant. Itaque abiectis equis & armis, tumul tuariè ad naues perfugiebant, è quibus tamen paucæ incolumes in ulte riorem ripam eiectæ sunt. ceteræ pondere insilientium depressæ ac de mersæ periēre. Fuere autem quatuor millia Turcarum selectorum in eo

Vngari equites ignominia notati.

exercitu. Sic tunc Mathias Polonorum opera præclara, sed insperata prorsus uictoria de barbaris potitus est. Nam Vngari in fugam effusi ad unum eos omnes perijsse diuulgarant: quos rex insigni ignominia notauit. Polonis uerò & Socoli Petro duci Vngarici illius equitatus,

Mathias rex quibus militibus usus.

qui solus cum sexdecim familiaribus suis cum Polonis perseuerarat, per ampla dona largitus est. Et mercenarijs militibus externis, è Polonis, Silesijs, Morauis, Boemis, atque Germanis conscriptis, postea multum usus est. Nec multo pòst in Transyluania iterum eosdem hostes iti dem per legatos profligauit. Cumq; Nicolaum Fristacium, & alios quos dam æmulos suos, qui Fridericum Imperatorem ad regnum Vnga

rorum

rorum inuadendum excitarant, commoditate sua et magnis promissis sibi reconciliasset, & cum Friderico post duo prælia diuerso euentu depugnata pacem fecisset, ac diadema sacrum, ab Elizabetha regina olim sublatum, & apud eundem Fridericum depositum, sexaginta millibus nummum aureorū redemisset, comparato in sequentem annum maiore exercitu, ad depellenda arma Turcica, recuperandamq; Bosnam animum adiecit. Per eos dies, siue adeò sub ipsum tempus comitiorum Petricouiensium Paulus Giscicius episcopus Plocensis, cum tres et uiginti annos illi ecclesiæ præfuisset, è uiuis excessit, & in Poltouiensi templo, quod ipse exædificarat, & lautum collegium canonicorum sacerdotum in eo instituerat, sepultus est. In locum autem eius Sciborius Gozacicius Canonicus à collegio eius basilicæ, tribus, de quibus ipse unus erat, facta per compromissum potestate nuncupandi episcopi, suffectus est, repudiatis mandatis et nuncijs regis, qui Iacobo Sennenio studebat. Cazimirus uerò rex facturus expeditionem in Prussiam, è Lituania profectus, mense Iunio uenit Lenciciam. In eum enim locum copijs omnibus, ut conuenirent, edixerat. Ibi cum de consiliarijs nonnullis, qui primi ei occurrerant, cognouisset fremere ob eam expeditionem equestrem ordinem, comitia Corcinum edixit ad quintam diem mensis Iulij: eoq; ipse profectus, post octo dierum consultationem decreto, omnium consensu, senùm grossorum ex iugero, itemq; è caupona & moletrina tributo, et alijs comitijs ad medium Octobrem Petricouiam indictis, expeditionem remisit: mercenariorum uerò militum aliquantam manum in Prussiam ad capiendum Gneuū misit, motus querelis Prussorū, qui minus libera nauigatione in Vistula utebantur, quòd à præsidiarijs eius arcis & oppidanis infestarent. Ipse uerò in maiorem Poloniam sese contulit. Cum autem Gneuum egregiè defenderetur ab hostibus, ita ut ij crebrò decurrentes non parum damni nostris obsidentibus inferrent, cœpere nostri consilium longiore et secura obsidione hostes ad deditionē compellendi. Itaq; necquicq; prohibentibus Cruciferis, circumuallarunt arcem uallo siue sepibus limo oblitis, turresq; & propugnacula opportunis locis excitarunt. Nam fluuio ne quid obsessis importaretur, Gdanenses classiarij observabant, quibus arx illa potissimū incōmodabat. Sed ij dum aliena oppugnāt, sua urbe penè exciderunt proditione paucorū ciuium, quorum capita erant Mathias Schimnan iurecon sultus, et Georgius Cocus: qui sub specie remigū et baiulorū è nauibus onera ferentium nō paucos iam hostiles milites in urbem receperant. Nec procul ab urbe Magister Cruciferorū cū mille quingentis equitib. aberat, ut constituta cum proditorib. die ad tertiū Idus Iulij ex improuiso irrumperet. Sed detecto ab uno ex cōiuratis scelere, euocati in curiā, proditores per speciem cōsultādi de rep. capti & cōuicti, capitali supplicio affecti sunt. Schimnani tñ, professioni honor habitus est. Nam is in custodiam episcopalis iudicis, quē Officialē uocāt, traditus: et episcopi Vuladislauiēsis opera postea liberatus, ad Magistrū pfugit. Milites item hostiles in urbe deprehensi

Turcæ uicti in Transyluania.

Mathias æmulos sibi reconciliauit.

In Turcas bellum comparauit.

Poltouiense collegium institutum.

Sciborius Gozacicius electus Plocensis episcopus.

Comitia Corcini.

Expeditio tributo redempta.

Gneuū obsessum.

Gdanum propè proditum.

De Doctore non iudicarunt Gdanenses.

henſi, partim capitis pœnas luerunt, partim in profluentem demerſi ſunt, partim diuturni carceris moleſtias pertulêre. Magiſter uerò ſpe fruſtratus, ad opitulandum ſuis Gneui obſeſsis animum conuertit: naues-que uiginti militibus bene inſtructas Kynixberga emiſit, Habo lacu & aduerſo flumine Viſtulæ nauigaturas. Sed re cognita noſtri cum Gdanenſibus claſſiariis, duodecim tantum nauibus armatis, ut ait Vapouius, uno ab Elbinga milliario hoſtibus occurrerunt: commiſſa-que nauali pugna, uictoria potiti ſunt Poloni. mille hoſtes deſiderati, capti ſexcenti, & cum captiuis nauibus, armis, & fortunis Gdanum deducti. Id ad decimum quintum. Calendas Septembris actum. Cuius cladis nuncio accepto, Henricus Plauenius commendator Elbingenſis, & Bernardus Sumbergius, qui cum terreſtribus copiis in maiore inſula aduenientem ſuorum claſſem expectabant, in diuerſum dilapſi ſunt. Nec multo pòſt Holandiam oppidum Plauenius in poteſtatem ſuam redegit, accitus & receptus ab oppidanis, cum ij præſidiarios noſtros populatum egreſſos excluſiſſent. Arcem tamen noſtri & duas turres cum porta oppidi ad arcem uer gente, retinuere. Nec mora, Petrum Duninum à Gneui obſidione in auxilium accerſiuere. Qui cum noctu cum equitatu aduolaſſet, Plauenius cum ſuis, incenſo pluribus in locis oppido, raptim ſeſe euoluit. At noſtri reſtincto celeriter incendio, oppidum recuperarunt, & in nonnullos ciues capitali ſupplicio animaduerterunt: Nonis uerò Octobribus Liuonienſium claſsis eodem conſilio, quo Regiomontana domo profecta, à regiis qui in præſidio Nideburgi, Paſſeneimi, & Vormithæ erant, & cum Elbingenſibus ſeſe coniunxerant, itidem prope Elbingam proſligata eſt: cæſiſq; complurib⁹ us hoſtibus, duæ naues maiores cum ducentis militibus, & centum equis hoſtilibus, captæ ſunt. Hæc eo anno geſta in Pruſsia. Porrò Casimirus Petricouiæ comitia habuit. Ibi de Plocenſi ditione rurſus actum cum oratoribus Conradi, ac cæterorum ducum Maſouiorum. Qui cum bonorum uirorum arbitrio controuerſiam componi, aut externos ac minimè ſuſpectos iudices ſibi ferri, aut denique Italicæ cuipiam Academiæ cauſam decidendam permitti à rege poſtularent, nihil horum impetrarunt. Reiecta eſt tamen res ad alia comitia, quòd Maſouij duces aduerſam ualetudinem cauſificabantur. Venerat eò & Conradus Niger iterum. Sed cum ei rex iudices de more ferret, re infecta receſsit. In Prūſsiam uniuerſalis expeditio decreta. Quoniam uerò Turcarum terror capta ſuperiore anno Caſa animos cunctorum peruaſerat, miſsi in Podoliam, Ioannes Tencinius Caſtellanus Cracouienſis, Derslaus Rithuianius Sendomirienſis, & Andreas Odrouanzus Ruſsiæ palatini, ut Cameneiciam arcem, quæ Theodorico Buzacio oppignerata cum toto territorio, ab hæredibus eius obtinebatur, pro rege redimerent, & munirent, Podolis equitibus in ſumma fiſci inopia bouem in iugerum ſiue laneum ultrò pollicitis. Comitiis peractis rex peragrata maiore

Cruciferi fuſi in Habo.

Holandia Cruciferis dedita & recepta.

Liuonienſiū claſſis proſligata.

Comitia Petricouiæ.

Maſouiorum ducum poſtulata.

Polonorū pauor ob captā Caſam.

Cameneicia redempta & munita.

Podolorū ſtudia.

Poloniæ

Polonia sub finem anni per Radomiam in Lituaniam se recepit. Quieuerat ea gens per omne tempus belli Prussici, nec à Polonis in societatẽ eius belli pellici potuerat: sed quorsum id euasurũ esset, ociose spectauerat. Tunc uerò longioris moræ impatiens, non inconsultum ducebat, Podoliam armis repetere, Polonis adhuc Prussico bello distentis. Eos igitur motus animorum rex aduentu suo repressit: cæterùm comitia quæ communia Lituanis cum Polonis Parsouiam ad diem Purificationis Sanctę Mariæ, qui est postridie Cal. Febr. edixerat, ad sextum Idus Septemb. qui dies eiusdem Virginis matris natalis est, reiecit: ueritus, nè qua in conuentu maior animorum iritatio fieret: cui excitandę inter dissidentes, quamuis leuis occasio sufficit. His ita compositis, uere nouo inde reuertens post medium Aprilis Cracouiam uenit. Senatum urbis tribus millibus florenorum multauit, propter Iudeos paulo antè iniuria affectos à militibus piam in Turcas militiam professis. Etenim Pius eius nominis secundus pontifex maximus subacta rum à Turcis ea tempestate gentium Christianarum calamitatem miseratus, & à cæteris, quibus idem hostis imminebat, periculum propulsare cupiens, edicto Mantuam conuentu cunctos Christianos principes atque populos ad pium bellum, crucis uexillo proposito cohortabatur & inuitabat, ipse eius belli dux futurus. Ac de principibus quidem Mathias rex Vngarorum, Philippus Burgundionum, & Christophorus Maurus Venetorum dux eam militiam publicè professi erant: Cazimirus Polonus ne idem faceret, Prussico bello impediebatur. Permulti tamen è Polonis priuati nomina dedere, ita ut ij propè duodecim millia hominum conficerent. Eorum igitur cruce signatorũ militum nonnulla pars dum coit & instruit sese Cracouiæ, ad tertium Nonas Aprilis, qui tunc erat dies tertius Paschæ, re inter se communicata in Iudæos impetum fecit: effractisq; domorum foribus, facultates eorum diripuit, ac ne cæde quidem abstinuit. Cæsi ex utroque sexu Iudæi triginta fermè: cæteri in uicinam Ioannis Tencinij Castellani Cracouiensis domum confugerunt. Eam quoque crescente tumultu postridie expugnassent, nisi Ioannes Gruscinius episcopus, & Iacobus Dembenius præfectus, idemque Thesaurarius regni, cum cohortibus suis aulicis, & senatu ac multitudine urbana licentiam atque furorem eorum repressissent, Iudeosq; in arcem deduxissent. Multatus tamen senatus est. Mox ante finem eiusdem mensis rex Corcini minorum Polonorum conuentum habuit: quibus cum duodenùm grossorum in iugerum tributum sciuissent, unde mercenarius miles in Prussiam conduceretur, remissa est expeditio. His ita constitutis, & latrociniorum, quæ ex Vngaria & Morauia intentabantur, terrore represso, in Maiorem Poloniam contendit. Aegrè ferebant maiores Poloni, expeditionem à minoribus in tributum commutatam esse, non communicato secum consilio. Sed tamen ipsi quoq; conuentu à rege ad octauum Calendas Iulij Colum coacto, idem fecerunt: quòd neque militare sine minoribus Polonis uolebant, et secundæ nostrorũ res in Prussia minimè id requirere uidebantur. Nam post clades illas hostium, quas suprà memorauimus, continuata à nostris in alterum annum

Lituanorũ conatus.

1464. ann. Cracouienses ciues multati propter Iudæos.

Mantuæ concilium.

Crucis militia contra Turcas.

Iudæi direpti Cracouiæ.

Tributum à minoribus Polonis decretum maiores ægrè tulere.

annum Gneui obsidione, obsessi ad extremam rerum omnium inopiam ac desperationem salutis suæ redacti, cum inutilem bello multitudinem oppido eiecissent, & à nostris ea rursus in opidum compulsa esset, postridie Natalis Christi, quæ dies D. Stephani memoriæ sacra est, arcem simul & oppidum dedidere, uitam & quicquid suarum rerum quatuordecim curribus possent euehere, pacti. Quadringenti milites cum magno commendatore Vdalrico Eisenhoueno, & Nicolao Veisembachio Bauaro ducibus in præsidio fuerunt. Hi omnes Kynixbergam à nostris deducti sunt. Ex oppidanis magister modò ciuium, & alius quidam consul, qui Cruciferis impensius fauerant, siue electi, siue ultrò excessere, unius mensis spacio ad distrahenda bona sua à nostris impetrato. Per eosdem dies Ioannes Scalius Boemus Holsteinum magnum, oppidum Crucigeræ ditionis, ex improuiso intercepit. Porrò qui Fridelandiæ fuerunt in præsidio milites Cruciferorum, cum sibi stipendia non soluerentur, hostiliter direpto & incenso oppido, discesserunt. Bernardus uerò Sumbergius eadem de causa, & quòd ualde accisas esse uires Cruciferorum animaduertebat, cum rege paciscitur, ut quæ tunc præsidijs suis tenebat, deinceps quoque, quoad bellum illud maneret, quietus retineret: cum regijs libera commercia haberet. Cum ijs uerò qui Crucigerarum essent partium, nihil sibi commune esse duceret: Bello uerò finito, iusta mercede à rege accepta præsidia deduceret, munitiones, quas obtinebat, regi traderet. Obtinebat autem Culmam urbem, Starogrodum arcem, Brodniciam item arcem cum oppido. Non mediocriter & illa clades Cruciferos afflixit, quam apud Colbergam oppidum Pomeraniæ acceperunt. Erat oppidum id in ditione episcopi Camenensis: uerùm detrectabant oppidani eius imperium. Hermingus igitur episcopus facta clàm aliquanta manu, acceptisq; à Cruciferis septingentorũ equitum auxilijs, noctu oppidum aggreditur, ut nec opinantes oppidanos opprimeret. Verùm ij commodum à Gdanensibus fœderatis facti certiores de consilio episcopi, receptisq; in urbem auxiliaribus eorum copijs maritimo itinere transmissis, hostem scandere muros incipientẽ adorti fuderunt, & ad internecionem reciderunt. Sic igitur attritis Cruciferorum uiribus, placuit Polonis mercenario milite rem eo anno gerere in Prussia, præsertim quòd expeditiones publicas nullo ordine, nullaq; disciplina militari, sed summa licentia constantes, socijs & amicis magis quàm hostibus pernicioſas esse animaduerterent: quòd neq; principis imperium satis exaudiebatur, et nihilo magis in sociorum, quàm in hostium agris à ui & iniuria temperabatur. Huc accedebat, quòd episcopus & ciues Lubecenses Polonis iuxta ac Cruciferis consentientibus componendę inter bellantes pacis arbitrium sibi desumpserant, & iam tunc aduentabant Gdano, quò nauibus aduecti erant, Toruniam, adiunctis sibi de Rostocensium, Vismariensium, & Luneburgensium senatu singulis: Rigensium uerò ac Darbatensium binis. Conuentu Colensi peracto, rex Breste diuertit: Toruniam uerò ad disceptandam atque transigendam causam suam Prussicam, misit Ioannem Lutecum Vuladis-

Gneuum per deditionem receptum à Polonis.

Holsteinum magnũ interceptum à Boemo.

Fridelandia incensa à præsidiarijs.

Sumbergij pactũ cum rege.

Cruciferorum clades apud Colbergam.

Expeditionum publicarum incommoda.

Lubecenses arbitri pacis inter Polonos & Cruciferos.

Vuladislauiensem episcopum, & procancellarium regni, Lucam Gorcanum Posnaniensem, Stanislaum Ostrorogium Calissiensem, Sendiuoium Lenzenicium Siradiensem, Petrum Opporouium Lencicienſem, Nicolaum Coscelecium Inouuladislauiensem, Sciborium Basenum Culmensem palatinos: Castellanos, Hinciam Rogouium Sendomirienſem, & Nicolaum Zarnicouium Gnesnensem: Secretarios, Ioannem Dlugossum seniorem, Ioannem Dambrouucam, & Iacobum Schadecum: quorum posteriores duo iuris Canonici consulti fuere. De nobilitate Prussica quatuor, Ottonem Maquitium, Matthiam Tolcam, Nicolaum Pilauium, & Nicolaum Zialouium. De ciuitatum uerò decurionibus siue consulibus, Torunensis quidem quatuor, Elbingensis autem duos, Gdanensis uerò quatuor: & quintum parœcum eius urbis, candidatum iuris pontificij. Porrò à Magistro & ordine Cruciferorum adfuere Iodocus episcopus Ossiliensis, Henricus Plauenius, qui fuerat Elbingensis Commendator, Gerardus Melingradus Marsalcus Liuonienſis, Georgius Comes Hennebergensis, Andreas Peper decanus Darbatensis, Ioannes Vmbelerus, & Nicolaus decanus Pomesanienſis, tres hi iureconsulti, Vilelmus Eppingenius Osterodensis in Prussia, & Vilelmus Schundelus Osterodensis in Liuonia Commendatores. De nobilitate, Vlricus Gilauiensis, & Ludouicus Lubauiensis præfecti, duo consules Regiomontani, item'que duo Reualienses è Liuonia. Inter hos igitur ad quintum Nonas Iulij tractari cœptum, & uno ac dimidio mense tractatum, ad extremum infecta pace discessum est. *Pax infecta.*

Conuenerat iam, ut Polonus Pomeraniam, Culmensem, Michalouiensem, & Elbingensem tractum totum haberet: reliquam inferiorem Prussiam Cruciferis relinqueret. De Marieburgo intra triginta annos proximos, ut iudicio, arbitrio, pacto'ue transigeretur: interim autem in potestate regis arx ea maneret. De illis uerò conditionibus conuenire non potuit, ut Magister ac totus ordo Cruciferorum in uerba regis Poloni iurarent, semperq; deinceps in fide & clientela eius essent: Rex uerò ut militibus Cruciferorum emerita undecim annorum stipendia exolueret ijs duntaxat, qui fuerunt in præsidio munitionum earum quæ ipsi tradebantur. Nam neq; hoc Poloni, neq; illud Cruciferi acceptabant. Creditum est autem siue inuidia, siue maleuolentia Brandeburgensium & Misnensium Marchionum, & aliorum quorundam Teuthonum Principum perfectum fuisse, difficiliores ut essent Cruciferi, metu offendendi cunctos ordines Germaniæ, & amittendi ea quæ in Germania possidebant. Et uenerant in spem potiundi Torunia, per proditionem nonullorum ciuium, quam Henricus Plauenius, dum ibi de pace agitur, instruxerat. Soluto igitur conuentu illo Torunensbellum, instauratur à rege Breste commorante. Tenebatur Nouum oppidum Pomeraniæ cum arce, Cruciferorum præsidio. Id quoniam in ripa Vistulæ situm est, eam habebat opportunitatem, ut fluminis traiectum liberum hostibus præstaret, nostris uerò nauigationem impediret. Ad hęc ager syluestris abundabat materia, uallis, & machinis faciendis, & alijs belli usibus aptam. Id igitur primùm adoriri, & *Conditiones pacis reiectæ.*

Germani pacem infecerunt.

in potestatem redigere placuit. Missus eò cum peditatu Thomas siue Thomiez quispiam uir maioris animi, quàm consilij. Qui non expectato Duninno & equitatu, cum quo se iussus erat coniungere, ad Nouum castra metatus est. Hostes nostrorum paucitate animaduersa, coadunati celeriter è proximis præsidijs impetum in eos fecere. Quanquam autem non improuisum id nostris acciderat, tamen uim hostium non sustinuere. Fugientibus naues regiæ non procul in Vistula stantes saluti fuere. Centum aut paulo plures ex omni numero desiderati. Eodem autem die Adam Vilcanouius contractis tumultuariè Nideburgo, cui præerat, & Sarnouia militibus, præsidiarios Cruciferorum, qui erant Zaldouiæ, prædam agentes è Masouia, profligauit, prædamq; excussit. Zaldouiam deinde Conradus Masouiorum dux Varsauiensium obsidione cinxit, & per deditionem accepit. Rex uerò ignominia apud Nouum accepta commotus, Ioannem Synouecium, et Paulum Iasenium cum aulico suo comitatu eò misit: Duninum quoq; cum Prussis & equitatu, & item peditatu recollecto eodem iussit contendere, ut ita munitione potirentur. Nec tamen per uim ea capi potuit, ualido præsidio & natura loci defendente. Cæterũ obsidio in sequentem annũ extracta est. Porrò Puscum Gdanenses cũ totos sex menses terra mariq; obsedissent, per deditionem in potestatem suam redegerunt. Rursus igitur Cruciferi pacis mentionem iniecere: siue quo liberius Toruniæ proditionem conficerent, siue reuera pacis cupidi, quòd non admodum lętis successibus tunc uterentur, & oppidani agrestesq; atq; adeò milites quoq; cum murgio defectionisq; denunciatione pacem flagitarent. Missus eam ob rem à rege Ioannes Dlugossus in Prussiam, cum gubernatore & primoribus trium ciuitatum apud Marieburgum & Stumam colloquia habuit. Et uidebantur Cruciferi accepturi esse conditiones illas, quæ ipsis Toruniæ ferebantur, quemadmodum ipse Dlugossus scribit. Postulabant autem ut rex primores consilij sui cum summa potestate Marieburgum ad cõficiendam pacem mitteret. Verùm id propter pestem in ijs locis grassantẽ factum non est. Quin cum Breste quoq; id malum infeciisset, rex inde Clodauiam, ac deinde Lenciciam se recepit: ubi aliquot septimanas cum regina, quæ filiam Sophiam Cracouiæ mense Maio enixa erat, commoratus, indeq; Petricouiam profectus, ad medium Octobris comitia quindecim dierum habuit. Venerant eò ex condicto Conradus Masouiorum Varsauiensium, & Conradus Olesnicensiũ siue Cozlensium duces, de successione disceptaturi. Sed cum res subinde tentata per amicam transactionem non procederet, reiecta est causa Olesnicensis quidem ducis ad pentecostẽ sequentis anni, Masouij uerò ad proxima regni comitia, cùm quòd pestis contagio Petricouiam quoq; & omnem serè maiorem Poloniam iam peruasérat, tum quòd inconsultum regi uideretur offendere duces illos aduerso iudicio, bello Prussico nondum confecto. Petricouia Parsouiam itum est ad alia comitia, quæ rex ad natalem Mariæ matris Christi prius dilata, rursus ad diem S. Martini memoriæ sacrum distulerat, communia futura Polonis & Lituanis. Et frequentes quidem utriq; proceres aduenere: sed cum Lituani Parsouiam ad Polonos, hi contrà Breste

Polonorum clades apud Nouum.

Cruciferi fusi.

Zaldouia capta à Masouijs.

Nouum obsessum à Polonis

Puscum à Gdanensibus obsessum & per deditionẽ receptum.

Pestis.

Comitia Petricouiæ.

Conuentus Lituanorum cum Polonis irritus.

Breſte ad illos uenire detrectarent, Lomazis tandē conuentū. Neq; ibi tamē quicq; actum, propter pagi incōmoditatem ac cœli inclementiā. Sed res in annum dilata eſt. Rex dimiſſo cōuentu, in Lituaniam cū regina ſeceſsit. Et quoniam Vilnā quoq; peſtilētia infecerat, Grodni manſit aliquamdiu. Deinde Cauunam profectus, magnam partem hyemis ibi exegit. Sub illud aūt tempus, quo Parſouiæ habita ſunt comitia, Henricus Plauenius inſtructa, ut ſuprà dictū eſt, Toruniæ proditione, cum mille armatis noctu ad urbem acceſsit ſecundū flumen: qua parte, auerſa ab hoſtibus, ſecuriores erant oppidani atq; uigiles. Iamq; præteritis piſcatorum ſuburbanis domicilijs, & antemuralibus ſuperatis, taciti ſcalas mœnibus admouebant hoſtes, cum à uigilibus illuceſcente iam aurora animaduerſi, et ſtrepitu clamoreq; tumultuantiū & concurſantiū deterriti, relictis ſcalis cœpto irrito raptim ſeſe recepère, ueriti ne loci iniquitate & eruptione ciuiū opprimerent. Tametſi ita conſternata erat inopinati periculi obiectu ciuitas, ut magis ad fugam, quàm ad arma cuncti ſpectarent, potueritq; urbs capi primo impetu, ni fortuna ipſius ſeu potius, ppitium numen hoſtibus pauorem iniecisſent. Sed nō multo poſt ijdem meliore fortuna uſi ſunt apud Carniſsinum Maſouiorum arcem. Tametſi nō diuturna ea fuit. Mox enim Maſouij interceptā arcem circumuallarunt, priuſquam hoſtes commeatum importarent. Itaq; ſtatim eam per deditionem recuperarūt. Per idem tempus Vngari Scepuſienſem tractum, qui in ditione regis Poloni eſt, populabundi peruagati ſunt, authore Emerico Diaco gubernatore, ſiue fratre eius Stephano: donec afflictæ ciuitates ſeptem millibus florenorum contributis publicè, pacem redemerunt. Id autem fecerunt Vngari nulla iniuria prouocati: niſi fortè cruce ſignatorū militum licentiā & iniurias ulciſci uoluere. Cum enim Pius Pontifex maximus in ipſo procinctu belli Turcici in portu Anconitano extinctus eſſet, intermiſſa pia illa expeditione à principibus, Poloni qui ei militiæ nomina dederant, Felice duce in Vngaria uagantes, ſcelere & rapinis non abſtinebant, & Vngaros agreſtes & oppidanos uectigales ſibi fecerant. Exarſiſſet autem proculdubio graue bellum inter Polonos & Vngaros in ſequentem annum, Prædislao præfecto Scepuſienſi Vngaros ulciſci ſatagente, niſi conſiliarij quidam regij, & inprimis Iacobus Dembenius theſaurarius & præfectus Cracouienſis diſſuaſiſſent, cenſentes rege inconſulto nihil eiuſmodi attentari oportere, præſertim cū alioqui Vngari bello Turcico, et Boſna recuperanda diſtinerentum. Commodur autem & Mathias rex Vngarorum, miſſis in Poloniam litteris pollicebatur ſatisfactionem, ſi quid à ſuis peccatum eſſet. Recepit autem tunc is in deditionem Iaize arcem, & uiginti ſeptem oppida Boſnæ & Raſciæ à Turcis occupata. Hoc anno Ioanni Sprouio Archiepiſcopo Gneſnenſi, ad medium Aprilis mortuo, Ioannes Gruſcinius, huic autem in epiſcopa Cracouienſi Ioannes Lutecus: ei uerò in Vuladislauienſi Iacobus Sennenius à Paulo ſecundo pontifice maximo, qui Pio ſucceſsit, rege poſtulante ſuffectus eſt. Nec ita multo antè idem pontifex Paulum Grabouium, rege itidem commendante, Chelmenſem epiſcopum creauerat.

Torunia propè capta.

Carniſsinum arx capta, et recepta.

Vngari Scepuſium uexarunt.

Pij Pontificis max. mors.

Cruce ſignati uexant Vngariam.

Boſna à Mathia rege recepta.

Ioannes Gruſcinus Archiepiſcopus, Ioannes Lutecus epiſcopus Cracouienſis.

Paulus ſecundus Pont. max.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM,

LIBER XXVI.

1465. ann.

SEQVENTI anno, qui fuit milleſimus quadringenteſimus ſexageſimuſ quintus, noſtri uaria fortuna uſi ſunt in Pruſsia. A' quibus cum Nouum arcta obſidione premeretur, Caſpar Noſtiuicius laturus obſeſsis opem, ſexcentos equites & quadringentos pedites mercenarios è finitimis Poloniæ et Pomeraniæ locis adducebat exiguo ære ſubarratos, Choiniciæ uerò luculentum ſtipendium ſe ipſis numeraturum eſſe pollicitus. Eorum non paucos hyemis aſperitas partim confecit in itinere, partim debilitatos ſubſiſtere coegit. Reliqui uerò cum peruenisſent Choiniciam, nec ſibi numeraretur promiſſum ſtipendium, frementes dilapſi ſunt, noſtris qui ad arcendos eos è compluribus præſidijs conuolarant, non inſectantibus, diſcedẽtes. Qua re cognita, obſeſſi Calendis Februarij, Magiſtro nequicquam deprecante, et auxilium pollicente, oppidum dedidêre: et libere abire permiſsi qui uellẽt, quinquagintatribus curribus res ſuas aſportarunt. Non quieuit & Magiſter. Quam enim circa ſe habebat manum, in territorium Gdanenſe, ſiue inſulam minorem immittens, acerbè eam ferro et igni diuexauit, prędamq; ingentem Stargartham importauit, quo rectius ibi ſui noſtrorum obſidionem, quam expectabant, ſuſtinerent. Non ſoluebantur noſtris emerita ſtipendia. Dilapſi igitur Nouo recepto, Poloniam latrocinijs infeſtare cœperunt. Et pars quidem eorum nonnulla Dobrinenſem montem Viſtulæ imminentem duce Mikeſſo quodam occupauit. Inde in Maſouiorũ & Cuiauienſium agros excurrens, et in præternauigantes impetum faciens, prędas agebat. Alij uerò cum Tomezo, Storcio, & Bucouio bonis eccleſiaſticis, templorumq; & monaſteriorum Gneſnenſis diœceſos ſupellectili è Labiſsino imminebant. Qui facilè mille equitum numerũ explebant, exceptis peditibus. Verùm utriq; authoritate et placidis ſermonibus atq; muneribus, hi quidem ab Andrea Poſnanienſi, illi uerò à Iacobo Vuladislauienſi epiſcopis deliniti, cum hi centum quinquaginta, illi mille florenos accepiſſent, quieuere. Mons uerò Dobrinenſis, propterea quòd permagnam habebat opportunitatem incommodandi noſtris, ſi ab hoſte occuparetur, Nicolai Zalinij præſidio firmatus eſt, collata publicè in ſtipendiũ pecunia. Quæ res tardius animaduerſa, tam malè habuit hoſtes, qui erãt in pręſidio Nouę ciuitatis ſiue Neimarci, ut rixarent inter ſe, alius in alĩ culpam neglectę cõmoditatis reijcientes. In qua rixa duodecim ex ipſis deſiderati eſſe dicunt. Hęc per hyemem geſta in Pruſsia. Vere ſequenti rex feſtis Paſchę diebus apud Grodnũ exactis, reginã cũ maiore parte comitatus aulici Corcinũ pręmiſit. Ipſe cũ paucis Lepolim excurrit, q; Ruſsi opem eius cõtra uim et iniurias Andreæ Odrouanzi palatini & pręfecti Lepolitenſis imploraſſent. Sed cũ is paulo antè obijſſet, ac Ioannes frater ei hæres eſſet, il lud

Cruciferorũ copiæ dilapſæ.

Nouum Polonis deditum.

Gdanenſe territorium uexatum à Cruciferis.

Latrocinia in Polonia ob nõ ſoluta ſtipendia militibus.

Nicolaus Zalinius.

Andreæ Odrouanzi impotẽtia.

lud modò actum est, ut Ioannes præfecturis omnibus amoueretur, accepta à rege pecunia, cuius nomine fratres ipsi præfecturas illas addictas tenebant. Cum aũt pecunia rex careret, placuit Russis, Leopoliẽsib. Podolijs, Halicien sibus, & Belsensibus duodenos grossos in iugerũ, & singulos boues in focum sine familiã ob eam rem conferre. Ex utraq; pẽsione uiginti millia florenorũ redacta, Ioanni Odrouanzo numerata sunt. Ita Leopolienſis & Zidazouiensis præfecturæ cum Gliniania redemptæ: Samboria relicta, cum ad eam quoque redimendam non sufficeret pecunia. Russicis rebus ita utcunque aliquot dierum spacio compositis, Corcinum rex dispositis equis contendit ad comitia ad duodecimam diem Martij edicta. Quò ex minore quidem Polonia & Russia frequentes consiliarij conuenerunt: è maiore uerò Polonia Lucas Gorcanus Posnanienſis, Stanislaus Ostrorogius Caliſſiensis, Petrus Opporouius Lencicienſis palatini, & Sciborius Chelmius succamerarius Posnanienſis, legati cum libera potestate missi. Quindecim diebus in consultando consumptis, placuit ut maioris Poloniæ nobilitas in Prussiam expeditionem statim faceret, Choiniciam circumuallaret, donec mercenarij milites, quibus deinceps eo anno res gereretur, conuenirent: eámque ob causam illi ipsi maiores Poloni senos tantum grossos, cæteri uerò alterum tantum in emerita iuxtà ac deinceps emerenda stipendia ante medium mensem Iulium conferrent. His constitutis, Cracouiam se rex recepit. Cuius non exigua pars cum æde diui Francisci memoriæ sacra non multo antè ad quintum Calendas Maias, Stradomia uerò tota, excepto templo ac cœnobio sodalitij Bernardiani ad septimum Idus Aprilis, conflagrarat. Aduenerunt eò Prussorum legati, Gabriel Basenus palatinus Culmensis, ac trium ciuitatum singuli consules, narrantes nobilitatem & primores ciuitatum Cruciferis subiectarum apud Neringam peninsulam, quæ Habum lacum à mari disterminat, conuentũ secum habuisse: pacem impensè cupere, et qualuis tolerabiles conditiones non abnuere. Exhaustos enim penitus, ad extremam miseriam redactos esse tam diuturno bello. Postulabant igitur, ut rex gubernatori cum consilio potestatem pacis conficiendæ faceret. Id rex cum consilio suo collocutus, negauit: Spem modò pacis illis facere, tempusq; & locum de ea tractandi constituere eos iussit. Tractationem uerò & arbitriũ pacis consiliarijs regni, quos ad eam rem in tempore missurus esset, reseruauit. Cum his mandatis dimissi Prussi, liberaliter à rege donati. Dimissi item Silesij principes uicini, Præmislus Cessinensium, Ioannes Ratiborienſium, Premislus Toscenſium, Venceslaus Zatorienſiũ, Ioannes Gliuicenſium, & Ioannes Ribnicenſium, qui in baptismo regiæ filiæ Heduigis tunc natæ, & intra annum uertentem mortuæ, susceptores adfuere. His peractis, rex discedens Cracouia, Caliſſiã profectus est ad conuentũ cum Conrado Olesſnicensium duce ad septimũ Cal. Augusti constitutum. Nihil tamen etiam tunc de successione transactũ. Sed res integra ad finem Septembr. reiecta, ut ibi tunc duorum consiliariorum regis Boemi arbitrio transigeretur. Inde rex Casimirus Breste in Cuiauiam se contulit, bello Prussico operam daturus. Ibi comperit, Vuladislaum Damoborium, Castellanum & præfectum

Russicæ præfecturæ redẽptæ stipe ab ipsis Russis collata.

Comitia Corcini.

Maiores Poloni militant, & tributum scisciunt.

Cracouiæ incendium.

Prussorum legatio ad regem.

Neringa peninsula.

Silesiorum duces.

Vladislaus Damoborius perduellis cum alijs ueniam impetrauit.

Naclensem, quingentis equitibus, quibus Nicolaus Petrouius, Iacobus Cresa, & Ioannes Bucouius præerant, coadunatis, pronunciato in singulos dimidij floreni stipendio, hostilia in regem regnum'que machinari, ob non exoluta stipendia, in Prussia emerita. Angebat ea res regem, ut quæ maximè: dolebat respirationem dari, animos'que reddi Cruciferis, quos iam ferè desponderant. Itaque actum cum Damborio, ut cœpto desisteret, acceptis ternis florenis in capita militum. Vbi hac uia nihil profectum est, bello statim persequi perduelles placuit. Collocantur Znenæ & alijs quibusdam in locis præsidia. Rex cum cæteris copijs, quas ad manum habebat, Naclum & Damoborzum, quæ loca ab illis tenebantur, obsidere parabat. Id ubi animaduerterunt illi, mutata sententia miserunt ad regem, imperata se facturos pollicentes: iussi uenire Inouuladislauiam ad regem primores, accepta fide uenerunt, culpam'que publicè deprecati, & ad pedes regis prostrati, non modò ueniam cunctis impetrarunt, sed etiam pecuniam emeritorum stipendiorum nomine acceperunt, ac denuò regi nomina dedere, & ad Stargartam oppugnandam sub signis Pauli Iasenij missi sunt. Damborius uerò loco ac dignitati suæ restitutus. Interea res Crucigerorum in Prussia paulo meliore loco esse cœperant. Nam & in Masouiensem agrum duce Menzico Boemo Zaldouiensi præfecto excurrentes, nobilitatem eius oræ fiducia multitudinis, incautius in se irruentem in insidias induxerant, & non contemnenda strage apud Cechanouiam profligarant: & naues Torunensium atque Gdanensium multis mercibus onustas apud Quizinum siue Mariæuerderum exceperant, & ad Dersauiam nobilitatem Prussicam, quæ in præsidio eius oppidi erat, cum ad pugnam direptione suburbanorum elicuissent, cõtectis equitatu peditibus, re inopinata perturbatam, sex hominibus cæsis, octoginta captis, in urbem repulerant: & apud Gneuum quinque & quinquaginta præsidiarios milites comportandi ex agris commeatus causa egressos, & ab aratoribus damno affectis proditos, Stargarta effusi, intercluso in oppidum & arcem reditu, uiuos exceperant: & postridie eius diei arcem, cum ex interceptis literis uacuam esse præsidio didicissent, oppugnarant: cæpissent'que adeò, ni Martinus Brzenius nobilis Prussus cum paucis strenuè eam defendisset, subeuntem'que hostem supernè coniectis lapidibus remoratus esset, donec periculo cognito, sexaginta equites Marieburgo, & septuaginta pedites Gdano missi aduenere. Ibi tunc hostes recessere suburbanis direptis. Sed nihilominus omnem eam oram usque ad Gdanensium suburbana subitarijs excursionibus subinde infestabant. Excurrerant & in ditionem Henrici Stolpensium Pomeranorum ducis trecenti equites, quòd is tunc unà cum episcopo Camenensi, cunctis'que suis denuò socius & fœderatus regis factus erat. Sed ibi minus prospera fortuna usi, profligati à duce ac deleti sunt, perpaucis uiuis seruatis, & in carcerem compactis. Cum igitur è Starigrado siue Stargarta, potissimum ij qui regiarum erant partium in Pomerania, infestarentur, eò duxit Iasenius exercitum iussu regio, duabus'que turribus excitatis, ad oppidum id assedit, ita ut pateret nihilominus obsessis liber exitus & reditus.

Masouiorum clades apud Cechanoutam.

Naues Torunensium & Gdanensium captæ.

Crucigerorum res prosperæ in Pomerania.

Martinus Brzenius Gneuum defendit.

Stolpensium dux cum Polonis sentit, & Crucigeros milites profligat.

Starigradum Pomeraniæ obsessũ à Polonis.

reditus. Quo factum est, ut Iasenius eorum insidijs exciperetur. Sexaginta enim equites clàm urbe egressi, cum sub uesperam nostrorum specie & habitu assimulato ad mœnia accederent, contra'que ij, qui in oppido erant, ex composito erumpentes, quasi in hostes impetum facerent, Iasenius fortè tunc obequitans rem conspicatus, mittit ad eos, qui nostrorum speciem præ se ferebant unum de suis comitibus scisciatum, quinam essent: Respondent illi, se Dersauienses esse, & ex hostico reuerti. Id uerum esse credens Iasenius, gratulabundus ad eos procurrit: comprehensus'que cum duobus comitibus, in oppidum ductus, & in custodia asseruatus est. Tanta'que hostes eo capto lætitiæ signa dedère tympanorum nolarum'que crepitu ac sonitu, ut debellasse sibi uiderentur. Sed uana fuit ea exultatio. Extemplò enim Gothardus Radlinius in locum eius suffectus à nostris, obsidionem continuauit. Interea uerò conuentum rursus à nostris in Neringa cum Cruciferis pridie Calendas Septembres, ac de pace, Paulo Legendorsio Varmiensi episcopo electo, qui neutrarum erat partium, arbitro tractatum quinque dies, sed re infecta discessum est. Illud modò conuenit Magistro postulante, ut post alterum mensem denuò eodem in loco, uel inter Marieburgum & Stumam conueniretur, ea quidem lege, ne quam Marieburgi mentionem Cruciferi facerent. Tametsi recipiebant ij, si Marieburgum sibi redderetur, se cum tota Prussia & Liuonia in fide & clientela regis Poloni fore, & non contemnendam pecuniam continuatis aliquot annis ei annumeraturos esse. Verùm non accipiebant nostri hanc conditionem, siue quòd permagno sibi arx ea constitisset, empta à militibus: siue quòd inde perfacile Cruciferi, quamuis leui occasione arrepta, bellum renouaturi esse uiderentur, quòd & permunita & peropportuno loco ea sita esset. Sic igitur è Neringa discessum tunc est. Conuentum deinde suorum Kynixbergæ Magister habuit. Vbi cum nobilitas & Kynixbergenses ciues grauis ac diuturni belli pertęsi, nõ solum ei sumptus in bellum deinceps negarent, uerumetiam nisi pacem tandem cum Polonis faceret, ab eo se defecturos significarent, sex & uiginti ex eis, quos maximè aduersari uoluntati suæ cognouerat, in arcem euocatos comprehendi, & sex primarios interfici iussit: cæteros uerò per præsidia distribuit asseruandos, donec pergrandi ære sese redimerent. Nec postea quenquam ad constitutum cum nostris conuentum misit. Nec tamen interea de belli studio cura'que utrinq; remissum quicquam fuerat. Cuius tota ferè moles ad Starigradum sese collegerat, nostris, ut suprà memoratum est, oppidum id obsidentibus, hostibus uerò nauiter & impigrè defendentibus, ita ut angustiore propè annona obsidentes, quàm obsessi uterentur, propterea quòd è uicinis agris neque frumentari, neque pabulari nostri poterant, omni frumento & pabulo cum re pecuaria tempestiuè in oppida è remotioribus quoque locis comportato & coacto. Et excipiebantur autem ab hostibus, qui circumiacentia oppida, nimirum Choiniciam, Fridelandiam, Hamersteinum, Bythouiam, Lemburgum, Osecum, Keissouum præsidijs tenebant. Quo factum est, ut Gothardus dux exercitus cum non exiguo expeditorum militum numero, comparandi commeatus

Paulus Iasenius captus à Cruciferis.

Gothardus Radlinius, dux à militibus creatus.

Paulus episcopus Varmiensis pacis arbiter.

Pacis conditiones à Polonis repudiatæ.

Prußi à magistro Cruciferorum puniti ob desiderium pacis.

Res gestæ apud Stargardum.

tus causa Dersauiam proficisci necesse haberet. Id ubi obsessi è transfuga quodam Gdanensi cognouere, eruptione facta castra semiuacua oppugnare adorti sunt. Sed ea nostri egregiè defenderunt, ita ut eos longè superantes multitudine quater uallo ac turribus ligneis magno cum impetu succedentes, uix tandem permultis amissis, longè pluribus sauciatis, in oppidum recipere sese cogerent. Nihilo tamen minus infestabant ij deinceps quoque uias, & ne quid rerum uenalium in castra Polonica importaretur, prohibebant: sępe'que inter occursantes sibi mutuo particularia certamina committebantur. Quin cum bruma quoque, ac intemperie cœli hyberni Polonis confligendum fuit. Sed uicit omnem eam difficultatem ipsorum constantia, ne ab obsidione discederent. Quę quidem in sequentem æstatem usque perdurauit. Dum hæc ita geruntur in Prussia, Cazimirus rex Inouuladislauia Calissiam se recepit sub finem Septembris, ibiq; cum Conrado Olessnicensium duce & Margarita uxore eius per Iodocum Vuratislauiensem episcopum, & Vilelmum Risemburgium iuniorem arbitros à rege Boemorum rogatu disceptantium missos, transegit ea conditione, ut ille quatuor annorum spacio uiginti millia aureorum numùm à se acciperet: successione omni in Masouia & Belsensi unà cum uxore sua sese abdicaret, dotem'que post mortem Annæ Vuladislai Masouiorum ducis defuncti uxoris, ne repeteret. His ita constitutis, Posnaniam rex, Conrado & uxore eius comitantibus profectus est, dimissis'que ijs Prussorum legationem audiuit. Petebat ea, ut arx Marieburgensis gubernatoris & nobilitatis fidei committeretur. Responsum: Regem id sine comitiorum regni decreto, & consilio ciuitatum Prussicarum, quæ plurimum ad emendam eam arcem contulissent, rectè facere non posse. His dimissis, Posnania discedens ad medium Nouembris Coli quinque dierum comitia cum maioribus Polonis habuit: deinde per Lenciciam & Radomiam in Lituaniam profectus est. Conuenit eum ibi Ludouicus patriarcha Antiochenus ab Ezigere Tartarorum principe, apud quem pontificis maximi & Imperatoris Romani legationem obierat, reuertens. Summa autem legationis illius hæc fuit, ut Ezigeres Mahometem Turcarum Cæsarem à bello Christianis inferendo reuocaret: si id non posset, bellum ipsi inferret, Pontifice & Imperatore stipendia pollicentibus, ac tunc quoque perampla dona mittentibus. Quoniam autem eiusmodi responsum à barbaro acceperat, ut is in bello Turcis inferendo è consilio & uoluntate Cazimiri fœderati & amici sui pendêre se ostenderet, literas'que ad Cazimirum ea de re daret, quibus ei faciebat potestatem, quicquid ipsi uideretur de bello Turcico constituendi suo nomine cum illis Principibus, contendebat à Cazimiro Ludouicus, ut rex Christianus Christianos adiutos uellet, quando id in potestate eius esset. Debere hoc eum communi religioni atque pietati erga Deum. Rex dilata re ad regni comitia, quæ ad medium mensem Martium Petricouiam edicebat, hominem sine certo responso dimisit: ac de more uenationibus uacauit. Anno insequenti post medium Ianuarium Archiepiscopus Gnesnensis synodum apud Lenciciam habuit. Ibi Sẽdiuoio Lenzenicio palatino Siradiensi,

Cruciferi castra Polonorum oppugnantes repelluntur.

Transactio Cazimiri cũ duce Olessnicensium.

Prußicæ nobilitatis legatio ad regem.

Conuentus maiorum Polonorum Coli.

Ludouicus Patriarcha Antiochenus legatus ad Tartaros.

Ezigeris Tartari amicitia cum Cazimiro.

1466 ann.

Siradiensi,& Michaeli Lasocio præfecto Lenciciensi oratoribus regijs petentibus decretum est,subsidium regi ad bellum Prussicum è tributo sacerdotum, in Cracouiensi quidem diœcesi senûm grossorum, in cæteris uerò duodenûm in libram siue marcam argenti, secundum usitatam æstimationem. Varietatis autem causa fuit, indulgentior in alijs diœcesibus, quàm in hac, æstimatio redituum sacerdotalium. Mense Februario Liuones septingenti equites pariter et pedites Cruciferis suis in Prussiam suppetias euntes, cum Samagitiam attigissent, nec progredi per syluas possent, impedita à Samagitis deiectione arborum locis opportunis uia, uersus mare iter instituère. Quod Samagiti euenturum cum prouidissent, foueas præaltas iam antè in ea parte foderant, sarmentis'que contexerant. In eas igitur Liuones inedia, frigore & pauore urgentibus, imprudentes præcipitati, contrucidati sunt. Pauci cum ex insidijs ad lacum euasissent, rupta fragili glacie nihilominus periêre. Duo tantùm ex omni numero uiui seruati: è quibus cognitum est, quadraginta naues refertas militibus è Germania in Prussiam nauigantes, non ita multo antè naufragio perisse. Iisdem diebus Paulus episcopus Varmiensis cum animaduerteret res Cruciferorum inclinatas esse, & à pace tamen eos abhorrere, partium regiarum se deinceps fore professus, arcium & oppidorum suorum adeundorum potestatem fecit regijs militibus, qui Passeneimi, Nideburgi, & Vormithæ in præsidijs erant, ut non solùm ea tuerentur, sed etiam communem iam hostem inde infestarent. Quæ res Magistro peracerba accidit, magis'que seriò deinceps is de pace cogitare cœpit. Ad medium mensis Martij rex Petricouiæ comitia habuit. Ibi rursus actum est cum Conrado Varsauiensium duce, et matre eius Anna, ac matertera Catharina. Sed cum pactionibus transigi res non posset, Conrado Belsensem modò tractum remittente, rege uerò nihil præter Visnensem concedente, iudicium uerò Prussico bello durante intempestiuum fore uideretur, reiecta res est ad alia comitia. Actum est & de Ioanne Penansco Archidiacono Gnesnensi, Nicolai Penansci succamerarij & præfecti Cracouiensis filio. Qui cum Dorothea Ioannis Rogalæ, qui palatinus Varsauiensis fuerat, filia, Iacobi Bogleuij uxore, stupri consuetudinem habuisse, ea'que conscia & adiutrice maritum eius dormientem crudeliter necasse arguebatur: literæ'que eius ad mulierem, quibus patrandi sceleris ratio descripta erat, à Ioanne Bogleuio palatino Varsauiensi fratre interfecti proferebantur. Causa uerò cur ad comitia referretur ea de re, fuit facinoris atrocitas, & impunitas. Nam mulierem quidem apprehensam occisi frater palatinus dimiserat, Franciscanorum obseruantium precibus uictus: de Penansco uerò cum Archiepiscopus Gnesnensis ex synodi, ubi etiam hæc res acta fuit, sentẽtia supplicium sumere causa cognita debuisset, uel remissior fuerat, uel prehendere eum non potuerat. Placuit igitur toti conuentui, ut negocium daretur præfectis regijs prehendendi & Archiepiscopo sistendi Penanscum. In mulierem uerò ut moribus & legibus animaduerteretur. Sed ei mulier in Prussiam ad Menzicum Boemum profugit, & Penanscus apud necessarios delituit. Sacerdotijs quidem à pontifice maximo priuatus est.

Sacerdotaliũ redituum inæqualis æstimatio.

Liuonum clades in Samagitia.

Paulus Varmiensis episcopus in partes regias concessit.

Comitia Petricouiæ.

Ioãnes Penanscus Archidiac. Gnesnensis adulterij et homicidij reus.

Penanscus sacerdotijs priuatus.

Penanscus latrocinatus captus à patre, & episcopo in carcerē tra ditus.

Nec multo pòst, facta aliquanta manu nobilium quidem genere, sed mori-
bus & luxu perditorum iuuenum, cum latrocinari cœpisset, ab ipso patre,
maius aliquod dedecus labem'que generis metuente, captus: & quoniam
presbyter erat, episcopo Cracouiensi in custodiam traditus, in arce Ilsensi
aliquandiu in carcere asseruatus est. Ita tunc infamia & calamitate filij pater

Penanscus pater supplicium expē dit sacerdotibus.

expendit supplicium sacerdotibus, in quos immerentes manus iniecerat.
Quin ipse quoque præfectura Cracouiensi amotus est. quod non sine igno
minia fieri potuit. Ad extremum duodenùm grossorum in iugera tributum

Prussorum legatio ad regem.

in comitijs scitum est. Affuere autem legati Prussorum, petentes ut rex Ma-
rieburgum cum aliquantis copijs quamprimum ueniret, hac ratione facili-
mè bellum confecturus, quòd pleræque ciuitates subiectæ Cruciferis ad
eum defecturæ esse dicerentur. Et eius rei causa duùm grossorum pensio-
nem & accisam, ut uocant, in unum annum ei deferentes. Itaque peracto
quindecim diebus conuentu, Breste rex Archiepiscopo Vuladislauiensi,
episcopo Posnanensi, & Siradiensi palatinis, & Petro Gaio Calissiensi
Castellano occurrentibus ac deducentibus, contendit. Per id tempus Ioan-
nes Scalius facta aliquanta manu præsidiariorum equitum & peditum,

Melzacum captū à Polonis.

Melsacum oppidum Crucifericarum partium intercepit: milites'que sexa-
ginta, qui erant in præsidio, uiuos in potestatem suam redegit. Perturbauit
ea res Magistrum, ut quæ maximè, ita ut de Kynixberga is iam periclitari
uideretur. Certior enim factus erat, Gdanenses transportatis classe copijs,
Sambiam adoriri & infestare statuisse: eo'que copias & ipse suas Kynixber-
gam contraxerat, quas hostibus opponeret. Ex his itaque tria millia pedi-
tum pariter & equitum Henrico Plauenio duce celeriter ad recuperandum
Melsacum misit, ratus Polonos paruo præsidio relicto inde discessisse: &

Poloni rebus secundis securi.

uerò non ignorans eos, rebus præsertim secundis, securos esse solere, ita ut
qua id arte, quáque facilitate cępissent, eadem rursus amittere posse uideren-

Plauenius à Mel sacо & Holandia repulsus.

tur. Plauenius igitur silenti agmine profectus, nocte intempesta oppidum
diuersis quatuor locis aggreditur: iámque una porta refracta, signa infere-
bat. Sed cum Poloni partim aduersi nauiter obsisterent irrumpentibus, par
tim supernè in subeuntes saxa deijcerent, ducentis amissis, in tutum se rece-
pit. Postero die ut acceptam ignominiam corrigeret, fremens frendens'que
ad Holandiam duxit. Verùm ibi quoque nihilo meliore fortuna usus, plu-
res etiam milites amisit. Nec magis prosperæ tunc erant res Cruciferorum

Polonorum uictoria apud Osecū.

in Pomerania. Osecum castellum obsidebant Poloni, ligneo castello ere-
gione excitato: hostes succurrere suis laborantibus uolentes, non contem-
nendam manum Choinicia & Starigrado emisere: cui aduenienti obuiam
progressi Poloni, pugnę copiam fecere. Nec mora, in fugam acti hostes, per-
pauci tamen euasere, pluribus in fuga quàm in prælio trucidatis. Cæsorum
spolijs nostri potiti sunt. Id ubi uiderunt obsessi, incenso castello natando

Osecum incēsum

profugerunt. Nostri uerò accurrentes incendium restinxerunt, castellumq;
in potestatem suam redegerunt. Fortè etiam ij qui Vartemburgi in præsi-

Cruciferorū strages apud Reslā.

dio fuerunt hostes, cum nostris, qui Reslam tenebant, congressi, non leui
strage profligati sunt. At Ludouicus Magister quoniam magnam earū cla-
dium

dium partem Pauli Varmiensis episcopi transitioni ad regias partes acceptam ferebat, ut eum ulciscereturcum sexcentis equitibus,ac totidem pedi-tibus,agros oppidorũ eius,Brunsbergę,Vormithæ,Elsbergę,Reslæ,Gutestadię,& Melsaci percursat, et segetes conculcat,nõ sine acerbo dolore oppidanorum,& fremitu in episcopum,quòd cum pacati in medio belli strepitu ad eam diem fuissent, transitione eius ad regem irritatis Cruciferis hostilia pati cogerentur. Erat quidem in præsidijs eorum oppidorum & aliarum uicinarum munitionum, non exiguus regiorum militum numerus cum Adamo Vilcanouio, Ioanne Scalio, & Ioanne Zaco: sed exacerbatis præsenti & insueta calamitate oppidanorum animis, mœnibus ij sese continebant, ueriti ne prodeuntes excluderentur. Increpiti uerò regijs literis atque nuncijs, prodiere tandem constituto ad conueniendum loco. Quo cognito, Magister Bartensteinũ se cum copijs suis recepit. Ibi nostri quoque liberius hostiles agros peruagati,segetes & ipsi conculcarunt,& in uillas igne desæuierunt. His diebus Cazimirus rex cum accepisset literas à Rudolpho episcopo Lauantinensi, qui scribebat, se uenire legatum à pontifice maximo ad componendam pacem inter ipsum & Cruciferos,misit ad eum Vuratislauiam, ubi substiterat,Ioannem Dlugossum Secretarium suum,indicans pacem se non abnuere, modò ille bona fide pacificatorem sese interponeret:ne que imitaretur Hieronymum Cretensem Archiepiscopum qui regi, ac si filius eius esset,operam suam pollicitus,cum ad Cruciferos profectus esset,redemptus ab ijs calice aureo, Cretensis, ut est in prouerbio, Cretissauisset, bellum que non modò non restinxisset, uerùm etiam ultrò iam ferè conquiescens resuscitasset, cùm alijs factis, & improbis ac uersutis consilijs suis, tum quòd Prussis regiarum partium interdictum non relaxasset. Si nihil eorum hic haberet in animo,ueniret bono omine, fauere se ei,ut præclaram compositæ pacis gloriam referret. Prolixè ille omnia pollicitus est, se dissimilem Cretensis illius fore. Inter Fridericum quoque Imperatorem & Mathiam regem Vngarorum non ita pridem pacem se feciſſe, in eaque confirmanda incorruptum se præstitisse, ita ut incusaretur ab Imperatore, quasi homo Germanus in Vngaros quàm in suos propensior fuisset. Venerunt ijsdem diebus ad Regem Sciborius gubernator Prussię,& Gabriel palatinus Culmensis, Baseni fratres, cum legatis nobilitatis Prussicæ & trium ciuitatem,orantes,ut Rex Marieburgum tandem accederet,ac tam diuturno bello, quo ipsi penitus iam exhausti essent, finem imponeret. Fore enim, cum eò accesserit, ipsique hostium metropoli Kynixbergæ propius bellum ostentarit, ut ad eum ciuitates quędam deficiant,& Cruciferi ad quasuis pacis conditiones perducantur. Repetebant & priora postulata de Mariebur go & alijs arcibus fidei suæ committendis. Non debere minus certam & probatam esse regi fidem suam, quàm externorum: & minore autem impendio eas arces seruari à se posse, quàm ab externis, quorum insatiabili auaritiæ explendæ, neque ærarium,neque facultates suæ sufficiant,& uerò negligi propter eos culturam agrorum. Hæc uoce & gestu asperiori exaggerantes, addebant minas:Nisi ratio precum suarum duceretur, fore ut ali-

Cruciferi uastant Varmiam.

Rudolphus episcopus Lauãtinensis legatus apostolicus.

Hieronymi Cretensis archiepiscopi ingeniũ & fides.

Fridericus Imperator cũ Mathia rege Vngar. reconciliatus.

Prussorũ legatio ad regem.

ter sibi prospicere cogerentur. Offendit ea legatio Regem, et quotquot ipsi aderant in consilio, quòd quorum uindicandorum causa tantum cùm pecuniæ, tum sanguinis profunderetur, ij liberatoribus suis etiam leges ferrent. Sed dissimulata tamen temporis causa offensione, comiter eis responsum est: Regem maturè affuturum esse Marieburgi, ibique de illis & omnibus rebus cum Prussis constituturum. Ante messem autem cum exercitu eò proficisci commodè non potuisse, propter annonæ & pabuli penuriam. Ita dimissis Prussis, rex Inouuladislauiam profectus est, quo magis accelerent iter milites, cum Regem in itinere esse audirent. Ibi eum conueniunt legati Stolpensium ducis Henrici. Gratulabantur ij Regi saluum aduentum in eas oras: auxilia permagna ad bellum pollicebantur: ipsum que adeò ducem præsentem affuturum, si Rex ipse foret in exercitu. Deinde percontabantur, Choinicia'mne & alias Pomeranicas munitiones Rex oppugnaturus esset, an Marieburgum profecturus. Postremò postulabant apertè quidem, ut redimere duci Lemburgum & Bythouiam munitiones à Cruciferis sibi ademptas liceret: cupere hoc eius subditos, & pecuniam in eam rem contulisse. Ipsum uerò cum hostibus decidisse iam octo millibus florenorum, & captiuis eorum reddendis. Tectius uerò & obiter agebant. Si fortè dux de Choinicia, Stargartha, siue alia quapiam munitione Pomeranica decidere cum hostibus regijs aliqua conditione posset, ut ipsi cum bona Regis gratia habere eas munitiones liceret, in fide & clientela Polonorum futuro. Ad tam uafram legationem, quippe quæ non obscurè indicaret Henricum toti Pomeraniæ inhiare, nihil aliud responsi datum est, quàm ut dux ipse post quintamdecimam diem Bydgostiam ad Regem ueniret, de illis quæ postulabat coràm acturus. Ne quam tamen pecuniam interim hostibus numeraret, ne'ue captiuos redderet. Ferret potius aliquantisper adhuc detrimentum amissarum munitionum. Id autem prouidebatur, ne uires hostium receptis captiuis, conductis'que illa pecunia nouis militibus, reficerentur. Bydgostiam deinde Rex peruenit. Vbi de Slochouiæ arcis interceptione nuncium accepit. Præfectus eius arcis Georgius Dambrouius Martinum Sissouicium nobilem & copiosum Pomeranum, è ditione Henrici ducis, domi ipsius captum, in arce asseruabat, quoad se magno ære redimeret. Insinuarat is se in familiaritatem præfecti ita, ut liberius in arce diuersaretur. Erant ibi in præsidio Pomerani Polonis intermixti. Cum his igitur Sissouicius clàm de proditione pactus, cum cognitam haberet angustiam rei frumentariæ in arce, ultrò pollicitus est domo aliquantam uim farinæ. Dimissus eam ob rem à credulo præfecto, quatuor currus farina onustos adduxit. His uerò quaternos expeditos pedites quasi custodiæ & præsidij causa adiunxerat. Cum quibus in arcem intromissus, præfectum arcis, & quos de militibus fidos ipsi esse arbitrabatur, adiuuantibus ex condicto Pomeranis præsidiarijs, comprehendit, & in imam turrim detrusit, arcem'que in potestatem suam redegit. Vehemens erat suspicio, si non iubente, certè non insciente

Stolpensium ducis legatio ad Regem.

Slochouia fraude intercepta.

insciente Henrico duce facinus illud ab ipsius hominibus patratum esse: eóque spectasse uidebatur pars illa legationis eius, qua petebat, ut sibi habere liceret per Regem munitiones, si quas pacto aliquo in potestatem suam redegisset. Itaque increpiti legati eius, qui nondum dimissi erant. Missus que ad ipsum legatus à Rege, qui de fraude et perfidia cum eo expostularet: minas que adijceret, ni Slochouia Regi redderet. Ad ipsum quoq; Martinum Sissouicium missus alius de restituenda arce, nil nisi bona uerba retulit. Quo tempore Choinicia quoq; duces hostiũ aderant, pecuniã Martino grandem pollicentes, si sibi arcem traderet. Atq; ij reuerti alio tempore iussi sunt. Venerat & Dinis, primarius Friderici Marchionis Brandeburgensis consiliarius, cum quadraginta equitibus, quasi socium se Martino ad defendendam arcẽ offerens, ut intromissus arce potiretur: uerùm intromissus non est. At Rex cum conuocasset consilium, omisso Marieburgo & Kynixberga, Choiniciam adoriri, necquicquam reclamantibus Prussis, statuit, quo militibus hostium, qui è Germania & Boemia deducebantur, transitum intercluderet, Poloniam que maiorem ne hostilibus excursionibus exponeret. Ad hæc autem Slochouiam quoque facilius se recuperaturum esse sperabat, si propius exercitum admoueret. Hostes qui Starigradi in præsidio erant, ubi cognouerunt Regem in ea ora tunc bellum gerere decreuisse, diuturna obsidione defatigati, & fame iam laborantes, relictis rebus omnibus, quà patebat exitus, noctu silenti agmine excesserè: & equites quidem sparsim Choiniciam contendêre: parúmque abfuit, quin in mercenarios Regis milites, qui cum Felice Panicuio seu Pniouio, quem admodum habet Vapouius, ad Choiniciam præmissi erant, inciderent. Pedites uerò in Zantiram uicum se recepere, templúmque Vistulæ imminens, unde nauigantes infestarent, muniuêre. Postero die oppidani, dilapsis defectionis authoribus, compotes sui facti, Gothardo Radlinio sese dedidêre: quo nuncio exhilaratus Rex, alacrior ad obsidendam Choiniciam comitatum suum aulicum, Dunino & Synouccio ducibus, misit: quibus & proceres, qui aderant Bydgostiæ, suos comitatus adiunxerunt: ipsi Bydgostiæ cum Rege manserunt. Ludibrio primùm fuit hostibus ea obsidio, abundante oppido defensorum multitudine, & quòd nostri uno in loco, cæteris partibus oppidi liberis, castra metabantur. Vbi uerò fossis atque sepibus cingi oppidum cœptum est, erumpere frequentes, & inuadere operi intentum militem, globos que bombardis & omne telorum genus è mœnibus eiaculari. Ad extremum imbutis ueneno sagitis uti, ac temerè uagantes, ut solent, Polonos, insidijs excipere. Nec paruis incommodis nostros afficiebant, donec submissis à Rege Lituanis ac Tartaris equitibus, liberiores eorum excursiones inhiberentur. Interea Slochouiam Rex fortuna adiuuante, sexto, postea quàm amiserat, die recuperauit. Excurrerant eò quadraginta pedites Ioannis Coscelecij palatini Inouuladislauiensis, siue ut fortunam tentarent, siue ut aliquid è subiectis agris raperent. Eos Martinus Sissouicius ex arce conspicatus, omnibus

Zantira.
Starigradum deditum.
Choinicia à Polonis obsessa.

Slochouia recuperata à Polonis.

militibus, quos in præsidio habebat, deductis persequi instituit. Sacerdotes tantum duo cum ludimagistro & aliquot scholasticis adolescentibus in arce remanserãt: qui quamuis Pomerani, tamen benignioribus usi Polonis, permolestè ferebant eos per dolum arce excidisse. Hi ergo solitudinem nacti, occasionem referendi gratiam bene meritis, non negligendam sibi esse rati, portas arcis superioris occlusere: ostioq; turris refracto, Georgiũ Dambrouium cum sexdecim socijs cassibus uenatorijs submissis extraxere, & cum his pariter clamorem sustulere: quo consternati Pomerani, cum in arcem se recipere uellent, subeuntesq; saxis supernè deiectis arcerentur, foris uerò à quadraginta illis peditibus, significatione eorum qui in arce erant, animatis peterentur, correptis & conscensis celerrimè equis Dambrouij, qui in inferiori arce stabulabantur, in Stolpensem ditionem profugerunt. Remunerati à rege sacerdotes & scholastici. His cognitis Fridelandenses & Hamersteinenses, eiectis hostium præsidijs, regi sese & oppida sua dedidere: qui propter sæuitiam & asperitatem præfecti sui Vuladislai Damoborij Castellani Naclensis defecerant. Deiecerunt hæc magnopere Magistri & Cruciferorum animos, qui in spem potiundæ Slochouiæ, quæ amplitudine & munitione Marieburgo non multum cedit, uenerant: & Germanis principibus, à quibus ad eam diem uanis auxiliorum promissis lactati erant, inter se dissidentibus, nihil spei sibi reliquum esse in posterum uidebant, metuebantq;, ne id quicquid haberent reliqui in Prussia, per uim aut per uoluntariam deditionem Prussorum amitterent. Itaque conuentu Kynixbergæ habito, cum non satis tutum esset aliorum cuiquam pacis mentionem facere, nonnullis ob id, quemadmodum superius dictum est, supplicio affectis, primus ipse Magister Ludouicus sententiam dixit: in quam ab omnibus itum est, nimirum ut pax cum Polono conficeretur, si minus æquis, at tolerabilibus duntaxat conditionibus. missus'que euestigio ad regem Bernardus Sumbergius, tempus locum'que colloquio de pace habendo petiuit. Nihilo ferociorem secundæ res regem fecerant, & iam antè ostenderat legato apostolico, non abhorrere se à pace. Sed non placebat ei tamen, inconsultis suis, cum hoste quicquam constituere. Ad quintamdecimam ergo diem iussus redire Sumbergius, responsum accepturus. Eo sic dimisso, cœpit mox regem finiendi belli cupidum pœnitere, quòd rem integram ad Prussorum arbitrium retulisset. Posse enim eam inficí. Itaque mutata sententia, missi ad Sumbergium, qui assentiri regem eius petitioni indicarent, locumq; ac tempus certum colloquij cum eo constituerent. Indeque rectà Marienburgum ad conuentum Prussorum ire pergerent, causas mutati consilij regij de eo quòd is Marieburgum, ut promiserat, non ueniret, redderent: de tempore & loco constituti colloquij certiores eos facerent, & ad id colloquium inuitarent. Conuenit, ut ad diem natalem Dei matris Mariæ Rex Toruniæ, Magister cum suis Culmæ essent, ij uerò qui de conditionibus collocuturi ac tractaturi erant, Culmeseæ, medio ferè utrinque spacio, conuenirent. Accitus'que est ad eam rem Rudolfus legatus pon-

Sacerdotum & scholasticorum gratitudo erga Polonos.

Fridelandenses & Hamersteinenses regi sese dedidere.

Damoborij sæuitia.

Cruciferi pacem petunt.

tus pontificius. Nihilo tamen segnius continuabatur obsidio Choiniciæ: & quo celerius ea operibus circumuallaretur, spesq; omnis auxiliorum, & facultas euagandi obsessis præcideretur, euocatæ à rege è maiore Polonia & Cuiauia operæ ac rusticani homines cum ligonibus, securibus, & alijs eiusdem generis instrumentis, non parcebant diurno ac nocturno operi. Non leuiter autem ad id extimulabat Polonos obsessorum, qui ferè Silesij erant, ferocia, eo pertinacior, quo minus eis aduersus progenitores suos Polonos, quàm Cruciferis & Germanis conueniebat. Neque uerò leue momentum addidit Henrici Stolpensium ducis perfidia. Qui cum Bydgostiam ad regem illis diebus uenisset, & cùm omnia socij & fœderati officia, tum operam suam efficacem ad conficiendam deditionem Choiniciæ regi sanctè pollicendo detulisset, honorificè habitus, donatus, dimissus, et Choiniciam profectus, longè diuersum egerat. Indeq; discedens, misso denuò ad Choinienses præfectos nuncio sacerdote quodam, non regi, sed sibi Choiniciam tradi aliqua mercede postulabat. Verùm is sacerdos excussus à nostris, ad oppidum admissus non est. His igitur de causis festinabant & satagebant nostri. Et faciebat eis potiundi spem, quòd nullo flumine importari in oppidum commeatus poterat. Dum hęc geruntur in Prussia, Georgius Boemorum rex misit aliquantam manum equitum pariter atque peditum contra Vuratislauienses, qui ipsi dicto audientes non erant, duce Scibor io Touazouio Morauo: qui siue iussu regis sui, qui successibus Polonorum angebatur, suaq; interesse putabat, ut ij quamplurimum haberent negocij, siue propria temeritate, excursione facta in Poloniam, Zenstochouiam oppidum & monasterium, circumiacentesq; pagos diripuit, falso prætextu, quasi rex Polonus Boemis quibusdam, qui tunc in illo exercitu militabant, emerita in Prussia stipendia non exoluisset. Præmonitus ea de re fuerat à nonnullis Morauis & Silesijs æmulis Touazouij, Iacobus Dembenius præfectus Cracouiensis. Cui rex absente se curam minoris Poloniæ commiserat: sed malo consilio usus, ipse quidem cum parte copiarum, quas raptim coegerat, Osuencimi se continuit: Prædislaum uerò Dmosicium præfectum Scepusiensem cum expeditis ad reprimendum Touazouium misit. Qui tardius molitus, occasionem opprimendi hostem incautum, & securè apud Dornouicium pagum ex labore diurno, & nocturna compotatione indormientem amisit. Ita Touazouius incolumis sese cum suis recepit, & Namyslouiensem agrum diuexauit. Nec ausus adoriri Vuratislauiam, in Morauiam reuertit. Expostulauit ea de re cum Georgio Casimirus per internuncium Castellanum Malogestensem. Sed ille negauit quicq; eius suo iussu factũ esse. Conuentus deinde inter reges per internuncios constitutus, ubi de iniurijs & controuersijs transigeretur, Bythomię ad diem S. Andreæ memoriæ sacrum. Hoc igitur tumultu motus Rudolfus legatus, rescripserat regi: Se uenire ad diem statutam non posse: uerùm discessione Boemorũ repentè præter opinionẽ solutus metu, ad uicesimã sextam diẽ Augusti Toruniã paucis post regẽ horis uenit. Cruciferi aliquãdiu expectati sunt, quòd legatũ in Silesia impeditũ, non uenire acceperãt. Interim legatus

Silesij malè animati in Polonos.

Henrici Stolpensis perfidia.

Boemorũ excursio in Poloniam.

Zenstochouia direpta.

Legatus pontificius.

legatus die natali Mariæ, rege cum proceribus suis præsente, apud sodales Franciscanos, ritu solenni sacra fecit. Postridie uerò mandata pontificis exposuit, regemque ad pacem cohortatus est. Respōsum est: Regem, quamuis iustum bellum satis prospero successu gereret, uictoriamq; penè in manibus haberet, facilem tamen fore ad faciendam pacem, & in æquis conditionibus acquieturum esse. Vbi Magister quoque cum suis aduenit, placuit, apud Nessouiam potius, quàm apud Culmeseam conuentum agere sub papilionibus. Nam Toruniam Cruciferos intromittere nostris uisum non est, superioris temporis periculo admonitis. Per eos dies hostile præsidium, quod Zantiræ erat, à Tomezone & Petro Rabelinio Burgrabio Marieburgensi expugnatum est. Ad medium uerò Septembris apud Choiniciam, cum ex oppido erupissent hostes, commisso cum nostris prælio, in oppidum reiecti sunt. Nec multo pòst prandentibus nostris rursus erumpentes, cum aliquot horis strenuè dimicassent, multis amissis terga uerterunt. Instare nostri fugientibus. Hostes ueriti ne cum suis nostri simul irrumperent, clausis celeriter portis, permultos de suis excluserunt: qui partim cæsi, partim capti, partim cū in fossam aquæ plenam armati sese precipitassent, submersi sunt. Nec multo pòst nostri sagittis ignem iaculati nonnullis oppidum incenderunt, ita ut quarta pars eius cum frumento conflagraret. Quo uicta tandem est hostium pertinacia, missisq; in castra Vlrico Eisenoueno magno Cōmendatore et Ioanne Zalio, uitam fortunasq; pacti, nec unquam contra Polonos arma se sumpturos esse sanctè iurati, redditis receptisq; uicissim captiuis, inter quos erat Paulus Iasenius, oppidū cum bombardis & omni apparatu ac instrumento bellico ad quartum Calendas Octobris, dediderunt: & lachrymantes Lemburgum profecti, post octauum diem illud quoq; oppidum atq; Bythouiam Henrico Stolpensi, acceptis ab ipso octo millibus florenorū, captiuisq; receptis, reddiderūt. Victor exercitus Toruniam ad regem ueniens, facta mutua gratulatione benignè & liberaliter habitus est. Choiniciam rex impunitate donauit, quamuis cuncti solo eam æquandam esse suaderent. Iisdem diebus mons Nesco supra Vecram amnem, quem hostes præsidio firmarant, profligatis quadraginta militibus, qui inde in Masouiam populabundi excurrerant, à comitatu aulico Conradi ducis expugnatus est. Hæc nunciata Cruciferis, incredibilia uideri primò, terrendiq; sui causa à nostris conficta. Sed ubi uera esse comperêre, pronioribus animis ad pacem inclinari cœpere, ueriti ne Prussia cuncta à se deficeret. Post multorum igitur dierum colloquia tractatusq; cum nostris habitos, legato pontificio summa fide, cura, studioq; adnitente, & rege nihil de sua facilitate remittente, & peste, quæ Toruniæ inualescebat, celerem discessionem suadente, tandem decimanona die mensis Octobris optata diu pax confecta: in scriptum redacta: legati ac trium tabellionum manibus subscripta: à Rege, Magistroq; Toruniam accito, & utriusq; consiliarijs obsignata est, & in domo publica quam Geldam uocant, Rege & Magistro cum suis congregatis, à legato quidem Germanica, à Vincentio uerò Kelbassa secretario regio Polonica lingua publicata, & utriusq; partis assensu

Zantiræ præsidiū expugnatū.

Cruciferorū aduersæ res apud Choiniciam.

Choinicia Polonis dedita.

Lemburgum & Bythouia Stolpensium duci dedita.

Choinicienses impunitate donati.

Nesco mons expugnatus à Masouijs.

Pax inter Polonos & Cruciferos Toruniæ facta.

assensu & solenni iureiurando approbata est. His autem conditionibus ea conuênit, ut Polonos Culmensem & Michalouiensem ditionem, & Pomeraniam omnem, ad hæc Marieburgum, Stumam, & Cristiburgum arces & oppida, Elbingam ac Tolchemitam oppida cum suis territoriis, & munere syluatico, quod Valdampt Teuthonicè uocatur, & sex pagis qui ad arcem Holandiã pertinuerunt, iure sempiterno obtineret. Tres modò pagi in Neringa Cruciferis propter commodiorem in Habo lacu piscationem relicti, dimidiaq; piscatura lacus Keftel: reliquum quicquid est in Prussia, ut Magister cum suis Cruciferis sibi haberent, ea quidem lege, ut semper sint in fide & clientela regum Polonorum: idq; solenni iureiurando, quicunq; Magister ordinis deinceps unquam creatus esset, intra sextum mensem per se ipse ad Regem ueniens profiteretur: seruaturus omnia quæ tunc conuenissent, neque ulla tergiuersatione aut relaxatione cuiusquam siue absolutione à iureiurando, ne ultrò quidem oblata usurus: esset que is princeps & consiliarius regni, et ad læuam Regis primum locum in consilijs & consessibus publicis haberet. Primos quoque Commendatores quos Magister ederet, ut & ipsi consiliarij Regis essent: atque ita Magister, ordo, ac tota Prussia, & quicquid ij postea bello, uel quouis alio modo de barbaris quærerent, cum Polonia arctissimo uinculo coniungerentur, & in unum corpus coalescerent, neque cuiusquam omnino in terris, præterquam regis Poloni maiestatem, authoritatem, ac iurisdictionem, salua pontifici maximo sua iurisdictione, agnoscerent. Ei uerò contra quemuis hostem adessent, nec eum in aduersis iuxtà ac in prosperis desererent. Ad professionem ordinis ut patêret aditus Polonis, & alijs regiæ ditionis hominibus, dummodo ij dimidiam partem ne excederent, eorumque etiam in magistratibus & curationibus mandandis ratio haberetur. Magister uerò ne Rege inscio quauis de causa amoueretur. Quòd si quæ munitiones intra fines utriusuis ab altero adhuc tenerentur, ut ante octauum Calendas Iulij bona fide redderentur. Sin à quoquam alio, tamen alterius ope recuperarentur. Donationes, uenditiones, & aliæ quæuis alienationes bonorum ab occupatore, incommodo ac damno alterius bello durante factæ, ne ratæ essent. Profugis & exulibus equestris ordinis possessiones ademptæ ut restituerentur: Plebeis uerò eæ modò, quæ ante initium conuentus illius uenditæ non essent. Cæterùm pro uenditis liceret precium renumerare. Omnibus autem ut perdueilionis ac defectionis noxa remitteretur. Culmensis ecclesia amotis religiosis Cruciferis, ut ad ius matricis suæ Gnesnensis metropoleos rediret, eiusque episcopam Vincentius Kelbassa, simúlque Pomesanienſem haberet. Eo uerò mortuo, Pomesanienſis ecclesia in Cruciferorum ditionem recideret. Arces, oppida, pagi, et quęuis bona ecclesiastica utrinq; suis ecclesijs redderentur. Captiui item utrinque dimitterentur: uiæ publicæ ut essent liberæ more ueteri. Telonia siue portoria noua ne qua utrinque alteris imperarentur. Hæc ita rata firmaq; esse ut omnes episcopi, duces, palatini, Castellani, commendatores, equites, ciuitates iureiurando interposito iuberent.

Valdampt.

Cruciferi in fide & clientela regis Poloni.

Magister Crucif. princeps & consiliarius Polon. cũ primoribus commendatoribus.

Prussiæ cum Polonia cõiunctio.

Poloni recipiendi inter Cruciferos.

Culmensis episcopa Gnesnensi metropoli subiecta.

Pomesanienſis relicta Cruciferis.

berent. Et quamuis authoritate legati pontificij confecta, constituta, & stabilita essent, mitterent tamen nihilominus Rex & Magister oratores ad pontificem, & ab ipso approbari & confirmari pacta illa cum omnibus conditionibus peterent, adiectis in uiolatores pœnis. Hunc igitur tunc exitum bellum Prussicum, tredecim annis uaria fortuna gestum, habuit. Omnibus ritè peractis, ad ædem Virginis matris nomine nuncupatam itum est, Deoque actæ gratiæ: reliquum diei festis epulis & conuiuijs datum. Rudolfus legatus tam pulchræ pacis confectæ meritam apud omnes laudem tulit: qua contentus, amplissima dona à Rege missa refutauit.

Rudolfi integritas.

Rudolfus consiliarius regius.

Consiliarijmodò regij titulum honoremq; cum pensione siue salario ducentorum florenorum in singulos annos, quoad uiueret, in salinis Bochnensibus attributam accepit, & Vuratislauiam se recepit. Magistro item Ludouico, & ijs qui cum eo erant primarijs uiris, Henrico Plauenio, Gerardo Melengrado, Vilelmo Epingio, Vlrico Regiomontano siue Kynixbergensi, Bernardo Sumbergio, Georgio Sliuenio, ac duobus Cruciferis cubicularijs Magistri, perampla pro cuiusq; conditione ab eodem Rege data munera. Cumque is egere admodum Magistrum comperisset, præter priora dona, quindecim millia florenorum ei ultrò dono promisit in emerita stipendia militum, quo facilius Prussia excedentibus illis recrearetur. Remisit etiam ipsi in uiginti annos necessitatem mittendorum ex pacto auxiliorum, excepto tamen bello Turcico, si id Polonis inferretur. Vicissim autem Magister Polonis in ditione sua fundos & possessiones habentibus, tributa, operas, & quæuis alia onera in uigintiquinque annos remisit. Missi deinde oratores Romam: à Rege quidem, Vincentius Kelbassa designatus episcopus Culmensis, & Pomesanienſis, & Ioannes Ostrorogius iureconsultus & Castellanus Medirecensis: à Magistro uerò, Ioannes Vinclerus iureconsultus: quibus mandatum, ut pontifici gratias agerent, Rudolfi industriam, fidem, integritatem, studium, atque diligentiam commendarent, & apicem honoris Cardinalitij pro meritis ei peterent. Sic igitur ille uberrimum est uirtutis & laborum suorum fructum consecutus: quos eo alacrius exhausit, quòd Vuratislauia in Prussiam proficiscens uiso religioso cuiusdam uirginis Veronicæ Cracouiensis apud basilicam Vuratislauiensem per multos annos commorantis animatus erat: quem illa uidere sibi uisa est coram throno Dei gladium utraque parte acutum confringentem: quo significabatur, eum bello Prussico finem impositurum esse. Id quod euentus rei comprobauit. Non omnibus tamen ea pax grata & iucunda fuit. Nam & Prussi molestè ferebant, tantum relinqui Cruciferis in Prussia, ut facilè resumptis uiribus bellum instaurare possent: & Poloni proceres, qui ei paci conficiendæ non erant adhibiti, multa in eam cauillabantur: & milites spem stipendiorum faciendorum sibi præcisam esse molestè ferebant. Et Lituani dolebant, se occasionem recuperandæ, quemadmodum existimari uolebant, Podoliæ, dum Poloni Prussico bello distinentur, amisisse. Iam uerò Georgius rex Boemus, qui magnam

Cazimiri munificentia in Magistrum & Cruciferos.

Legatio ad pont. max.

Rudolfi episcopi laus.

Visum religiosæ fœminæ.

Pax quibus ingrata accidit.

retinendi

retinendi,& ad posteros suos transmittendi regni Boemici,spem in eo bel lo collocarat: eo finito, impensius sibi liberis'que suis metuere à Cazimiro rege incipiebat, quòd eius regni hæreditatem ad ipsum filiosq; ipsius per Elizabetham uxorem Regis Vngarorum atque Boemorum filiam & sororem pertinere intelligebat: se'que exosum esse apud suos,eos præsertim qui in recta religione permanebant,nõ obscurè animaduertebat: neq; ignarus erat, Cazimirum ad bellum sibi inferendum cùm ab alijs Christia nis principibus, tum à pontifice maximo incitari. A`quo etiam per id tempus ipse iudicio Romæ instaurato, hæreseos & perfidiæ damnatus, omni regio, ducali, & marchionali honore non in præsens modò, sed etiam in futurum tempus unà cum liberis suis priuabatur: & subditis eius indulgebat, ut ei parêre necesse nõ haberent. Et egerat quidẽ cum Cazimiro de suscipiendo regno Boemico Rudolfus legatus quàm diligentissimè Torunia discessurus: pollicebaturq; ipsi non solum subsidium pontificis,uerùm etiam Silesiæ & Luzaciæ deditionem, quamprimùm arma contra Boemos sumpsisset,aut aliquem de filijs suis cum exercitu misisset. uerùm Cazimirus eam consultationem ad comitia regni reiecit. Ridiculè hic de Cazimiro atque omni dissidio regum de regno Boemico fabulatur Antonius Sabellicus,scriptor alioqui diligens,solam,ut arbitror,famam populi & rumores Riui alti secutus. Quem res ipsa satis refellit. Nobis id obiter admonuisse sufficiat. Dimisso legato & Magistro, Cazimirus ad quintum Calendas Nouembris Torunia profectus,quoniam pestis totam ferè Poloniam peruaserat, apud Cozinicios saltus aliquandiu uenationi uacauit. Interea Ioannes Srancus collectis duobus millibus mercenariorum militumne, nihil ageret, finitis stipendijs, Pelciniciam oppidum in tractu Stolpensi occupauit: nec multo pòst Drahimum,arx regia ab eo qui Pelciniciæ prẽfuerat,intercepta est. Regis deinde iussu ex pacto restitutio utrinque facta.

Georgius rex à Cazimiro liberis suis metuit.

Georgius rex damnatur hæreseos, & regno priuatur.

Cazimirus ad bellum Boemicum incitatur.

Antonij Sabellici error multiplex.

Pelcinicia à Polonis occupata, Drahimum à Pomeranis.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM,

LIBER XXVII.

1467. ann. Sigiſmundus filius Cazimiro natus.

INSEQVENTIS anni initio, ipſis adeò Cal. Ianuarijs natus eſt Regi apud Cozinice Sigiſmundus filius pacata Pruſsia, bono quodam omine conficiendarum reliquiarum belli Pruſsici, quod Cruciferi ſucceſſu temporis renouarunt. Sub finem uerò eiuſdem menſis rex in Lituaniam profectus eſt: duobusq; penè menſibus ibi exactis, in Poloniam reuertens, ad tertiam diem Maij Petricouiæ comitia habuit. Ibi poſtulantibus legatis Cruciferorum, quorum Magiſter Ludouicus paucis illis diebus obierat, pax reliquorum procerum, qui Toruniæ non adfuerant, ſolenni iureiurando confirmata eſt. Conſtitutæ etiam res reliquæ Pruſsiæ quæ in Regia ditione erat: & mutata nonnihil magiſtratuũ atq; honorum ratio, nobilitatis atq; ciuitatũ legatis flagitantibus. Nã gubernatione extincta, & palatinatu Elbingenſi in Marieburgenſem cõmutato, Sciborius Baſenus eo honore cohoneſtatus eſt: Caſtellanus uerò eiuſdẽ loci, Fabianus Maulius factus: palatinus Gdanenſis, ſiue, ut nũc uſus obtinuit, Pomeraniæ: Otto Maquicius, Caſtellanus autem Nicolaus Pilatius: denicq; Caſtellanus Culmenſis, Ludouicus Mortangius creati. Palatinus enim eiuſdem loci, qui ſecundum epiſcopos primus eſt in ſenatu Pruſsico, Gabriel Baſenus uiuebat adhuc. Audita eſt etiã Nurduuuladi no ui Tauricanorum Tartarorũ principis, qui Ezigeri patri ante ſeptem menſes extincto ſucceſſerat, legatio, fœdus & amicitiam paternam cum Cazimiro eiuſq; ditionis hominibus cõfirmans, & auxilia contra quoſuis hoſtes pollicens. Conſultatum deinde de exoluendis ſtipendijs militũ toto Pruſſico bello meritis, quorum permagnus numerus cum coniugibus & liberis aduenerat. Deciſum cum equitibus quidem octonis florenis in ſingulos annos, cum peditibus uerò quaternis. Quæ ſumma ad bis centũ & ſeptuaginta millia florenorũ perueniebat: eaq; intra duos annos & ſemis exolui promiſſa. Tunc quidẽ bini modò aurei numerati in militem: quatorni intra menſem promiſsi. Necq; quicq; operæ precij tunc factũ eſt per totos ſeptendecim dies, propterea quòd nobilitas pleraq; omnis in Corcinenſi & Sredenſi conuentibus renuerat tributum agrarium in eam rem petitum. Itaque placuit nouos conuentus, Coli quidem ad diem ſancti Iacobi, Corcini uerò ad diem ſancti Laurentij, quò ex Colenſi maiores Poloni aduenirent, inſtitui. Ægrè autem milites in eo acquieſcebant, Vuladislao Damoborio Caſtellano Naclenſi, homine turbulento & ſeditioſo, in primis animos eorum ſollicitante: qui dudum Slochouiam intercipere adortus, & ſpe ſua fruſtratus, ex agro arci illi ſubiecto prædam egerat: milites eius arcis præſidiarios, fide data euocatos, perfidè trucidarat: Naclenſi territorio peccuniam imperarat: Gneſnenſis eccleſiæ bona

Comitia Petricouiæ.

Gubernator Pruſsiæ ſublatus.

Culmenſis Palatini in Pruſsia eminentia.

Tartarorum legatio & fœdus cum rege.

Tranſactio cum militibus de emeritis ſtipendijs.

Vuladislai Damoborij improbitas, & cædes.

bona populatus erat: & adulterinum numum cudere instituerat: nec in futurum tempus quieturus esse uidebatur. Is igitur quamuis clara Topororum familia, patre Inouuladislauiensi palatino ortus, & senator regius esset, tamen sponsores dare iussus de quiescendo: cum non daret, captus, & Petro Samotulio Castellano Posnaniensi & præfecto maioris Poloniæ traditus: Calissiamq; ductus, eius iussu capitali pœna affectus est. Ita unius supplicio repressa tamen sunt utcunque latrocinia, quæ iam increbescere cœperant, ita ut Ioannes Ressouius canonicus Cracouiensis, & præfectus Corcinensis Petricouia domum reuertens, in itinere, direpta, quam secum uehebat, supellectili sua & regia, caperetur. Adfuit & Georgij Boemi legatio, cuius princeps erat Ioannes Hicinius Morauus, fœderis apud Glogouiam icti Cazimirum admonens, ne proceribus Boemis & Vuratislauiensibus perduellibus contra Georgium faueret. Conuenerant enim unum in locum proceres Boemi nobilissimi quique, & cum his Budeouicensis, Pelsnensis, & omnium ferè Morauiæ ciuitatum legati: Georgium que, si iureiurando promissa de religione non præstaret, pro rege deinceps non habituros se esse constituerant: & in aliquem de filijs Cazimiri, utpote de stirpe regum suorum natis, animis inclinati esse uidebantur. Itaque anteuertens eos Georgius, quod fit plerunque, diligentius ut curentur ea quæ ab uno, quàm quæ à multis curantur, pactorum conuentorum Cazimirum admonebat. Huic responsum: A Cazimiro quidem fœdus seruari, & seruatum esse: à Boemo uerò id uiolatum uideri. Satisfieri ab eo de damnis datis & iniurijs oportere, si deinceps quoque fœdus integrum esse uellet. Ita spes tamen aliqua ostensa trepidanti. Nec multo pòst, solutis iam comitijs, adfuere & aduersariorum, hoc est orthodoxorum Boemorum legati, quorum Stenco Conopiscius siue Sternbergius Burgrabius Pragensis princeps erat, petentes ut Cazimirus regni Boemici, quod ipsi liberisque ipsius certa quadam successione deberetur, curam susciperet: neque id à scelerato, perfido & hæretico inuasore occupari pateretur. His responsum: Nihil iam tunc dere tanta statui rectè posse, conuentu dimisso. Cauebat nimirum Rex, ne nouo bello implicaretur, pertæsus Prussici ut qui maximè. Nec tamen successionis iure se & liberos suos abdicare uolebat: uerùm spectabat, quò fortuna dissidentium Boemorum inclinatura esset. Erat enim in armis Georgius, & rebellium munitiones in Boemia oppugnabat: & illi Buzeouice insigne secundum Pragam oppidum, quinque consulibus, qui cum Georgio sentiebant, de medio sublatis, sibi adiunxerant. Et uerò Vuratislauienses, quo Georgium distinerent, facta è mercenario milite & urbana multitudine manu, oppida & munitiones sibi uicinas, quæ in fide illius manebant, infestabant, Francheſteinum que cæperant. Sed uicissim in eo ipso oppido obsessi à Boemis & Saxonibus auxiliaribus, oppido per scalas inter tumultum temerè inter milites coortum capto, exciderunt. Ac equites quidem fuga euaserunt: pedites uerò ad quatuor millia,

Ioannes Ressouius præfectus Corcinensis captus.

Georgij regis legatio ad Cazimirum

Boemorum procerũ consilia contra regem Georgium.

Boemorum legatio ad Cazimirũ.

Boemici motus.

Vuratislauiensiũ clades apud Francheſteinum.

partim cæsi, partim capti. Miserant autem Georgio Vilelmus Misnensium ac Turingorum dux, & Albertus Marchio Brandeburgensium nõcontem nenda equitum auxilia. Hæc igitur tunc circumspiciebat Cazimirus. Pet/ actis autem comitijs, Petricouia profectus, Nepolomiciam diuertit. Ibi oratores suos responsum pontificis maximi referentes audiuit. Nihil ab eo tunc impetratum, præter quòd Culmensis ecclesia amotis Cruciferis in pri stinum statum restituta, & Gnesnensi Archiepiscopo denuò addicta est: Confirmatio uerò pacis Prussicæ, & relaxatio interdicti in Prussos regia/ rum partium promulgati, Rudolfo Lauantinensi episcopo mandata. Qui ad quintum Calendas Augusti Vuratislauia Cracouiam aduenies cum Gabriele Veronensi Franciscano, hæreseon inquisitore, & Petro Ercleo decano Aquensi cubiculario pontificio, recens Roma missis, regem ad susci/ piendum, & à nefario & hæretico occupatore uindicandum regnum Boe/ micum exhortabatur: & Pontificis, Imperatoris, Germanorum, & aliorum Christianorum principum opem & subsidia promittebat: diplomata que pontificia proferebat, quibus ea demum conditione interdictum relaxare, & pacem Prussicam confirmare uidebatur. Et commodùm proceres Boe/ mi qui Georgio aduersabantur, miserant & ipsi ad Cazimirum è conuentu Iglauiensi Heliam administratorem Lutomysliensis episcopæ, orantes ut aut ipse regnum id sine longiore comperendinatione susciperet, aut ali/ quem de filijs uel cum mille equitibus regem sibi mitteret. Suis uiribus re/ gnum se ipsi uindicaturos esse. Ad extremum tergiuersante Cazimiro, po/ stulabat Rudolfus, ne tamen pro fœderato, nec pro Rege haberet Geor/ gium, priuatum regio honore à pontifice: sed pateretur piam crucis mili/ tiam contra eum in ditionibus suis promulgari. Offendit ea legatio Regem & proceres Polonos, qui tunc ipsi aderant in consilio, propterea quòd pax cum Cruciferis in dubium reuocari, prætextus que renouandi belli ipsis præberi uidebatur, propter adiectam in diplomatis conditionem. Itaque res integra ad consultationem conuentus Corcinensis, qui tunc in/ stabat, reiecta: conuentus que ipse propter incommoditatem loci, & pe/ stem circumquaque sæuientem, Cracouiam translatus: & ad eum maioris Poloniæ proceres propter nouam illam causam euocati, uix ad medium Augusti tandem, non omnes tamen, conuenere. Quindecim ferè diebus con sultatum. Ad extremum placuit gratias agi pontifici, & Boemis proceribus de oblato regno, quod Cazimiro liberisq; eius iure optimo deberetur. Sed acceptare id eum tunc propter infrequentiam senatus, cuius consilijs et auxi lijs usurus esset, rectè non posse: differri rem ad alia comitia oportere: curæ autem Regi fore, ut bellum ciuile inter Boemos gliscens dirimatur: Georgi/ us in uiam redeat, & in potestate sit pontificis maximi. Quo minore uero negocio ea confici possint, operæpretium esse, ut aliquantisper à publican/ do pontificio decreto, quo Georgius regno priuabatur, & militia crucis abstineatur. Cum hoc responso dimissus Rudolfus, Vuratislauiam re/ uertit. Petro uerò Ercleo Romam reuertenti adiunctus Ioannes Sempinius eques

Culmensis episco/ pa in pristinũ sta/ tum restituta.

Legatio pontifi/ cis Max. ad Cazi mirum regem.

Boemorum pro/ cerum legatio.

Comitia Craco/ uiæ.

Cazimiri respon sum.

eques Polonus, qui de confirmatione pacis Prussicæ sine conditione rursus ageret. Cui mandatum & illud est, ut peteret, quo Vincentius Culmensis episcopus Paulo Varmiensi per eos dies peste, seu ueneno, ut creditum est, extincto, successor daretur: quamuis Nicolaus Tungenus canonicus eius ecclesiæ, Vormitha ortus, qui Romæ tunc erat inter scriptores apostolicarum literarum, ritè à collegio basilicæ illius electus esset. Sed ne Sempinius quidem quicquam impetrauit. In Boemiam uerò missi legati, Stanislaus Ostrorogius palatinus Calissiensis, Iacobus Dembenius thesaurarius & præfectus Cracouiensis, & Ioannes Dlugossus canonicus Cracouiensis. In Prussiam autem ad constituendas res, Iacobus Sennenius Vuladislauiensis, Vincentius Kelbassa Culmensis episcopi, & Ioannes Coscelecius palatinus Inouuladislauiensis. Qui subortas cum Cruciferis nonnullas controuersias diremerunt: & quamuis ægrè, perfecerunt tamen, ut de promissis Magistro à Rege quindecim millibus florenorum, duodecim millia ciuitates exoluerent. Rex tribus mensibus exactis Cracouiæ, in Lituaniam secessit. Iam enim totam ferè Poloniam, Russiam, & Masouiam pestis popularis peruaserat. Ibi Nicolao Vilnensi episcopo sub finem Septembris defuncto, Ioannem Iossouicium Vilnensis ciuis filium, qui tunc erat Lucensis episcopus: huic uerò Martinum Cressouicium gente Gryphium successorem destinauit. Nicolao uerò Camenecensi, qui et ipse ad medium Octobris peste extinctus erat, Nicolaum Golambicum gente Gryphium: sed cum is paulo pòst in itinere à latronibus interfectus esset, Nicolaum Prochnicium gente Cusium suffecit. Legati regij in Boemiam profecti, multa agendo & suadendo eò rem perduxere, ut Georgius negaret se quicquam aduersus pontificem & pacta cum antecessore eius & cum concilio Basileensi conuenta admisisse: correcturum autem, si quid fortè eiusmodi esset. Componendarum uerò Boemicarum rerum arbitrum Cazimirum non recusaret. Cæterùm alterius factionis proceres, conuentu apud Vuratislauiam habito, negarunt, se illum arbitrum accipere posse inconsulto pontifice maximo, cuius iussu bellum suscepissent. neque uerò habendam esse fidem Georgij uerbis atque promissis: quin susciperet Cazimirus oblatum & iure sibi debitum regnum, aut uerò aliquem de filijs, quos tam multos haberet in spem plurium regnorum susceptos, regem sibi mitteret. Factæ sunt tamen inter eos & Georgium quinq; mensium inducíæ: sequentis anni, qui fuit, millesimus quadringentesimus sexagesimus octauus, initio nihil memorabile actum in Polonia, præter quòd pestem latè grassantem annonæ caritas excepit, ex hyberni cœli intemperie, et intempestiuo calore ac siccitate, coorta ingenti multitudine murium: qui horrea depasti, cum se in agros effudissent, segetes quoq; hybernas uirescentes radicitùs arroserunt. Nihilo tamen minus primo uere Cazimirus rex cum uxore Cracouiam è Lituania reuertit. Ibi conuenit eum Protasius Olomucensis episcopus: & ad uindicandam Boemiam, & socia cum Imperatore Friderico, & Mathia rege Vngarorum arma contra Georgium coniungenda exhortatus est. Secretò uerò, quinque modò consiliarijs adhibitis, suasit ut rex fœdus cum utroque principe

Legatio Cazimiri ad pontificem. De Varmiensi episcopa controuersia.

Legatio Polon. ad Boemos.

Legati in Prussiã.

Pestis in Polonia.

Georgij regis responsum oratoribus Polonis.

Boemi catholicè recusarunt arbitrum Cazimirũ.

Inducíæ.

1468 ann.

Annonæ caritas.

Protasius Olomucensis episcopus ad Cazimirũ uenit.

noua

noua affinitate ſtabiliret, collocatis in matrimonium Mathiæ & Maximiliano Friderici filio duabus filiabus natu maximis : conſultius fore, ut per filias certam Vngarici & Boemici regni hæreditatem nomine uxoris ſuæ adiret, quàm ad filios eam peruenturam expectaret, aut uerò armis eam uindicaret. Non recuſaturos eſſe principes illos cum conſiliarijs ſuis, quin ſi ipſi liberos nullos relinquerent, ad Cazimiri liberos ex pacto ſecundum ipſos ſucceſſio pertineret. Attingebat quidem Georgium propinquitate Protaſius, et magna fiducia et libertate ſubinde eum officij ſui admonuerat. Sed cum plus apud eum ualeret authoritate, ſiue adeò terrore minisq; Rochezana, Protaſius cum rectè ſentientibus Boemis ſeſe coniunxit. Et cum Cazimirus oblatum ab eis regnum non acciperet, Mathias uerò Vngarorum Rex, quamuis gener & fœderatus Georgij, tamen pōtificis max. hortatu & authoritate adductus, miſſa ad eos legatione ultrò id expetiuiſſet, non grauatè ſuſceptus eſt ab eis. Et fortè is tunc nihil habebat negocij cū Turcis, qui reiecti à Iaize arce, quam recuperare nixi erant, in Aſiam ad ſubiugandū Trapezontinū imperium, & contra Syros & Ægyptios arma cōuerterant. Quo magis autem Mathias res ſuas contra Georgiū ſtabiliret, fœdus cum Imperatore Friderico percuſſit, quo eum ſibi ſucceſſorem aſſentientib. Vngaris deſignauit. Cumq; prouidendum ſibi eſſe exiſtimaret, ne Cazimirus impedimento ſibi eſſet, Protaſium, nō inſcio, ut credibile eſt, Friderico ſubmiſit, per quem uel affinitate Cazimirum ſibi adiungeret. Aliquanto enim antè uiduus factus erat. Id igitur tunc egit Protaſius. Relata re ad conſilium regium, reſponſum eſt Protaſio, Cazimirū ius ſuum ad regnum Boemicum tam hæreditarium, quàm delatum ab ipſis Boemis, non repudiaſſe : uerùm reieciſſe eam cōſultationem ad comitia, quæ inſtarent. Quòd ſi quis interim id regnum uſurpare uellet, curæ ipſi fore, ne id impunè ferret. Cum Mathia rege eum fœdus icere, & affinitatem ſtatuere non poſſe, niſi ille iniurias & damna data Polonis exolueret. Bis ab eius hominibus infeſtatam eſſe Scepuſienſem oram, quæ in ditione ſua eſſet : Valachiam item, quæ in fide & clientela item ſua eſſet, anno ſuperiori ab eo uexatam eſſe. Cum hoc reſponſo Protaſius, quamuis ſplendidè donatus à Cazimiro, non admodum lætus in Vngariam, unde uenerat, rediit. Quod autem de uexatione Valachiæ memorauimus, ita ſe res habuit. Tres de principatu ſiue palatinatu Valachiæ aliquandiu certarant, Stephanus, Petrus, & Berendeius : ad extremum à Stephano reliqui duo eiecti, ad Cazimirum confugerant. Sed cum is nihil opis ipſis afferret, atq; adeò Stephanum principem eſſe iuberet, Berendeius in Vngariam profectus, Mathiæ regis opem implorauit. Qui ſubigendæ Valachiæ occaſionem non amittendam ſibi eſſe ratus, comparato exercitu quadraginta millium hominum, per montes atque ſyluas, Vngariam ac Tranſyluaniam claudentes, cum in Valachiam penetraſſet, crudeliter eam ferro & igni uaſtarat. Stephanus uerò quamuis ipſe quoque exercitum collegiſſet, auxilia que à Polonis accepiſſet, tamen aperto marte hoſtem adoriri non auſus, quòd ſe imparem eſſe uiribus eius cerneret, neque magnopere ſuis fideret, inſidijs eum appetebat, donec Mathias in oppido Bania caſtra metatus,

Rochezana Georgio formidabilis.

Mathias rexà Boemis orthodoxis ſuſceptus.

Turcæ à Iaize recti in Aſia belli gerantur.

Mathiæ fœdus cum Friderico Imperatore.

Reſponſum à rege Protaſio.

De Valachiæ dominatu contentio.

Mathiæ regis expeditio in Valachiam.

metatus, rei bene gerendæ occasionem ei præbuit. Summissis enim hominibus prima noctis uigilia, nihil tale expectantibus Vngaris, oppidum pluribus locis incendit, ipseque statim cum expedito peditatu affuit, & re inopinata perturbatis, nocturna caligine omnia maiora & formidabiliora faciente, colligendi sese spacium non dedit. Itaque Vngari ancipiti periculo ferri & incendij constricti, omissa defendendi sui cura, quà quisque poterat, ex oppido sese eijciebant. Nec ullus planè ab his quidem fugæ, ab illis uerò cædis modus fiebat, quoad in Transyluaniam peruentum est. Desiderata tunc esse dicuntur Vngarorum ad decem millia. Rex tribus uulneribus acceptis, cum reliquijs dissipati exercitus, relictis impedimentis, per ignotos montium tramites, Valacho quodam duce, euasit. Vias enim Stephanus succisis arboribus impedierat, & obsederat. Hic tunc belli illius exitus fuit. Miserat autem Valachus Cazimiro regi Vilnam dona de hostium spolijs, uictoriæ suæ argumenta: & in posterum consilium & auxilium ab eo petebat. Neque enim quiescebat post tam insignem illam cladem Mathias. Verùm quater centenis millibus aureorū è mulcta Transyluanienſium coactis, nouum exercitum comparabat. Sed eum contra Boemos comparari Protasius, neque id falso, asseuerabat. Per eos autem dies, quibus is fuit Cracouiæ, regina Elizabetha sextum filium nono partu edidit. Cui Friderici nomen, Protasij rogatu inditum est. Posteaquàm autem discessit Protasius, postridie aduenit Albertus Costca Postupicius orator à Georgio Boemo, gratias agens Cazimiro de fide & constantia in seruando fœdere, ac de studio & opera nauata reconciliandis Boemorum animis: pergeret porrò inchoatum opus perficere, quoad durarent inducię. Georgium eius arbitrio cuncta permittere. Orabat etiam de reconciliando ipsi pontifice maximo, à quo non modò Boemi, & Mathias rex Vngarorum, sed & alij Christiani principes aduersus eum concitabantur. Purgaturum eum esse ea de quibus insimularetur, & Cazimiri arbitratu satisfacturum: cuius etiam filium aliquem de sententia Boemorum procerum successorem sibi, præteritis filijs suis destinaret, non hæreditario iure, quod nullum esset regni apud liberam gentem, sed singulari quadam omnium Boemorum in Cazimirum propensione, & linguæ cum Polonis communione. Eaque de re constituenda & conficienda mitteret Cazimirus legatos ad proxima Boemorum comitia. Atque hæc non syncerè, neque ex animo fiebant & mandabantur à Georgio: sed summa necessitate exprimebantur, quo Cazimirum à suscipiendo ab aduersarijs suis oblato regno, & à societate Mathiæ regis retardaret. Iam enim duxerat Mathias exercitum in Morauiam, & ciuitatibus eius oræ plerisque omnibus ultrò sese ipsi dedentibus, in Boemiam infesta signa inferebat. Nec minus comiter Georgij legationi responsum est postridie: Cazimirum libenter omnia Georgij causa facere, deinceps que facturum esse, modò ille uerè & bona fide ageret. Rectè autem & ex officio suo facturos, & suis rebus consulturos esse Georgium & Boemos, si non nisi de filijs Ca-

Stephani Valachi uictoria de Mathia rege Vngarorum.

Mathias rex uulneratus fugit.

Trāsyluanienſes multati à Mathia.

Friderici filius Cazimiro natus.

Georgij regis legatio ad Cazimirum.

Morauia in potestatem Mathiæ regis uenit.

Legatio Polonorum ad Boemos.

zimiri regem sibi sumant. Cum hoc responso dimissus legatus Georgij. Nec mora, legati ijdem qui superiore anno fuerant, ad componendas res Boemicas iterum proficisci iussi sunt, Dlugosso excepto: cui quod rex liberorum suorum curam & institutionem mandarat, Nicolaus Scopus Osuencimensis Castellanus suffectus est. Verùm ij feruente maximè contra Georgium bello, quod in Austria quidem à Friderico Imperatore depellebatur, in Boemiam uerò à Mathia Vngaro maximis uiribus inferebatur, tentata,

Ioannes Dlugossius regiorum liberorũ præceptor.

Rudolfus Vuratislauiensis episcopus.

sed refutata à legatis pontificijs (Nam ad Rudolfum paulo antè Vuratislauiensem episcopum factum, Laurentius Ferrariensis episcopus accesserat) pacificatione, cassolabore fatigati reuerterunt. Ad Stephanum uerò

Legatio ad Stephanum palatinũ Valach.

in Valachiam missi Dobeslaus Bissouius Castellanus Belsensis, & Stanislaus Tencinius Ioannis Castellani Cracouiensis filius, ut eum pollicitationem auxilij regij confirmarent, & locum tempus que cum eo constituerent,

Fœdus Polon. cũ Steph. Valacho.

ubi is præsens solenne fidelitatis iusiurandum regi daret. Conuenit: Renouatum est fœdus cum promissione mutuorum auxiliorum. adiectis his conditionibus: Ne Valachus insciente & inuito Rege cuiquam bellum faceret: Rex uerò ne receptaret hostes eius, qui ad palatinatum adspirarent. Ipse Rex dimissis legatis sub finem Iunij Cracouia profectus, Prussis, ut ad se accederet, orantibus, Visliciam diuertit: conuentum minorum Polonorum egit: subsidium ad exoluenda Prussica stipendia postulauit. Quod non abnuebat quidem nobilitas, uerùm sine maioribus Polonis scisendum sibi esse non putauit. Quare placuit binos è satrapijs siue palatinatibus legatos ad comitia Petricouiensia mitti, qui decernendi in commune cum cæteris Regi moderati tributi potestatem haberent. Atq; hoc tunc primùm fieri cœptum, sic inoleuit posterioribus temporibus, ut sine ijs legatis seu nuncijs terrarum (sic enim uocantur) nulla comitia legitima haberentur,

Legati siue nuncij terrestres ad comitia mitti cœpti.

Nunciorum nimia potestas.

nec; tributum decerni, ac ne lex quidem ulla ferri posse uideatur: auctúsque est, & subinde etiamnum augetur eorum numerus. Potestas uerò eorum adinstar Tribunitiæ apud Romanos, uel Ephororum apud Lacedæmonios esse cœpit. Nam tantum ij nostra tempestate arrogare sibi cœperunt, ut nullam rem maiorem iniussu suo decerni à Rege & senatu, aut fieri uellent, & in senatum, atque adeò in Regem ipsum ius atque censuram grandi supercilio sibi sumerent. Ad extremum crescente indies insolentia, de religionis quoque Christianæ dogmatibus, ritibus, ac ceremonijs disceptare, & non accipere, sed ferre leges aggressi, Sigismundi Augusti regis, quo regnante hæc scribebamus, diuina & supra ætatem sese exerente sapientia & authoritate repressi tamen sunt aliquantisper. Aluerunt autem hanc eorum licentiam, eóque magnitudinis sensim prouexerant partim reges superiores multa ipsis indulgendo, siue inopiæ fisci sui releuandæ gratia, siue quieti & ocio suo consulentes: partim potentiores & factiosi nonnulli proceres, certatim eos prehensare & epulis largitione que corrumpere, & quócunque libuisset incitare, & quasi tibias inflare adorti, id que siue ut gratificarentur, siue ut ægrè facerent regibus, siue ut potentiam

Sigismundus Augustus rex nunciorum potestatem repressit.

Nunciorum infinitæ potestatis causæ & periculum.

etiam suam stabilirent, æmulósque suos deprimerent, aut ulciscerentur: seu denique ut per eos subornatos, quo iure, qua iniuria quiduis perficerent, quod apertè per se ipsi uel aggredi non auderent, uel efficere non possent. Est quidem salutare admodum in republica, esse custodes libertatis communis. Cæterùm prouidendum est etiam atque etiam, ne quod ad salutem comparatum est, abusu uertatur in perniciem. Metuendúmque est, ne infinita illa potestas, & in licentiam erumpens libertas, non tam publicam fortassis utilitatem spectans, quàm priuatæ alicuius unius, uel paucorum libidini, cupiditatibus, uel denique auræ populari seruiens, & regere magis, quàm regi satagens, prostrata & euersa regia maiestate, & authoritate senatoria, summam reipublicæ confusionem, & barbaram quandam exitialémque ἀναρχίαν, ut Græci uocant, Polonis pariat: aut certè graui & acerba tyrannide finiatur. Quorum utrumuis, eo quidem propius impendère uidetur, quo iuniores & imperitiores rerum, eóque audaciores id ad minus obnudum legi, siue adeò ipsi sese ultrò ingerere cœperunt, cedentibus impudentiæ & importunitati eorum natu maioribus, ut quisque grauitate, usu rerum, & sapientia maximè pollet. Quod utinam non in consultando quoque usuueniret, ut non id plerunque obtineat, quod grauissimis, aut plurimis duntaxat, sed quod loquacissimis, clamosissimis, & minacissimis placuit. Sic Romana respublica amplissima quondam & florentissima, Tribunitijs furoribus exagitata, primùm in licentiam multitudinis intolerabilem effusa: deinde seditionibus, ciuilibúsque bellis quassata, cum in paucorum dominatum, ac mox sub unius tyranni dem recidisset, nobilitate excisa, senatus authoritate sublata, oppressa omnium libertate, omni calamitate foris domique afflicta, ad extremum barbarorum inundatione à fundamentis euersa, corruit. Sed nos à diuerticulo ad institutum cursum reuertamur. Conuentu Vislicensi dimisso, Rex Colum profectus, maiorum quoque Polonorum conuentum egit. Verùm nihilo magis ibi profecit. Reiecta res ad alium conuentum, eodem loco ad uicesimam diem Septembris instituendum. Itaque Rex cœptum iter per Pomeraniam peragens, ad tertium Idus Augusti Gdanum ingressus, magno populi obuiam sese effundentis studio & lætitia exceptus est: & lautè atque honorificè habitus, quoad ibi mansit per totos ferè triginta dies. Et purgarant iam ipsi Gdanenses literis atque nuncijs crimen, cuius apud eum ab Henrico Plauenio Vilnam profecto insimulati erant, quasi ad Burgundionum ducem defecere statuissent. Instituto autem ea in urbe, ac deinde Marieburgi conuentu Prussorum, ciuitatibus egestatem causificantibus, uix eò rem perduxit, ut in octo annos tributum, quod Cisam uocant, sciscereretur. Ac de eo quidem, quod in primarijs tribus ciuitatibus colligeretur, primis quatuor annis, quarta pars illis ipsis ciuitatibus, reliquæ uerò tres Regi in stipendia militum cederent. Deinceps uerò ciuitates illæ tres, quicquid apud quamque redactum esset, sibi haberent: aliunde autem

Romana respub. tribunitijs furoribus euersa.

Gdanensium studium et liberalitas erga regem.

Gdanenses insimulati cogitatæ defectionis.

Prussi tributum in octo annos sciuerunt.

quicquid proueniret, Regi annumeraretur. Sed Gdanẽses præterea quin que millia florenorũ de regio prouentu detrahere permissi, quæ tunc Regi mutua dederãt: triginta quoque millia eis remissa sunt, quę anniuersarijs pensionibus per quindecim illos annos non soluerant. Ipsi uerò contrà Gdanense, Dersauiense, & Puscense territoria, quæ oppignerata tenebant, regi condonarũt. Misit autem inde Rex legatos ad intercipiendum bellum inter Fridericũ Marchionẽ Brandeburgensem & Pomeranorũ ducem Henricũ paulò antè exortũ. Henricus enim cum ei Fridericus auxilijs Misnensis, Mechelburgensis, & Brunsuicẽsis ducũ, & archiepiscopi Magdeburgensis adiutus grauis esset, oratores primùm, deinde uxorẽ ad regẽ miserat, opem eius implorãs, & subiectionẽ suam cum suis omnibus ipsi deferẽs, si fœdus eum nõ moueret. Fortè dimiserat exercitũ Marchio, cum ad eum legati regis uenere. Itaq; facilè inducias inter dissidentes confecerunt, illi'que Cazimirum regem arbitrum controuersiæ suæ sumpserunt. Marieburgum deinde se rex contulit, Henricum Plauenium Magistri uices gerentem cum Marsalco & aliquot cõmendatoribus Cruciferorum ad se uenientes benignè accepit: quæ postulabant pleraque omnia concessit: Nideburgum oppidum, quod ad eam diem retinuerat, ex pacto reddidit: anniuersarios conuentus cum Cruciferis Elbingæ agendos, quibus duodeni utrinque delecti uiri controuersias ultrò citro'que suborientes disceptarent, ac deciderent, constituit: de non acceptando regno Boemorũ, si absque bello id adipisci non posset, consilium ab eis accepit: denique ad maturandum noui Magistri electionẽ eos hortatus, quinque millibus florenorum donatos dimisit. Deinde magistratus in comitijs regni dudum creatos stabiliuit, aliosq; insuper adiecit: tres regundorum finium pręsides, quos Succamerarios uocant, qui & ipsi locum & sententię dictionem in senatu habent. Iudicia quoq; nobilitatis cõstituit, creatis sex iudicibus totidem territoriorum, nimirum Culmensis, Marieburgensis, Dersauiensis, Suecensis, Slochouiensis, atque Gdanensis. Itaque constitutis rebus Prussicis Marieburgo discedens, per Culmensem oram ac Toruniam, Petricouiam contendit, quò ad nonam diem Octobris comitia edixerat. Per eos autem dies, quibus Gdani & Marieburgi commoratus est, cometes inter orientem solem & Septentrionem quindecim diebus apparuit. Quo extincto, statim alter illustrior etiam totidem diebus ad Occasum uisus est, insignium malorum mortalibus impendentium prodigia. Et sanè permultũ sanguinis humani hoc anno profusum est in inferiore Germania, cum Carolus dux Burgundionũ Leodiẽses qui dominum suum episcopum Caroli sororis filium cæperant, & in uincula cõiecerãt, expugnasset: amissisq; in oppugnatione quadraginta millib. hominũ, urbem eam penitus excidisset, & solo æquasset. Plurimis autem in locis maximę inũdationes aquarũ permagnã annonæ caritatẽ effecerunt. Comitijs institutis Petricouiæ, primũ omniũ de Vuladislao Damoborio ab uxore & propinquis eius, qui complures erant in senatu regio, actum. Querebãtur eum per iniuriã indicta causa cęsum esse, eiusq; facti inuidia omnis,

Regis & Gdanẽsium mutuæ donationes.

Legatio Casimiri ad Marchionẽ Brãdeburgensẽ.

Cruciferi primarij ad regẽ ueniunt.

Nideburgum Cruciferis redditũ.

Succamerarij in Prussia pars senatus.

Iudices nobilitatis in Prussiia.

Cometæ duo.

Leodiũ euersum.

Caritas annonæ.

Comitia Petricouiæ.

omnis, rege assueratẽ iniussu suo cęsum, in Petrum Samotuliũ absentem conferebatur. Data enim opera ob eam ipsam causam is nõ uenerat. Itaq; citari ad futura comitia iussus est. Ita tunc turba conquieuit. Introductus deinde in senatum Baltasar canonicus Vuratislauiensis à Rudolfo episcopo & legato pontificio missus oratum, ut Rex interdictum contra Georgium Boemum, & crucis militiam promulgari in ditionibus suis pateretur. Hunc subsecutus est Georgij legatus, iustam illius contra rebelles causã defensans, & q̃ summisse is pontifici max. sese exhiberet, quamq; libenter desiderio consilioque Cazimiri in faciẽdis inducijs obsecundasset, cõmemorans. Ex eo longe deteriore loco res illius esse cœpisse. Orare, ne Cazimirus amicum, eiusdemque cum suis Polonis linguæ regnum, diripi & euerti sineret: sed magis ferret opem, pontificemque Georgio reconciliaret. Vtrique responsum: Regem oratores ad pontificem de rebus illis missurum esse, eis que mandaturum ut ad Rudolfum Vuratislauiam, ac deinde in Boemiam diuerterent, & utrique sententiam eius renunciarent. Instauratum est etiam ibi iudicium inter Regem & Conradum ducem Masouiorum natu maximum, & amitam eius Catharinam, quæ cum Michaluscone nupta fuerat, apud recuperatores, siue iudices à Rege editos, Prussici belli intuitu eousque dilatum, adiudicataque sunt Regi Sochassouiense, Vyskicense, Viznense, Plonense, Plocense, & Zauucrense territoria. Tractatum item de subsidio publicè in Prussia stipendia conferendo. Sed nuncijs nobilitatis negantibus mandata ea de re se habere, nouos rursus conuentus Coli & Corcini mense Decembri institui placuit. Ibi demùm ægrè perfectum est, ut lugerale tributum duodenùm grossorũ sciscereturcuius dimidium agricola, tantundẽ dominus eius solueret. Laborabatur enim passim magna inopia & caritate annonę propter anni intemperiẽ. Perpauci tamẽ fuere de nobilitate, qui oneris illus partẽ cum suis hominibus sustineret. Insequẽti anno Cazimirus rex sub finẽ Ianuarij Cracouia discedẽs in Russiã cõtendit, mensemq; unũ et semis Leopoli exegit, Stephanũ Valachi q̃ palatinũ expectãs, ut ab eo fidelitatis iuramentũ ex cõstituto acciperet. Verũ ille cũ alia multa, tũ Turcicę & Vngaricę incursionis metũ causificatus, re uera autẽ falsò nõ nullorũ regiorũ consiliariorũ indicio, ne à rege caperetur, deterritus, tũc nõ uenit: iusiurandũ tamẽ Ioanni Muziloni palatino Podoliæ, & Spitconi Iaroslauio succamerario Prẽmisliẽsi, legatis regijs ad se missis dedit, recepitq; postea se Camenecią, uel Colomeią, uel Sniatinũ ad regẽ uenturũ esse, modò ut duobus mensibus, antè de tẽpore certior fieret. Adfuit autẽ Mẽgligeris noui Tartarorũ principis, qui Nurdulabo seu Nurduulabo maiori natu fratri à suis electo succcesserat, legatio, fœdus & amicitiam & auxilia cõtra quos suis hostes regi deferẽs. His de more cum donis & gratulatione dimissis, constitutisq; pro tẽpore rebus Russicis, Rex ad finẽ Aprilis Cracouią redijt: stipẽdiorum Prussicorũ partem ex pacto dissoluit: legationẽ procerum Boemorum, Morauorum, ac Silesiorum cum Ecclesia catholica, contra Georgium sentientium, cuius princeps erat Ioannes

Legatio Rudolfi legati pontificij ad regem.

Georgij regis legatio ad Cazimirum.

Masouia regi adiudicata.

Tributum iugerale partim agrestibus, partim dominis impositum.

Annonæ caritas.

Stephanus palatinus Moldauiæ iurat in uerba regis Poloni.

Tartarorum principis legatio.

Boemorũ orthodoxorum legatio ad Cazimirum regem.

Zaiecius, audiuit. Erat iam grauis Georgio Mathias rex Vngarorum, in Morauia habens exercitum. Cui Bauarorum dux Otto ualida cruce signatorum militum auxilia adduxerat è Germania. Itaque poſtulante Georgio, de pace inter eos agi cœperat: & fortaſſis ea conueniſſet ſine arbitris apud uillam Orſiciam prope Olomuciam congreſſos, nec quicquam intercedentibus oratoribus Polonis, quos Romam & in Boemiam miſſos eſſe ſuprà memorauimus, niſi legati pontificij & proceres Vngari atque Boemi pio zelo incitati, Mathiam auertiſſent. Inducíæ modò ad finem anni illius inter reges factæ. Nec mora, Mathias Boemorum regem ſe renunciari Olomuciæ paſſus eſt: profectuſq; in Sileſiam ac Luzaciam, fidelitatis iuſiurandum à ducibus & ciuitatibus partim ultrò oblatum, partim terrore expreſſum, accepit. Hoc igitur factum ſuum Boemi proceres Cazimiro tunc excuſabant, cunctatione eius & neceſſitate adactos id ſe feciſſe: ſimulq; rogabant, ut Rex rectè de religione ſentiens, ſibi potius faueret idem ſentientibus, quàm Georgio hæretico. Vtiliorem ipſi Poloniſque amicum fore Mathiam, quàm illum perfidum. Ad hanc legationem nihil tunc aliud reſponſum eſt, quàm Cazimirum relata re per primam occaſionem ad ampliſſimum conſilium, cuius copiam tunc non haberet, Boemis reſponſurum eſſe. Neque enim placebat regi in utramuis partem tunc ſententiam ſuam aperire. Non diſſimulauit is tamen lætitiam, cum ei renunciatum eſſet, filium ſuum natu maximum ingenti fauore & acclamatione Boemorum, qui cum Georgio ſentiebant, ſucceſſorem Georgio deſtinatum eſſe, oratoribus ſuis Stanislao Brezio, & Gregorio Lubrantio, quos ad eum de conditionibus inducíarum cum Mathia ſactarum ſciſcitatum miſerat, ipſóque Georgio cum tribus filijs præſentibus, nec reclamantibus. Quod ne Zaiecio quidem principi legationis Boemicæ auditu iucundum accidit. Fauebat enim Cazimiri liberis, ſuadebátque ei, ut ſi ipſi Praga & Carloſteinum mox à Georgio traderetur, acceptaret oblatam conditionem. Fieri enim poſſe, ut cum Mathia æquis conditionibus tranſigeret. Dimiſſa legatione Boemica, Rex in Lituaniam cum uxore iter habuit, Radomiæque de ratione depellendi belli, ſi quod fortè ſibi à rege Vngarorum inferretur, cum conſiliarijs, qui frequentes eò conuenerant, cõſultauit. Ibi eum conſecuta eſt legatio Georgij & Boemorum, qui in partibus eius erant. Recenſebat autẽ ea, quicquid per illud tẽpus cum Mathia rege actum eſſet, & ad Cazimiri legationes reſponſa referebat. Deinde Vuladiſlao regio filio natu maximo, regnum ſecundum Georgium deferebat, his conditionibus: ut id Georgius quoad uiueret, retineret, Cazimirus eum in gratiam pontificis maximi reponeret, & contra quoſuis hoſtes tueretur: uxori eius bona dotalia, filijs principatus, proceribus magiſtratus & honores attributi ut ſalui eſſent: Ludimilam Georgij filiam Vuladiſlaus uxorem duceret. Quibus de rebus cum ad conſilium relatum eſſet, uariabant ſententiæ Senatorum. Plures tamen erant, qui regnum armis & ſanguine parandum, ſocietatémque & affinitatem hominis hæretici non probarent. Cuius ſententiæ princi-

Cruce ſignati contra Boemos.

Mathiæ & Georgij regum cõgreſſus. Inducíæ.

Mathias Boemiæ rex renunciatus.

Vuladiſlaus Cazimiri filius rex Boemorum deſignatus.

Ioannes Zaiecius fauet Cazimiri liberis.

Legatio Georgij et Boemorum ad Cazimirum.

Conditiones oblatæ à Boemis regni Vuladiſlao.

principes erant episcopi: quibus etiam sacrorum interdicto uti placuit propter legatos hęreticos pręsentes: uerùm de hac sententia cõtentione aliorum facilè se deduci passi sunt. In quo constantius fuit collegium basilicæ Cracouiensis, cum ijdem oratores redeuntes Cracouiam diuertissent. Tota enim urbe à sacris cessatum est, quoad Boemi discesserunt. Visum est deinde senatui, cum Rege denuò legatos mittere in Boemiam de conditionibus suscipiendi regni. Ioannes Tarnouius Voiniciensis, & Stanislaus Vantropca Sandecensis Castellani ire iussi. Ad controuersias uerò cum Vngaris discepiandas & componendas designati: Ioannes episcopus Cracouiensis, Ioannes Tencinius Castellanus Cracouiensis, Derslaus Rithuianius Sendomiriensis, Stanislaus Ostrorogius Calisiensis palatini, & Ioannes Dlugossus Canonicus Cracouiensis, bis casso labore defatigati sunt, non uenientibus Vngaris. In Prussiam uerò Iacobus Sennenius Vuladislauiensis, & Vincentius Kelbassa Culmẽsis episcopi, & Petrus Duninus Succamerarius Sendomiriensis delegati ad res constituendas, & componendas controuersias, ne qua Cruciferis noui belli ansa relinqueretur. Dicebantur enim à Friderico Imperatore & Mathia Rege clàm ad res nouandas incitari. Contendit sanè Fridericus siue in gratiã Mathiæ, siue aliqua alia de causa, tum per literas atq; oratores, tum per se ipse Romã, pfectus, ne pontifex max. pacẽ inter Polonos & Cruciferos Torunię compositã approbaret. Mathias uerò satagebat Cazimirũ quauis ratione à Boemicis rebus auertere, cũ ipse minus secundo rerũ successu contra Georgiũ tunc uteret, post captum per proditionem Victorinum eius filium. Erat enim ab Henrico capti fratre insigni clade in Morauia profligatus: & plerorumq; Boemorũ animos à se abalienarat: nonnulli etiam ex ijs qui cum eo sentiebant, extincti erant. Et uerò Stephani Valachorum palatini geminata excursione in Transyluaniam non modò ignominiam & calamitatem, sed cladem quoque duplicem acceperat. Cazimirus ita constitutis rebus Polonicis Radomiæ, per Volyniam & Luscum in Lituaniam cœptum iter peregit, & apud Grodnum cum Lituanis conuentum egit. Per quos dies Tartari Zauolgenses, hoc est, qui ultra Volgam siue Rha fluuium habitant, Maniaco duce cum Borysthenem transmississent, tribus agminibus factis in Lituaniam, Podoliam, & Valachiam sese infuderunt. Ac in Lituania quidem siue Podolia Lituanicæ ditionis, & Volynia omnem oram circum Cremeneciam, Zithomiriam, Cusminios, Zudouiam, & Vuladimiriam impunè depopulati, ad decem millia hominum abegerunt, Lituanis propter paucitatem resistere non ausis. Præmonuerat quidem Regem de aduentu eorum Mengligeres dux Tauricanus amicus & fœderatus: uerùm pauci tamen Lituani quamuis iubente Rege, accurrerant. In Podolia Polonicæ ditionis nihil ferè incommodi acceptum retrocedentibus Tartaris, cum ad Trebouuliam iustus Polonorum & Russorum exercitus, Raphaele Iaroslauio Leopolienſi, & Paulo Iasenio Belsenſi & Chelmenſi præfectis ducibus præsto esset. In Valachia uerò ter, opportunitate locorum utentibus Valachis cum Stephano palatino, profligati Tartari retrocesserunt, filio ducis amisso. Quem captum

Interdictũ sacris ob hæreticos.

Legati in Boemiam.

Legati ad conuentum cum Vngaris.

Frid. tmp. et Mathiæ regis consilia cõtra Cazim. & Polonos.

Mathiæ regis aduersæ res.

Stephani Valachi excursiones prosperæ in Transyluaniam.

Tartari Zauolgenses Lituaniã, Podoliam, & Valachiam populantur.

Tartari ter à Stephano in Valachia profligati.

Stephani crudelitas in legatos Tartar.

ptum cum à patre minaci legatione repeteretur, Stephanus præsentibus centum legatis dissecari, & mox ipsos quoq; legatos palis suffigi iussit, uno excepto, quem truncato naso & auribus nuncium rei gestæ ad Maniacum remisit.

Comitia Petricouiæ.

Ad comitia deinde Petricouiensia ad initium mensis Octobris edicta Rex profectus, iuri dicundo & legationib. exterorum principum audiendis ac dimittendis uacauit. Auditi primùm Iacobus Dembenius & Paulus Glouinius, commodùm à pontifice maximo reuersi, expectationi hominum, literis suis ex itinere scriptis, quasi omnia rectè cõfecissent, de se concitatæ non responderunt. Nam neque pacem Prussicam pontifex confirmauit, neq; Vincentium Kelbassam Varmiensem episcopum esse iussit. Quin etiam questus est de Zazimiro, quòd hæreticis fauere uideretur, eo quòd neq; interdictum, neque crucis militiam contra eos in ditionibus suis promulgari pateretur.

Pontifex non satis propitius Cazimiro.

De regno uerò Boemico, cum Mathiæ Regis legati sese oppositissent, legatum pontifex missurum se esse dixit, qui causam utriusq; diligenter cognosceret.

Legatio Boemorum.

Introducti deinde Boemi oratores Georgianæ factionis, superius expositas conditiones iterum occinentes. Quibus responsum est: Regem nihil nisi de sententia pontificis maximi de regno Boemico statuere uelle, cuius legatum indies operiretur.

Marchionis Brandeburg. cum duce Pomeran. cõtrouersia.

Post hos auditi quinque legati Friderici Marchionis Brandenburgensis, quorum princeps erat Fridericus episcopus Lubussensis: & Henrici Stolpensium ducis unus, uerùm catus & uafer. Contendebant illi, Stolpensium duces Marchionibus Brandeburgensibus esse obnoxios, et ut uulgo loquunt, uasallos seu feudatarios, proferebantq; Imperatoria diplomata, quibus id confirmabat: Ex aduerso negabat hîc, cuiquam esse aut fuisse obnoxios, exceptis Polonorum regibus, Poloniæ namq; fuisse partem uniuersam Pomeraniam.

Pomeraniæ duces Polonis obnoxij.

Eius aũt controuersiæ principes illi Cazimirum regem arbitrum sumpserant.

Cazimirus arbiter cõtrouersiæ.

Verùm is audita causa, in aliud tempus arbitrium distulit, difficultatem & perplexitatem causatus. Doctoribus uerò academiæ Cracouiensis mandauit, ut eam diligenter examinarent, iudiciúmque suum explicarent. Videtur autem magis offensionem utriusque uitasse, eo'que Sciborium Chelmium iudicem tractus Posnanensis ad eos allegauit, qui uel amicè dissidium illud componeret, uel inducijs bellum inter eos glisens interciperet. Voluit etiam tunc Marchio Cazimiri filiam filio suo ex altera uxore nato per eosdem oratores uxorem accipere. Nec is abnuit, sed negocium id in aliud tempus reiecit.

Comitia 40. dierum.

Sub finem uerò comitiorum, quæ in quadragesimum diem extracta erant, aduenit Henricus Plauenius Magister Cruciferorum Prussicorum recens creatus, cum duobus Commendatoribus, & iusiurandum fidelitatis Regi solenni ceremonia dedit, proximusq; Regi ad læuam assedit. Honoratusque à Rege peramplis muneribus, cum in Prussiam redijsset, paucis diebus apoplexi extinctus est.

Cruciferorum Magister H. Plauenius iurat in uerba regis Polon.

Postremò designati in senatu legati ad externos principes. Ad Fridericum quidem Imperatorem, Stanislaus Vislicius: in Boemiam, Stanislaus Vantropoca Sandecensis, & Nicolaus Scopus Osuiencimensis Castellani: in Vngariam ad proceres, Ioannes Vantopca canonicus Cracouiensis: in Valachiam, Ioannes Rithuianius Marsalcus

Legationes Polon. ad externos principes.

salcus regni: ad Tartarorum uerò principem Zborouius. Peractis comitijs initio Decembris, Rex cum Regina in Lituaniam profectus est. Per id tempus, concretis glacie fluminibus & paludibus, Turcæ Vngarorum & Slauorum fines, usq; ad Ciliam atrociter depopulati sunt, neque Vngaro rege, neque Imperatore sua defendentibus. Primis autem diebus anni sequẽtis, nẽpe 1470, Cazimirus eadẽ illa hyemis cõmoditate usus, Ploscum, Vitepscum, & Smolenscum, quæ loca totos sexdecim annos non uiserat, pleriscque Lituanis proceribus comitantibus adijt: constitutis q; rebus Lituanicis, primo uere in Poloniam reuertit: & Corcini Alexandrum Foroliuiensem episcopum legatum pontificium ad se uenientem audiuit. Excusabat autem is pontificem, quòd Boemiam Cazimiro attribuere non posset, propter Mathiam Vngarum, cuius insignia extarent merita in sedem apostolicam, & rempublcam Christianã, arcendis Turcis, & oppugnandis hæreticis. Ei ius quæsitum auferri non oportere: sed iungeret cum eo Cazimirus affinitatem filiæ matrimonio, pariterq; contra Georgium hæreticum & hostem ecclesiæ arma sumeret. Addebat etiam, habere se in mandatis, ut ad Mathiam quoque adiret, si quid commodare Cazimiri rationibus posse uideretur. Venit eodem legatus Imperatoris Friderici, Raphael Lescinius, eques Polonus: uerùm complures annos in ministerio Imperatoris uersatus, eiq; inter paucos charus. Homo nauus & magni animi, qui parui fecerat difficultatem itineris, pericula, & insidias à Mathia rege comparatas: quarum ergò Theutoni legationem illam defugerant. Is igitur commemorata Friderici in Mathiam singulari, & penè paterna beneuolentia, compluribus q; officijs & beneficijs, inter quæ & illud erat, quòd eius opera & commendatione, cum nonnulla Cazimiri suggillatione coniuncta, pontifex Mathiæ regnum Boemorum detulisset, de ingratitudine & superbia questus est, quòd is, dum Fridericus abest, Italiã obiens, Baumkircherũ, & quosdam alios Austrios, ad rebellionem & infestandam Austriam concitarat, eosq; in fidem ac defensionem suam susceperat. Proinde nihil commune deinceps Imperatorem cum eo habere uelle: monere autem Cazimirũ, ut & ipse ab eo sibi caueret, utpote uafro homine, fraudulento, & cupido. Porrò quâ de re Cazimirus Stanislaum Vislicium oratorem ad Fridericum misisset, hoc est, de fœdere & amicitia, ipsum quoque Fridericum idem cupere: quin etiam ad affinitatem cum eo iungendam propendere. Mitteret igitur Cazimirus his de rebus ad ipsum oratores cum luculento mandato. Iucunda fuit ea legatio regi. Nec mora, Derslaus Rithuianius Sendomirienses, & Stanislaus Ostrorogius Calissienses palatini ad Fridericum proficisci iussi, ut accipienda Vuladislao regis filio Kunegundi filia Friderici uxore, danda q; uicissim ipsi, aut certe filio ipsius Maximiliano una de regijs filiabus, affinitatem ultro citroq; & fœdus cõtra Mathiam iungerent: quo fœdere diserte cautum esset, ut Fridericus adiuuaret Cazimiri liberos, in consequendis Vngarorum & Boemorum regnis. Verùm ij fœdus modò reportarunt. Quod tamen Rex cum sena-

Turcæ Vngariam & Slauoniã populantur.

1470 ann.

Legatio põtificis ad Cazimirum regem.

Friderici Imperatoris legatio ad Cazimirum.

Raphael Lescinius.

Friderici Imperatoris cum Mathia dissidium.

Mathiæ regis ingenium.

Legatio Cazimiri ad Fridericum Imperatorem.

Fœdus Friderici imperatoris cum Cazimiro Polon. rege.

natu non probauit, propterea quòd in eo Fridericus se Regem Vngariæ scripserat. Cautum autem erat, ne uterque ad alterius regna ac dominatus aspiraret. Quæ res regiorum liberorum iuri derogatura esse uidebatur. Reportarunt etiam promissionem Imperatoris, de exoluenda tertia parte dotis, quæ Elizabethæ Cazimiri uxori ex Austria debebatur. Ad Georgium item missi, Iacobus Dembenius Cancellarius regni, & Stanislaus Sidlouecius Castellanus Zarnouiensis, postulaturi, ut is Vuladislao Cazimiri filio uiuens regnum traderet. Iussi etiam ijdem cum proceribus Boemis, Mathiæ partes sequentibus, agere de reconciliatione, cum Georgij partes meliore loco iam essent tunc. Habebat enim is non contemnendum exercitum, & Gradiscí diuturnam obsidionem soluerat, in Tirnauiensem agrum Vngariæ uicissim excurrerat, Mathiam cum equitatu Boemiam circum Kuthuos montes uexantem, raptim sese non sine ignominia & incommodo recipere compulerat: & uerò Silesiam præsidijs uacuam, quippe quę diuturno bello iam exhausta esset, longe late que infestabat, ita ut Silesiorum duces atque ciuitates uastationem agrorum suorum magno redimere cogerentur: & Mathiæ denunciarent, se rebus suis aliter prospicere oportere, ni ille sibi maturè opem ferret. Vndecim autem septimanis Corcini commoratus Cazimirus, relicto ibi legato pontificio, in Prussiam cum iusto propè exercitu trium millium hominum contendit, uti à Stephano Moldauo promissum iusiurandum exigeret. Verùm is bellum cum Radulone Transalpinæ Valachiæ palatino causificatus, non uenit: sed missis oratoribus atque literis suo & procerum suorum signis signatis, ad Calendas Maias anni sequentis uenturũ se esse promittebat. Interim autem ut Rex bellum suum cum Radulone interciperet, orabat. Quę quidem res fuit curæ Cazimiro, uerenti ne Radulo implorato Turcarum auxilio, mali aliquid Moldauię conciliaret. De aduentu quoque Stephani constitutum, ut sine omni excusatione adesset intra sextum mensem ex quo à Rege acciretur. His ita actis, Corcinum Rex rediit, & minorum Polonorum conuentum egit. Inde Petricouiam ad comitia ad uicesimamoctauam diem Octobris edicta, ire perrexit. Ibi cum subsidium ad exoluenda stipendia proposcisset, quod erat caput comitiorum, obiecta est maiorum Polonorum infrequentia, & Russorum petitio, ut sibi contra Tartarorum incursionem prospiceretur: denique quòd ad eam diem Rex iura regni & prærogatiuas ordinum à maioribus suis datas, diplomate suo non confirmasset. Recusabat enim id Rex, seu uerius tergiuersabatur, in gratiam Lituanorum, ne recuperare ab ijs, quæ detracta de Polonorum regno possidebant, cogeretur. Eò namque spectabat illa diplomatis exactio, & hoc erat eius caput potissimum. Verùm ubi ille diploma quod poscebatur, consignatum exhibuit, siue adeò promisit, colonis quidem duodenũm grossorum in iugera, oppidanis autem in domos pro portione tributum impositum est. Nouus deinde Magister Prussicorum Cruciferorum Henricus Richtembergius, Henrico Plauenio repentina morte

Legatio Cazimiri ad Georgium & Boemos.

Georgij res meliores. Gradiscum. Tirnauia.

Valachorum Moldaui atque Transalpini bellum.

Comitia Petricouiæ.

Priuilegia Polo. à Cazimiro confirmata.

Cruciferorum magister Henricus Richtẽbergius iurat in uerba regis Poloniæ.

morte extincto apud Montem regium ſuffectus, Petricouiam cum ueniſſet, in ſenatum introductus, in uerba Regis iurauit. Cum Varſauienſibus etiam ducibus, tractatum de Plocenſi, Rauenſi, & Goſtininenſi dominatu. Ac Plocenſis quidem eis concedebatur, ſi à Rege eum iure clientelæ, ſiue feudi, ut uocant, acciperent, & uiginti millia florenorum, quæ Conrado Oleſnicenſium duci Rex numerarat, renumerarent. Sed cum ij conditiones haſce non acciperent, in alia comitia res dilata eſt. Datum etiam eſt reſponſum legato pontificio, petitumque, ne pontifex priorem de regno Boemico ſententiam, qua id Cazimiri liberis iure ſucceſſionis legitimæ detulerat, mutaret: neu quid denique præcipitanter ageret, donec Regij legati cumnouis mandatis ad eum uenirent. Iuſſique eò proficiſci Michael Abbas Lyſſenſis ſiue Caluimontanus, & Iacobus Dembenius Cancellarius regni & præfectus Cracouienſis. His mandatum, ut confirmationem pacis Pruſſicæ, & regnum Boemicum Vuladislao regis filio iterum atque iterum peterent. Ad Georgium ex itinere diuerterent, eumque cum ſuis hortarentur, ut reſipiſceret ab hæreſi, & in poteſtate pontificis eſſe uellet, ac de regni ſui ſucceſſore ſtaret promiſſis. Videbatur enim is mutata ſententia, Mathiæ id deſtinare. In Pruſſiam ueròmiſſi, Iacobus Vuladislauienſis epiſcopus, Stanislaus Oſtrorogius Caliſſienſis, & Ioannes Coſcelecius Inouuladislauienſis palatini, exortas controuerſias diſceptarunt. Solutis comitijs, Rex cum regina Poſnaniam, uoti à Regina nuncupati, apud ædem Corporis Chriſti exoluendi cauſa, iter fecit. Inde Colum profectus ad conuentum maiorum Polonorum, ut Tributum agrarium & ipſi ſciſcerent, perfecit. Inde porrò Radomiam ſe contulit, & ad finem anni ibi ſubſtitit. Initio uerò noui anni in Lituauiam cum Regina de more ſeceſſit. Vbi ſolito diutius immoratus eſt, rebus componendis uacans. Nam & Liuones, Magiſtro ſuo uita functo, ſexdecim Lituanorum pagos diripuerant, & apud Kiouienſes poſt mortem Simonis Olelcouitij ducis, non ſatis quietæ res erant. Etſi enim reliquerat Simon filium & filiam, eoſque paruulos moriens Regi per nuncios commendarat, cum ei equum & arcum, quibus contra Tartaros bella pro ipſo gerens uſus erat, dono miſiſſet: Rex tamen Lituanorum ſuaſu in formam prouinciæ Kiouiam redegit, & Martinum Gaſtoudum Lituanum Kiouienſibus præfectum, ſiue palatinum dedit. At illi indignum ducentes, parère homini neque illuſtri, neque conſentienti ſecum de religione, & Lituano, quæ gens tributaria maioribus ſuis fuiſſet, Gaſtoudum aduenientem bis non recipiebant: à Rege autem petebant, ut Michaelem Simonis fratrem, qui Nouogrodenſibus tunc Regis nomine præerat, aut aliquem duntaxat Græcæ ſectæ, denicp uel de filijs ſuis aliquẽ ſibi præficeret. Ad extremum tamen cum Regem à propoſito non dimouerent, Gaſtoudũ acceperũt. Liuones uerò creato nouo magiſtro, Lituanis miſſa ad regem legatione ſatisfecerũt, pacemcp inſtaurarunt. His ita peractis,

Cũ Maſouijs tractatus.

Legatio Cazimiri ad pontificem.

Ad Georgium regem.

1471. ann.

Liuones Lituaniam infeſtant.

Kiouienſium motus.

Kiouienſis principatus in formam prouinciæ redactus.

Liuones pacẽ petunt à Cazimiro.

Cazimirus reditum in Poloniam maturauit, ut liberorum ſuorum rebus in Boemia conſuleret. Varij namque ſenſus animorũ & motus in Boemis tunc erant. Nam Sileſij duces, Polonis finitimi, bello ciuili inter ſe decertabant. Cæteri uerò, cùm ob reprobam monetam & ſæuitiam, tum quòd à Georgij exercitu impunè uexabantur, Mathiam odiſſe cœperant. Boemi uerò alterius factionis, grandibus promiſſis & muneribus à Mathia ineſcati, diuturni'que belli pertæſi, in eum propendebant, celeriorem finem belli, faciliorem'que indulgentiam pontificis maximi per eum ſperantes, cẽ ſi regis Poloni filium regem accepiſſent. Quin & Georgius ipſe Mathiam ſucceſſorem iam non abnuere uidebatur, quòd ei quoad uiueret, Mathias regnum concedebat, Victorinum filium liberum dimittebat, & Sileſiæ uel Morauiæ Marchionem facere deſtinabat. Ad hæc, quoniam Mathias nullos habebat liberos, ſpes oſtentabatur eius morte ad Georgij liberos regnum Boemorum rediturum eſſe. Ad has autem conditiones, neceſſitate magis, quàm uoluntate Mathias pertrahebatur, propterea quòd & Vngarorum ſuorum animos Strigonienſi archiepiſcopo & Quinqueccleſienſi epiſcopo authoribus à ſe alienatos eſſe intelligebat: & Turcæ ſubacta ſuperiori anno Eubœa inſula (quam Necropontum ſiue Nigropontum nunc uocant, ab urbe prima, quæ Chalcis olim fuit) feroces, Tranſalpinam Valachiam & Vngariam, uſque ad Zagrabiam & Croaciam ter excurrentes, immaniter depopulati erãt. Idemq; identidem, ni reprimerentur, facturi eſſe uidebant, ita ut uereri Mathias cogeretur, ne dum alienum regnum appetit, ſuum amitteret. Quocirca permittente Georgio, Boemi utriuſque factionis Polnam conuenerant: confeciſſent'que rem, inclinatis ad pacem utrinque animis, niſi Iacobus Dembenius, & Michael abbas, oratores Cazimiri Romam proficiſcentes, forte fortuna interueniſſent: admonito'que Georgio cum ſuis fidei & conſtantiæ, ut res integra in reditum ſuum differretur, perſuaſiſſent. Quibus uix Boemiam egreſſis, Georgius, tumore pedum in reliquum corpus peruadente, uitam cum morte commutauit. Eius morte cognita, Mathias cum nouem ferè millibus armatorum Poſonio Bernam accurrit: Stenconem Conopiſcium cum duobus millibus in Boemiam præmiſit, ut Boemos ſuadendo ac territando in partes ſuas pertraheret. Verùm inter eos, comitijs Pragæ creandi noui Regis cauſa inſtitutis, neutiquam conueniebat. Nam alij Polonum, alij Vngarum, alij Cæſarem cupiebant, nonnulli Henricum Georgij defuncti filium malebant: ij potiſſimum, qui ab externo rege hæreſi ſuæ metuebant. Pollicebantur autem ij ſibi Alberti Marchionis Brandeburgenſis auxilia: qui cum ſoror Henrici nupta erat. Erant, qui ad regem Francorum ſpectarent, quòd redimi ab eo regia & eccleſiaſtica bona poſſe exiſtimabant. Ludouici quoque Bauari mentionem nonnulli faciebant. Iam uerò Albertus Miſnenſis Marchio ſibi non deerat. Aduenerat enim cum quinque millibus militum, quaſi opem laturus Boemis, ſi quis uim facere eis uellet, re uera autem ſuum negocium gerebat. De his omnibus rebus Cazimirus

Boemicarum rerũ ſtatus uarius.

Georgij regis inconſtantia.

Vngarorum procerũ animi alienatio à Mathia rege.

Turcæ Eubœam ſubigunt, Vngariam infeſtant.

Poloni oratores Mathiæ res inficiunt.

Georgij regis mors.

Boemorum diſſenſio in creando rege.

zimirus partim adhuc in Lituania, partim in Poloniam reuertens, certior factus, Paulum Balicium, mox Martinum Vurorimouicium, deinde Dobeslaum Curozuancium equites ad Boemos allegauit, iuris sui promissique ipsorum eos admonens. Aderant & Mathiæ oratores, episcopus Agriensis, & palatinus Transyluanienſis. Re diu Pragæ agitata, & ad extremũ ad Cuthuos montes comitijs, quo liberiora essent, translatis, uicesima quinta die Maij Vuladislaus Cazimiri Polonorum regis filius rex à Boemis renunciatur, quamuis reclamantibus Ioanne Rosembergio, Stenone Conopiscio, & Henrico Gradecio proceribus, qui Mathiæ studebant. Mox delecti complures legati de primoribus, nobilitate, & Pragensi ciuitate utraque præstantes uiri, qui Vuladislaum primo quoque tempore accirent è Poloni a Fruſtratus enim spe sua Mathias, nullo crudelitatis genere à Boemis & Morauis abstinebat. Quin & Albertus Marchio Misnensis exercitus, quem habebat, fiducia grauis esse Boemis cœperat. Nec desperabat adhuc de regno, propterea quod Vuladislaus id susceptur us esse negabatur. Verùm is coorto in se Boemorum tumultu, in quo nonnullos milites amisit, incenso oppido cum metallis, raptim sese cum suis recepit. His ergo de causis Vuladislaus maturare profectionem suam in Boemiam rogatus, acceptis à patre septem millibus equitum, ac duobus peditum, ductores que exercitus Paulo Iasenio, uicesima quinta die mensis Iulij Cracouiã egressus est, deductus à patre bidui itinere. Fuere autem in comitatu eius insignes, Nicolaus episcopus Camenecensis, Vincentius Ennensis, & Paulus Laodicensis, à quibus Pragæ diadema ritu solenni susceptit: Stanislaus Ostrorogius Calissiensis, & Nicolaus Cutenius Lencicienſis palatini, & Ioannes Dlugoſſus præceptor. Proficiscenti uerò sex duces Silesiorum sese adiunxere. Apud Closcum uerò obuiam uenientibus Boemis proceribus, & omnium ordinum permagna multitudine, in leges Boemorum iurauit: & omne æs alienum, quod Georgius contraxerat, (quod quidem ad trecenta millia florenorum ascendebat) imprudentius in se susceptit: pacatam que regni possessionem adijt, Mathia domesticis incommodis, & motibus Vngarorum procerum reuocato. Nam ij, posteaquam Vuladislaum regis Poloni filium, Mathia præterito, regem creatum esse acceperunt, quod secretis consilijs aliquandiu agitauerãt in apertum proferentes, miserunt & ipsi legatos ad Cazimirum, alterum eius filium Cazimirum regem sibi dari petentes: qp ferre diutius Mathiæ tyrannidem non possent. Quod ni faciat Cazimirus, uel à Turcis auxilium sese petituros esse. Sumptus autem belli se præbituros esse pollicebantur. Nec spreuit eorum postulata Cazimirus, Cazimirumqp filium cũ non contemnendo exercitu Petro Dunino duce in Vngariam misit, Derslaum Rithuianium palatinũ & præfectũ Sendomirien sem, Ioannẽ Tarnouiũ Voinicienſem, Stanislaum Vantropcã Sandecenſem, Stanislaũ Sidlouecium Zarnouienſem castellanos, & alios quosdam præstantes uiros comites ipsi adiunxit, et Paulo Iasenio è Boemia reuertẽti mandauit, ut è Morauia rectà in Vngariã contenderet, & cũ Cazimiro

Legationes Cazimiri ad Boemos.

Vuladislaus Cazimiri filius rex Boemorũ creatus.

Boemia uexatur.

Misnensis Marchio fugatus à Boemis.

Vuladislaus in Boemiam proficiscitur.

Paulus Iasenius dux exercitus.

Vngarorum procerum defectio à Mathia rege.

Vngari Cazimirum Cazimiri filium accersunt.

Cazimiri profectio in Vngariã.

copias ſuas coniungeret. Ipſe eum pater Sandeciam uſque deduxit. Ma-
turè de his procerum ſuorum conſilijs factus erat certior Mathias apud
Bernam ſtatiua habens. Itaque nihil ſibi reliqui fecit ad feſtinationem, &
quaſcunque habuit in Morauia Sileſiaq; copias, in Vngariam contraxit:
primores nonnullos à ſe alienatos, partim terrore exercitus, partim ingen
tibus promiſſis ad ſe reuocauit. Eos ſecuti cæteri, dum tardius molitur &
uenit Cazimirus, uacillare & ipſi, ut eſt mos gentis, fidem que mutare.
Itaque adueniens Cazimirus præterita Caſſouia ſiue Coſſicia, quæ à Pa-
latino Tranſyluanienſi & Emerico Diaco Scepuſienſi Comite occupata
iam erat, ad Otſanum oppidum diuertit. Inde profectus, apud Nitriam,
quæ in ditione Strigonienſis Archiepiſcopi erat, ſtatiua habuit. Neque
quiſquam Vngarorum procerū per omne id tempus ad eum uenit, præ-
ter Quinqueccleſienſem epiſcopū, qui & ipſe ſtatim Strigoniū, unde uene
rat, ſe recepit. Mathias uerò cum ſexdecim millia hominū in exercitu ha-
beret apud Budā, occurrens aduentanti Cazimiro, triū milliarium ſpacio
ab eo caſtrametatus eſt. Nec tamen pugnæ copiā Polonis faciebat, pro-
pterea quòd Vngarorum iuxtà ac Polonorū, quorū non paruus erat nu-
merus in caſtris eius, fidē ſuſpectā haberet: in agreſtibus uerò, quæ maxi
ma pars erat exercitus, exiguā fiduciā collocaret. Dum ſic utrinq; tempus
teritur, uenit ad Cazimirū Polonorū regem Tilemānus Slechtus canoni-
cus Coloniēſis, cubicularius et nūc ius Sixti, eius nominis quarti pōtificis
max. qui per illud tempus Paulo ſecundo uita defuncto ſucceſſerat. Hor-
tabatur aūt regem ad pacem cum Vngaro faciendam. Id adeò, ſiue quod
Mathiæ pōtifex conſultū ire cupiebat, ne regno excideret, ſiue quòd eum
à Turcico bello auerti moleſtè ferebat, ad quod ſuſcipiendum Paulus ſe-
cundus eum incitarat, permotus amiſſione Eubœæ, Tranſyluaniæq;, &
Vngariæ Tranſiſtranæ, Croacię ſiue Liburniæ, Carniolę, Ciliæ, Illyrici,
& Iſtriæ, uſq; ad portas Labaci & Goritiæ dira & miſerabili populatio
ne, incendijs, & innumerabiliū hominū in barbaricā ſeruitutē abactione:
cui nullū neq; modū, neq; finem faciebat Iſaacus Turca Boſnæ prę fectus,
quem ipſi Sendiacum Slauico, ni fallor, uerbo uocant. Non difficilē aūt in
eo ſe Cazimirus pontifici præbuit, & utriuſq; partis proceribus pacis ar
bitrium permittebat, non ignarus, non reſpondere ſpei ſuæ & pollicita-
tionibus Vngarorum procerum, filij ſui res in Vngaria. Et cum hoc
reponſo dimiſit Tilemannū, in Vngariamq; proficiſcenti, Ioannem Van-
tropcam canonicū Cracouienſem cum ijſdem mandatis ad filiū & Vnga
ros proceres, comitem adiunxit. Interim autem dū hæc fiunt, mercenarij
milites, qui externi ferè erant, è caſtris Cazimiri apud Nitriam poſitis di-
labi cœpere, ob non ſoluta ſtipendia. Quorū diſceſſione moti primores
exercitus, perſuaſerūt Cazimiro, ut relicto ad prę ſidiū Nitriæ Iaſenio cū
quatuor millibus, ipſe cū reliquis copijs in tutū ſe reciperet, prius q; ab ho
ſte, qui auctis copijs adeſſe nunciabatur, obſideretur. Qui quidē receptus
effuſę fugę fuit ſimilimus. Non enim cōſtitere noſtri, donec Gilauiā per-
uenere. In itinere ad ſexaginta quadrigas, quæ ſequebātur fugientes ami-
ſere,

Legatio pontificis ad Cazimirū regem Polon. Sixtus papa.

Turcarum excurſiones.

Sendiacus.

Cazimiri receptus ex Vngaria.

sere, ab agrestibus interceptas. Eius autẽ ignominię culpa penes Derslaũ Rithuianiũ potissimũ fuisse dicitur. Sed meritò tunc ea Polonis diuinitùs accidisse credita est, propterea quòd ij proficiscẽtes in Vngariam, soluta prorsus disciplina militari, nõ modò à ui & rapinis sacrorũ iuxtà ac profanorũ, sed etiam à stupris puellarum & matronarũ, & omnis generis iniurijs & contumelijs sibi non temperauerãt. Atcp hęc extremis anni diebus acta sunt. Extincti autem sunt eo anno duo episcopi, Sciborius Plocensis, & Ioannes Cracouiensis: nam Mathias Mednicensis siue Samagitiæ uno anno hos præcesserat. Ac Ioanni quidem Ioannes Ressouius Russus, à collegio basilicæ Cracouiensis per cõpromissum electus, successit: Sciborius uerò, propter collegij Plocensis dissensionẽ, tardius successorem accepit. Quatuor & uiginti erant, qui ferebant suffragia. Ex his duodecim Sciborium Belscium archidiaconũ, sex Cazimirum Boleslai Varsauiensium ducis filium canonicum, totidem Andreã Opporouiũ iureconsultũ, ipsum quoque canonicum, & Gnesnensem Archidiaconum, quem Rex per Nicolaum Chranstouium uexilliferum Cracouiensem cõmendabat, episcopum edebant. Sed Sciborius precibus & minis uictus, in gratiam Cazimiri competitoris iure suo, quod erat potissimum, cessit. Opporouius ut idem faceret, impetrari à Rege non potuit. Quare controuersia inter duos disceptanda Romam delata est. Ibi uerò Rege pro Opporouio, Friderico autem imperatore pro Cazimiro contendentibus, secundũ Cazimirũ decẽ & octo annos natũ, pronũciatur: Opporouio uerò in gratiã Regis Varmiẽsis episcopa, summoto & in Camenensẽ translato Nicolao Tungeno, attribuit. Sed post quatuor demũ annos Cazimirus sacris episcopalibus initiatus est, homo nihili, & ministri cuiusdã obscurę cõditionis arbitrio cũcta gerẽs. Insequens annus millesimus quadringentesimus septuagesimus secũdus, à cometę siue Pogonie apparitione sumpsit exordiũ: qui paruus quidẽ in se, uerũ longã & illustrẽ post se caudã trahẽs, uago & incerto cursu, nũc ad septentrionẽ, nunc ad meridiẽ, nũc ad occidentem solẽ, caudã quoq; nunc huc, nunc illuc obuertens, totos duos menses perdurauit, magnorũ malorũ, quę cunctã ferè Europam proximis tribus annis peruaserũt, & maxime pestilentię per populos & gentes grassaturę prodigiũ. Cazimirus iunior dies aliquot Gilauię cõmoratus, Rosembergę item aliquot apud Petrũ Comorouiũ, nõ eã tantũ arcẽ, sed et Licauã, & Orauã & Gradecũ, quas obtinebat in extremis Vngarię finibus, ipsi concedentẽ, nusq; securè pedẽ figens in Poloniã se recepit, iussusq; à patre Dobeslicię tertio à Cracouia milliario subsistere, aliquãtisper ibi quasi in secessu mansit, pudore acceptę ignominię lucẽ et conspectũ hominũ fugitãs, et ne patris dolorẽ, quẽ ille peracerbũ hauserat, aspectu suo exacerbaret. Iasenius uerò nec ipse multũ Nitrię cõmoratus, per tẽpus inducarum quas quindecim dierũ cũ Mathia pepigerat, trecẽtis modò militib., in arcis prędio relictis, inde excessit. Quẽ Mathias uiolata fide insecutus, adoriri tamẽ ausus nõ est cautè incedentẽ, et ad prędij dimicationẽ paratũ obfirmato ad honeste moriendũ animo prius, quàm turpiter fugeret, aut se,

Polonorum licentia.

Ioannes Ressouius episcopus Cracouiensis.

Plocensis collegij dissensio in eligendo episcopo.

Cazimirus dux episcopus Plocẽsis.

Andreas Opporouius Varmiensis designatus.

1472. ann. Cometes.

Petri Comorouij liberalitas erga regẽ Cazimirũ.

Cazimiri uerecundia.

Iasenij receptus ex Vngaria.

se dederet. Atque is cum Vngaria excessisset, Mathias quatuor loca, quæ Polonorũ præsidijs tenebantur, per deditionem facilè recuperauit. Sropcouia sola propter uicinitatem à Polonis retenta. Hæc omnia peracerba Cazimiro regi accidebant. Huc & illa cura accedebat, quòd non habebat unde militibus ex Vngaria reuersis, & merita stipendia flagitantibus, dissolueret: non modò ærario in Prussicum bellum, & sumptuosas illas duorum filiorum in Boemiam & Vngariam expeditiones exhausto, uerumetiam plerisq; prædiorum, præfecturarũ, metallorum, & uectigalium fructibus ac reditibus oppigneratis & alienatis, ita ut ne in quotidianum quidem uictũ sumptus ei suppeterent. Eo factum est, ut milites, quibus non numerabantur stipendia, uias publicas latrocinijs infestarent, & in bona sacerdotum inuaderent, non solum obuia quęq; agentes & ferentes, uerumetiam abstrusa perscrutantes. His incõmodis Rex ut obuiam iret, ad medium mensis Martij comitia Petricouiæ habuit. Sed de subsidio in stipendia nihil impetrauit. Reiecta res ad Colensem & Corsinensem conuentus. Ibi demũ duodenũm grossorũ in iugera tributũ ei constitutũ. Sacerdotalis uerò ordo Gnesnensis, Cracouiensis, Vuladislauiensis, & Posnaniensis, diœcesiòn, haud cõtemnendo subsidio ipsum iuuit, omnibus dimidios reditus secundũ ueterem æstimationẽ conferentibus, præter Cracouiensem diœcesim, in qua propter exquisitiorem æstimationem octonideni grossi in marcas collati sunt. Missus deinde à consiliarijs regijs Castellanus Sandecensis ad Vngaros proceres, de pace siue inducijs inter reges conficiendis. Quanquam autem insolescebat prosperis rerum successibus Mathias, eosq; ipse apud exteros quoquouersus missis literis in immensum glorioſus attollebat, & archiepiscopo Strigonienſi & Quinqueclesiensi episcopo, contra datam fidem mortem accelerauerat, annuas tamen inducias, per quas de pace ageretur, concessit, Turcici belli metu. Quod tamen impendens Husancassanus Persarũ rex, & ipse Turcica gente ortus, illato Turcis graui bello, auertit. Nam Trapezontem & Sinapolim urbem cępit, & Asiã minorem penè omnem, ferro & igni uastauit. Oblatas autem ab Vngaro inducias rex Polonus, refutatis iniquioribus quibusdam conditionibus, breuiori spacio temporis terminauit, non nisi ad diem D. Ioãnis Baptistæ natalẽ duraturas, ut interim de pace inter reges, nõ excluso etiam Boemo, Olomuciæ per legatos ageretur. Quod tamen, ob temporis breuitatem fortassis, factum non est. Interim aduenit in Poloniã legatus põtificius Marcus Venetus presbyter Cardinalis, adhortans regem ad pacem cum Vngaro faciendam, & ad suscipiendum bellum contra Turcas: ad quod & ipse Husancassanus eum per oratores suos incitabat. Nec abnuebat lõgiores inducias & pacẽ Cazimirus: uerũ Mathias cognita eius inopia, nactusq; ipse per uim atq; tyrannidẽ (captis nõnullis proceribus, nõnullis uerò sublatis) permagnas diuitias, & solutus in eum annũ Turcici belli metu, difficiliorem sese prębebat. Quin & pax cũ Friderico Imperatore ipsi cõstituta ferociorẽ eum fecerat. Itaq; legatus pontificius cũ aliquandiu Cracouię, deinde Corcini, quo rex Craco

uia

Cazimiri regis Polon. egestas.

Milites latrocinantur.

Ecclesiastici ordinis benignitas erga regem.

Polonorum legatio ad Vngaros.

Episcopi à Mathia contra fidem datã morte multati.

Inducię inter Vngarum & Polonum.

Turcæ bello uexati à Persarum rege.

Legatus pontificius Cardinalis ad regem Polon.

Husancassani legatio ad Polon.

Pax inter Fridericum & Mathiam.

uia peſtẽ fugiẽs ſeceſſerat, ac Sandeciæ hęſiſſet, in Vngariã́q; inter nuncios ſuos miſsitaſſet, re infecta, ſiue adeò dilata, Vuratislauiã diſceſsit. Rex uerò cõuentu minorum Polonorum Corcini acto, Petricouiã profectus, comitia regni totius ad Calend. Nouemb. habuit: magiſtratus & honores nonnullos diſtribuit: ſubſidium ſenum groſſorum in iugera impetrauit, nouem de primoribus conſiliarijs legatos ad conuentum Nyſſæ cum Vngaris & Boemis de pace ad initium Februarij inſtituendum (ſic enim inter reges denuò conuenerant) deſignauit: oratoribus Vuladislai Boemorum regis auditis, quingentorũ militum auxilia ad Cuthnorũ metallorum præſidium ei miſit. Inuaſurus enim ea Mathias Vngarus ferebatur, Colino oppido per deditionem Victorini Georgij filij potitus, ubi mille equites & octingentos pedites habebat, Victorinum que cæteras munitiones quaſcunque is obtineret, ex pacto propter donatam libertatem repoſcebat. His peractis, Poſnaniam rex cum regina uoti ſoluendi gratia profectus eſt. Inde in Pruſsiam, ad res nouas ſpectantem, contendit. Etenim Nicolaus Tungenus, quem amotum Varmienſi epiſcopa, ad Camenenſem translatum eſſe à pontifice maximo, ſuperius diximus, partim ſua ipſius cupiditate, atque dolore præreptæ epiſcopę incitante, partim aliijs Pruſsis, qui Polonis honores in Pruſsia mandari permoleſtè ferebant, ſubornantibus, animum uerò ei addentibus aduerſis Cazimiri rebus in Vngaria, facta quingentorum peditum mercede conductorum manu, & magno agreſtium numero ad eos confluente, epiſcopam Varmienſem inuaſerat, partim expugnatis non ſine cæde hominum, partim per deditionem acceptis munitionibus. In Elſbergæ quidem oppugnatione hæſit, & propè quingẽtos homines de ſuis, quos ebrietas audaciores fecerat, amiſit. Hinc factum eſt, ut faciliùs bellum illud à legatis regijs Iacobo Vuladislauienſi epiſcopo, & Nicolao palatino Lencicienſi interciperetur, ea lege, ut de controuerſa epiſcopa ſtaretur ſententiæ pontificis maximi. Nec tamen præterea quicquam operæprecij tunc fecit rex in Pruſsia. Contendebant enim Pruſsi, ut non niſi ſibi arcium præfecturæ mandarentur: nec id abnuebat rex, ſed pecuniam eos poſcebat, qua his qui eas obtinebant, debita ſtipendia diſſolueret. Quod cum Pruſsi recuſarent, ad Pentecoſten futuram res dilata eſt. Venerunt autẽ Toruniam ad regem oratores Chriſtierni Danorum regis, poſtulantes ut Cazimirus filiam marchionis Mantuani è ſorore uxoris ipſius Chriſtierni, & Alberti marchionis Brandeburgenſis ſuſceptam, filio ſuo Vuladislao regi Boemorum deſponderet. Res ad ipſum Vuladislaum reiecta. Vexata eſt hoc autumno tribus Turcarum excurſionibus omnis ea ora Illyrici, quæ eſt circa Sauum flumen, item que marchia Slauonica, Hiſtria, & Forum Iulij, uſque ad caſtellum ſancti Danielis, nemine reſiſtente.

Mathiæ exercitus in Boemia.

Victorinus dux à Mathia dimiſſus.

Pruſsici motus.

Nicolaus Tungenus epiſcopam Varmienſem inuadit.

Danica legatio ad regẽ Polonorum.

Turcarum excurſiones.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVSOCTAVVS.

1473 ann.

POST INITIVM uerò nouí anni Cazimirus rex cum Elizabetha regina Torunia díscedẽs, per Gostininum & Varsauiam in Lituaniam iter fecit: ad mediũ Quadragesimę Vilnę Lituanorum conuentum egit: ubi tenum grossorum Pragensium tributum in aratra ipsi decretum est. Per id tempus Poloni, Boemi & Vngari proceres cum Marco cardinali apud Nyssam conuentum egerunt: tametsi Mathias rex uir inquieto ingenio, & indignè ferens, quòd Stropcouía regis Poloni præsidio teneretur, indè que uicinus circumquaque ager Vngariæ uexaretur, magis ad bellum quàm ad pacem spectare uidebatur. Apud Bernam enim Morauiæ cum quatuor millibus militum statiua agens, Boemorum animos è propinquo sollicitabat, Silesios que duces inter se committebat: & perfecerat, ut Ribnicensi à cæteris bellũ inferretur, Ribnichi oppidum expugnatum adimeretur, Zarchi uerò oppugnarentur: capti que fuissent, nisi Iacobus Dembenius cancellarius regni, & præfectus Cracouiensis, regis iussu cum tumultuaria manu in ditiones obsidentium impetum fecisset: quo factum est, ut pacto res inter duces componeretur, ea lege, ut obsessum quidem oppidum in Dembenij, captum uerò in Cropacij iunioris, qui homo equestris in ditione ducis Ribnicensis erat, potestate esset, quoad inter reges dissidium componeretur. Sed tamen magna legati pontificij cura ac diligentia uix eò res perducta est post sex septimanarum disceptationem, ut ad medium Augusti mensis alius conuentus Oppauiæ inter proceres, Vngaros quidem & Polonos octonos, Boemos uerò senos ex utraque parte instituereturr, Polonus rex Stropcouía præsidium deduceret, Vngarus & Boemus suarum uterque partium Boemis iusiurandum relaxaret: ipsi reges in propinquo essent, Polonus quidem apud Osuencimum, Boemus apud Closcum, Vngarus uerò Olomuciæ, quo facilius de omnibus è conuentu ad eos referri posset: quòd si qua de re inter delegatos & inter ipsos reges non conuenisset, Carolus Burgundionum dux, aut si is nollet, uel non posset, Francorum rex arbitrio suo controuersiam dirimeret. Ita tunc discessum. Quo liberius autem uacaretur ei conuentui, Marcus cardinalis inducias inter reges authoritate pontificia, pœnis in uiolatorem adiectis, prorogauit. Quæ ubi Cazimirus è Lituania reuertens cognouit, comitia Petricouiam ad primam diem Maij edixit. Verùm de minoribus Polonis nemo ferè procerum affuit: offensi enim erant distributione honorum superioribus comitijs iniquius, quemadmodum ipsis uidebatur, facta: in qua Ioannes Tarnouius castellanus Voinicensis, Dobeslaus Cmitha Lublinensis, & Stanislaus Vantropca Sandecensis, immeritò præ-

Conuentus Polonorũ, Vngarorũ et Boemorum procerum Nyssæ.

Mathiæ regis conatus.

Ribnicensis dux à cæteris Silesijs bello petitus.

Pacta inter reges Nyssæ conuenta.

Inducię prorogatæ.

Comitia Petricouiæ.

ritò præteriti esse existimabantur. Itaque Radomiæ ad Pentecosten alia comitia instituta sunt: ubi delinitis offensorum procerum animis, de actis conuentus Olomucensis disputatum est. Nec magnopere ea cuiquam probabantur. Sed cum inopia Cazimiri, & aliquanto maior etiam Vuladislai, ita ut pater ei tamen decem millibus aureorum missis subuenire necesse habuerit, perpenderetur, & uerò Boemi ea, referente Alberto Socolouio Vuladislai legato, approbasse dicerentur, ne sibi quidem repudiandas esse eas conditiones duxerunt. Itaque designati ad Opauiensem conuentum legati, Ioannes Cracouiensis, & Iacobus Vuladislauiensis episcopi, Lucas Gorcanus Posnaniensis, Stanislaus Ostrorogius Calissiensis palatini, Dobeslaus Cmitha castellanus Lublinensis, Ioannes Rithuianius regni marsalcus, Sbigneus Olesnicius procancellarius, & Ioannes Dlugossus canonicus Cracouiensis. Stropcouia deducto præsidio, Nicolao Perenæo reddita. Ad Prussos missus quispiam, qui regem excusaret, quòd ad constitutum tempus in Prussiam non ueniret. Ad Fridericum uerò Imperatorem allegatus Adam decanus Posnaniensis, ut ab eo regni Boemorum, quod iure feudi, ut uocant, imperatori Romano est obnoxium, confirmationem Vuladislao filio regis peteret, ea'que lege societatem cum Friderico contra Mathiam utriusque nomine sanciret: adderet'que, Valachum quoque ei bello pro sua parte non esse defuturum, dummodo ipse quoque Imperator Mathiam summa ui adoriretur. Quanquam enim icerat non ita multo antè Imperator fœdus cum Mathia, sed id necessitate quadam adductus, nec satis æquis conditionibus fecisse uidebatur: propterea quòd ad Mathiæ nutum acephalus exercitus, qui se fratres uocabant (erant autem ij cruce signatorum militum reliquiæ) Austriam grauiter infestabat: & rebelles Austrij, quorum princeps erat Baumlcircheri, à Friderico necati, filius, ab eodem adiuuabantur. Itaque occasionem ulciscendi Mathiæ captare Fridericus existimabatur. Et grata quidem ei fuit legatio. Sed dilata res est ad Imperialia comitia Augustam Vindelicorum ad Calend. Septembris edicta. Ad quæ missi oratores, à Polono quidem Paulus Iasenius, & Stanislaus Curozuancius canonicus Cracouiensis: à Boemo uerò Burianus supremus cubicularius, & alij duo: cum neque Imperatorem, neque principes electores Augustæ reperissent, sex propè menses Tadelsbergæ apud Albertum Marchionem Brandeburgensem, benignè ab eo habiti, expectarunt, donec Imperator ex inferiore Germania rediret. Ibi enim is cum Carolo Burgundionũ duce fœdus & affinitatem sanciebat, unica filia eius Maria filio suo Maximiliano cum successionis pacto despõsa. Tametsi in irritum tunc omnia illa pacta reciderunt, propterea quòd Carolus Mathiam Vngarum fœdere illo comprehendere contenderat. Aliquanto tamen pòst, Carolo ab Heluetijs in pugna interfecto, Maximilianus Flandrensium, ad quos Maria se contulerat, fauore & studio, nequicquam inficiente rem Gallorum rege Ludouico, optatis potitus est nuptijs: & Burgundiam accisam tamen à Gallo, Flandriam, Brabantiam, Limburgum, Geldriam, Lucemburgum,

Vuladislai regis egestas.

Legati Poloni ad Opauiẽsem conuentum.

Stropcouia Vngaris reddita.

Legatio Cazimiri ad Imperatorem Fridericum.

Boemia imperio Rom. obnoxia.

Fratres, siue acephalus exercitus.

Austria infestata Mathiæ regis opera.

Friderici Imp. conuẽtus cum Carolo duce Burgundiæ.

Carolus Burgũdiæ dux occisus.

Maria Maximiliani uxor.

Burgũdia, Flãdria, &c. quãdo ad Austriacam familiam peruenerint.

burgum, Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, & Arteſium in dotem accepit. Hac igitur de cauſa Friderico diutius commorante in inferiore Germania, & comitia differente, oratores Poloni uix ad Paſcha inſequentis anni optatum reſponſum referentes, reuerterunt. Cæterùm Cazimirus appropinquante die conuentui Opauienſi præſtituta, Oſuencimum cum ſex millium ferè hominum comitatu ſeſe contulit. Conuenerant enim ad eum complures uoluntarij de Polonis & Lituanis proceribus, & mille Tartari Lituanici. Vuladislaus quoque Boemorum rex apud Cloſcum non contemnendum comitatum habebat. Plurimorũ enim ſtudia & uoluntates integritate & benignitate ſua iam ad ſe allexerat, præſertim cum non grauatè eos iureiurando ſoluiſſet, oſtendens pluris ſe publicam pacem atq; tranquillitatem, quàm priuata ſua cõmoda facere. Quod quidem eo plauſibilius erat, quòd Mathias cum idem, quemadmodum conuenerat, ſuis feciſſet, mox pœnitẽtia ductus, grauius iuſiurandum ab eis exigebat: & recuſantibus extrema quæq; minabatur, palamq; teſtabatur, ſe eorum fidei negocium ſuum non eſſe crediturum. Quare cum Poloni & Boemi partium Vuladislai maturè Opauiam conueniſſent, à Mathia præter Albertum epiſcopum Veſprimienſem Vngarum, & Albertum Coſtcam Boemum, nemo affuit. Vngaros autẽ alia quoq; res remorata eſt. Ad paucos redacti fratres acephali in Auſtria, & partim Ecingeri armis fracti, partim calce ſali & farinæ immixta extincti, in Vngariam ſeſe receperant, & ſiue quòd emeritis apud Mathiam ſtipendijs fraudabantur, ſiue ut egeſtatem ſuam releuarent, eam oram Vngariæ, quæ ad Poloniam uergit (Poloni enim ferè erant) armis longè lateq; infeſtabant, munitis & præſidio firmatis Modragora & Bucouecia arcibus ſiue caſtellis. Iam uerò & Nicolaus Perenæus Stropcouiam eis conceſſerat. Poſt uiceſimam demum diem Vngari proceres expectati aduenere. Aduenit & Rudolfus Vuratislauienſis epiſcopus, cum tribus conſulibus eiuſdem ciuitatis. Nec tamen quicquam operæprecij in eo quoque conuentu factum eſt, cum duriores conditiones ab Vngaris proponerentur. Optatum tamen Polonis & Boemis accidit, quòd res ad Caroli Burgundionis arbitrium, cui ſe ſtaturos eſſe iuconſultò promiſerant, peruentura non eſſet, & quòd reliquorum Boemorum animi à Mathia deinceps alieniores fore uiderentur. Ita tunc Opauia pace infecta diſceſſum eſt. Nec ceſſabant fratres, de quibus ſuperius diximus, Vngariam uexare: ad quos reprimendos Mathias cum parua manu profectus, Modragoram non difficulter ſiue per uim, ſiue per prodi-tionem in poteſtatem ſuam redegit, milites præſidiarios in uincula conijecit: Ioannes quidem Suchodolius, qui fuerat præſidij præfectus, euaſit in Poloniam, fugane elapſus, an dimiſſus, nõ conſtat. Nõ multo quidem pòſt is Croſnæ interfectus eſt, & interfector eius Cazimiri regis decreto ſiue iuſſu à ſupplicio & reatu abſolutus eſt. Bucoueciam deinde adortus Mathias, ea quoq; per deditionem Barzorum trium fratrũ, qui præerãt præſidio, potitus eſt: milites præſidiarios arma ad ſe in caſtra deportare, & fuſtibus ignominiæ cauſa armari iuſſos (ita proditores armari debere memorans)

Cazimiri regis comitatus.

Vuladislai regis Boemiæ indoles.

Mathias rex pacta cõuenta non ſeruat.

Conuentus Opauienſis.

Fratres Auſtria eiecti.

Fratres acephali Vngariã infeſtant.

Mathias rex fratres acephalos bello perſequitur.

Modragora et Bucouecia potitur.

Barzi fratres.

Proditores quomodo habiti à Mathia.

memorans) cum singulis modò uestibus emisit, sponsione ab nobiliori- *Spõsio turpis.*
bus accepta, ne unquam contra se, ne pro rege quidem suo & patria mili-
tarent. Quocirca comprehensi hi sunt postea Cazimiri iussu, & in carce-
rem compacti ob tam indignã sponsionem. Necp hoc solum incommo- *Aestus & sic-*
dum eo anno Polonia pertulit: sed estu quocp & ardore uexata est usqp *citas.*
adeò, ut aluei fluminum plerorumcp arescerent: Vistula etiam apud To-
runiam esset uadabilis: syluæ saltusqp radicitùs arderent: segetes, uernæ
præsertim, squalerent: pecudes & iumenta oblitis limo cum herba uora-
to intestinis interirent: incendia quoque urbium, oppidorum & uilla-
rum crebra extitere. Stradomia quidem ad uicesimamsextam diem Iulij *Oppidorum in*
penitus conflagrauit: postridie uerò coorto in cœnobio uirginum apud *Polonia consla*
sancti Andreæ incendio, tota ea platea, quæ Arcensis dicitur, & proxi- *gratio.*
ma canonicorum arsit: arx ægrè defensa. Conflagrarunt etiam Velicia,
Coninum, Belsum, Chelma, Lubomlia, præterea basilica Lencicien sis,
cum uicinis domibus archiepiscopi & sacerdotum, item que Mogilen-
se monasterium: obijt uerò Ioannes Gruscinius archiepiscopus Gnes- *Ioannis Gruã*
nensis, cum Cracouiam à rege euocatus uenisset, repentina correptus *scinij archiepi*
amentia, ita ut ne procuraretur quidem sacris mysterijs, consentaneum *scopi mors &*
exactæ uitæ exitum consecutus. Fuit enim in omne libidinum & auda- *uitia.*
ciæ genus proiectus: cuius ambitione Cracouien sis diœcesis grauiter,
ut suprà memoratum est, diuexata erat. Auaritiæ uerò & immoderati
in euehendis & locupletandis fratribus studij, seu uerius cupiditatis fru- *Gruscinio rum*
ctum, qualẽ oportuit, uiuens nõ decerpsit. Nam eo demum defuncto, de *dißidium.*
Cosmino, quod grandi pecunia mercatus erat, inter Bartholomeũ castel
lanum Sendomirien sem, & Nicolaũ cognomento Cosmidrũ, fratres eius
germanos, certatũ est. Exequias quidẽ non admodũ honorificas habuit,
dedignantibus eum hoc honore sacerdotibus tam Cracouien sis, quàm
Gnelnen sis basilicæ, in qua sepultus est. Successor autem ei rege postu-
lante à pontifice designatus est, priusquã dies electioni præstitutus adue
nisset, nõ sine infamia cupiditatis, Iacobus Sennenius. Huic uerò in Vula *Iacobus Senne*
dislauien si episcopa suffectus Sbigneus Olesnicius procancellarius re- *nius archiepi-*
gni. Clemens quoque Kiouien sis episcopus, homo plebeius, sed probus, *scopus Gnesnẽ*
eo anno defunctus, Albertum Narbuthum equestri apud Lituanos fami *sis.*
lia ortum, successorem accepit. Tartari uerò Mescenecense territorium *Tartari Rußiã*
Kiouiæ uicinum depopulati, ad septingentos homines captiuos abege- *uexarunt.*
runt. Per idem tempus Turcæ è Bosna excurrentes, omnem ferè Sty-
riam & Carinthiam depopulati sunt. Cæterùm in Asia minore siue Ar- *Styria & Ca-*
menia bis collatis cum Husancassano signis, insigni strage uicti, ad *rinthia à Tur-*
quinquaginta sex millia militum, & centum quinquaginta tribunos mi- *cis uastatæ.*
litares, qui Subbasse uocantur, amisere. Nox prælium diremit: cuius cali- *Turcæ à Persis*
gine tectus Mahometes imperator, fuga euasit. Mox saniori usus cõsilio, *bis uicti.*
munitis inter montiũ angustijas castris, obiectu bombardarũ, hostiũ fero *Mahometis fu-*
ciã nõ sine magna eorũ strage repressit. ubi & Husancassani filius de side *ga.*
ratus est. Nec insequens annus quietior Polonis fuit. Mathias enim rex, *1474 ann.*
cum contra acephalos siue fratres prosperè rem gessisset, quẽadmodum

paulo antè memorauimus, quòd eos à Cazimiro ſubornatos contra ſe fuiſſe ſuſpicabatur, ſiue adeò compertum habebat, nihil moratus hybernum anni tempus, exercitum ſex millium hominum duce Thoma Tarcio in ſubmontanam Poloniæ oram immiſit, collocato in ſyluis Poloniam ab Vngaria diſiungẽtibus præſidio, ut ſeſe tutò inde recipere poſſent. Præmoniti quidem noſtri fuerant tempeſtiuè de hoſtium conſilio, ſed nihilo magis ſibi proſpexerunt. Itaq; Vngari turmatim excurrentes, omnia ferro & igni uaſtabant, Smigrodum oppidum noctu ſcalis admotis cæperunt: arcem uerò ictibus bombardarum quaſſatam, per deditionem acceperunt, & nouis propugnaculis foſsisq; munierunt. Direpti ſunt ea excurſione & incenſi uici ſiue oppida, Iaslum, Broſtecum, Colazicę, Friſtatum, Dẽbouecia, Ducla, & Pilſna (quæ tunc opulenta erãt) & propè ducẽti pagi: indeq; captiuorũ ingens numerus in Vngariam abactus. In ſenes uerò & pueros ferro ſęuitũ eſt. Croſna oppidũ, quamuis parum abfuerit, quin proderetur, nauiter tamen defenſum, itemq; arx Goleſsia Tinecenſis abbatis. Muſsina uerò epiſcopi Cracouienſis, propter paucitatem defenſorum, ex pacto dedita. Inſpectabat ferè hanc regni ſui uaſtationem Cazimirus rex, Viſliciæ conuentum agens, ac de bello Vngarico, quod ſibi ſuisq; ingruere didicerat, depellendo cõſultans. Vbi ſenum groſſorum tributum in iugerum impetrauit: militiã ſiue expeditionem bellicam, quæ libera & arbitraria nobilitati tunc erat, pro modo facultatum ſiue redituum cuiuſq; fieri debere decreuit: homicidij pœnam, increbeſcentibus iam tunc cædibus mutuis inter equites, auxit, ut qui eques uolens ac data opera equitem interfeciſſet, tetrum carcerem in ima turre toto anno perferret, ac centũ & uiginti marcas proximis agnatis interfecti lueret. Dum autem ſubmontana quidẽ Polonia ab Vngaris ita uexatur, Viſliciæ uerò à rege & ſenatu de repub. cõſultatur, aduenerunt à Stephano palatino Moldauiæ nuncij de re bene geſta contra Radulonem Tranſalpinæ palatinũ: quẽ Stephanus illis dieb. profligarat, & cùm alias quaſdã munitiones, tum Dambrouiciã arcem primariam de eo cæperat, theſaurumq; & uxorẽ cum duabus filiabus ipſius inde aſportarat. Attulerunt autem ij nũcij regi uigintiocto militaria ſigna de hoſte capta. Hos uerò triduo conſecutus eſt alius: qui celerem regis opem implorabat, quòd diceret Radulonem à Turcis adiutum, munitiones amiſſas recuperaſſe, Valachiamq; ingreſſum, obuia quæq; ferro & igni uaſtare. Itaque celeriter miſsi oratores, Dobeslaus Biſſouius caſtellanus Belſenſis, & Aegidius Suchodolius, qui inter eos bellum pace uel induciis dirimerent. Michaeli uerò Buzacio pręfecto Sniatinenſi mandatum, ut ſine mora cum Podolica nobilitate Stephano iret ſuppetias: Polonica uerò omnis nobilitas ad arcendum bellũ Vngaricum apud Opatouecium præſtò eſſe iuſſa. Verùm ſegnius ea cõueniebat, mãdata lenis, ne dicã lẽti regis paruipendẽs: ſolutaq; diſciplina militari, partim tardius domo ſeſe expediebat, partim in uicinis ſacerdotũ poſſeſsionib. immorabatur, nõ modò cõſumens repoſita, uerùm etiã domo aſportãs, ita ut nõ minus incommodi à ſuis, quàm ab hoſtibus acciperetur. Expectabat rex Opatouecij,

Vngari ſubmõtana Poloniæ populantur.

Smigrodum captum.

Oppida ſubmontana incenſa.

Croſna.

Comitia Viſliciæ.

Bellicæ expeditionis ratio. Homicidij pœna aucta.

Stephani Moldaui uictoria de Tranſalpinis parta.

Auxilia Valachis à rege Polonis miſſa.

Polonæ nobilitatis licentia.

touecij, cunctantes'que crebris nuncijs dimissis frustra conuocabat. Interim Poloni & Vngari proceres internuncijs ultro citro'que missis, conuentum inter se de componenda pace instituerunt. Disceptatum ali- quandiu de loco, eo quòd neutri sese alteris credebant: & Mathiæ fides non modò nostris, sed ipsis etiam Vngaris suspecta erat: quippe qui ali- quot ductores ordinum in suo exercitu, & Osualdum Zagrabiensem e- piscopum, unũ de pacificatoribus, per eos dies Liuocię siue Liblij, quasi impẽsius fauẽtes Polonis, cæpisset. Ad extremũ, cum Vngari ex antiqua uilla, Poloni è Sramouice cõueniissent, uicesima prima die Februarij pacẽ fecere his conditionibus, ut munitiones interceptæ & captiui utrinque redderentur, damnorum datorum neutrobi mẽtio fieret: Vngaro cum Polono & Boemo, ut triennes inducię essent: quas si quis regum uiolare uellet, subditi eius ne ei dicto audientes essent: aliorũ uerò quisquis eiusmodi quicquã tentaret, ab omnibus pro hoste & perduelli haberetur, nihilo tamen minus firmæ essent inducię. Hoc uerò facilior fuit Mathias ad æquas cõditiones, quòd Trãyluanienses à se alienatos, Cazimiro sese dedere uelle acceperat. Et misẽre ij quidẽ ad eum legationem, se suaq; dedentes, & pecuniam, equos, ac milites contra tyrannum pollicentes: sed tunc demum ea aduenit, cum regi de pace confecta renunciatum est. Quocirca infectis rebus mœrens ea discessit. Ad hæc Mahometes Turcarum imperator cum ualido exercitu Bosnam inuaserat, & Iaize arcem acerrimè oppugnabat. Sed repulsus cum ignominia, demersis in profluente bombardis, abscessit, de aduentu Mathiæ factus certior. His tunc de causis Mathias cum Polonis & Boemis pacem siue inducias accelerauit. Quæ tamen firmæ ac diuturnæ non fuerunt. Nihilominus enim hostilem aduersus utrunque regem animum retinuit. Et in Cazimirum quidem Tungenum episcopum atque Prussos ac Silesios incitauit: in Vuladislaum uerò quosdam subornasse creditus est, qui eum ueneno extinguerent. deprehensum uenenum, confessi fontes cum quęstionibus subiecti essent, & capitali pœna affecti. Et Morauos autem, quorum pars magna cum Vuladislao sentiebat, infestare & subigere non intermisit. Sed hęc paulo pòst animaduersa: tunc autem pace facta, Polona quidem nobilitas dilapsa est, de sacerdotũ & monachorum, atq; adeò regiorũ quoque & suorum colonorũ gallinis, anseribus & gregibus triumphãs: & expugnatis euersisq; magna uirtute eorum cellis & horreis, præclaras manubias & opima spolia ferens. Vngarus uerò rex nihilo magis quiescebat cum ijs copijs, quas habebat: sed Petrum Comorouium, locupletem in primis hominem, qui Cazimirum regis Poloni filium receptauerat, ulcisci instituit: nullo'q; negocio septem arces eius, in Vngaria quidem sitas, uerùm Poloniæ & Silesiæ finitimas, ex inopinato adortus, in potestatem suam redegit, ultrò dedẽte eas ipso Comorouio, & in Poloniam excedente cum omni familia, acceptis à Mathia octo millibus florenorum: erant enim eæ uacuæ defensoribus. Ita Comorouius quàm facilè bona illa in Vngaria quæsiuerat, tam facilè rursus amisit. In Silesiam uerò duo millia cum Ioanne Bielico Silesio misit in auxiliũ Venceslao

Mathiæ regis tyrannis, & suspecta fides.

Inducię inter Vngaros et Polonos ac Boemos.

Transyluanienses ad Cazimirum deficiẽtes non susceptι.

Turcæ ab obsidione Iaize repulsi.

Mathiæ regis doli.

Petrus Comorouius septem arcibus à Mathia rege spoliatus.

Silesij duces commissi.

ceslao duci Ribnicensium, qui ab Henrico Georgij Podiebradij filio duce Cozlensium bello uexabatur. Ac recesit quidem Henricus ab obsidione Plesnæ, siue Pelcinæ, Vngarico exercitu aduentante: cæterùm Venceslaus quoque, cum non fideret Vngaro, portas oppidi copijs eius clausit, & Osuencimum ad Iacobum Dembenium palatinum Sendomiriensem & præfectum Cracouiensem, qui ibi erat cum præsidio, perfugit. Bielicus iritatus facto Venceslai, Pelcinam oppugnare adortus, per deditionem eam accepit, ea lege, ut liceret Venceslao ad Mathiam adire, & admissi ueniam petere. Excurrerãt autem ex eo exercitu trecenti milites in territorium Osuencimẽse populabundi, qui à Polonis profligati sunt. Per id tempus uenêre ad Cazimirum duo legati Veneti, alter ad Persas, alter ad Moschos transitum petentes. Non grauatè concessus est. Ab Husancassano uerò Persarũ rege Catharinus Zenus, & ipse Venetus, triennio apud eum legatione functus, affuit, incitans regem ad bellum contra Mahometem Turcam suscipiendum. Atque id quidem publicè, secretò uerò filiam Husancassani natu maiorem, è Catharina filia Imperatoris Trapezuntij susceptam, uni alicui de Cazimiri filijs uxorem deferebat, dotalem'que Græciam cum Constantinopoli promittebat, ipsius Husancassani armis uindicandam, & cum filia uxore simul tradendam. Contra Vngarum quoq; copias & impendia belli pollicebatur. Sed uana & leuis ea legatio uisa est: neque aliud quicquam ei responsum est, quàm, regem per suos legatos Husancassano responsurum esse. Exarsit mox aliud bellum in maiore Polonia, subornante, ut creditum est, Mathia excitatum. Ioannes enim Zeganensium dux & natura amẽs, & post interfectum fratrem Henricum furijs exagitatus, Zeganensem quidem dominatum Misnensibus marchionibus uendidit, alieni uerò appetens, collectis quatuor millibus militum è promiscua opificum & agrestium colluuie, transmisso Odra fluuio, ad Vuschouam, quam Freistadiã Germani uocant, duxit, bonæ spei plenus, propterea quòd & bombardas à Vuratislauiensibus iussu Mathiæ regis commodatas habebat: & prodítionem in oppido instruxerat. Ac incensum quidẽ est sub eius aduentum duodecim locis oppidum: sed oppidanorum uirtute ac diligẽtia strenuè defensum, restinctaq; incendia. Quo facto, Zeganensis dux omisso oppido, in quo capiendo euẽtus spei eius nõ responderat, totum territorium frequentibus & bene ędificatis uillis atq; pagis cultum percursans, ferro & igni uastauit. Deinde castris à Glogouia non longè positis, prædas agebat è uicinis oris Poloniæ. Neq; quisquam Polonorum inhibere hostiles illas excursiones satagebat, ne priuata quidem sua calamitate iritatus, aut periculo excitus. Ita torpor & ueternus quidam omnes occuparat. Vnus omnium Petrus Gunicius gente Prussus, maiore animo quàm cõsilio, cùm triginta modò familiaribus in trecentos pabulatores impetum fecit: fusosq; & fugatos cum improuidè ad castra usq; persecutus esset, coortis undiq; hostibus conclusus in medio, & oppressus, uti forti & generoso uiro dignum erat, non inultus tamen, cum omnibus suis socijs cecidit. Coadunauerant quidem Lucas Gorcanus Posnaniẽsis, & Stanislaus

Ostrorogius

Pelcina in Mathiæ potestatẽ redacta.

Latrunculi Vngarici à Polonis profligati.

Legatio Venetorum ad Persas et Moschos.

Persica legatio ad regem Polonorum.

Husancassani promissa.

Zeganènsium dux Ioannes bellum infert Polonis.

Vuschoua incẽsa ac defensa.

Petrus Gunicius uir fortis.

Ostrorogius Calisiensis palatini, & Mathias Mosinius præfectus maioris Poloniæ, duodecim millia hominum de maioribus Polonis: sed inertes apud Costenum & Vuschouam desidebãt, fumantes quoquouersus pagos inspectantes, & ploratus ululatusq; captiuorum tantum non exaudientes. Nec modò non ibat obuiam hostibus tanta illa multitudo, uerùm etiã hostilia & atrociora propemodum quàm hostes ipsi in suos patrabat. Nam & direptionibus sacrorum iuxtà & prophanorum, pulsationibus agrestium, incendijs, uirginum & nuptarum stupris, deniq; nullo scelere sese abstinebat. Quo factum est, ut sexcenti pagi in Polonia tunc exurerentur. Supramemoratorum tamen procerum possessionib. hostes pepercerunt: indeq; orta suspicio, aliquid eos commune cum illis clàm habuisse. Nullus autem fuisset hostilium illarum excursionum modus neq; finis, nisi dux Zeganensis in oppugnatione Copaniciæ, dum temerè sese incendio munitionis miscet, ambustus & semianimis sublatus esset: unde postea neq; ualetudinem, neq; uigorem animi recuperare potuit. Eo demùm casu ducis sui exercitus ille cõsternatus, dilapsus est. erat eo tempore Cazimirus rex Toruniæ, componendis rebus Prussicis intentus. Nicolaus enim Tungenus, fauentibus & incitantibus, & clàm adiuuantibus Prussis cùm alijs, tum consulibus Gnadensibus, quibus permolestum erat, Polonum sibi præfici episcopum, cum pleraſquè alias episcopales munitiones obtineret, reliquas quoque, nempe Elsbergam & Seburgum per dolũ in potestatem suam redegerat: nihil moratus promissa sua de expectando iudicio pontificis max. cuius etiam diras appellationibus & alijs artibus homo uafer eludebat: nec se sistebat, à rege euocatus, neq; dimittebat exercitũ. Sed priusq; operęprecij quicquam faceret rex in Prussia, in Poloniam sese recipere coactus est, cùm propter pestem Toruniæ & in omni ea ora inualescentem, tum ut Silesiorum uim reprimeret. Quamobrem ad medium mensis Iunij Petricouię comitia habuit. Affuerunt ibi oratores Vuladislai Boemorum regis, Polonorum opem contra Vngarum, Morauiam & Silesiam infestare non cessantem, implorantes. Itaq; missa sunt filio à rege uigintiquatuor millia aureorum in subsidium belli. Contra Silesios uerò, qui & Poloniam subinde uexabant, & plericq; à Vuladislao alieni, Mathiæ partes sequebantur, eiq; post creatum à Boemis regem Vuladislaum, Vuratislauiensib. authoribus nouo sacramento sese obstrinxerant: placuit rem geri totius regni expeditione, iussæq; omnes copiæ ad medium Augusti mensis apud Mestouiam conuenire. Instituta etiam tunc est noua satrapia siue palatinatus in tractu Lublinensi, qui ad eam diem nullus fuerat, detracta parte de Sendomirienſi, cuius iurisdictio amplior esse uisa est, quàm ut eius moles commodè ab uno palatino sustineri posset. Rex conuentu soluto Corcinum diuertit, ad bellũ sese apparaturus. Interim ei nunciatur, Podoliam atq; Russiam à Tartaris duce Aidoro Ecigeris filio populabundis peti. Nihil tamen rerum utilium prouidit, ac ne præmonuit quidem Podolios, ut sibi prospicerent. Itaq; factum est, ut à septem ferè millibus Tartarorum, & eorum quidem malè armatorum, omnis circum

Costenum oppidum.

Zeganensis dux ambustus.
Copanicia arx.

Tungeni episcopi conatus.

Comitia Petricouiæ.
Boemica legatio.

Silesij in Mathiam propensi.
Bellum Silesicum.

Mestouia opp.
Lublinensis palatinatus instituitur.

Tartari Podoliam & Russiã depopulantur.

Cameneciam, Haliciam, Glinianos, Dunaiouiam, Gologoros, & Sbaraſſum tractus, cẽtum ferè milliarium longitudine, latitudine uerò triginta, cædibus & incendijs miſerabiliter, nemine reſiſtente, uaſtaretur: plurimi mortales ſegetibus demetendis uacantes opprimerentur, & in barbaram ſeruitutem pecudum in morem abigerẽtur: Lituinouia munitio exureretur: Sbaraſsum arx expugnaretur: in qua dux Iuanus, ſiue Ioannes incendio periit: uxor uerò eius capta, & in ſeruitutem abducta eſt, & unus de tribus filijs, natu minimus. Dunaiouiã oppidum ſuum, Gregorius archiepiſcopus Leopolienſis ſtrenuè tutatus eſt. Pomorzanos uerò Suinca uir generoſi animi cum ſex modò ſocijs defendit. Diſcedentes barbaros cum ingenti præda ferè centum millium hominum, inſecuti quidem ſunt noſtri facta tumultuaria manu: ſed nihil aliud perfecerunt, quàm ut Tartari trucidatis plurimis captiuis, qui per ætatem aut ualetudinem ſequi feſtinantes non poterant, miſerabilius ſpectaculum inſequentibus exhiberent. Habebant quidem dux Zartoriſcius, & Martinus Gaſtoudus præfectus ſiue palatinus Kiouienſis, non contemnendas Lituanorum copias: uerùm eæ Polonis non expectatis, dilapſæ ſunt. iactatum'que uulgò eſt, Tartaros à Lituanis proceribus, miſſo ad eos cum muneribus Glincio duce, excitos fuiſſe, id'que etiam ipſum Tartarorum principem aſſeueraſſe, affirmantem iniuſſu ſuo id factum eſſe. Et comiter autem ipſos acceptos eſſe à Lituanis, cum ſe per eorum fines præda onuſti domum reciperent. Rex ad Sileſicum bellum intentus, ad conſtitutum tempus apud Meſtouiam affuit: ſed copias tardius conuenientes, totas ſex ſeptimanas expectauit, ita ut commodum belli gerendi tempus præterlaberetur, & fruges oræ illius direptæ abſumerentur, ac ne incendijs quidem domeſticis parceretur. Ita tunc ſoluta atque adeò profligata erat omnis diſciplina militaris. Fuit autem & illa moræ cauſa, quòd nobilitas Cracouienſis oræ Stanislao, Nicolao, & Ioanne Tencinijs fratribus, Ioanne Rabſtinio, & Spitcone Melſtinio ducibus, negabat ſe ad externã militiam eſſe profecturam, niſi ſibi præſcriptum legibus ſtipendium numeraretur: quorum pertinacia ægrè uicta, ſexta demùm & uiceſima die Septembr. rex caſtra mouit, aucto etiam exercitu Tartaris & Lituanis, ita ut ad ſexaginta millia armatorum in eo eſſe crederentur. Ingreſſus Oppolienſem tractum, Cruciborgum & Bycinam oppida cæpit, præſidijs'que firmauit, agros populationibus quoquouerſus permiſsis diuexauit: tranſmiſſo'que apud Chrapouice Odra, uadabili tunc propter ſiccitatem, omiſſa Oppoliæ oppugnatione, Vuratislauiam contendit, ubi à Mathia expectari ſe acceperat: Bregum & Olauiam obiter in poteſtatem ſuam redegit. Occurrerunt autem ei oratores Vngari atq; Boemi, inducias poſtulantes: uerùm in congreſſum Vuladislai filij res dilata eſt. Herneſti quoque Marchionis Miſnenſium legati de pace inter reges tractantes, pertentato prius Vngari animo, affuere. Nec abhorrebat à pace Cazimirus: ſed Mathias ad omnem rei bene gerendæ occaſionem attentus, pacis conſilia turbauit. Apud Olauiam Polonus caſtra habebat, quarto à Vuratis-

Lituinouia exuſta. *Sbaraſſum captum.* *Dunaiouia.* *Pomorzani.* *Suinca.* *Tartari à Lituanis contra Polonos excita.* *Polonorum diſciplina militaris ſoluta.* *Nobilitatis Polonicæ contentio.* *Mathiæ regis legatio ad Cazimirum.* *Miſnenſium Marchionis legatio.*

ratislauia milliario: nec ignorabat Mathias eũ cùm aliàs minus cautum esse, tum spe pacis componendę securius ac remissius agere. Sub noctem igitur equitatum & peditatum omnem emittit Vuratislauia, ut Polonum pabulationi intentum adoriretur. Et arridere quidem ei prima facie fortuna uisa est. Cum enim tota nocte exercitus ille ambulasset, orientę solę apud Suanouice pagũ pabulatores Polonos nullo ordine discurrentes partitis copijs excepit, & facilè in fugam uertit. accurrunt Tartari è propinquo: quibus uisis, redit & fugientibus uirtus in præcordia: instauratur prælium. Rex Polonus re cognita (haud longè enim à castris hæc gerebantur) summittit suis auxilio comitatum suum aulicum cum Paulo Iasenio thesaurario: ipse cum reliquo exercitu subsequi festinat. hostes ubi aspexêre uires Polonorum augeri, retrocedere ad suos in insidijs latitantes incipiunt: sed illi quoque fuga suorum consternati, fugæ & ipsi mandarunt præsidium: nec prius constitêre, quàm Vuratislauiam peruenêre. Debellatum tunc fuisset proculdubio, nisi Ioannes Rituianius castellanus Sendomirienſis & Marsalcus regni, ductor que uniuersi exercitus Polonici nostros in hostium tergis hęrentes, prępropere è siue insidiarum metu, siue inscitia & imperitia rei militaris, reuocasset. Quin & ab hoste corruptum eum fuisse iactatum est, uere ne an falso, non liquet: nisi quòd in re utrinq; tam inopinata non uidetur locus fuisse corruptioni. Ceciderunt autem in eo conflictu de hostium exercitu mille: capti præter gregarios milites sexaginta nobiliores, in quibus fuere Vilelmus Perstenius Boemus, Petrus Huguicius Silesius, & Paulus Caruatus Vngarus. Post hoc prælium ad duodecimum diem Octobr. commissum, oratores Misnenses non diu commorati in castris Polonicis, quòd intempestiuum esse putarent de pace tunc agere, rebus infectis discesserunt: illud solum à Cazimiro impetrarunt, ne is Zeganense territorium infestari à suis pateretur. Quarta demùm & uicesima die Octobris Vuladislaus rex Boemorum aduenit: uiginti millia pugnatorum habebat is in exercitu, maxima ex parte peditum. Salutatione & gratulatione mutua inter reges & consanguineos exercitus peracta, ad Vuratislauiam itum est: & inconspectu urbis ambo exercitus fixis tentorijs conjunctisq; castris assedere. Communierat autem & Mathias castra sua ad urbem apud monasterium sancti Vincentij, ut è re nata posset consilium capere. Inde tacitus speculabatur, quid reges incœptarent, cum suspirijs & uulsione capillorum dictitans, facilè se totum orbem terrarum imperio suo subiugaturum esse, si tantas talesq; haberet copias, quantas & quales contra se hostes sui adduxissent. Cæterùm ij desides & inertes tempus terere, & nihil in medium consulere. Suadebant quidem nonnulli, ut reges alueum fluminis, aqua paucorum dierum labore alio deriuata, siccarent, traductaq; parte copiarum undiq; urbem obsidione cingerent. Sed & hoc, & omnia salubria consilia in irritum cadebant unius cuiuspiam consiliarij, à Mathia, ut creditum est, corrupti studio & opera, in cuius consilijs maximè reges acquiescebant, cum ipsi consilio iudi-

Mathiæ regis exercitus fusus fugatusq;.

Ioannes Rituianius dux copiarum Poloni carum.

Boemorũ exercitus.

Mathiæ generosus animus.

Regũ inertia.

cio' que non multum ualerent: atque is qui' nam fuerit, Dlugoſſus nō memorat. Agri modò & pagi uaſtabantur, diſcurſantibus quoquouerſus Polonis Boemis' que ſine certo duce ac ordine. Cum' que in eodem loco diutius caſtra eſſent, & uillæ ac moletrinæ circumquaq; improbè exurerentur, duplex malum exercitum inuaſit, peſtis, & frumenti penuria. Subuehebantur quidem è Boemia panis & cereuiſia, ſed permagno ueniebant. Nec tamen ueniebat in mētem Polonis, Velunia frumentum petere, cuius ibi permagnam uim paratam habebant: aut ſi ueniebat, nemo erat, qui eam curam ſuſciperet, cum omnes uie calles' q; à Polonis, qui in Vngari exercitu ſtipendia contra regem & populares ſuos faciebant, inſiderentur: à quibus permulti de Polonico & Boemico exercitu pabulatum aut frumentatum temerè procurrentes excipiebantur, ita ut plenæ eſſent captiuorum turres & ergaſtula Vuratiſlauienſia. Creuerat autem illa Polonorum licentia, & contemptus imperij regij atque magiſtratuum, ex quo ſe cum Boemis coniunxerunt. Antè enim aliquid tamen diſciplinæ ſupererat, cum tres homines equeſtris ordinis, ob raptam è templo cum uaſe argenteo ſacroſanctam euchariſtiam, iuſſu regio, inſpectante uniuerſo exercitu, cremati ſunt. Sed id quoque iam deprauantibus noſtros Boemis, pro piaculo haberi deſierat. Quanquam autem ceſſabant humana iudicia, diuinitùs tamen haud impunita manſere tam barbara & abominanda ſacrilegia. Exortum enim fortuitu incendium non exiguam caſtrorum partem abſumpſit, nequicquam ſatagente & opem ferente tanto exercitu. Quo quidem incendio plurimi mortales, & equi, & quingenti curſus hauſti ſunt: reperta' que ſunt in ſemiuſtulatis curribus fercula ſiue uaſcula ſanctiſsimorum religionis Chriſtianæ myſteriorum. Mathias ubi animaduertit tantum illum Polonorum & Boemorum cum ſuis regibus torporem & inſcitiam, deſpicere eos, quos initiò plurimum reformidarat, cœpit: miſsis' que in Poloniam expeditioribus copijs, cum quibus Oppolienſis quoq; & Cozuchouienſis duces ſuas coniunxerunt, Siradienſem oram omnem, & maiorem Poloniam infeſtauit, & uehementer afflixit, nemine repugnante. Agreſtes quidem apud Boleslaueciam opponere ſeſe uenienti hoſti auſi, paruo negocio fuſi ac diſſipati ſunt. Apud Clobuſcum tamen, qui eò excurrerant ex Oppolienſi ditione, ab agreſtibus & oppidanis profligati ſunt. Arx Medirecia excurſione illa in hoſtium poteſtatem uenit, dedente eam Sendiuoio Zidouio burgrabio, nulla neceſsitate ad id adacto. Ob quod facinus is poſt finitum bellum patrimonio multatus eſt à rege. Hæc cum ita fierent, & peſtis fames' que in caſtris Polonorum & Boemorum ingraueſceret, & ineptum bello gerendo tempus hybernum urgeret, de pace inter reges agi cœptum eſt. Congreſsi bis in patenti campo tres reges, uiceſimaprima demùm die Nouembris, nihil aliud inter ſe conſtituêre, quàm ut delecti ab unoquoque conſiliarij quaterni Vuratiſlauiæ conuenirent. Quod cum factum eſſet, re inter delectos agitata, pax quidem

Sacrilegi puniti.

Caſtrorum Polon. & Boem. incendium.

Polonia diuexata Mathiæ copijs.

Oppoliēſes fuſi apud Clobuſcum.

Medirecia arx in Mathiæ poteſtatem redacta.

Sendiuoius Zidouius bonis multatus.

Conuentus regum.

quidem perpetua non conuenit. Quæ satis æquis conditionibus conuenire potuisset, nisi Elizabethæ reginæ Poloniæ fastus, & pertinax odium obstitisset. Nam ea Mathiam affinitate bellum finire cupientem, quòd neq; regio, neq; ducali genere ortus esset, generum aspernabatur: & quòd patrui sui fratrisq; inimicus fuisset, auersabatur, ita ut nullis persuasionibus de sentẽtia dimoueri posset: & indulgebat ei plusculum Cazimirus. Cæterùm inducię triginta mensium constitutæ inter reges: captiui & munitiones intercepte, utrinq; redditæ. Nicolaũ quoq; Tungenum Mathias in eo fœdere cũ sua causa coniunxit. Finito bello Cazimirus Vuladislaũ filium dimisit: ipse per Posnaniam iter faciens Lencici am profectus, Ludouici Bauarorũ ducis oratores, quorũ princeps erat Henricus Ratisponẽsis episcopus, Velunia acciuit. Ibi enim aliquandiu, quoad ipse ex Silesia rediret, expectare eos iusserat. Petebant ij Georgio ducis sui filio Heduigim filiam Cazimiri in matrimonium. Nec abnuit generũ Cazimirus: sed Radomiæ demùm, quò rex ad natalẽ Christi diem festinabat, res confecta est. Mathias uerò dimissis ad Christianos principes & Põtific. max. literis, solita uanitate de Polonis & Boemis triumphauit: ac delere se funditùs maximos exercitus potuisse iactauit, nisi Christianus Christianorum misertus esset. In Vuratislauienses uerò & nonnullos Silesiorum duces maiore licentia mox debacchatus est. Indulsit enim militibus, ut non modò ex agris sociorum liberè prædas agerent, uerùm etiam in Vuratislauiensium facultates grassarẽtur, uxoresq; & liberos eorum secum abducerent. Gliuicensium uerò ducem captum in custodia habuit, ac ditionis parte multauit: itemq; Venceslaum Ribnicensem. Inuasit & Olesnicensem dominatum: idemq; Cessinensi fecisset, nisi Præmislus dux consilio eius maturè explorato, Polonorum præsidio sese prẽmunisset. Neq; uerò induciarũ tenax fuit. Statim enim Firsteisteinũ munitionem in Silesia oppugnare adortus: uerùm inde ab aulico Vuladislai comitatu fœdè repulsus est. In Morauia uerò tres munitiones, redemptis auro defensoribus earum, in potestatem suam redegit. Sub finem eius anni Nicolaus Blazeouius Silesius episcopus Præmisliensis, cum illi ecclesiæ tribus & uiginti annis præfuisset, sacris eo die operatus, quòd se languere sentiret, in lectum se composuit, & obdormiuit in CHRISTO. Cui cum collegium sacerdotum eius ecclesiæ legitimè institutis comitijs successorem dare uellet, à rege per Spitconem Iaroslauium palatinum Leopoliensem uetitum est: fuitq; sine episcopo ciuitas illa fermè tres annos, donec Andreæ Opporouio Varmiensi episcopo, rege petente, commendata est à Pontifice, ut inde se tamen ille sustentaret, qui Varmiensi episcopa potiri per Nicolaum Tungenum non potuit. Per idem tempus Mahometes Turcarum imperator, cum Radulonem palatinum Transalpinæ Moldauiæ, quem contra Stephanum Moldauum adiuuerat, pulsumq; restituerat, in fidem suam accepisset, tributariumq; fecisset, missis in Moldauiam ingentibus copijs, Stephanum quoque subigere adortus est, nihil

Elizabetha rẽ gina filiam suã Mathiæ nuptui dare noluit.

Cazimiri erga uxorem indulgentia.

Inducię.

Bauarorum ducis Ludouici legatio ad Cazimirum.

Mathiæ regis uanitas.

Mathiæ acerbitas.

Gliuicensis & Ribnicensis duces capti & multati à Mathia.

Mathias inducias uiolauit.

Firsteisteinum.

Præmisliensis episcopæ uacatio.

Transpalpina in potestatem Turcarum uenit.

Valachia uastata à Turcis.

1471 anni. moratus hyemis asperitatem. Verùm is exercitus anni sequẽtis initio ad sedecimum Calendas Februarij à Stephano palatino, qui uix quadraginta, uel ut alij uolunt, triginta millia habebat ex omni suorum hominum, agrestium ferè, Transyluanienſium item, atq; Cæculorum, quos paulò antè ui & armis ab Vngarorum regno auerterat: multitudine coacta, insigni & omni æuo memorabili clade apud Barladum amnem & Racoueciam paludem profligatus est. Centum uiginta millia in eo exercitu fuisse dicuntur. Nec prius fugam stitere Turcæ, quàm Danubium transmiserunt, persequentibus fugientes Valachis, & usque ad lassitudinem trucidantibus, uel in paludem ac Danubium impellentibus. Itaque ex tanto numero pauci euasere. Quin & ij, qui uiui in potestatem hostium uenerant, Stephano iubente omnes, præter paucos insigniores, interfecti sunt. Bassæ quatuor in eo prælio desiderati, signa militaria capta centum & amplius. Nec tamen Valacho incruenta cessit uictoria: quippe cuius acies multitudine hostium prægrauata inclinare iam cœperat, nisi ipse inter primos animose pugnans pugnam restituisset. Permagnum autem cùm ad uictoriam, tum ad maiorem hostium stragem momentum ipsi attulit, quòd omnem circumcirca regionem longè latéq; in primo Turcarum ingressu ipse exussserat. Hinc enim factum est, ut in magna commeatus & pabuli penuria, Turcę iuxtà ac equi ipsorum debilitarentur. Moderatè autem Stephanus illa sua fortuna usus est, soli Deo uictoriam acceptam referens, ac toto quadriduo deinceps, omni præter panem & aquam cibo abstinens. Ad Cazimirum deinde in Lituaniam, quò is post initium anni sese receperat, nuncios cum quatuor primoribus captiuis, sex & triginta militaribus signis, & parte manubiarum misit: & quoniam facilè intelligebat, non esse quieturum Mahometem, petiuit ut rex cum exercitu in Russiam propius accederet, uel solo nominis sui terrore Turcam repressurus, & iusiurandum fidelitatis eousque dilatum à se acceptũrus. Plurimos autem agrestium Stephanus fortitudinis ergò in equestrem ordinem transtulit. Ad Mahometem quoque ipsum legationem cum donis misit questum, ditiones suas à latrunculis ex Turcia profectis infestatas esse, eam'que manum à se profligatam, meritas pœnas sibi dedisse: petitum'que, ut reliquos ex eo numero, qui euasissent, ad supplicium sibi Mahometes dederet: quandoquidem credibile esset, iniussu eius factum esse, quicquid factum esset. Quin & Pontifici maximo, & Vngarorum regi dona misit de manubijs, opem eorum contra tam potentem & communem Christiani nominis hostem implorans. Adnixus est tamen Mathias gloriam illius uictoriæ in se transferre, dimissis quoquouersus literis, quibus iactabat à præfecto suo Stephano palatino Turcas profligatos esse: nec multo antè tamen ipse non contemnendam cladem ab illo ipso præfecto, quemadmodum uideri uolebat, suo acceperat, cum sex millia Vngarorum Maierbalasso duce ad uastandam Valachiam misisset: ita nihil pudebat hominem

Stephani Valachiæ uictoria de Turcis.

Cæculi à Stephano subacti.

Stephani moderatio animi.

Stephani Valachi legatio ad Mahometem Turcam.

Mathiæ uanitas & iactantia.

Vngari à Stephano profligati.

uanitatis

uanitatis suæ. Nec ita multo pòst, aduenit ad Cazimirum Isaacus Trapezuntius, Husancassani legatus, ad susciendum contra Mahometem bellum, regem cohortans: inde cum benigno respõso dimissus, ad cæteros principes Christianos eadem de re acturus profectus est. Nec intermisit Stephanus, nunciis aliis post alios ad regem missis, auxilia petere contra Mahometem, quem Adrianopoli ingentem belli apparatum facere, ab exploratoribus didicerat. Et suadebant quidem Lituani, ut rex tam insigne Poloniæ & Lituaniæ contra Turcas propugnaculum, Valachiã, summa ope defenderet potius, quàm ea amissa, seu uerius prodita, de reliquo suo dominatu dimicaret: nihil tamen id regem mouebat: nihil ne Polonici quidem senatus preces atque monita idem suadentis, cum ad quintam diem Iunij Lublinum ad eum non infrequens conuenisset, & quindecim diebus ea de re consultasset: ubi Derslaus Rithuianius palatinus Cracouiensis, & Ioannes Rithuianius castellanus Sendomiriensis, & Marsalcus regni, approbantibus cæteris, grauiter in regem inuecti sunt, quòd per ipsius, patrisq; & fratris eius desidiam, negligentiam & conniuentiam, Polonorum regnum, quod ipsi florentissimum accepissent, nõ modò ab hostibus, uerùm etiam ab ingratis socijs, & male fœderatis Lituanis, quos ipsi in potestate haberent, miserabiliter afflictum & accisum esset. Nihil tamẽ aliud ijs clamoribus & hortationibus tunc effectum est, quàm ut mitteretur ad Mahometem orator Martinus Vurocimouicius, dapifer Cracouiensis, postulatum & monitum pro uetere amicitia, quæ inter Polonorũ ac Turcarum reges constaret, ne ille Valachiæ, quæ in ditione regis Poloni esset, bellum facere pergeret. Aliter, coactum iri Cazimirum bellum suis illatum summa ui propulsare, qui nunquam quorumuis principum precibus & cohortationibus adduci se passus esset, ut Turcas bello lacesseret. Si quid Stephanus in Mahometem peccasse uideretur, communium consiliariorum arbitrio causam cognosci oportere: nec defuturum esse Cazimirum, quin subditum dominus ad satisfaciendum læso adigeret. Cum his mandatis & munere,ueste uidelicet sabellina, cuius oram margaritæ exornabant, missus Vurocimouicius, & uarijs impedimentis usus in itinere, uix intra uertentem annum ad Mahometem peruenit. Interea uerò Mahometes septuaginta nauium classe in Tauricam Chersonesum missa, Tartaris uerò cum equestribus copijs præstò esse iussis, Capham siue Caphatam urbem maritimam munitissimam, Genuensium ditionis, celeberrimo emporio nobilem, terra mariq; obsedit: & quamuis reiecti essent ab oppidanis Tartari, tamen intra sextum diem in potestatem suam redegit, proditione primorum ciuium Italorum totis quinque annis instructa. Capta urbe, nobilitas cum uxoribus & liberis, ipsisq; proditoribus, & Mengligere Tauricanorũ Tartarorum principe, ac duobus fratribus eius, qui siue fortuito eò tunc uenerant, siue seruandi sui causa ex agro in urbem se receperant, Constantinopolim translata. plebs dimidia parte facultatum multata, in suis sedibus aliquandiu relicta est: postea tamen & ipsa in seruitutem abacta. Valachi merea-

Persica legatio ad regem Polon.

Consilium Lituanorum & Polonorum

Rithuanij in regem inuecti.

Cazimiri legatio ad Mahometem Turcarum Imp.

Capha à Turcis capta.

Tartarorum Tauricanorũ princeps captus cum fratribus.

mercatores, legati, & exploratores centum ſexaginta, omnes trucidati. Vna tamen nauis, quæ centum quinquaginta ephebos Caphenſium formoſiſsimos, contumeliæ & libidini barbari tyranni deſtinatos, & luculentam ſupellectilem ex præda coactam ferebat, præfecti, qui Græcus erat, opera à cæteris ſegregata, ac Turcis uigintiquatuor, qui præſidij cauſa in ea fuere, partim per ſpeciem aquandi emiſsis, partim interfectis, Kiliam appulſa, in Stephani poteſtatem dedentibus remigibus, uenit. Capha & arcibus caſtellis que circumiacentibus potitus Turcicus exercitus, ad Moncaſtrum ſiue Bialogrodum nauigauit, eam que urbem ad oſtia Tyre ſiue Neſtri fluuij in pontum Euxinum ſeſe exonerantis ſitam, adiuuantibus à terra Tartaris, expugnauit, ut uult Bernardus Vapouius: quam non multo poſt Turcis ac Tartaris diſcedentibus, Stephanus recuperauit. Tametſi Dlugoſſus, cuius ætate hæc acta ſunt, imminere tantum ei urbi tunc Turcas cœpiſſe, memoriæ prodidit. Stephanus quidem palatinus per omne id tempus, quamuis haberet exercitum, tamen imparem ſe eſſe hoſtium uiribus ſentiens, in montium & ſyluarum latebris ſeſe continuit: munitiones uero, quo diſtineret hoſtem, præſidijs firmauit. Hæc cum celeri nuncio ſcribę cuiuſdam regij, qui ad Mengligerem Tartarum alligatus erat, in Poloniam perlata eſſent, pauor ingens & trepidatio mentes hominum inuaſit, non ſecus ac ſi ipſa iam Podolia & Ruſsia uaſtaretur. Conſultatum que eſt aliquandiu de bello Turcico in comitijs Corcini, ad initium Iulij menſis inſtitutis. Verum omnia prius experiri, quàm arma ſumere, ac tam potentem hoſtem lacceſſere, & reditum Vurocimouicij expectare placuit. Spes tamen auxiliorum Stephano per Stanislaum Vantropcam palatinum Belſenſem, & Andream Boriſſouium præpoſitum Lencicienſem & canonicum Cracouienſem legatos regios facta eſt, exactum que ab eo nouum fidelitatis atq; ſubiectionis iuramentum: id uero ea de cauſa potiſsimum, quòd Vngarus ultrò auxilia pollicens, pellicere eum ad ſe ſatagebat. Per eos dies cum ingens uis imbrium decidiſſet, tantum inundauit Viſtula, ut Cazimiriam & Stradomiam aqua operiret, & ad altaria templorum pertingeret, pontes abrumperet: hortis, agris, & pomarijs magnam calamitatem inueheret. Quod quidem eo portentoſius fuit, quòd toto ſuperiori triennio tanta fuerat ſiccitas, ut nō modò apud Ploſcum, ſed etiam apud Toruniam uadabilis eſſet pediti Viſtula. Pridie uero Calendas Aprilis eiuſdem anni centum domus Cracouiæ inter nouam & S. Nicolai portas nocturno incendio conflagrarant. Porrò Siradienſem & Lencicienſem oram atq; Maſouiam per idem tempus locuſtarum uis ingens ex Vngaria, Morauia & Sileſia profecta, peruagata, non modò ſegetes atq; prata, uerùm etiam arborum frondes depaſta eſt, continuatis ad ſeſquimilliarium in latitudinem, & alterum tantum in longitudinem examinibus, concurrētibus inter ſe nonnunquā, et ſolis aſpectum denſitate ſua terræ adimentibus. Vilis tamen eo anno fuit annona in Polonia. Cazimirus ſex ſeptimanis apud Corcinum de repub. conſultando exactis, quinq; cōſiliarios de primoribus utriuſq; ordinis, et quatuor ſecreta-

Bialogrodum ſiue Moncaſtrū expugnatum uel tentatum.

Polonorum pauor ob ſubactā à Turcis Beſſarabiam.

Comitia Corcini.

Legatio regis ad Valachum.

Stephanus Valachus iurat in uerba regis Polon.

Inundatio.

Cracouiæ incendium.

Locuſtæ.

secretarios canonicos Cracouienses misit in Scepusiũ, ad regundos fines cum Vngaris, & controuersias disceptandas ac dirimendas, quo fœdus antiquum inter Vngaros & Polonos per tempus inducíarum redintegraretur, atque adeò inducíæ quoq; ipsæ stabilirentur. Neq; enim satisfaciebat conditionibus earum, & pactis cõuentis superioris anni Mathias. Verùm Vngari Turcici belli excusatione usi, ad eum conuentum non uenêre. Et fecit quidem Mathias rex tunc expeditionem cum decem millibus mercenariorum militum contra eum hostem, extremam oram Vngariæ ingressum: sed tamen persequi eum longius ausus non est, ne à fronte pariter & à tergo impeteretur. Firmauerãt enim Turcæ munitionem, in citeriore ripa Saui excitatam, quinq; millium militum præsidio, unde liberius in Sirmiensem agrum possent excurrere. Eam igitur modò munitionem Vngarus non sine magna strage suorũ expugnauit, & mox in interiorem partẽ regni sui cum exercitu se recepit. Nec multo pòst reuersi Turcę, usq; ad Varadinum populabundi excurrerunt, oppidum id incenderunt: & omni illa latè patenti ora trans Tybiscũ ferro igníq; peruastata, ingentem cùm aliarum rerum, tum hominum prædam asportarunt & abegerunt. Sed ad nostra reuertamur. Dimisso igitur conuentu Corcinensi, legatisq; ad Scepusiensem conuentum iterum designatis, Cazimirus ad decimumoctauum Calend. Octob. Cracouiam egressus unà cum regina, Heduigim filiam natu maximã, quam Georgio Bauarorum duci Ludouici filio desponderat, Posnaniam deduxit: & adiunctis ei comitibus Calisiensi atq; Lencicienſi palatinis, & compluribus alijs claris & splendidis uiris atq; matronis, ad sponsum misit. Dos ei triginta duûm millium aureorum fuit, sed tunc promissa duntaxat, non etiam exoluta. Aduenienti non modò sponsus cum amicis, uerùm etiam Fridericus imperator cum nonnullis principibus electoribus, & mille equitum comitatu obuiam profectus est. Siradiæ deinde Cazimirus rex consiliariorum conuentum egit ad diem diuo Martino sacrum, ea potissimum de causa, ut sibi publicè subsidium in dotem filiarum (nam & Sophiam Alberto Friderici Marchionis Brandeburgensis filio despõderat) & apparatum nuptialem conferretur. Ac nõ est quidem negatum: sed reiectum ad arbitrium minorum Polonorum, qui nõ conuenerant: ne denuò quidem ad diem diuo Nicolao sacrum euocati, uenêre, non ignari quamobrem accerserentur. Ita nihil tunc perfectum est de subsidio. Rex quod reliquum erat anni, partim Pysdris, partim Coli commoratus, cum de Sochazouienſi arce & territorio cum Anna, quæ Vuladislai Masouiorum ducis defuncti uxor fuerat, transegisset, sub initium Februarij insequẽtis anni, cum non contemnendo procerum & mercenariorum militum comitatu eò contendit, arcemq; tradente Anna in potestatem suam redegit. Anteuerterant quidẽ eum Ioannes & Boleslaus duces Varsauienses, fauente pleraque omni nobilitate eius oræ, arcem occupaturi: sed eos archiepiscopi familia, quæ prior in arcem peruenerat, aditu prohibuit. Cum igitur cogitatum facinus eis non succesisset, orare regem instituerunt, ne se hæreditate sua defraudaret: sed nihil impetrarunt. Atq; ex eo

Vngarorũ expeditio in Turcas.

Turcæ Vngariã populãtur.

Heduigis Caziміri filia Georgio Bauarorũ duci nupta.

Conuentus consiliariorum Siradiæ.

Sochazouia in potestatem regis Poloni uenit. 1476 ann.

Masouij duces Sochazouia repulsi.

tempore Sochazouia in ditione regis permanet. Vngari uerò & Poloni proceres cum apud antiquam uillam cõgressi essent, inducias inter reges suos redintegrarunt, cum inter eos conuenisset, ut Mathias Cazimiro Smigrodum, episcopo autem Cracouiensi Mussinam redderet: episcopus uerò ne prædones ibi receptaret: Cum Valachorum palatino utercp rex duorum annorum inducias ut seruaret. Ad utrum autem regem Valachia pertineat, ut alio cõuentu inter proceres disceptaretur. Ad res deinde Prussicas rex animum intendit, permolestè ferens, Nicolaum Tungenum inuito se in Varmiensem episcopam inuasisse, & cum Vngaro ex professo sentire. Videbaturcp res ad rebellionẽ totius Prussiæ spectare, quòd & proceres nonnulli Prussi, & Gdanenses ciues, in primis Tungeno non obscurè fauebant: & uerò magister Cruciferorum cum eo fœdus icerat, & cum legatis Vngari secreta colloquia habuisse ferebatur. Itaque Cazimirus maturè Sochazouia profectus cum duobus millibus mercenariorum militum, Breste, Nessouiæ, Toruniécp nullo operæprecio tempus triuit, minoris Poloniæ proceres diutius expectans. Interea uenit ad eum Toruniã Vlricus magistri marsalcus & legatus, suspiciõe magistrũ purgans. Ipse deinde magister Hẽricus Richtẽbergius ad mediũ mensis Maij Marieburgũ, quò rex iam ad finẽ Aprilis uenerat, accessit: acceptus perhonorificè, prodeuntib. obuiã ac deducentibus duob. episcopis, aliquot palatinis, & omni aulico comitatu regio: factacp audientia, denuò se regi purgare instituit, & nouum iusiurandũ, si posceretur, obtulit: cõtra Tungenum consilio & auxilio se regi non defuturũ esse promisit. Sed tamen benignè dimissus à rege, quod promisit nõ præstitit, uarias moras & excusationes nectens. Gliscebat tunc Gdani seditio inter senatum atcp populũ: eam rex, missis illuc Iacobo archiepiscopo, & Ioanne Rithuiano marsalco, sedauit. Elbingæ deinde conuentũ Prussorũ contra Nicolaum Tungenum instituit. Sed infecere consilia eius Gdanẽses: & res Valachicæ & Podolicæ eum in Poloniam reuocabãt. Redierat enim à Mahomete Turcarum imperatore Martinus Vurocimouicius, renunciabatcp, in Bulgaria apud Varnam se eum cum ingentibus copijs in Valachiam contendentem reperisse: expositiscp mandatis regijs, responsum ab eo accepisse, illũ postulata regis facturũ fuisse, si ea apud Adrianopolim in procinctu, ac non iam in expeditione & itinere accepisset: Transalpinensium Tartarorumcp sibi uectigaliũ querelis & precibus excitum, bellum illud suscepisse, eis deesse non posse: daturũ tamẽ etiamtum pacẽ Valacho, si is tributum ipsi pẽderet, captiuos remitteret, Kiliã urbem ad ostia Danubij sitam (quæ nescio an Achillea sit integro uocaculo) Besserabibus restitueret. Quas conditiones cum Stephanus palatinus Valachiæ non acciperet, Mahometẽ nauibus transmisso, & ob dubiam fortunã belli quincp pontibus iuncto Danubio, Valachiæ infesta signa intulisse. Ab alia uerò parte Tartaros quoqp eam infestare: quibus dum obuiam it cum suis copijs Stephanus, spacium transmittendi per ocium Danubij Turcis dederit. Hæc ferè Vurocimouicius referebat. Consequebantur autem eum ipsius Stephani nuncij alij post alios, nunciantes regi, Tartaros quidem ingenti

Inducię inter Vngaros & Polonos.

Prussici motus.

Henrici magistri Cruciferorum suspecta fides.

Gdani seditio.

Mahometis responsum legato Cazimiri datum.

Turcæ ac Tartari Valachiã infestarunt. Stephani legatio ad regem Polonum.

ingenti clade ab eo profligatos, fugatosq; usque ad Boristhenem, præda omni, impedimentis, & uestibus atque armis etiam abiectis, perpauc̃os tranato flumine euasisse. Contra Turcas uerò non satis uirium eum habere, nec audere eis aperto Marte resistere. Ipsum ditionem suã longè latéq; urere, ne progredi longius hostis possit, propter pabuli & cõmeatuum inopiam: pabulatores & frumentatores necessariò lõgius à castris progredientes, ex insidijs carpere & excipere: uerùm à fronte pariter & à tergo ab hostibus circundatũ, diffugientibus suis, ipsum quoq; meliori bus rebus seruare se coactum esse. Et quamuis propè triginta millia hostium trucidata sint, tamen leuiculum uideri id detrimentum in tanto exercitu. Valachos uerò non pluribus quàm ducentis eo conflictu amissis: tamen siue diffisos uiribus suis, siue aduersa fortuna alienatos à Stephano, sibi quemque priuatim prospicere, nihil in commune consulere. Sed facilè eorum animos & sanari & recreari posse uel mediocribus Polonorum auxilijs. Quòd si fortè Valachia regi minus esset curæ, at de Podolia & Russia esset sollicitus. Periculum enim esse, ne Turcæ peruastata Valachia, in eas oras continuata populatione excurrerent. Quod quidem ita accidit. Percursata enim omni Valachia, Sozauia & Chozimo, aljśque munitionibus frustra tentatis, Podoliæ quoque fines ij attigerunt, & aliquot uicos ignobiles atque pagos exusserunt. His igitur cognitis Cazimirus, Russiam omnem, Podoliam, & Belsensem tractum arma sumere, & cum paulo Iasenio thesaurario, & Belsensi Chelmensíq; præfecto, ad Valachiæ fines sine mora adesse iubet: ipse omissa in præsens rerum Prussicarum cura, sororéque Elizabetha uidua, quæ cum Henrico Stolpensium Pomeranorum duce nupta fuerat, & illis ipsis diebus cum filio Bogufalo siue Boguslao uisendi ipsius gratia Mariemburgum aduenerat, honorificè dimissa, reditum in Poloniam maturauit: & ad medium Augusti mensis Petricouiam, quò edixerat comitia, accessit. Ibi consumptis nequicquam in consultatione de republica ac defendenda seu uindicanda Valachia tribus hebdomadibus, nihil utile constitutum est. Neque enim accommodatum esse uidebatur expeditioni bellicæ anni tempus autumnale: & Russi cum Iasenio, cum diutius apud Camenecíam & alijs in locis Podoliæ statiua habuissent, neque transgredi sine rege fines regni ad opem ferendam Valachis implorantibus uellent, neque domos iniussu regio discedere honestum putarent, non milent, neque domos iniussu regio discedere honestum putarent, non minoribus damnis omnem eam oram affecerant, quàm si hostilis exercitus eam peruasisset. Nouí deinde conuentus minorum quidem Polonorum Corcini, maiorum uerò Colí ad medium Septembris instituti. Et Corcini quidem, rege ipso per se postulante, quaternorum grossorum tributum iugerale scitum est: maiores uerò Poloni labefactationem iuris publicí causificati sunt, quòd Mathias Mosinius præfecturam maioris Poloniæ, & palatinatum Calisiensem pariter obtineret. Cazimirus Corcino Lublinum profectus, salutata regina, quæ Radomia illuc uenerat, in Russiam ad Belsum usque progressus est, ut fama aduentus sui suos recrearet, Turcaśque reprimeret. Nec mora excesserunt ij Valachia, siue

Tartari profligati à Stephano palatino.

Turcarum strages in Valachia.

Turcæ orã Podoliæ uexarũt.

Russorum expeditio in Turcas.

Cazimiri soror.

Bogufalus Pomeraniæ dux.

Comitia Petricouiæ.

Podolia à Russis diuexata.

Præfectura maioris Poloniæ cũ palatinatu.

metu regis Poloni aduẽtantis, siue peste pariter & fame afflicti, siue quòd hyems appropinquabat. Non parum uerò momenti illud quoq; Mahometi ad maturandum reditum attulit, quòd classem quæ supplementum militum & machinas ad expugnandas munitiones ipsi subuehebat, tempestate disiectam amisit. Aliquanto autem plus per omne illud bellum Transalpini, quàm Turcæ ipsi Valachis incommodarunt: quippe qui & locorum periti essent, & lingua eadem uterentur. Idemq; Turcarũ inopiam cõmeatu de suis agris supportãdo subleuarũt. At Mathias rex Vngarorum, ubi cognouit Mahometẽ se cum exercitu è Valachia recepisse, hinc quoq; uanam gloriam cõpendiumq; apud Italos aucupatus est, abusus hominum credulitate. A' se enim pulsum Turcam, turpiter fugam cæpisse, literis diuulgauit, excidium'que eius pollicebatur. Quam uanitatem eius alebant apud exteras gentes uiri literati, munificentia eius deliniti, res gestas eius scriptis suis in immensum attollentes. Qua quidem illud sanè perfecit, ut pontifex max. cum omnibus principibus & communitatibus Italiæ, præter ducem Mediolanensium, qui imponi sibi passus non est, bis centum millia aureorum ipsi in subsidium conferret. In quo Ferdinandi Neapolitani regis opera & studium Vngaro maximè adiumento fuit. Filiam enim eius regis notham Beatricem illis ipsis diebus Mathias alteram uxorem duxerat. Sed non multo pòst Vngari uanitas redarguta est. Ad medium enim Octobris Turcæ facta è Bosna excursione Carniolam, Carinthiam & Styriæ partem uehementer uastarunt, prædam'que ingentem & plurimos mortales captiuos abegerunt: & mox munitiones ligneas ab ipso Mathia supra Danubium paulo infra Smiderouiam extructas, & quinque millium militum præsidio firmatas, quatuor quidem expugnarunt, quintam uerò per deditionem acceperunt, ipso Mahomete cum maioribus copijs haud longè successum rei expectante. Porrò Fridericus Romanorum imperator, suspicatus Turcas à Mathia in ditiones suas immissos esse, simul'que ratus oblatam sibi occasionem perduelles suos, illius fœderatos, quorum princeps erat Grosnicher, siue ut alij habent, Grosnikel, hoc est comes Nicolaus, ulciscendi, delectu suorum habito, & quatuor millium Boemorum auxilijs à Vuladislao rege acceptis, nihil retardatus hyemis asperitate, munitiones ipsorum perduellium partim per uim, partim per deditionem recepit. In æstatem uerò maius bellum contra Vngarum apparabat: missoq; ad Cazimirum Raphaele Lescinio Polono oratore, ad societatem belli eum contra cõmunem hostem inuitabat. Huic Boemorũ rex suam & ipse legationem eadem de re adiunxit: quæ Vilnam prosecutæ Cazimirum, quò se, non plus quindecim diebus apud Belsum commoratus, receperat, mandata exposuere. Habebat autem is exploratum de hostili Mathiæ contra se animo, & subdolis machinationibus: nimirũ quòd ille Valacho, abalienandi eius à Polonis causa, auxilia contra Transalpinenses misisset: Nicolaum Comorouium fratrem Petri patruelem, cum Alexandro filio ad se accitos, de Berualdi, Ziueciæ, & Seflari munitionum Polonicarum deditione, promittens eas,

Classis Turcicæ naufragiũ.

Mathiæ regis uanitas.

Mathias literatos coluit.

Subsidium ab Italis Mathiæ regi missum.

Beatrix altera Mathiæ regis uxor.

Turcæ Carniolã, Carinthiã & Styriã populantur. Vngaria infestata.

Fridericus Imp. bello perduelles suos persequitur.

Friderici legatio ad Cazimirum.

Mathiæ hostilis animus in Cazimirum et Polonos.

Comoronius ad defectionẽ solicitatus à Mathia.

tens eas, quas ipsis in Vngaria ademerat, se redditurum esse sollicitasset: cum Cruciferis Prussiensibus fœdus clandestinum pridem inchoatum, in nuptijs suis confecisset, promissisq; auxilijs, ad uiolandam pacem & bellum faciendum eos concitaret, atque in eam rem mercenariũ militem in Silesia conscriberet. Hæc igitur cum explorata haberet Cazimirus, ad medium Aprilis anni insequentis comitia Petricouiam Polonis edixit, ipseque subsequentibus Imperatoris & Boemorum regis oratoribus in tempore affuit. Re ad senatum relata, placebat quidem auxilia mitti Imperatori: sed quo'nam id modo fieret, non expediebatur, propterea quòd inane erat ærarium: nobilitas uerò neque militare gratis ultra fines regni uolebat, neque tributum scisscebat. Itaque responsum est oratoribus, regem domestici aduersus Turcas ac Tartaros, Cruciferos, atque ipsos etiam Vngaros belli expectatione distentum, nulla in præsens auxilia Imperatori posse mittere. Et quo æquioribus animis id principes illi acciperent, ad Imperatorem quidem Andreas Opporouius Varmiensis episcopus, ad Boemũ uerò Ioãnes Dreuicius scriba regius, oratores missi. Ac Boemo quidẽ pater tria millia aureorũ dono transmisit, in subsidiũ comparandorũ ac Cæsari mittendorũ auxiliorum gratia. In Prussiã uerò ac Marieburgũ præsidij causa misit idem Petrum Duninũ castellanum Siradiensem & præfectũ Lencicien sem, & Ioannem Bialũ, quo uerbo album Poloni uocãt, cum sexcentis equitibus, & quadringentis peditibus mercenarijs, ut Prussos in officio cõtinerent, sustinerentq; Cruciferorum impetum, si quem facerent in regiam ditionem, tantisper donec rex ipse cum maioribus copijs subsequeretur. Non modò enim incertis rumoribus iactabatur, Cruciferos ad rebellionẽ spectare: cum Vngaro per creberos internuncios fœdus & societatem inire: Marieburgensem & Culmensem palatinos, Philippũ Bissouiũ consulẽ Gdanensem, & nonnullos alios regiæ ditionis in eorum partes inclinare: sed certis etiam indicijs & literis interceptis consilia eorũ deprehensa erant. Sollicitabãtur etiam ab eis ad defectionem duces Masouij: nec admodum ij abhorrere à tam nefario facinore uidebantur, nisi consiliarij quidam grauiores à concepto scelere eos reuocassent. Nec sanè nihil actum est illa præsidij missione in Prussiam. Multorum enim animi sanati sunt, multi immatura adhuc conspiratione à nouis rebus deterriti. Nobilitas quidem Prussica cum ciuitatibus conuentu Marieburgi ad exitum mensis Iunij acto, sacramento se obligarunt, à Polonis nunquam defecturos. Si quod autem bellum exoriretur, se pro illis arma sumpturos: agrestes quinquagenos quemque expedituros: ciuitates uerò singulæ militum certum numerum promiserũt. Iam uerò & ij qui in ditione Cruciferorũ erant, conuentu instituto statuerũt inter se, non sequi eorum temeritatem, si quod bellum Polonis ij facere uellent. Itaque non commouerunt se tunc Cruciferi, præsertim quòd neq; Vngarus quicquã eorum quæ cõuenerant, præstabat. Coegerat is quidem in Silesia quinq; millia mercenariorũ militum: atq; is exercitus, priusquã educeretur quópiam, permagna licentia in socios circumquaq; non modò prædis agendis, uerùm etiã incendijs, stupris,

Mathiæ fœdus cum Cruciferis.

1477 ann. Comitia Petricouiæ.

Legationes Polonicæ.

Legati cũ exercitu in Prussiam missi.

Prussi ad res nouas spectãt.

Masouij ad rebellionem solicitati.

Nobilitatis & ciuitatũ Prussicarum studium erga Polonos.

Mathiæ regis exercitus fugatus è Silesia.

stupris, cædibus, & omni genere crudelitatis debacchabatur. Sed ei Boemus, siue ut sua tueretur, siue ut quosuis Mathiæ conatus impediret, non multo minores copias è Boemia trãsmissas opponebat. Quarũ aduentũ cum nõ sustineret ille Silesiorũ exercitus, in Vngariã sese raptim euoluit, siue ut sibi cõsuleret, siue (quod credibilius est) quòd à Mathia accersere tur. Perduelles ne aũt Imperatoris fœderatos suos dudum ab Imperatore eiectos, uindicare is cupiuerit, an sibi & Vngariæ finitimæ ab illo metuerit, incertũ est. Duxit quidẽ & Vuladislaus ipse exercitum illũ suum è Silesia reuocatũ, in Austriam, ab Imperatore accitus: uerùm non diu ibi moratus est, siue quòd satis habebat Cæsar Austriã pacasse, siue quòd derat pecunia in stipendiũ tanto exercitui: octo enim millia Boemorum habebat. Accepto igitur Viennæ ab Imperatore solẽni ceremonia uexilo, quo se clientẽ & pincernam Imperatoris Romani profitebatur, in Boemiam se cũ omnibus copijs suis recepit. His igitur cognitis Cruciferi quiescebant. Nec parũ & illud inquieta eorum cõsiliatur bauit, quòd Magistrum per id tempus amisere. Ac suffecerunt ij quidẽm defuncto Martinum Truchsessum, quẽ interdum Treslerũ Dlugossus uocat, cõmendatorem Osterrodensem, pridie Nonas Augusti habitis Regiomõte comitijs: nec abhorrebat is à bello, sed eum Fridericus imperator minacib. literis deterruit. Sic igitur quietæ fuerũt hoc anno res in Prussia: non item in Polonia. Nouo enim cõuentu post comitia Petricouiensia Corcini instituto, fremere nobilitas & proceres in regem, nec uelle tributũ ab eo petitum scíscere, aut omnino ad consiliũ de repub. accedere, propterea quòd rex Derslao Rithuianio palatino Cracouiensi post obitum Ioannis Pilecij ad castellaniam eiusdem urbis prouecto, Ioannem Rithuianium castellanum Sendomirien sem, & marsalcum regni, successorem in palatinatu Cracouiensi dederat contra leges: quibus cauetur, ne uni plures magistratus honores ue mandentur. Iam uerò de Nicolai Comorouij defectione ad Vngaros constans fama increbescebat. Et res minimè contemnenda esse uidebatur, propterea quòd arces & possessiones eius in faucibus Carpathi montis, qui Poloniam ab Vngaria dirimit, sitæ, si ab Vngaro occuparentur, faciliorem ipsi aditum in Poloniam patefacturæ, & propter salsarum aquarum abundantiam, reditus regios è salinis imminuturæ essent. Inde enim salem Vngaris suppeditari posse, quem ad eum diem è Polonia petere necesse haberent. Subornati igitur, à rege qui ægrum Comorouij animum sanarent: ad extremum Spitco Iaroslauius Leopolien sis siue Russiæ, & Stanislaus Vantropea, Belsensis palatini, ad eum profecti, persuadere ei conati sunt, ut arces illas cum possessionibus regi Polono traderet, pecunia, qua eas addictas ipse tenebat, accepta: damnorum, quæ se Polonæ reipublicæ causa accepisse prætexeret, æstimationem, bonorum uirorum arbitrio permitteret. Quib. rebus cum nihil apud eum proficeretur, missus Iacobus Dembenius palatinus Sendomirien sis, & præfectus Cracouien sis, cum tumultuaria manu, arces eas intra quinquagesimum diem expugnauit. Ac Berualdum quidem diruit, Ziueciam incendit, Seflaros uerò

Vuladislaus rex Boemiæ à Friderico Imp. inuestitus.

Martinus Truchsessus Magister Cruciferorum.

Cruciferos imperator à bello Polonico deterruit.

Fremitus minorum Polonorum in regem.

Nicolaus Comorouius ad defectionẽ spectat.

Salinæ in faucibus Carpathi.

Berualdum & Ziuecia arces destructæ.

Marco

Marco Ratoldo addictos restituit. Tũc demũ Comorouius Cracouiam ad regem accurrit, facinusq; suum purgare, & priorum meritorum commemoratione diluere conatus est. Et eò quidẽ usq; inflexerat regis clemẽtiam, ut ipsi alia bona in territorio Chelmensi pro ademptis illis dare uellet: uerùm ille superbè eam conditionẽ aspernatus, & in Vngariã profectus, Mathiæ regis opem implorauit: ea uerò destitutus, in Poloniam rediit, & Crasnostauiense territoriũ à Cazimiro ægrè impetrauit. Mathias enim tunc iritatus à Friderico, cum eum exercitum dimisisse cognouisset, nequicquam dissuadentibus ac deprecantibus Vngaris, & contra Turcas potius, qui Vngariam tunc populabantur, ire cohortantibus, in Austriam fecit expeditionem, eamq; totam quanta quanta est, ad fines usq; Bauariæ peruastauit: oppida pleraque omnia & munitiones, ipsis Austrijs ferè dedentibus, in potestatem suam redegit: Viennam obsedit & oppugnauit: sed ab ea crebris Haugi comitis, qui intus erat cum non contemnendo militum præsidio, eruptionibus non sine magna strage repulsus est, Friderico Imperatore apud Styriam urbem se continente, & Boemorum Polonorumq; opem frustra implorante. Iam enim hyems appetebat. Misit quidem ei Cazimirus in subsidium decem millia aureorum per Andream Borissouium cognomento Rosam, præpositum Lencicienſem: sed ea Cæsar non accepit, ob spem pacis: cui componendæ non modò pontificij & Venetorum oratores, uerùm etiam Vngarorũ proceres nauabãt operam: idq; hoc enixius, quòd triginta millia Turcarũ per id tempus excursione facta in forum Iulij, omnem eam oram usq; ad Cuniglianum Venetiæ oppidũ, miserandum in modum uastarunt, deleto Venetorum præsidio, quod ipsis ad Sontium siue Lisontium amnẽ duce Hieronymo Nouello opposuerant. Tardius tamen ea pax, nec nisi Vngaro tẽpestatibus hybernis & niuibus reiecto ex Austria, conuenit: & quidem non satis honestis Friderico conditionibus: nempe, ut se omni iure ac titulo regni Vngarici abdicaret: Boemici uerò fasces, & quod uocant Feudum, Mathiæ conferret: eidemq; pro munitionib. interceptis in Austria centum octoginta millia florenorum numeraret. Quarum cõditionum postremæ nõ fecit satis. Quo factũ est, ut Mathias diutius munitiones Austriacas, non inuitis Austrijs, qui Fridericum oderant, retineret. Sic igitur cum alio bello occupatus fuisset Mathias, quietiorem, quàm expectarant, eum annum Poloni habuerunt. Stephanus autem Valachiæ palatinus, ultrò sumptis armis, Transalpinam infestauit, Radulonem siue Draculam palatinum eius oræ à Brassouiensibus ciuibus proditum cæpit: eiectisq; Turcarum præsidijs, Cipulissam unum de suis purpuratis genti præfecit. Quin & Totrusiense territorium, quod in ditione Turcarum erat, ferro & igni uexauit, salinasq; fructuosissimas incendit. Sub huius anni principium Gregorius archiepiscopus Leopoliẽsis, uir in studijs humanitatis & bonarũ literarũ non mediocriter uersatus, uerùm libidinosus, cum sanus apud Rohatinũ degeret, in cubiculo pronus distensis manibus mortuus repertus est: cuius uitã Philippus Callimachus Florentinus descripsisse dicitur. Post quem plus quàm duobus

Comorouius bonis exutus, Crasnostauiam à rege accepit.

Mathias rex Austriam ferè subegit.

Viẽna obsessa.

Cazimirus subsidiũ Friderico imperatori misit contra Mathiam.

Turcæ forũ Iulij infestarunt, & Venetorum copias profligarunt.

Pax inter Fridericũ & Mathiam.

Stephani res gestæ contra Transalpinenses & Turcas.

Gregorij archiepiscopi Leopoliẽsis mors.

Archiepiscopæ Leopoliensis uacatio.

duobus annis urbs illa caruit archiepiscopo. Boleslaus Masouiorũ dux Annam uxorem, Pauli Hunouij palatini quondam Belsensis filiam, exagitatus à fratribus & proceribus, quòd imparem duxisset, eadem leuitate qua duxerat, repudiauit. Quod quidem coniugium longè tamen minus indignitatis habuerat, quàm fratris eius Conradi, qui prius Cracouia abductam à uiro plebeio uxorem, nefario matrimonio sibi coniunxerat: eaq́ defuncta, ac ducali pompa sepulta, alteram non minus obscurã puellam, Alexij cuiusdam filiam, uxorem sibi adsciuit.

Masouiorũ dux cum dispari coniugio.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER VICESIMVSNONVS.

CAZIMIRVS rex plus quatuor mensibus Cracouiæ præter morem commoratus, ad exitum Nouẽbris inde discedens, & lignum crucis Christi apud monasterium Calui montis de more ueneratus, Radomiæ reliquum anni tempus, & sequentis principiũ exegit. Ibi uerò regina cum duobus filijs natu maximis, ac totidẽ filiabus relicta, Petricouiam, quò ad duodecimã diem Ianuarij comitia edixerat, se contulit. Nec tamen operæprecij quicquam ibi fecit, cùm propter tardiorem aduentum & infrequentiam cõsiliariorum, tum quòd ne nouus quidem magister Cruciferorum, quamuis accitus promisisset, ueniebat, ut secundum pacta in uerba regis iuraret. Quin ad rebellionẽ planè spectare is referebatur. Cumq́ ad depellendum bellum, quod ab Vngaro iuxtà atque Cruciferis impendebat, & ad cõtinendos in officio Prussios, sumptu opus esset, & in eum usum tributum agrarium scisendum esse plerisq́ omnibus uideretur, aliquot temerarij iuuenes de nobilitate maioris Poloniæ rem infecerunt. Priuilegium aũt ibi tunc rex edidit, ne cui Sendomirienſem præfecturam oppigneratam, aut quouis modo obligatam habere liceret, nisi pro hoste publico, & læsæ maiestatis reo haberi mallet. Id aũt Ioannes Rithuianius palatinus Cracouiensis perfecit, cum ex testamento Derslai fratris castellani Cracouiensis paulo antè mortui, præfecturam illam à Vuladislao tertio rege illi oppigneratam, liberam regi reddidisset. Conuentu dimisso, rex in Prussiam contendit: Lenciciæ Vngarorum procerum legationem secretam, defectionem à Mathia pol licentem, sola regina arbitra & interprete audiuit. Nec tamen ei quicquã certi respondit, iam antea fidem gentis dubiam & fluxã expertus. Breste deinde in Cuiauia Prussorum cõuentum egit, eoq́ magistrum rursus frustra euocauit: Prussorum suorum animos confirmauit, Sbigneũ Vuladislauiensem episcopum gubernatorem eis dedit: Marieburgensem præfecturam à Ioanne Coscelecio in Petrũ Duninum Siradiẽsem castellanum transtulit. Inde uerò profectus, Lituanicum Breste adijt: ibiq́ conuentu Lituanorum ad medium Martij mẽsis instituto, principatus illius rebus prospexit: uicarium uerò pro se de duobus filijs præsentibus utrumuis, petentibus

1478 ann. Comitia Petri couiæ.

Sendomiriẽsis præfecturæ priuilegium.

Vngari proceres defectionẽ à suo rege meditantur.

Vngarorũ fluxa fides.

Vuladislauiensis episcopus gubernator Prußiæ.

Petrus Duninus præfectus Marieburgensis.

petẽtibus illis relinquere noluit, quãuis Albertus tacitis lachrymis cupere id se non dissimularet. Venit ad eum illuc Mahometis Turcarum imperatoris orator cum ingentibus donis, Tartarorum quoq; principis Nurduuuladi legationem secum ducẽs, amicitiam & societatem petitum amborum nomine, adijciens Tartarum Mahometis authoritate eò adductum esse. Quibus responsum est, regem libenter accipere, quæ sibi deferrentur, suosq; oratores ad utrunq; confirmandi fœderis causa missurum. Quid autem Mahometem ad ineundum cum rege Polono fœdus tunc adduxerit, non reperio: nisi fortè res aduersę, cladesque superiori bello Valachico terra mariq; acceptæ, & quòd non solum eius, quem Stephani clientis sui iniuriam ultum ire credebat, sed plerorumq; omnium Christianorum principum socia arma, coniunctasque uires metuebat. Audiebat enim eos dudum dissidentes, in gratiam redijsse, studio belli communi consilio & iunctis uiribus sibi faciẽdi. Turcarum ac Tartarorum legatis dimissis, Petricouiam rex redijt ad comitia denuò ad Pentecosten edicta. Interim episcopus Vuladislauiensis, conuentu Prussorum Grudenti post pascha instituto, nouo eos iureiurando, ultro ab eis oblato, regi & regno obligauit. Id bisne, hoc uidelicet atq; superiore anno (quasi semel satis non esset) factum sit, an Dlugossus lapsu memoriæ repetierit, nescio. Ad Magistrum uerò quinque legati missi, qui eum fœderis admonerent. Verùm ille nihil moratus salubria monita, non modò non uenit Petricouiam ad comitia, sed etiam bellum contra regem adornabat, non tam suis uiribus fretus, quàm Vngari & nonnullorum Germanorum principũ uanis pollicitationibus, acspe defectionis quarundam regiarum ciuitatum erectus. Et quò maiorem haberet belli faciendi opportunitatem, Brodniciam, & Culmam oppida, & Starigrodum arcem terræ Culmensis, Althausum ni fallor, Germani uocant, de Ioanne Schumbergio Bernardi defuncti fratre redemit, persolutis stipendijs, quæ Bernardus bello superiore meruerat, quæ rex iam prior soluere cœperat. Eas igitur munitiones militũ præsidijs firmauit, ipse cũ exercitu ex agresti ferè multitudine coacto, apud Osterrodam aliquandiu castra habuit, ab Vngaro promissa expectans auxilia. Hæc Petricouiam renunciata, fecerunt ut sine difficultate & cõtrouersia duodenûm grossorum tributũ decerneretur in stipendia mercenariorũ militum, per quos tunc in Prussia rem geri placuit. Nec aliud ferè quicquam memorabile actũ in illis comitijs, nisi quòd importatio salis exotici in Poloniam uetita est, propterea quòd apud Pincũ in maiore Polonia nouæ salinæ extitissent. Ad Mathiam uerò missus est Stanislaus Vantropca palatinus Belsensis postulatum, ne ille rebelliũ contra regem suum Tungeni & Cruciferorum defensionem susciperet, fœderi, quod antiquitùs inter Vngaros & Polonos constitutum, nec ita pridem renouatum intercedat, repugnantem. Porrò ad pontificẽ max. Ioannes Goslubius iurecõsultus & Canonicus Posnanensis allegatus est, questum de Balthasare de Piscia nuncio ipsius, qui apud Vuratislauiam degens, Vuladislao quidem Boemo ut hæretico, Cazimiro autem

Turcica & Tartarica legatio ad Cazimirum de pace.

Prussi denuò iurant in uerba Poloni.

Cruciferi bellũ in Polonos renouant.

Brodnicia, Culma, & Starigrodum à Cruciferis redẽpta.

Salinæ Pincenses in Polonia.

Legatio Cazimiri ad Mathiã regem.

Ad pontificem max.

Cazimiro & Vuladislao regibus interdictum sacris.

autem ut fautori hæreticorum, in gratiam Mathiæ sacris interdixerat.

Pax Bernensis inter Vng. & Boem. irrita.

Etsi enim ineunte uere pax inter Mathiam & Vuladislaũ per utriusq; consiliarios apud Bernam Morauiæ conuentu acto facta erat, Mathias tamen re apud Pelsnam, quam cum Budeouice retinebat, per prefectos

Res Boemicæ.

presidij sui contra Burianum Vuladislai copiarum ducem prosperè gesta elatus, simulq; tumultu Pragensis ciuitatis cõtra legatos suos Varadinensem episcopum, & palatinum Transyluanienſem temerè concitato iritatus, bellum instaurabat, pacem illam irritam esse dictitans, quippe quę nec suo iussu, nec authore pontifice, aut legato eius cõfecta esset:

Legatus pontificius belli incensor.

cui & legatus ipse Gabriel monachus, episcopus Agriensis, & recẽs cardinalis creatus, frigidam suffundebat, & insanientem sua sponte, magis etiam concitabat: frustra retinentibus Vngaris & Silesijs proceribus, quibus pax exoptata affulserat. Reuertens autem ex Vngaria palatinus Belsensis, Budensi prepositio comitatus, illud responsum à Mathia retulit, eum fœderatis suis deesse rectè nõ posse. Sed si Cazimirus bello con

Mathiæ responsum legato Cazimiri.

tra Cruciferos abstineret, habere Mathiã uias, quibus Cruciferi ad officium reuocentur, & ipse fœderis iureiurando cum eis sanciti religione soluatur. Hac igitur de causa missi ad eum denuò legati Ioannes Dlu-

Legatio Cazimiri ad Mathiam.

gossius, & Stanislaus Marsalcouicius, qui exquirerẽt, quę nã illa essent, quæ Mathias tectius significasset. Ac nihil ij quidem eiusmodi comperunt: pernegbat enim Mathias, se tale quicquam Cazimiro renunciari mandasse. Cum autem animaduerterent magnas copias ab eo comparari, quibus partim Poloniam infestaret, partim Cruciferos adiuuaret, constituerunt cum eo, ut ad initium Februarij mensis regum uterq; cõsiliarios suos Olomuciam, omnium controuersiarum componendarum, pacis que instaurandę causa mitteret, interea uerò utrinque ab armis discederetur: retineret tamen Polonus munitiones, quas de Tungeno in Varmiensi ditione cæpisset. Verùm displicuere uehemẽter hęc pacta Polonis, iniussu suo conuenta. Iam enim Cazimirus exercitum in

Bellũ Prussicũ.

Prussiam miserat: atque is Cruciferos quiescentes adhuc lacessere uetitus, Varmiensem oram infestabat. Prestò tamẽ fuit Tungeno Magister cum aliquantis agrestium magis quàm militum copijs. Sed nostris nullam dimicandi moram facientibus, mox in tutum se recepit. Quo facto liberius uastata est Varmia: ac ne Sambiensi quidem agro pepercit miles: munitionesque aliquot de Tungeno receptæ. ad hæc auxiliares

Mathiæ regis copiæ bis à Marchiõe Brãdeburgensi fusæ, & aditu in Prussiam prohibitæ.

Vngari copiæ septem millium militum, quæ ductu Zeloni Boemi sub specie ferendæ opis Ioanni duci Zeganensium contra Albertum Marchionem Brandeburgensem per Pomeraniam ad Cruciferos penetrare nitebantur, bis à Marchione magna strage profligatæ erant. Atque ijs rebus perculsi Tungenus ac Magister, de pace cum Sbigneo Vuladislauiensi episcopo, Paulo Iasenio thesaurario regni, & Petro Dunino præfecto Marieburgensi, regijs magistratibus, tractare cæperant. Sed statim cœpto destiterunt, ubi de ictis inter reges induciis, quibus ipsi quoque nominatim comprehendebantur, audierunt. Non tamen destitit regius exercitus à populatione Varmiæ, munitionumque oppugnatio-

gnatione. Per id tempus Tartari domestica egestate penuria'que adacti, in Podoliam incursionem facere tentarunt. Sed cum exceptorum per insidias hominum indicio comperissent, adesse Spitconem Iaroslauium Leopolienſem, & Ioannem Odrouanzum Podoliæ palatinos, cum non contemnendo equitatu, discessione simulata in syluis aliquandiu delituere, & mox securis nostris ad Braslauiam excurrerunt, oppidum incenderunt, parum'que abfuit, quin & arce potirentur: sed reiecti tamen, cum magna præda sese receperunt. Eodem'que tempore Turcæ in Carinthiam inuecti, eam oram, quæ est inter Malburgettum, Villacum, & Salisburgum, acerbè depopulati sunt: longius'q; progressi fuissent, nisi eius oræ homines ad pontem Draui fluminis concursu facto eis obstitissent, pontem'que interrupissent, ubi mille trecenti ferè Christiani cæsi sunt. Per omne autem id tempus post solutum conuentum Petricouiensem Cazimirus cum uxore partim Radomiæ, partim Sendomiriæ, partim Corcini & Cracouiæ commoratus est. Insequentis demum anni die duodecima Petricouiam rursus ad comitia profectus est. Illuc uenit ad eum legatus Mathiæ regis Iaroslaus Zarnohorius, postulans, ut conuentum de pace redintegranda ad initium Februarij Olomuciam condictum, ad Maium differret, ad eum'que ipse ueniret. Fore id ex re ipsius pariter & Vuladislai filij, minore'que negocio res Prussicas componi posse. Quod si tempus illud locus'que ipsi non placeret, mutaret arbitratu suo. Sed bellum tamen Prussicum interim intermitteret. Quod quidem identidem repetitis legationibus Mathias urgebat. Iam enim receptis cæteris munitionibus, Elsbergam primariam episcopi arcem permunitam Poloni obsidebant: Tungenus uerò rebus suis diffisus, ad Magistrum in Sambiam profugerat. Grata hæc fuit legatio Cazimiro. itaque licet Tungenum propediem debellatum iri speraret, nec sibi expedire uideret aliquid ei laxamenti concedere, iussit tamen exercitum suum ab Elsbergæ obsidione discedere, & omni bello abstinere. Ad Mathiam uerò tres legatos, Raphaelem Iaroslauium marsalcum, Paulum Iasenium thesaurarium regni, & Andream Rosam præpositum Lenciensem, cum summa potestate misit, ut de conuentu cum illo constituerent, & spem ipsi facerent: facilè & Magistrum ueniam, & Tungenum aliam episcopam, duas'ue pro una impetraturum esse, si pax coiret. Decesserat enim paulo antè de statione uitæ Vincentius Kelbassa Culmensis episcopus, & perpetuus administrator Pomesanienſis, nobilis Polonus gente Nalencia: quem Andreas Bninius Posnanienſis, & Paulus Grabouius Chelmenſis propè continuatis funeribus secuti sunt: hic quidem plus quàm quatuordecim, ille uerò duobus & quadraginta annis & sex mensibus in episcopa exactis. Ac de Posnanienſi quidem fuere competitores Vriel Gorcanus, Lucæ palatini Posnanienſis filius, Gnesnenſis & Posnanienſis præpositus, & cancellarius regni, cui collegium Posnanienſe administrationem episcopæ uacantis

Tartarorum excursio in Podoliam.

Turcarum excursio in Carinthiam.

Draunus fl.

1479 ann.

Comitia Petricouiæ.

Mathiæ legatio ad Cazimirum.

Tungeni aduersæres in Prussia.

Cazimiri legatio ad Mathiã.

Episcoporum mortes.

commiserat, & Stanislaus Curozuancius procancellarius. Sed Iacobo archiepiscopo interueniente, collegium Posnanense regiam authoritatem in eligendo Vriele secutum est: qui etiam promissum regis aliquanto antè habuisse dicitur. Reliquæ aliquandiu sine antistitibus fuêre. Obtulerat igitur sese occasio transigendi de Varmiensi episcopa.

Vriel Posnaniensis episcopus.

Cum his mandatis profecti oratores regij, multis cum Mathia & consiliarijs eius colloquijs habitis, tandem constituerunt, ut ad Pentecosten Mathias duos episcopos, ac totidem alios proceres Siradiam ad conuentum cum Polonis instituendum mitteret: Magister uerò Crucifer rorum, & Nicolaus Tungenus ipsi adessent, & communi Vngarorum & Polonorum placito Cazimiro reconciliarentur. Exoptabant enim & Vngari pacem, quo facilius assiduas Turcarum incursiones reprimere possent: nec deerat suadendo & orando Gabriel cardinalis legatus pontificius, Italicarum rerum & pontificiarum partium iuuandarum studio. Ardebat enim tunc intestino bello Italia, scissa in duas factiones: quarum in altera erant, Sixtus pontifex maximus, Ferdinandus rex Siciliæ & Neapolis, & respublica Senensium: in altera uerò Veneti, Florentini, & Mediolanensium dux: quæ Gallorum quoque regem in suas partes pellexerat, & quinquaginta ferè castella pontifici ademerat: tanto'que odio inflammata in id bellum incumbebat, ut Veneti, ne Turcico bello impedirentur, pacem à Turcis redimerent, Scutara siue Scodra urbe Epiri, siue Albaniæ, in qua defendenda permultum pecuniæ sanguinis'que profuderant, eis tradita. Quo uerò debilior erat altera factio, hoc ardentius Mathiæ opem expetebat. E' Florentinæ autem urbis scintilla tantum illud incendium coortum est. Duæ fuerunt ibi familiæ facilè principes, Medicium & Paciorum. Sed penes Medices principatus reipublicæ per complures annos continuabatur. Id ægrè ferentes Franciscus & Iacobus Pacij, re cum Gabriele cardinali tituli sancti Georgij ad uelum aureum, Hieronymo comite Sixti pontificis fratris filio, Francisco archiepiscopo Pisano comitis filio, & paucis alijs communicata, Iulianum & Laurentium Medices in templo sacris uacantes inuadunt. & Iulianum quidem obtruncant: Laurentius uerò famuli unius manu protectus, saucius euasit. Pisanus archiepiscopus interim, ut conuenerat, in curiam, ubi octo delecti de republica consultabant, impetum fecit: sed concursu multitudinis oppressus capitur, confessus'que conceptum facinus laqueo suspenditur, & strangulatur: & mox cadauer eius proiectum, immaniter conciditur. Pacij fratres, & cum eis propè trecenti contrucidantur: Cardinalis captus aliquandiu fuit in custodia. Has igitur ob causas, nimirum ob captum Cardinalem, trucidatum'que archiepiscopum, Pontifex, conscius alioqui (quemadmodum creditum est) eorum quæ à suis acta erant, Florentinos diris deuouit, Laurentium Medicem cum posteris ipsius ad quartam usque progeniem omni honore ac dignitate priuauit. Sequenti tamen anno cul-

Italici motus.

Veneti à Turcis pacem redimunt.

Florentinæ ciuitatis tumultus.

Pisanus archiepiscopus laqueo necatus.

Sixti pontificis diræ in Florentinos.

pam

pam deprecantibus Florentinis, & non contemnenda parte agri cum aliquot munitionibus multatis, pacem dedit. Hæc igitur belli illius semina fuere: cuius intuitu Mathias ad pacem cum Cazimiro faciendam propensior tunc esse uidebatur. Interea Cazimirus peractis comitijs, Sophiam filiam, quam Friderico Alberti marchionis Brandeburgensis filio natu minori desponderat, Francofordiam, quæ ad Odram est, ad sponsum cum splendido sexcentorum equitum comitatu & apparatu transmisit: ipse nouis conuentibus maiorum & minorum Polonorum seperatim institutis, duodenûm grossorum tributum impetrauit: Radomiam'que ad reginam profectus, usque ad Pentecosten ibi mansit. Inde Petricouiam redijt, Siradiam'que nonnullos consiliarios misit: ubi Magister quoque Cruciferorum, & Nicolaus Tungenus, & regiæ Prussiæ consiliarij affuere. Sed cum ad uicesimam diem frustra Vngaros expectassent, Petricouiam ad regem uenerunt. Ac Tungenus quidem ad pedes regis prostratus, ueniam impetrauit: permissus'que habere Varmiensem episcopam, cum rege ipse pariter, & quæ præsens aderat legatio collegij, sacri illius ecclesiæ pacto sempiterno constituit, ut omnes deinceps episcopi, primores sique prælati, ut uocant, & Canonici illius basilicæ intra certum tempus posteaquam electi, aut in collegium id cooptati fuerint, conceptis uerbis fidem suam regi Poloniæ obstringant, & præstò sint regi quoties opus erit contra Cruciferos: aduocatus quoque episcopalis, ut & ipse in uerba regis iuret: nec præficiatur quisquam ei muneri, nisi regis Poloni, aut ecclesiæ eiusdem subditus. Cæteri uerò homines, qui sunt in ditione episcopi & collegij, decimo quoque anno idem faciant. Prouocationem ad regem ut habeant: collegium sacrum, ut non nisi gratum regi episcopum sibi deligat. Quod tamen ita postea mutatum est, ut rex quatuor de collegio illo indigenas, Prussos idoneos ederet, de quibus collegium, quem uellet, episcopum eligeret. Hæc ita tunc conuenêre. Nec multo pòst ipse Tungenus cum toto collegio in arce Marieburgensi, quemadmodum conuenerat, promissum impleuit. Magister uerò uanis Mathiæ promissis, clandestinis'que literis & nuncijs lactatus, difficiliorem se præbebat, affirmans, Cutem sibi detrahi se passurum prius, quàm in uerba regis Poloni iuraturum. Confirmabat autem eum Mathiæ legatio, quæ ad Cazimirum uenerat, de differendo in aliud tempus conuentu Siradiensi, & inducijs cum Magistro ac Tungeno prorogandis: propterea quòd distineretur tunc Mathias alio cõuentu cum Vuladislao Boemorum rege apud Olomucium agendo. Quo quidẽ cõuentu pax, quę dudum inter absentes conuenerat, à præsentibus regibus approbata & stabilita est, maiore eorum qui in Vuladislai ditionem ueniebant, quàm alterorum lætitia. Miti enim, & benigno erat ingenio Vuladislaus: Mathias contrà ferox, fastuosus, grauis'que suis. Eius autem pacis hæ fuerunt conditiones

Sophia Cazimiri regis filia Friderico marchioni Brandeburgẽsi nupta.

Nic. Tungenus in gratiam à rege recipitur.

Varmiensis ecclesiæ pacta cum rege Pol.

De episcopa Varmiensi.

Mathiæ & Vuladislai regum conuentus Olomucia.

Diuersa Mathiæ & Vuladislai ingenia.

Pacta cõuenta inter reges.

nes potissimæ, ut uterque regis Boemiæ titulum usurparet. Boemiæ totius ius & administratio cum iure eligendi Cæsaris penes Vuladislaum: Silesiæ uerò, Morauiæ & Lusaciæ dominatus penes Mathiam esset. Quod si hic prior decederet, in Vuladislai Boemorum'que ius & potestatem ea omnia reciderent, exolutis tamen regno Vngarorum quadringentis millibus aureorum: sin prior Vuladislaus obiret, Mathias ei succederet in Boemia, regnum'que id redintegraret, haberent necesse Boemi illa quadringenta millia soluere. Proceribus autem & ciuitatibus ne fraudi esset cum alterutro sensisse: uerùm amissa quoque bello bona ipsis redderentur. Hæc ita tunc conuenêre. Hac igitur excusatione usus Mathias, prorogationem conuentus & inducíarum à Cazimiro postulauit. Nec sanè difficilem hic sese in eo, quod postulabat ille, præbuit: missis'que ad eum Paulo Iasenio Sendomiriensi, & Ioanne Baseno Marieburgensi, quem nunc Elbingensem uocant, castellanis oratoribus, ad diem diuo Bartholomæo sacram conuentum & inducias prorogauit: ipse interim Radomiam, ubi regina erat cum liberis, secessit, Magistro relicto Petricouiæ. Ibi enim conuentum Siradiensem expectare ipsi uisum est, non auso ad suos in Prussiam pace infecta reuerti. Sed cum ne ad illud quidem tempus Vngari uenirent, Magister cum suis Cazimirum Corcinum secutus est. Eò tandem sub initium Octobris Stephanus comes Scepusiensis, & Venceslaus Becicouius Boemus, legati à Mathia uenerunt, regem'que suum excusarunt, quòd bello Turcico implicatus, Siradiam consiliarios suos ad constitutam diem non misisset. Satagebant autem ñ magnoperè Magistrum cum rege Polono in gratiam reducere, renitentem admodum, quòd se in uerba regis Poloni nunquam iuraturum esse, Deo & homini (Mathiam significans) fidem dedisse diceret: proferebat autem non pauca, quibus à Cazimiro læsus esse uideretur. Quæ cum omnia clarissimè refutata essent, oratores Vngari eum à pertinacia reuocabant, denunciabant'que apertè, non oportere eum deinceps ullam rerum suarum spem in Mathia collocare: Barbarico bello illum distineri, neque commissurum esse, ut iniustam causam tueretur. Iam uerò sui quoque eum obtestabantur, ne sese & ipsos iret perditum: ac ne minis quidem abstinebant. His igitur non tam flexus, quàm fractus, decessit tandẽ de pertinacia: & nona die Octobr. pacẽ & fœdus cũ Polonis redintegrauit, & in arce Corcinensi fidelitatis & subiectionis iusiurandum regi solenni ceremonia dedit, pręeunte uerba Ioanne Cracouiensi episcopo. Idem fecere, qui cũ eo uenerãt, primores Crucigerorũ, & cum his sex alij de nobilitate, ac tres consules Regiomontani. De cæteris uerò omniũ ordinũ, qui tũc aberãt, promissum, quòd & ipsi idem iuraturi essent legatis regijs præsentibus. Iurarunt & regij cõsiliarij, qui recens in senatum allecti erant, se fœdus initum seruaturos esse. De Brodnicia uerò, & Culma, & Starigrodo à Magistro interuersis cõuenit, ut

Conuentus & inducíæ prorogatæ.

Mathiæ legatio ad Cazimirum.

Magister Crucigerorum Martinus cum suis iurat in uerba regis Poloni.

Transactio regis cum Magistro.

nit,ut is eas munitiones ad diem diuo Martino ſacrum regi redderet, octo millibus florenorum ab eo acceptis: de damnis eo bello, quod cum Nicolao Tungeno geſtum eſt, Magiſtro & ordini datis quaterni à rege Magiſtro'que, & nonus ab ambobus communiter, delecti arbitrarentur: ſoluit'que eo nomine poſtea rex Magiſtro mille quingentos aureos Vngaricos. Porrò de literis fœderis inter Vngarum & Magiſtrum icti placuit, ut utrinque ad diem poſtridie Calendas Februarij ad Rudolfum Vuratislauienſem epiſcopum tranſmitterentur, & ab eo præſente Ioanne Laſocio Scholaſtico Gneſnenſi, ſcriba & nuncio regio, nemini lectæ concerperentur. Nam cum Mathia quoque & Vngaris pax conuenerat. His ita peractis magna omnium lætitia, Vngari oratores & Magiſter cum ſuis honorificè à rege accepti ac donati, diuerſi diſceſſere. Nec ita multo pòſt rex in Lituaniam cum regina & liberis feſtinauit, Ioanni epiſcopo, Iacobo Dembenio caſtellano & præfecto Cracouienſi, & Paulo Iaſenio caſtellano Sendomirienſi, commiſſa cura tranſigendi cum mercenarijs militibus, qui ob non exoluta Pruſsica ſtipendia, paſsim, & maximè in eccleſiaſtica bona hoſtiliter graſſabantur, à nullo ſcelere & flagitio ſibi temperantes. Is enim tunc erat Lituanicarum rerum ſtatus, ut regis præſentiam uehementer requireret. Nam Ioannes Moſchorum dux, ſubacto Nouogrodo magno, & compluribus arcibus atque caſtellis finitimæ Ruſsiæ, quæ Alba dicitur, & magno Lituanorum duci parebat, in poteſtatem ſuam redactis, reliquæ Ruſsiæ & Lituaniæ uehementer imminebat. Amplum quidem is principatum à maioribus ſuis acceperat: uerùm Tartaris, qui trans Rha ſiue Volgam fluuium incolunt, obnoxium ac tributarium uſqueadeò, ut legatis Tartaricis, atque etiam ueredarijs tributum petentibus, uel alia quauis de cauſa uenientibus, cum equis ueherentur, dux ipſe pedeſter obuiam prodiret, & lactis equini (qui potus eſt Tartaris gratiſsimus) poculum uenerabundus porrigeret: ſi qua gutta inde in iubam equi deſtillaſſet, eam lamberet: interpreti legenti literas imperatoris ſelectam ueſtem ſabellinam ſubſterneret, ipſe cum proceribus eas legi auditurus, genua flecteret: nec ullum tyranni imperium detrectaret, etiamſi bellum contra Chriſtianos, fœderatos, aut neceſſarios ſuſcipere iuſsus eſſet. Hanc tam duram ſeruitutem Ioannes uir magni animi & acer cum ferre non potuiſſet, uxore Græca magis etiam hominem incitante, ſumptis armis excuſſerat: finitimos etiam Ruſſorum principes conſanguineos ſuos aſtu magis quàm armis ſubiugarat: & longius ad occidentem ſolem prouectus, Nouogrodum magnum, ciuitatem ampliſsimam & opulentiſsimam, ac totius Septentrionis emporio celeberrimam, quæ Alexandri Vitoudi armis adacta, centum millia aureorum numûm, quemadmodum uult Vapouius, ſiue cidorum, ut ſcribit Dlugoſſus, quos Rublos uulgò uocant, magno Lituanorum duci quotannis ad illud tempus pendere erat ſolita, Lituanorum ope deſtitutam oppugnarat, & in deditionem acceperat: trecentos ciuium primores interfecerat, eorum'que copias

Fœdus Magiſtri cum Mathia cõcerptũ.

Pax inter Vngar. & Polon.

Militum graſſatio ob non exoluta debita ſtipendia.

Moſchorũ dux Nouogrodum & magnã partem Albæ Ruſſiæ ſubigit.

Moſchi Tartarorum tributarij & ſerui.

Equini lactis uſus apud Tartaros.

Ioãnis Moſchorum ducis res geſtæ.

Ruſsi finitimi ſubacti à Moſchis.

Nouogrodum magnum Lituanorum magno duci tributarium.

Nouogrodum captum à Moſchis.

Nouogrodẽsis præde magnitudo.

copias omnes abstulerat: reliquis uerò ciuibus tertia modò parte facultatum relicta, quicquid erat reliquum ademerat: denique archiepiscopi ærarium auro, argento, gemmis, margaritis, & omni genere opum per multos annos congestarum refertissimum ac ditissimum spoliarat: solumq; aurum, argentum, & gemmas, atq; uniones trecentis curribus asportarat. nam qui cęteram supellectilem portabant currus, fuerunt innumerabiles. Inde igitur auctus opibus & animis Moschus, totas prouincias Lituanis, dum Cazimirus Polonicis rebus diuersa parte orbis terrarum distinetur, ademerat, omnemq; adeò Russiam & Lituaniam animo complexus erat. His ergo rebus prouisurus Cazimirus, in Lituania tunc solito diutius commoratus est. Et quamuis Lituani proceres bello repetere amissa optimum factu esse censerẽt, maluit ille tamen quietis consilijs cum feroci Moscho rem componere, quòd eum tanta accessione diuitiarum atq; prouinciarum, numerosis, & bellandi assiduitate exercitatis, & memoria partarum uictoriarum præsidentibus copijs abundare, suos uerò longa desuetudine armorum imbelles & effœminatos esse diceret: mercenario milite cõtra tam potentem hostem bellũ geri oportere, cuius è Polonia & uicinis gentibus tam celeriter educendi sibi copia non esset. Itaq; aliquot annorum inducias cum eo pactus est. Hæc tunc in Lituania. Per id tempus autumni Turcarũ centum millia cum quinque ducibus, quos ipsi Bassas uocant, deductis secum Transalpinorum auxilijs, Transyluaniã ingressa, ad Sobinouiam siue Cibinium urbem castra posuere. Præsenserant eorum aduentum Vngari, & ad defendenda sua tripartito cum totidem ducibus accurrerant: fortè in unum agmen, cui Stephanus Bathorus præerat, Turcę incidêre. Stephanus ubi se in arcto positum pugnã detrectare, & cum reliquis duobus suorũ agminibus coniungere se non posse animaduertit, facit tamen eos certiores de necessitate dimicandi sibi obiecta: & militibus suis uoluntario iureiurando sese obstringentibus, quòd morituri prius, quàm fugituri essent, arma expedit. Committitur acre prælium trium fermè horis. Iamq; Vngari prægrauãte Turcarum multitudine referre pedem cœperant, & ægrè eos sistebat Bathorus, obtestans pariter & obiurgans, & recentis iurisiurandi admonens: cum ecce duo reliqua agmina, in quibus erant aulici regij & Rascij, citato cursu inuecta, in latus hostium impetum fecerunt. At illi re improuisa consternati aliquandiu, tamen conuersis equis restiterunt: ad extremũ uerò cõturbati & impulsi, fugam fecerunt. Ibi tunc magna fugientium strages edita. Neminem enim, præter quinquaginta insigniores captiuos, Vngari uiuum seruabant. Nec tamen incruẽta cessit eis uictoria: cecidêre multi fortes uiri, in quibus nobiles in primis Paulus Knes, quo nomine Slaui ducem & sacerdotem appellãt, & Iaxitius Rascius ductores agminũ: quorum opera maximè uictoriam illam tam præclaram & omni æuo memorabilem Bathorus, quanquam & ipse saucius, Mathiæ retulit. Ille enim graui pedum dolore impeditus, in Vngaria decumbebat, usqueadeò afflictus, ut passim diuulgaretur, eum extremum clausisse diem, ueneno sub-

Cazimirus à Moschico bello abhorruit.

Lituani imbelles facti.

Inducię Lituanorum cum Moschis.

Turcæ Transyluaniã infestant.

Bassa.

Prælium Vngarorum cum Turcis.

Turcæ uicti ab Vngaris.

Knes.

Mathias podagricus.

neno ſublatum. Sed probauit is anno ſequenti ſe uiuere, Auſtriam per Thomam Tarciū populatus, & Rachesburgo oppido per uim potitus: cum à Turcis ad alia bella, quemadmodum ſtatim exponemus, auerſis, otium & quietem nactus eſſet, cum Polonis aūt & Boemis pacem feciſſet. Cauſam autem eius belli fuiſſe uolunt quidam repetitionem coronæ Vngaricæ, quam Bernardus archiepiſcopus Strigonienſis cum theſauro regio fugiens in Germaniam aſportauerat. Verùm id bellum mox inducijs interceptum eſt. Eum uerò annum & conſequentes aliquot Cazimirus rex iam grandæuus, cum uxore & liberis in Lituania uenationibus uacans conſumpſit: neq; memoratu dignum quicquam tunc in Polonia, pace per circuitum parta, accidit, præter quòd Ioannes Dlugoſſus canonicus Cracouienſis, non multo antè deſignatus archiepiſcopus Leopolienſis, uiuere pariter & annales Polonicos ſcribere deſijt, uir nobilis de gēte Vienauia, uirtute & conſtantia ſumma, eruditione & facundia, ut illis temporibus, non uulgari, & induſtria ac dexteritatē in rebus gerendis ſingulari præditus: quas ob res quamuis Cazimirum regem Sbignei, ac deinde rurſus Iacobi Senneniorum ornamentis impenſius ſtudēdo, graiter offendiſſet, ita ut ſacerdotiorum fructibus ſpoliaretur, Cracouia à præfecti apparitoribus contumelioſe eijceretur, proſcriptuſq; de uita periclitaretur: poſtea tamen idem rex plurimum eius opera in obeundis legationibus maximi momenti atq; dignitatis, & in erudiēdis liberis ſuis uſus eſt: unde ditatus, inſignia reliquit beneficētię ſuę pietatiſq; monumēta. Sed quoniam extat uita eius, ſiue à Philippo Callimacho, ſiue à quoquam alio diſertè ac diligenter conſcripta, ſatis ſit obiter hæc paucula de eo perſtrinxiſſe. Anno dehinc tertio ad medium menſis Iunij peſtis atrox ex Vngaria proſerpens, Cracouiam cunctam'que minorem Poloniam inuaſit: ſequenti uerò anno maiorem quoque Poloniam, Maſouiam, & Pruſsiam, ac Boemiam quoque peruaſit, & plurimos mortales abſumpſit. Inter quos inſignis fuit Simon Lipnicienſis, eccleſiaſtes diſertus, Bernardiniani ſodalitij ad meridianā portam Cracouiæ degentis, homo plebeius quidē, & obſcuro loco natus, ſed probitate & ſanctimonia uitæ clarus, ita ut ęgroti cōplures ad ſepulchrū eius priſtinæ ſanitati reſtituti eſſe memorētur. Quod quidē de Cazimiro quoq;, Cazimiri regis filio, nō modò conſtanti fama, ſed etiam certis grauibusq; teſtimonijs affirmatur: qui Simonem hunc intra uertentem annum conſecutus eſt, apud Vilnā tabe conſumptus, & in baſilica eius urbis à patre ſolenni pompa ſepultus: clarus & ipſe ſanctitatis opinione. Fertur autem is tam caſtè & continenter uixiſſe, ut medicis concubitum ſuadentibus, ſi ſanus eſſe uellet, mortem oppetere, quàm legem pietatis Chriſtianæ tranſgredi maluerit: longè aliter ſentiens, quàm plerique mortales corruptiſsimo hoc noſtro ſeculo, qui neque pœnitendum, neque pudendum ſibi eſſe ducunt in cœno libidinum uolutari. Creuerat interim in Polonia licentia hominum & audacia, cœperantq; nonnulli nobiliores etiam rapto uiuere. In quibus Chriſtophorus Safranecius, nobili genere ortus, & non contemnendis opibus præditus, facta manu perditorum hominum è

Auſtria uexata à Mathia & Vngaris.

1480 ann.

Ioannes Dlugoſſus hiſtoricus, & archiepiſcopus Leopolienſis deſignatus, obijt.

1482 ann. Peſtis dira.

Simon Lipnicienſis.

Cazimiri ſancti principis mors & caſtitas.

Pescouascala arce, uias publicas infestabat, mercatoresq; Cracouienses complures copiosos & honestos Lublinũ ad nundinas proficiscentes diripuerat & trucidarat. Hac igitur de causa proscriptus, & cũ proscriptionem cõtemneret circumuentus & captus, Cracouiæ iussu regio capitali pœna affectus est. Ita pacatiores tamen factæ sunt uiæ. Nec Boemia interim, & Praga præsertim, à domesticis motibus quieta fuit, schismaticis & profligatis sacerdotibus atq; cõcionatoribus in absentes episcopos, Cardinales, & pontificẽ max. mox in pręsentes monachos, & magistratus urbanos, ac in regem denicq;, populũ concitantibus. Nec profuit indulgẽtia & patientia regis, ac ne coercio quidem seditiosorum, quo minus probra & cõtumeliæ in eum iactarentur, ac de uita is quoq; Pragę, & apud Cuthnos montes, quò secesserat, periclitaretur. Senatus quidem ueteris & nouæ Pragæ à furente multitudine cõtrucidatus est, & monasteria direpta. Sed eam culpam Henricus & Hinco Podiebradij duces, à Pragensibus redempti, apud regem mitissimũ, & uires suas expendentẽ, facilè deprecati sunt. Valde quidem Vuladislaum pœnituit susceptí tam turbulenti & egeni regni: cuius reditus plerosque omnes Georgius Podiebradius distraxerat, & insuper trecenta millia aureorum filijs suis debere se profitebatur, quæ Vuladislaus rex factus, exoluturum se ipsis promiserat. Et soluit sanè, cum Boemi publicè ingens tributum in eam rem contulissent. Sed nos nostra prosequamur. In Russiam deinde Cazimirus rex iter fecit, ut à Stephano Valachorum palatino pridem promissum ac diu dilatum fidelitatis iusiurandum ritu solenni acciperet, ipsomet palatino, qui ad eam diem uarijs caussificationibus id extraxerat, inuitante, ex huiusmodi causa. Imminebant tunc toti orbi Christiano Turcarum arma. Afflixerat Rhodum graui bello Mahometes, & metropolim eius insulæ uehementissimè oppugnarat: sed non expugnarat tamen, magna cum ignominia & strage reiectus. In Appulia uerò Bestiam, & alia quædam ignobilia oppida ui cæperat ac deleuerat: Hydruntum aũt pręsidio firmauerat, indeq; eam oram omnẽ lõgè lateq; ferro & igni uastabat. Vtrumque hoc bellum per legatos, quos illi Bassas uocant, gesserat, ipse eodem tempore cum tertio exercitu in Syriã profectus erat. Sed in itinere prope Nicomediam extinctus, laxamentũ ijs quibus terrori fuerat, attulisse morte sua uidebatur, propterea quòd Turcæ scisi in duas factiones, partim Baiazeti natu maiori, partim Zizimo minori filio eius fauebant, bello q; ciuili impediti erant: ita ut ij qui Hydrunti erant in prælidio, cum ab Italis, ad restinguendũ illud quasi cõmune incendium duce Alfonso Ferdinandi regis Neapolitani filio, principe Calabriæ, accurrentibus premerentur, omni ope suorũ destituti, deditionem facerent. Vbi præclaram Christianis operam Vngari, quos Mathias rex affini suo in auxilium miserat, nauarunt, utpote exercitati bellis Turcicis. Videbatur itaq; respiratura esse aliquantisper respub. Christiana, ipsis inter se Turcis belligerantibus, cum Zizimus, quem alij Selimum uocant, à Baiazete prælio superatus, ad Sultanũ Aegypti se recepit: cumq; opibus & auxilijs eius fretus, bellum atque prælium instauraret, iterum uictus, Rhodum profugit: à

Rhodiensium

Christophorus Saffranecius ob latrocinium capite plexus.

Boemia et Praga ab improbis concionatoribus turbatur.

Vuladislai regis pericula.

Pragensis senatus trucidatus à plebe.

Vuladislai pœnitentia.

Boemici regis egestas.

Turcarũ uaria huius temporis bella.

Turcæ à Rhodo reiecti.

Appulia uastata.

Hydruntum captum.

Bassa.

Mahometis mors.

Turcarum ciuile bellum.

Hydruntum receptum.

Vngarorum uirtus.

Zizimi Turcæ fuga, captiuitas, & mors.

Rhodiensium uerò militum magistro ad Innocentium octauum pontificem max. qui Sixto sucesserat, Romam transmissus, & à Carolo octauo rege Gallorum Neapolim cum exercitu contendente receptus, in itinere uitam finiuit, ueneno, ut creditum est, extinctus Alexandri sexti pontificis opera, qui tunc Innocentio defuncto successerat. Ita Baiazetes pacem domi nactus, ut ignominiam & clades paternas à Stephano acceptas ulcisceretur, anno post Christum natum 1484, in Bessarabiam & Valachiam terra mariq; expeditionem fecit: Kyliam, quam Litostomon Græcis ueteribus dictam esse quidam autumant, & Moncastrum siue Bialogrodum, urbes munitissimas, illam ad Danubij, hanc uerò non ad Boristhenis, ut uult Paulus Iouius, sed ad Tyræ siue Nestri ostia sitam, non sine magna strage suorum in potestatē suam redegit, Moldauiamq; omnem eo ipso & sequenti anno peruastauit: subegisse Iouius memorat, sed falso: quod statim planum fiet. Cessit quidem tunc Stephanus potentiæ Turcicæ, cum ei longè imparem se esse animaduerteret: tutioribusq; & impeditioribus locis, ut est montosa & syluosa ea regio, sese continuit. Cazimiri autem regis opem implorauit, promittens in uerba eius iuraturum se tandem esse. Non putauit Cazimirus negligendam sibi esse illam occasionem deuinciendi & subiungendi sibi eius principis, qui Tartaros, Turcas, Vngaros uicisset, magnisque incommodis affecisset, suum autem imperium ad illud tempus detrectasset. Quamuis autem facilè conijceret, stabile firmumq; non fore id, quod non uerè & ex animo ageretur, sed temporis modò causa simularetur, cōsultius tamen & cum minori periculo suo suorumque coniunctum esse ducebat, cum illo & per illum deuotos uniuersi Christiani nominis hostes à finibus suis arcere, quàm proditis quodammodo Valachis, omnem grauissimi belli molem in semet deriuare. Quamuis enim nullam ipse Turcis inferendi sibi belli occasionem daret, non temperaturos tamen eos sibi esse ab inuadenda & infestanda Russia, Podolia & Lituania, si Valachiam subegissent, & illum quasi intermedium parietem diruissent: ac uel ipsos Valachos infestissimos sibi fore, quòd ope sua destituti, in barbari tyranni potestatem redigerentur: denique uel sola fama aduentus sui Valachis quidem redditum iri animos ad defendendū sese suaq;, Turcis uerò terrorem incussum iri, ne longius progrederentur, aut diutius in munitionibus Valachiæ subigendis immorarentur. Formidabile enim tunc erat Turcis nomen Polonorū. Igitur sub initium autumni anno Christi 1485, Leopolim rex contendit, eoq; Russica & Podolica nobilitas omnis euocata ipsi præstò fuit. Permulti etiam de Polonis & Lituanis uoluntarij partim officij, partim spectaculi gratia illuc ad eum cōfluxêre, equis armisq; bene instructi, ita ut uiginti millium equitum bello aptorū numerum comitatus ille expleret. Cum eo porrò Nestro seu Tyra amne apud Haliciam transmisso, Colomeiam ad constitutam cum Stephano diem sese contulit, & in latè patenti campo castrametatus est. Nec multo pòst Stephanus quoq; cum insigni procerum equitumq; caterua affuit. Sublime solium in papilione regio præparatum erat: in eo rex ornatu regio

Innocentius octauus papa.

Alexāder sextus papa.

Baiazetes Imp. Turcarū. 1484 ann.

Kylia & Bialogrodū urbes captæ à Turcis.

Pauli Iouij error.

Moldauia peruastata à Turcis.

Valachiæ situs.

Cazimiri consilium de rebus Valachicis.

1485 ann.

sedebat, adstantibus consiliarijs. Stephanus, ubi appropinquauit, equo præstanti uectus, solus exclusis omnibus receptus est in medium ab equitatu regio cingente papilionem: desilienscp, à primoribus regij consilij obuiam prodeuntibus ad regem introductus est, uexillum signo terræ Valachiæ exornatum manu tenens: & adorato, ut mos est gentis, rege, uexilloqp ad pedes sedentis abiecto, in genua procidit. Interea solutis ex composito funiculis, qui papilionem sustinebant, quæ fiebant intus cunctis longè latecp patuêre. Ibi tunc Stephanus nihil ea re motus, solenni ceremonia conceptis uerbis iusiurandum dedit, se cum uniuersa Valachia in fide & clientela Cazimiri & successorum eius regum Poloniæ semper fore, nec alium quenquã, præter ipsum, dominum agniturum esse: contra quos suis hostes ipsi summis uiribus prẽstò futurũ: nullum cum quoquam fœdus cõtra ipsum initurũ, necp hostile quicquã contra eum & Polonos moliturum: præmoniturũ etiam, si quẽ moliri quicquã eiusmodi præsenserit: pacem denicp bellũcp cum nemine iniussu regis facturũ esse: quibus quidem uerbis extremis Mathias rex Vngarorũ, qui & ipse Valachię dominatum siue patrociniũ sibi uẽdicabat, tacitè designabatur. Extat ea de re in Archiuio regis diploma Stephani, ab ipso & quatuordecim cõsiliarijs eius consignatũ. Ita tũc ferox ille & acer bellator, & superbus multorum populorũ regumcp uictor, nõ nisi extrema necessitate adactus, regi Polono collum subdidit. Subleuatus deinde à rege, & ad osculum admotus, mensæcp adhibitus cum tredecim suæ gẽtis primoribus, & perhumanè acceptus, denicp hospitalibus donis ornatus, in Valachiam se recepit, tribus millibus equitum auxiliariorũ ex omni numero delectorum à rege acceptis, quibus Ioannes cognomento Polacus præfuit. Post quod tẽpus Stephanus Polonicorũ auxiliorum ope fretus, ad discrimẽ quidẽ uniuersæ dimicationis cum Turcis nõ uenit, sed particularib. certaminibus eos uehemẽter exercuit, & sæpe nõ sine strage fudit, fugauitcp, Valachis, qui & ipsi ęquè ac Turcę leuiore armatura utebãtur, animose in eos procurrentibus: & cũ premerẽtur, ad Polonorũ signa agmencp extremũ sese recipiẽtibus, & cum ijs pariter hostẽ ferocius in se inuehentẽ reprimentibus. Ita retinuit tamen principatũ suũ Stephanus, quãuis mutilũ. Excesserę enim Turcæ Valachia, Kyliã tamen & Bialogrodũ præsidijs firmarũt: tractumcp illũ maritimũ, quem Bessarabiã uocant, in potestatẽ suam tunc redactum, in hãc uscp diem obtinent. Per hoc tẽpus Fridericus imperator Maximilianũ filiũ, assentientib. principib. electoribus, Cęsarẽ siue regem Romanorũ appellauit, & ritu solẽni Aquisgrani inaugurari curauit. Nec ita multo pòst aliquot res aduersæ Maximilianũ exceperũt. Primũ enim insequẽti anno captus is est à Flandrẽsib. suis, re à Gallis instructa, & Brugis in custodia habitus aliquandiu. Liberatus tandẽ à patre, aliquãto pòst Brugenses insigniter ultus est. Deinde Carolus Gallorũ rex, qui cũ Margarita filia Maximiliani paruula etiãtum nupta erat, Annã spõsam, ducis Britannorum filiam, quã defuncta Maria uxorem ducebat Maximilianus, ei prẽripuit, Margaritamcp repudiauit. Maximilianus autem postea Blancam Mariam Galeacij Mediolanensium ducis filiam uxorem duxit. Sed

Stephanus pal. Moldauiæ cũ suis iurat in uerba regis Cazimiri.

Polonorum auxilia Stephano Valacho data. Ioannes Polacus.

Turcæ à Stephano fatigati.

Beßarabia.

Maximilianus Cæsar coronatus.

Maximilianus Cæsar captus. Brugenses puniti.

Maximiliano sponsa prærepta.

Blanca Maria Maximiliani uxor secunda.

xit. Sed hæc posterius. Tunc autem Cazimirus constitutis rebus Valachicis, in Poloniam rediit: & Cracouiæ aliquaudiu quietus, & quasi uacatione ætatis utens, mansit: Fridericum filium natu minimum studio & opera sua ad episcopam Cracouiensem secundum Ioannem Ressouium tunc mortuum euexit. quod quidem anno Christi 1488 factum est. Tartaricum autem bellum per Ioannem Albertum filium gessit. Infestabat ea gens crebris incursionibus, magnisq; incommodis afficiebat Podoliam atq; Russiã, siue ultro, egestatisq; suę subleuandæ gratia, siue à Turcis in Valachia iritatis, incitata. Fumabant longè lateq; non modò uillarum & pagorum, sed etiam uicorum & oppidorũ incendia: abducebantur in fœdam ac barbaricam seruitutem agrestes iuxtà ac nobiles uiri, matronæ & puellæ: senes uerò ac pueri, longioris atq; celerioris itineris laborí ferendo impares, immaniter trucidabantur: & miserabilis erat omnino rerum facies. Excitus tandem suorum querimoniis, clamoribus, conuiciis, & commiseratione Cazimirus anno Christi 1489, cum celeri nuncio Tartaros, transmisso apud Tauane Boristhene, Podoliæ & Russiæ imminere accepisset, Ioannem Albertum cum expeditis copiis auici comitatus sui contra eos misit: ac Russicæ & Podolicæ nobilitati, ut cum eo sese coniungeret, imperauit. Et fuit ea dicto audiens. Cum autem cognouisset Ioannes Albertus, Tartaros solita celeritate usos, rapta præda raptim recedere, curriculo secutus eorũ uestigia, per nota uiarum ac tramitum cõpendia ducentibus Podoliis, ad Copestrinũ uicum perue nit: ibi certior fit ab exploratoribus & captiuis, Tartaros bipartito agmine cum duobus ducibus, quos Cęsares siue Zaros illi uocãt, reuertentes, partim ante se haud longè abesse, partim aliquanto interuallo subsequi. Relictis igitur cum exiguo præsidio sarcinis, & iis equitibus, qui debilitatis cursu equis sequi non poterant, in id agmen hostiũ quod anteceſſerat, maiori animo quàm consilio à tergo impetum fecit. Tartari à longè, ut in patenti planicie, nostros aduentantes conspicati, diduxere agmen conuersis equis, ut est mos gentis: densoq; sagittarum imbre, sursum uersus eiaculati, equos pariter & equites supernè consauciabant, donec præpeti cursu inuectis nostris res cominus gladiis geri cœpit: ibi uerò impares nostris armatioribus, in fugam conuersi sunt: quam tamen obiecta cœnosa palus impediebat. Itaque multi in prælio, longè plures in fuga cecidere, capti multi: pauci ex eo agmine, quod quindecim millibus equitum constitisse memoriæ proditum est à Vapouio, cum duce abiectis equis in palude hęsitãtibus, pedestres euasere. Pręda omnis à nostris recuperata, & captiuis exuuiisq; hostiũ cumulata. Nec mora ad cęteros qui sequebantur nostri retrò contendere: fortefortuna ij improuiso aduenientes, impedimentis nostrorum apud Copestrinũ relictis potiti erant, & cum ibi aquæ mulsę, qua ferè in potu utũtur Russi & Podolij, aliquantũ reperissent, ex itinere sitientes largius sese ingurgitabant, diffugisse nostros rati. Id cum nostri cognouissent, in comessabundos & ebrios facto derepentè impetu, quasi in pecudũ cæde ad lassitudinẽ usq; uersati sunt. Dux quoq; hostiũ alter correptis armis, tẽtatoq; nequicquã cum paucis

Fridericus episcopus Cracouiensis.

1488 ann.

Tartarorũ excursiones in Podoliam & Russiam.

1489 ann.

Tauane.

Copestrinum.

Zari.

Polonorum de Tartaris gemmata uictoria ductu Ioannis Alberti.

Aqua mulsa.

inordinatis Marte cecidit, decem millia equitum in hoc agmine fuisse Vapouius prodidit, & ex eo numero paucos euasisse. Sũt qui ad Sauoranũ, siue Safranũ flumen, quod in Bogũ influit, hæc gesta esse memorẽt. Non quieuêre tamen postea Tartari: sed cum rursus in Podoliã populabundi hyberno tẽpore excurrissent, niuibus, quæ plurimæ tunc deciderant, impediti, rursus insigni strage à nostris tumultuariè coadunatis profligati sunt. Verùm hæc uictoria de nouem millibus Tartarorũ, posterius, neq; Ioannis Alberti ductu parta est. Tunc aũt Ioannes Albertus re bene gesta, & lectis hostiũ spoliis, uictor ad patrẽ reuertit: ex eo clarus charusq; cunctus haberi cœptus, militibus pariter & captiuis reducib. uirtutem, dexteritatem & prudentiã eius prædicantibus. Quę res magno ipsi adimento fuit ad regnum Vngarorũ adipiscendum, nisi fortuna nouerca in medio cursu eũ destituisset: quod mox persequemur, si paucis prius attigerimus, quæ hoc ipso anno acta sunt: nẽpe quòd Cazimirus rex fœdus icit cum Baiazete Turcarũ imperatore, per oratorẽ suum Nicolaũ Firleium gente Leopardiũ, qui postea castellanus Cracouiẽsis, & dux exercitus Polonici fuit, hac lege, ne quid alter alterius ditioni incõmodaret. Cũ Vuladislao quoq; filio Boemorũ rege idem societatẽ contra Mathiã Vngarorum regẽ iniit. Erat enim Mathias quietis impatiẽs: & cum plurima de Vuladislao partim bello, partim iniquo fœdere quæsiuisset, plura tamen indies appetebat: ducesq; Silesios Ioannẽ Zeganensem, & Henricũ Munsterbergensem durissimis pactis ad dedẽdas sibi munitiones Zeganum, Sprotauiã, Cozuchouiam, Suebodinũ, Grunbergã, Polcouiciam, Vartembergam, & Francheſteinum, adegerat: contra Fridericum imperatorẽ, cui Vuladislaus cliẽs imperij, rectè deesse nõ poterat, bellũ instaurabat: Austriã infestabat, & multas eius munitiones in potestatẽ suã redigebat: quin Boemiæ quoq; imminere uidebatur, & in Vuladislai caput Boemos quosdã sicarios cõparasse dicebatur. Vuladislaus igitur omnia domi foriscq; suspecta habẽs, & in paupere regno, tamẽ alieno quoq; nomine ualde obæratus, cum se Mathię uiribus imparẽ esse, Fridericũ uerò non modò nihil opis afferre sibi posse, uerùm etiam ope sua indigere cerneret, ad patris arma recurrendũ sibi esse putauit. Nec ille abnuit societatem, cùm filij, tum sua ipsius causa. Nouerat enim inquietũ Mathiæ ingenium. Sed insequẽti anno is omnes eos periculo & metu liberauit. Et intulit is quidẽ bellum Austrijs, exercitũ Friderici imperatoris fudit, munitiones Austriæ plerasq;, & in his caput gentis Viennam, in potestatem suam redegit, Nouam urbẽ obsedit: uerùm dum ea obsidetur, ipse Viennæ apoplexi extinctus est. Funus eius raptim & minimè regali pompa Albam regiam, ubi regum Vngarorum sepultura fuit, ab Vngaris elatum. Quo cognito Maximilianus Cæsar, Friderici imperatoris filius, cum exercitu aduolans, Viennam & omnem Austriam in potestatem suam redegit, & patri reddidit: nigram legionem, reliquias Mathiani exercitus, fudit ac dissipauit: mox Tirolensem comitatum, qui à Venetis infestabatur, donatione Sigismũdi patrui sibi adiunxit. Mors Mathiæ regis, noui, quanquam non diuturni, nec atrocis belli inter Vngaros &

Sauoranus siue Safranus fl.

Tartari rursus fusi.

Ioannes Albertus Cazimiri filius claresçit.

Cazimiri fœdus cum Baiazete.

Nicolaus Ferleius.

Polon. et Boë. regum societas cõtra Mathiã.

Mathiæ regis inquietudo.

Austria infestata ab Vngaro.

Mathiæ res gestæ in Austria.

Vienna capta.

Mathiæ regis mors.

Vienna & Austria recuperata à Maximiliano.

Tirolensis comitatus.

garos & Polonos causa fuit. Quod quidem ex intestino Vngarorũ procerum inter se dissidio coortũ est. Nam ij diuersis studijs partim ad Vuladislaum regem Boemorum, partim ad Ioannem Albertum alterum Cazimiri filium, de quo dudum mentionem fecimus, regnum detulerunt: nec deerant qui Maximilianum Cæsarem regnare uellent: erant etiam, qui externos reges fastidientes, Ioannem defuncti Mathiæ nothum filium, quem blandè Hanselicum uocabant, regem appellabant. Non repudiauit Ioannes Albertus oblatum regnum, inuitantibus & orantibus qui ipsi studebant Vngaris, patre uerò suadente, & sumptus præbente. Sed Vuladislaus accitus à suis fautoribus, celeriter cum tumultuarijs Boemorum copijs adfuit: & Budam caput regni, fauore Beatricis reginæ, spe nuj matrimonij illectæ, quæ aspectu eius Olomucij capta erat, pulso Hanselico occupauit. Id cum didicisset Ioannes Albertus, accepto à patre exercitu, in quo duodecim millia hominũ mercede conductorũ censebantur, sub signis in Vngariam ingressus est: & Sobinouiam, Aperiassum, & alia quædam oppida, quæ ipsi Budam contendenti in itinere occurrebant, in deditionem accepit. Cassouia uerò urbs & arte munita, & ualido aduersariorũ præsidio munitior, & cõmeatu bene instructa, ueniẽti portas claudit. Nõ uisum est eam Ioãni Alberto præterire, ne hostis à tergo relinqueretur, néue cæteræ munitiones, eius exẽplo, noui regis imperium detrectarent. Itaq; obsideri ea, & bõbardis è Polonia aduectis oppugnari cœpta est, sed nullo operę precio: ab extrema ęstate in mediam hyemẽ extracta obsidio. Interim tẽtata est pax inter fratres ab Ioanne Varadinẽsi, eodemq; Olomucẽsi episcopo, uiro prudente & docto, qui ea de re in Poloniam ad Cazimirũ, ex quo Ioannes Albertus dependebat, excurrit: sed nihil impetrauit. Vuladislaus uerò, cũ primores Vngaros pleroscq; omnes opera & largitione Beatricis, quæ thesaurũ regium in potestate sua habebat, ad se pellexisset, exercitum ad reprimẽdos fratris conatus misit. Cum autem in propinquo essent duo exercitus, cœptum est ab Vngaris de pace agi, nolentibus regnum dubiæ Martis aleæ committere. Constitutæ ad certum tempus inducię, per quas illi Vuladislaum, Ioãnes Albertus uerò patrem consuleret, ac de conditionibus pacis inter dissidentes conueniret. Interea Ioannes Albertus soluta obsidione, Aperiassũ se recepit, & Vngari diuersi abiere. Erat Cazimirus tunc in Lituania, ad repetenda bello sua, quæ Moschi interuerterant, sese comparans. Etenim post Nouogrodum magnum subactum, Russorum Seuerienſium principes ultro ad Moschos defecerant, non maxima re offensi: nempe quòd cum Vilnam uenissent, ad regem quodam tempore intromissi non sunt: cumq; unus quispiam ex ijs importunius urgeret, ianitor digitum eius foribus presit & confregit. Et luit quidem capite pœnam ianitor, non fuit tamen eo satiata ira principum: quin ij profecti rectà ad Moschorum ducem, eius imperio se suaq; omnia subiecerunt. Siue autem hæc fuit causa defectionis, siue illa potius, quòd despicatui se esse Lituanis animaduerterent, ac de religione ritu q; sacrorum ab illis quidem dissentirent, cum Moschis uerò consentirent, illa tamen occasione permoti, meditatum

Vngarorũ dissidium in creãdo rege.

Bellum inter fratres.

Beatrix regina Vuladislao fauet.

Ioannis Alberti expeditio in Vngariam.

Cassouia obsessa à Ioanne Alberto.

Seuerienſium Russorum defectio ad Moschum.

meditatum fortaſsis iam antè facinus maturarunt. Hęc igitur Cazimiro Moſchici belli cauſa fuit: & tamen maiore euehendi filij, quàm recuperandi amiſſa ſtudio incenſus: ira etiam in alterum filium, uelut nimio plus cupidum, & in ſe ingratum, ſtimulante, pacem Ioanni Alberto diſſuaſit, ac proſequi eum cœptum bellū iuſsit: ad futurum ſe ipſi cum ualidis ſuorum copijs, ac Tartarorum auxilijs, cum primùm res Lituanicas cōpoſuiſſet, pollicens. Valde erant diminutæ Ioannis Alberti copiæ, plurimis militibus ad mentionē pacis, & quòd per inducias anguſtiore annona & pabulo utebantur, dilapſis: & tamē ei patris authoritatem ſecuto, inchoatum
1491 ann. bellū proſequi in hoſtico placuit. Finitis igitur inducijs, cum primū per tempus anni ſequētis potuit, proxima quęq; is populabundus uexabat, uaſtabatq;: donec Vuladislaus querelis ſuorum, quorum agri uaſtabantur, motus, octodecim millia peditum pariter & equitum ex Vngaris atque Boemis coadunauit. Maturandum autem is ſibi eſſe duxit, quò patris aduentum præuerteret, quem ſibi infeſtum, graue bellum comparare audiebat. Vix quatuor millia bellatorum Ioannes Albertus habebat, dilapſis, ut ſuprà memorauimus, cæteris: nihil tamen territus hoſtilis exercitus aduētantis magnitudine, turpe eſſe ducebat & inutile, intra munitiones ſeſe continentem, obſidionis incommoda tolerare, & patris centum quadraginta ferè milliaribus Germanicis abſentis & ægrè molientis opem expectare. Itaq; cohortatus ſuos, ut pugnantes, & non inulti, ſicuti uiros fortes decet, mortem oppeterent potius, quàm ignauè fugientes, aut latitantes pecudum in morem trucidari ſe paterentur, in aciem eos
Prælium inter fraternos exercitus. eduxit. Dato utrinq; ſigno pugnę, ad manus uentū eſt: ſtrenuè ſe gerebāt Albertiani, primosq; hoſtiū loco mouerant: ſed prægrauāte multitudine repreſsi, multis fortib. uiris amiſsis, ceſſere tandem. Dux ipſe cum fruſtra aliquandiu inſtaurare prælij conatus eſſet, duobus equis in ardore pugnæ amiſsis, tertio quoq; grauiter ſub uentrē ſauciato, uix tandē Aperiaſſum euaſit. Parum aūt abfuit, quin à duobus Boemis inſequentibus caperetur, cum fracto gladio, quo ſe tueretur non haberet: ni Crupſcius eques Polonus accurrens, ſuum ipſi gladium porrexiſſet, quo quidem ille utrunq; hoſtem tranfixit. Vuladislaus de euentu pugnæ certior factus à ſuis, non obſcurè præ ſe tulit, magis lætari ſe de ſalute fratris, quàm de uictoria ſua: miſsisq; ad eum legatis, pacem cum eo fecit his conditionibus: ut Vngariā is deinceps miſſam faceret: Vngaris, qui in uerba ipſius iuraſſent, iuſiurandum remitteret: acciperet autem in Sileſia Glogouiam maiorem, Cozuchouiā, Sprotauiam, Zelonagorā, Suebodinū, Giuram, Croſnā, Scenauiā, Opauiam, Carnouiā, Toſcum, Bythomiā, Suirchlenecīā, & Cozle, eaq; omnia ditione teneret, unà cū liberis ſuis maribus, ſi quos habiturus eſſet, tātiſper quoad rex factus nō eſſet: uerùm ut ferrēt tamē homines eorum locorū onera publica ex ęquo cū Vngaris, dux aūt ipſe Ioannes Albertus liber & immunis prorſus ab ijs eſſet. Interea uerò dum hæc præſtantur, Aperiaſsum is & Sobinouiam retineret. Quòd ſi Vuladislaus nullis relictis liberis decederet, Ioānes Albertus poſt eū regnaret apud Vngaros. Nemini aūt fraudi eſſet, cum eo cōtra Vuladislaū ſenſiſſe.

Ioannis Alberti fortitudo & fuga.

Crupſcius.

Vuladislai regis pietas.

Pacta inter fratres.

Glogouienſis Opauienſis, & Carnouienſis, dominatus in Sileſia Ioanni Alberto cōceſſi à fratre.

senſiſſe, ad hæc, ut ijs qui Mathiæ regis tempore exulaſſent, liber ad ſuos patêret reditus. Denicꝙ captiui utrinque ut redderentur, itemꝙ munitiones captæ. Hæc ita tunc inter fratres conuenta, conſcripta, ac Vuladislai regis, & quindecim procerum Vngarorum ſignis conſigna ta, extant in Archiuio Cracouienſi. Extant & aliæ literæ, quibus idem rex tributa ſiue exactiones, quæ ſibi publicorum onerum nomine ex ijs ditionibus pendi debebant, eidem fratri condonauit. Quibus peractis Ioannes Albertus in Poloniam ſe recepit. Vuladislaus anteꝙ dimitteret exercitum, Hanſelicum quoꝙ cũ non contemnendis Valachorum copijs Budam contendentem, & mox Maximilianum etiam Cæſarem, qui & ipſe ex pacto Friderici patris, quod ille tamen Mathię armis adactus repudiauerat, regnum Vngariæ ſibi uendicabat, & Albam regiam cæperat, profligauit. Sic ille tunc Vngariam pacauit. Nec tamen Beatricem uxorẽ duxit. Porrò Cazimirus Polonorum rex in Lituania certior factus de aduerſa Ioannis Alberti pugna, et quòd is ſaluus tamen euaſiſſet, bello Moſchico inducijs in aliud tẽpus dilato, maturabat redire in Poloniam, ut acceptam in Vngaria ignominiam inſtaurato bello deleret: id adeò ſiue quòd nihil dum de tranſactione filiorum inter ipſos cognouiſſet, ſiue quòd eam tranſactionẽ nõ probaret: tametſi abſque eo nõ deerant ei cauſę redeundi in Poloniam, ut Annę filiæ Boguſlao Scecinenſium Pomeranorum duci deſponſę nuptias faceret, eamꝙ honoris gratia deduceret, & Ruſsis opẽ ferret. Nã ruſticanus quidã homo, cognomento Mucha, collecto è Valachis & Ruſsis Pocutienſibus decem milliũ hominũ exercitu, Ruſsiam infeſtabat, ſi nõ concitante, cõniuẽte quidẽ certè Stephano palatino Moldauiæ. Tametſi Muchã tunc Nicolaus Chodecius, cognomẽto Zemelca, uir fortis, et rei militaris peritus, cum mercenario milite Polonorũ ære conducto, cui præerat, fudit & repreſsit, multitudinemꝙ illã promiſcuã diſsipauit. Cœperat tamen Mucha poſterius Ioanne Alberto iam regnante exercitũ reparare. Sed cũ ad mulierẽ quandam Ruſſam, in quam deperibat, clanculũ ſubinde cõmearet, obſeruatus & captus à Ruſsis nobilibus, Cracouiam ad regẽ miſſus eſt, ibiꝙ in cacere uitã finiuit. Vilna igitur profectus rex Cazimirus, cũ Troccos unius diei itinere peruenisſet, lãguere cœpit: et ingraueſcente morbo, ubi animaduertit ſupremũ uitę diẽ ſibi inſtare, teſtamentũ condidit, quo Vuladislaũ filium exhæredauit. Deinde ſacroſanctis Chriſtianæ religionis myſterijs ritè perceptis, menſe Iunio animam exhalauit, anno Chriſti 1492. Inde funus eius in Poloniam ſolenni pompa elatum, in baſilica Cracouienſi ſepultum eſt. Nec multo pòſt pars urbis ad occidentem ſolem uergens, cum ea domo Academiæ, quam collegium maius uocant, fortuito incendio conflagrauit, diráque lues & peſtis pecudum atꝙ pecorum Poloniam peruaſit. Aliquanto autem ante mortem regis, poſt mediũ decembrem, tres ſoles in meridie uiſi ſunt: deinde cometes duũm ferè menſium ſpacio poſt occidentem ſolem apparuit, prodigia, ut creditum eſt, mortis regiæ. Regnauit autem is annos quadragintaquinꝙ, uixit ſexagintaquatuor. Per hoc tẽpus Turcæ

Hanſelicus, & Maximilianus Cæſar uicti à Vuladislao.

Inducię Cazimiri cum Moſcho.

Anna filia Cazimiri Boguſlao Pomeran. duci nupſit.

Mucha Ruſsiã infeſtat.

Nicolaus Chodecius.

Mucha captus & extinctus.

Cazimiri regis mors.

1492. ann.

Cracouiæ incendium.

Peſtis.

Prodigia.

Turcæ reiecti à Sabaciæ obsidione.

cum Vngariæ fines infestarent, & Sabaciam arcem, quam rex Mathias de ipsis receperat, obsiderent, Vuladislai noui regis auspicijs ab Vngaris & Boemis reiecti & fugati sunt.

MARTINI CROMERI DE ORIGINE ET REBVS GESTIS POLONORVM LIBER TRICESIMVS.

1492

IOANNES ALBERTVS REX.

Polonorum procerum dissidium in creãdo rege.

Ioannis Alberti indoles.

AZIMIRO sepulto, ad medium Augustum Petricouiam noui regis creandi causa itum est. Ibi uaria fuere studia procerum & equitum in regis defuncti filios absentes partita. Ioanni Alberto fauebant plerique propter ætatis prærogatiuam, & specimen uirtutis bello Tartarico editũ. Nonnulli, elatiore animo et supercilio eius offensi, parte de Tartaris uictoriæ Vngaricum bellũ aduerso euentu gestum opponebant: illam uirtuti militum & fortunæ, hoc imperitiæ ducis acceptum ferẽtes. Hi uerò partim Alexandro natu proximo, suauioribus moribus & liberalitate prædito, partim Sigismundo iuniori regnum destinabant. Pro Alexandro erat fœdus, quo Poloni et Lituani Iagellonis regis opera coniuncti, sub unius imperio semper se fore promiserant, & expedire id maximè regno uidebatur. Iam autem Lituani, patris morientis iussu, quemadmodum dictitabant, Alexandrum ducem sibi creauerant. Refellebant hoc alij; Lituanos contra pacta conuenta uenisse, qui incõsulto senatu Polonico ducem sibi creassent: indignum esse Polonos in rege creando eorum sequi sententiam, quibus ipsi præire deberent. Haberet sibi Alexander Lituaniã, Ioannes Albertus, Silesiam à Vuladislao fratre, assentientibus Vngaris & Boemis proceribus, pacto promissam cum spe regni Vngarici: Sigismundum fato quodam aut prouidentia diuina Polonis regem relictum ac destinatum esse: & uegetioris autem animi eum esse, & generosioris indolis. Huius autem sententiæ authores erant Raphael Iaroslauius Marsalcus regni, ac Tencinij, quos sequebatur cuncta Topororum familia. Idẽ sentire uidebaẽ Sbigneus Olesnicius archiepiscopus Gnesnensis. Tametsi creditũ est, eum hoc quidem præ se tulisse, re uera autem Ioannis Masouiorum duci studuisse: cum quo fixis in patenti campo tentorijs statiua habebat. Nõ obscurè enim Ioannes, uelut uetusto regum Polonorum sanguine oriundus, regnum ambire uidebatur: & mille equitibus comitatus, unà cũ fratre Conrado ad comitia uenerat. Res ad uim spectare uidebaẽ, insolentius & ferocius sese gerentibus Masouijs. Quo comperto regina Elizabetha mille sexcentos equites ære suo Cracouiæ raptim conductos, ad Fridericum filium episcopum Cracouiensem, & cæteros qui Ioannis Alberti partes tuebantur, præsidij causa misit. Ex his complures erant, qui sub Ioanne Alberto in Vngaria stipendia meruerant.

Alexander magnus dux Lituanorum factus.

Sigismundi indoles.

Ioannes dux Masouiorum ad regnum Polon. adspirat.

Elizabethæ reginæ studium erga Ioannem Albertum.

tuerant. Ibi tunc superiores esse cœperũt Ioannis Alberti partes. Cũq; frequẽs senatus in aulã regiam, ubi Fridericus diuertebat, cõueniisset, & Fridericus archiepiscopo nõ ueniẽte, comitijs præsideret, uicesimasepti ma die mẽsis Augusti Ioannes Albertus rex renunciatus est, nõ magis procerũ suffragijs, quàm populi foris circũ comitiũ stantis clamore adiutus. Cracouiã deinde reditũ est: ibiq; de more nouus rex à Sbigneo archiepiscopo ritu solẽni unctus, diadema suscepit. Et quoniam nõ satis securus erat ab ijs, qui sibi in adipiscẽdo regno aduersati erant, siue adeò quòd ulcisci ipse eos cogitabat, & potẽtiam tamen eorũ reformidabat, cum Vuladislao fratre Vngarorũ & Boemorũ rege secretò fœdus icit per oratores: quo diserte cautũ est, ut mutuã sibi opẽ ferrent reges contra rebelles subditos. Verùm non ita multo pòst, nẽpe post insequẽtis anni principiũ, Raphael Iaroslauius marsalcus, & Sbigneus Olesnicius archiepiscopus, principes eorũ qui Ioanni Alberto aduersati erant, obiere, angore animi, quemadmodũ creditũ est, confecti. Tametsi Sbigneus grandeuus aqua intercute, qua iam inde ante comitia laborare cœperat, extinctus est. Ei successor Fridericus episcopus Cracouiensis, rege fratre postulante, ab Alexandro sexto pontifice max. datus est, ita ut idem episcopam Cracouiensem retineret, Cardinalitio quoq; honore cumulatus. Adeò uerò mites fuere soles anni illius initio usq; ad mediũ Februariũ, ut arbores turgerent gẽmis, aues nidificarẽt, nouosq; fœtus excluderent. Subsecutũ est aũt frigus intensum diebus 15, quod omnia illa corrupit. Solenni inauguratione peracta, rex paucos menses Cracouiæ cõmoratus, maiorẽ Poloniã mille sexcentorũ equitũ aulicorũ comitatu toto ferè anno obiuit. Quò uenerũt ad eũ legati Venetorũ, & Baiazetis Turcarũ principis, utriq; regnũ ei gratulãtes. Ac Veneti quidem præterea, quib. Baiazetes Albania per illud ipsum tẽpus peruastata, captoq; Dyrrhachio urbe maritima, è propinquo imminebat, ad bellũ in Turcas suscipiẽdũ regẽ cohortabant. Turca uerò peramplis donis oblatis, pacẽ & amicitiã ei deferebat, siue q̃ uires Polonorũ eo bello, quod cũ Valachis gessit, exploratas reformidabat: siue q̃ prouidebat, ne pluribus simul bellis distineret. Facilè enim coniiciebat, Ioannẽ Albertũ, ni si fœdere & iurisiurãdi religione adstringeretur, non defuturũ esse Vuladislao fratri & Vngaris: quorũ ditiones uti proximas, ipse tunc infestandas ac subigendas sibi proposuerat. Nec multo pòst sanè eo ipso anno excurrerũt Turcæ populabũdi duce Cadumo Bassa in Croatiam, & usq; ad Zagrabiã peruenerunt: & Vngaros cũ Slauis & Croatis obuiã sibi progressos, insigni strage profligarunt. Hęc igit̃ tunc Baiazeti pacis à rege Polono petendæ causa fuisse uidet̃. Diu fuit anceps Ioannes Albertus quid faceret, Venetis ne an Turcis gratificaret̃. Huc eũ pacis cõmoda inuitabãt, illuc insitũ gloriæ regniq; propagandi studiũ, & ulciscendi patrui apud Varnã à Turcis interfecti libido impellebat. Ad bellũ autẽ procliuior, cũ Turcicas uires secũ perpenderet, animaduertebat apparatu maiori, & socijs auxilijsq; sibi opus esse. Occurrebant animo eius in primis Vngari, qui tunc à Turcis uexabant̃, & Vuladislaus frater.

Ioannes Albertus rex Polo. creatus.

Fœdus Ioannis Alberti & Vuladislai fratrũ regum. 1493 ann.

Sbignei archiepiscopi Gnesnensis mors.

Fridericus Cardinalis archiepiscopus, & episcopus Cracouiensis.

Intemperies cœli.

Regius comitatus aulicus.

Venetorum legatio ad regem Polon.

Albania uastata à Turcis.

Turcica legatio pacẽ petit à rege Polon.

Turcæ Croatiam depopulati, Vngaros profligarunt.

Ioannis Alberti ingenium.

ter. Cum his igitur primū redire prorsus in gratiā, ac de bello Turcico
Friderici Imperatoris mors. cōmunicare statuit. Nam Fridericus imperator senio morboq́, quem Cancrū uocāt medici, cōfectus, resecto crure, per idipsum tēpus Viennæ obierat. His ita maturo cōsilio apud se cōstitutis, uix tandē intra uer
Inducię cum Turcis. tentē annum legationē Turcicā rex dimisit, triū annorū inducias cum Baiazete pactus, iureiurando utrinq; interposito. Deinde cū Vuladislao fratre apud Liblium siue Leuociā, Vngarorum id in Scepusio op-
Congressus regum fratrum apud Liblium Scepusij. pidum est, conuentum egit, Sigismundo & Friderico fratribus natu minorib. & Friderico marchione Brandeburgensium, sororis filio co-
Fœdus & pacta regum. mitatus. Ibi publicè quidem redintegrata est inter reges germanos beneuolētia, fœdusq; inter Vngaros & Polonos. Secreto uerò actum esse dicitur inter solos fratres semotis arbitris de ratione belli gerēdi contra Turcas, ac de ejiciendo Stephano palatino è Valachia, ac Sigismundo in locū eius surrogando. Sed rumor deinde siue uerus, siue celandi consilij gratia confictus, uulgò sparsus est, infectis rebus discessum esse. Soluto fratrum conuētu, Cracouiā se Ioannes Albertus recepit: ibiq; le-
Cracouiæ incendium. gationem Turcicam alteram, quę tunc fortè oblatas inducias approbatura aduenerat, audiuit. Per quos quidē dies, ultima die Iunij atrox incendiū ad eam portam quæ Noua appellatur, post occasum solis grassatum, maximam urbis Cracouiæ partem, quæ ad Septentrionem &
Iudæorum domicilium Cazimiriam translatum. occidentem solem uergit, cum tectis turrium & mœnium atq; templis absumpsit. Post quod tempus Iudæorum domicilium, qui eousque sparsim in urbe habitarant, grassanteq; incendio illo à militibus excusserant, Cazimiriam translatum est in ripam Vistulæ: quem locum Cazimirus magnus gymnasio destinarat, & exædificare cœperat: ubi etiamnum frequentes admodū degunt. Sub finem Septembris Tartari Tau-
Tartari Podoliam & Volyniam populantur, & Polonos superant apud Visnioueciam. ricani, siue Præcopenses, in Podoliam & Volyniam populabundi excurrerunt. Qua de re maturè certior factus rex, aulicum suum comitatum ad reprimendos eos misit: qui quum se cū mercenario milite, qui tunc paucus publico stipendio ad præsidium regni conductus erat, coniunxisset, impigrè Tartaros cum grandi hominum, iumentorum, pecudum, et omnis generis pręda reuertentes persecutus est, & ad Visnoueciam castellum Volyniæ assecutus, hostem non fefellit. Excepere enim Tartari incurrentium in se nostrorum impetum, celeriterq; paucos pugnæ intentos circumuecti, ad manus quidem non temerè ueniebant, uerùm sagittis eminus equos pariter & homines configebant, &
Henricus Camenecius, ac Derslaus Glouinius occisi. plena ad extremum uictoria potiti sunt, multis claris & fortibus uiris cæsis: in quibus præstantes fuere, Henricus Camenecius, ac Derslaus Glouinius. Per eos autem ipsos dies duo portenta Cracouiæ extiterūt.
Monstra, seu portenta. Mulier enim quædam in platea, quæ à sancto spiritu nomen habet, infantem exanimem peperit, cuius dorso serpens uiuus inhærebat, arrodens ac depascēs cadauer. Altera uerò in suburbana uilla, cui Nigrę nomen est, ad decimum Cal. Nouembr. monstrum edidit: cætera quidem humana figura, sed collo & auribus leporinis, & uno grandiore intesti-
1495 ann. no totum uentrem occupante, diducto rictu spirans. Sequenti anno nihil

nihil memorabile accidit in Polonia, præter quòd Ioannes siue Ianusi- *Ioannes Masouiorum dux obijt.*
tis, Masouiorum Plocensium dux cœlebs, in humanis esse desijt. Secun- *Plocensis ditio Poloniæ adiuncta.*
dum quem Ioannes Albertus rex tractum Plocensem iure feudi, ut uo- *De Masouia trãsactio regis Polon.*
cant, ad se deuolutũ, regno adiunxit. De reliqua uerò Masouia, Cirnen-
si, Varsauiensi, Vissegradensi, Zacrocimensi, Cechanouiensi, Lomzen-
si, & Nouidvuorensi territorijs, cum Conrado fratre eius superstite se-
quenti anno ita transegit, ut is Cirnensem quidem dominatũ, socius &
fœderatus regum Polonorum, unà cum posteris suis masculis tantum
iure sempiterno obtineret: regi contra quo suis hostes præstò esset: ipso
inscio cum nemine fœdus iceret, aut pecuniam ullam subditis suis impe
raret: reliquas uerò satrapias siue præfecturas ipse modò, quoad uiue-
ret, haberet, pòst obitum eius ad regem regnumq; redituras. Idq; ita ra-
tum forè, ipse pariter cum proceribus & nobilitate, oppidorumq; pri-
moribus Lublinum ueniens, solenne iusiurandum regi daret. Verùm
id uix tandẽ post alterum annũ elapsum prẽstitit. Inundauit eodẽ anno
supra modum Vistula fluuius æstate media, ualidis imbribus auctus.
Ne sequens quidẽ annus habet quicq; magnopere memorabile, prẽter *1496 ann.*
nuptias Barbarę Cazimiri regis filiæ, quã Ioannes Albertus frater uir- *Barbara Cazimiri filia Georgio duci Saxoniæ nupta.*
ginẽ Georgio Alberti Saxonię ducis filio in matrimoniũ collocauit: &
transactionem regis cum Conrado Masouiorum duce in comitijs Pe-
tricouiensibus factam, quemadmodũ dudum memorauimus. Obijt e- *Philippus Callimachus.*
tiam eo anno Philippus Callimachus: cuius mors non ingrata Polonis
accidit. Fuit is natione Tuscus, orator & poeta non inelegans, & acri
ingenio præditus, uersatus aliquandiu in ministerio Pij secundi pon-
tificis max. Deinde uerò cum successor Pij Paulus secundus Pompo-
nium Lætũ, Platinam, & quosdam alios uiros eruditos, amicos Cal-
limachi, siue quòd de religione malè sentirent, siue quòd in se conspiras-
se dicerentur, prehendi iussisset, Callimachus, Cazimiro adhuc regnan-
te, in Poloniam profugit, & pro præceptore regijs filijs fuit. cum aũt in
familiaritatem Ioannis Alberti sese insinuasset, plurimum apud eũ gra-
tia & consilio ualuit, usq; adeò, ut cũ is rex factus esset, Callimachi arbi-
trio magistratus & honores mandarẽtur, & res pleręq; omnes publicę
& priuatæ regis gererentur. Qua re ingentẽ sibi inuidiã apud Polonos
Callimachus conflauit: quæ tamen metu potentiæ eius occulta aliquan-
diu, quodam tempore, cum is legationem regis nomine apud Venetos *Callimachus legatione functus regio nomine.*
& pontificem max. obiens, rediturus esse in Poloniam nõ putaretur, in
apertum erupit: sed rursus eo reuerso tam resedit, quam dissimulata
est, quoad ille uixit. Ad tyrannidem inuitare regem, & beneficia decre-
tacq; eius uendere, siue creditus, siue insimulatus est. Et ita sanè hoc fit, ut «
ij qui principem, aut aliquem tamen gratiæ locũ apud reges & monar- «
chas obtinent, difficulter inuidiam & obtrectationes hominum uitare «
possint: quib. nonnunq; perculsi, è summo gradu in imũ decidũt. Neq; «
enim facere possunt, quin multos offendãt, dum quibusdã prodesse stu «
dẽt. Et illos aũt quos euexerũt, æmulos plerũq; experiunt, præsertim si «
uel externi sint, uel genere opibus ue inferiores, uel auari deniq;. Perijt «

autem Callimachus, fluxu uentris exinanitus, initio mensis Nouembris, quo tempore pestis ex Vngaria & Silesia proserpẽs, Cracouiã & minorem Poloniã inuasit: quę cũ hyeme, quæ fuit asperrima, conquieuisset, æstate sequenti maiorem in modum recruduit, & ad hyemem usq; longè lateq; grassata, plurimos mortales absumpsit. Cõmodùm tamen rex nobilitatem, ac de plebe quicunq; militiæ nomina dederunt, ei subduxit: nisi q; ijs qui pestẽ effugerant, gladius tamen hostilis nõ usquequaq; pepercit. Erat Ioannes Albertus, quemadmodũ etiam superius indicauimus, gloriæ & imperij propagandi percupidus. In primis aũt Turcas, Christianis omnibus formidabiles, hostes sibi destinabat, idq; siue pio reipub. Christianę iuuandæ studio, siue ut Vuladislai patrui necẽ uindicaret. Tametsi iactatũ est uulgò, & creditũ, eum Valachiã subigere meditantẽ, fallendi Stephani palatini gratia, Turcicũ bellũ prę se tulisse: & ne ultrò tam potẽtem hostẽ lacessere uideretur, curasse per subornatos homines, ut sibi renunciaretur è Podolia, Turcas infesto exercitu Valachiam & Podoliã petere: quod quidẽ credibile faciebat inquietũ gentis ingeniũ, & quod inducіarũ finis iam instabat. Cũ igitur apparatum belli permagnũ fecisset, & à Conrado Masouiorũ duce Lublini, quemadmodum conuenerat, solẽne fidelitatis iusiurandum accepisset, ipsum quidẽ expeditione bellica tunc instante liberauit: Alexandrum aũt magnũ ducem Lituanorum, & Ioannẽ Tisenium Magistrũ Cruciferorum Prussiensiũ, qui Martino defuncto successerat, è formula fœderis euocauit: nobilitatem omnem regni Maio mense ad Leopolim sibi præstò esse iussit: ad Stephanum quoq; palatinum Valachorum legatos misit, qui ipsum ad societatem pij belli contra barbaros cùm ex formula fœderis euocarent, tum Kyliæ & Bialogrodi recuperandi spe inuitarent. Ipse cum Sigismundo fratre & peditatu mercede conducto maturè profectus, Præmisliæ substitit aliquandiu, dũ copiæ conueniunt. Ibi eũ Creslaus Curozuãcius cancellarius, & illo ipso tẽpore post obitũ Petri Moscouij, siue Bnińj, episcopus Vuladislauiensis designatus, suo & Friderici cardinalis nomine conuenit, ab instituto eũ reuocans. Quẽ rex durius increpitũ abire, & sacerdotem sacrorũ, nõ belli curã gerere iussit. Sed uel subuculam suã concrematurum esse, si eam consilij sui conscіam esse sciret. Hinc sanè nati sunt, uel confirmati dũtaxat sermões hominũ, quibus iactatũ est postea seu uero, seu falso rumore, usq; ad nostra tẽpora, expeditionẽ illã suasu Callimachi à rege susceptã fuisse, quo feroces minus morigerę sibi, diuinaq; et humana iura contẽnentis nobilitatis Polonæ spiritus, incõmodis belli, aut etiã clade aliqua retunderet. Porrò ij qui in Valachiã missi erãt, renunciarũt regi, exoptatissimũ id bellũ Stephano cõtra barbarũ, cùm totius Christiani nominis cõmunẽ, tũ suũ peculiarẽ hostẽ accidere: itaq; nõ defuturũ eum esse cõmeatu exercitui regio suppeditando: quin & uires eum suas cũ rege coniuncturũ esse, ubi is ad hostiũ fines & Danubiũ peruenerit. Nã ut prius id faciat, minimè expedire, ne Turcas & socios eorũ Transalpinẽses intẽpestiuè in se prouocaret. Vere'ne autem hoc ita existimarit, an cauere sibi hoc prætextu uoluerit,

Pestis. Hyems acerrima.

Valachicũ bellum.

Conradus Masouiorum dux iurat in uerba regis Polon.

Ioannes Tisenius Magister Cruciferorũ.

Legatio regis ad palatinum Valachiæ.

Creslaus Curozuancius episcopus Vuladislauiensis. Ioannis Alberti tyrannicum dictum & consilium.

Stephani Palatini responsũ.

uoluerit, ne à rege circumueniretur, incertum est. Iam quidem & ipse senserat partim fama renunciante, partim Vngaris proceribus per literas & nuncios submonentibus, contra se exercitũ illũ à Polono rege duci, ut se amoto Sigismundũ fratrẽ Moldauiæ præficeret: sic enim Liblij clàm inter fratres conuenisse. Quod quidẽ eo studiosius uulgabant Vngari, quo magis Stephanum aduersus regem Polonũ iritarent: idq; partim quòd molestè ferrent, secretiori consilio se à regibus excluſos fuisse, partim quòd Moldauiã bello illo à sua clientela prorsus abstractam iri uidebãt. Venerat enim usu superiori tẽpore aliquoties, ut Valachi Moldaui, postea q; semel ab Vngaris ad Polonos defecerunt, in dissensione domestica de principatu, uel Turcici belli necessitate adducti, uel denique, ut est dubia gentis fides, Vngarici regis cliẽtelæ denuò se adlicerent. His igitur monitoribus Stephanus cautius obseruabat, quid consilij Ioannes Albertus caperet: quem ubi comperit recensitis copijs, motisq; à Leopoli sub finem Iunij castris, non uersus Cameneciam, quà compendiosior uia est ad Kyliam & Bialogrodum, Turcarumq; ditionem, iter instituere, sed ad Pocutiam oram deflectere, ibi magis etiam cœpit sibi prospicere: misitq; tres legatos, uiros gentis suæ primarios, ad regem sciscitatum, amicus ne an hostis Valachiam peteret. Si Turcis bellum facere decreuisset, posse eum longe maiori compendio & expeditiore uia ad fines Turcarum peruenire: seq; exercitum eius & commeatu adiuturũ, & ubi hostiũ fines atigisset, copijs suis aucturũ esse: sin sibi bellum inferret, daturũ se esse operam, ut eũ illati pœniteat. Hac tam superba & minaci legatione cõmotus rex, legatos contra ius gentium comprehensos, Leopolim asseruandos misit: ipse non expectatis Lituanorum, Prussorũ & Masouiorũ auxilijs, cum infestis signis Moldauiã ingressus est: & omnibus rebus postpositis, interiora & caput gẽtis Sozauiam potissimum petiuit, sperans, Valachos non modò terrore tanti exercitus, uerùm etiam acerbum Stephani dominatum pertæsos, & alioqui dominos crebrò mutare solitos, ultrò ad se defecturos esse: eoq; captiuos omnes quicunque à pabulatoribus excipiebantur, liberaliter dimittebat. Cæterùm cum Sozauia Stephani præsidio firmata, uenienti portas clausissiset, quaternis castris in conspectu arcis positis, & curruum obtentu munitis, oppugnare eam adortus est. Nec tamen proficiebat quicquam, quamuis abundante multitudine. Nam ad octoginta millia pugnatorum in exercitu habere ferebatur, exceptis lixis & aurigis, qui dimidiũ eius numeri expleuisse existimati sunt, cum curruũ essent ferè triginta millia. Ne bombardæ quidẽ nostris defuêre: sed quantumcunq; eę muri interdiu deiecerãt, noctu Valachi impigrè roborib. limo fimoq; oblitis reficiebant. Itaq; cũ in longũ duceretur obsidio, Stephanus collecto è suis non contemnendo exercitu, obuiã ire conatibus regijs instituit. Nec tamen in apertũ prodibat usq; è nemoribus, sed ex insidijs modò carpebat regium exercitum, & in pabulatores, nec impunè tamen ferè, impetum faciebat: maiores copias, atq; Transyluanorũ, Cęculorũ, Transalpinẽsiũ, Bessarabũ, Turcarũ ac Tartarorũ, quos partim

Vngari Stephanum cur contra Polon. regem incitarunt.

Moldauorum defectiones ad Vngaros.

Stephani legati ad regem.

Legati uiolati

Ioannis Alberti consilium.

Sozauia nequicquam obsessa & oppugnata.

Polonicus exercitus.

Stephani Valachini conatus.

partim prædę, partim subiectionis suę spe inuitabat, partim etiam mercede conducebat, auxilia expectans. Cauerat etiã, infestis itineribus, ne cõmeatus nostris è Russia & Podolia subueheret. Spe defectionis Moldauorũ frustrati nostri, cũ difficultatẽ belli circumspicerent, penuriãq; annonæ & pabuli, ut in tanta multitudine hominum & iumentorũ, sentire inciperent, nec Valachi ad prælij dimicationem uenirent, minus alacres esse, & fremere in regem: reputare secum signa & ostenta, quæ aduersum belli exitum portenderent: nempe quòd boues ducenti, qui à Leopoli motis castris post exercitũ agebantur, subita tempestate dissecti, recolligi omnes non potuere: equus candidus regi charus, qui ad manum ducebatur, in transitu modici fluminis collapsus, mersusq; perijt. His igitur de causis nostri missionem flagitabant. Permouebat eos & illud, quòd neq; Lituani, neq; Masouij uenirent: Prussorum uerò Magister Tisenius Leopoli ęgrotus decumbebat, ubi etiã extremũ uitę diem clausit. Accedebat eò, quòd ipse quoq; Stephanus pacem petebat, Vuladislao rege Vngarorũ deprecatore & pacificatore utens. Nec tamẽ constat, uere ne id fecerit, an simularit, quo nostros tantisper, dũ copiæ suæ conueniunt, duceret, & ab oppugnatione Sozauiæ auerteret, quam in extremo discrimine uersari didicerat. Misit quidem Vngarus legationem ad Polonum regem, suadens & postulans, ut is pacem daret Moldauo, ne desperatione salutis & rerum suarum, ad opem Turcarum confugere cogeretur, eorumq; uires accessione copiarum suarum augeret. Tametsi suam in eo rem Vngari proceres agere uidebantur, quo Stephanum omnia pollicentem, cum tota gente sibi potius adiungerent. Facilè tamen Ioannes Albertus, in illo præsertim statu rerum, cum febri etiam tẽtari cœpisset, persuaderi sibi ab Vngaris legatis passus est. Et cum de cõditionibus pacis non conueniret, inducię constitutæ sunt, per quas liberius de pace ageretur. Publicatis inducijs confestim soluta est obsidio, quemadmodum conuenerat, pronunciatumq; iter in certum diem. Cum autem cognouisset Stephanus, alio itinere Polonos recedere uelle quàm uenissent, siue quòd breuior ea uia esset in Poloniam, siue quòd agri à populationibus intacti, faciliorem commeatum exercitui præbituri esse uiderentur, admonuit regem per internuncios, consultius facturum, si eadem uia qua uenerat, exercitum reduceret: non tam planam esse illam alteram, quæ ad lęuam uergeret, sed syluarum densitate, & montium asperitate, & angustioribus callibus impeditam. Vereri se, ne homines sui agrestes, feri & indomiti, quicq; difficulter in officio continerentur, in angustijs negotium facesserent discedentibus. His monitis fides habita non est, quòd homo uafer & infidus, sibi suisq; hoc consilio prospicere putabatur, ut integra ea sibi loca ab incommodis belli manerent. Itaq; itum est quà placuerat, nullo ordine: nec abstinebant nostri manus rapinis & injurijs obuiorum. Quartis castris ad Bucouinam peruentum est. Sylua est fagina densa, duũm miliarium spacio lata: Bucouinam ab arborum genere uocant: angustam habens & pręruptam inter aspera saxa montesq; uiam. Quam cum una die

Polonicus exercitus detrectat bellum.

Ostẽta cladis.

Tisenius Magister Crucifer. Leopoli mortuus.

Legatio Vngarica ad regem Polon.

Ioannis Alberti aduersa ualetudo.

Inducię cum Stephano.

Moldaui feri & indomiti.

Bucouina sylua.

die cunctæ copiæ transire non posse uiderentur, ad introitum eius rex castra metatus substitit. Ac maiores quidem Poloni cum impedimentis suis præire iussi, syluam sine ullo impedimento emensi sunt. Altera die rex præmissis bombardis & curribus suis, ipse cum aulica sua cohorte subsecutus est, carpento uectus propter aduersam ualetudinem. Ponè sequebantur minores Poloni cum Russis incomposiți, inermes, & quasi in pacato securi. Extremũ agmen tenebant milites mercenarij. Ad medium syluæ impedimenta regia peruenerant, cum ecce agrestes Valachi pedites undiq; ex insidijs coorti, impetum in ea faciunt, percellunt currus, ac diripiunt: & facilè impulsis, quas in hoc iam ante succiderant, arboribus, uiam impediunt, ne progredi extrema agmina, né ue rent, arboribus, uiam impediunt, ne progredi extrema agmina, né uerent gredi prima ad ferendam suis opem possent. Nec mora, ipse Stephanus cum ualidis equitũ peditumq; copijs improuisus adest, & ingenti clamore extremum nostrorum agmen à tergo & à lateribus adoritur. Tumultuantur nostri, re inopinata perturbati: & expediunt quidẽ arma, & uim hostium certatim pro se quisq; animose sustinent: sed sine signis, sine ducibus, & sine ordine res gerebatur: nec exaudire quisquam alterum poterat præ clamore, strepitu, & fragore armorum, quem sylua latè resonantes magis etiam sonorũ atq; terribilẽ reddebant. Ad extremũ urgente hoste nostri in castra sua, à quibus non procul abscesserant, sese recepere. Ibi quoq; premente hoste, constipati & conglobati nihilo magis sese expediebant, desperataq; salute, cœlitùs opem incondita & indice trepidationis uociferatione implorabãt. Hoc acrius instabant hostes: donec rex cognito suorũ periculo, aulicum equitatũ suum armis uirisq; florentem supppetias ire laborantibus iussit. Qui cum nihil sibi reliquum ad celeritatẽ diligentiamq; recurrendi fecisset, syluam egressus, tympanorum, tubarumq; clangore, & fulgore armorum hostem in se conuertit. Instauratur prælium. Interim ij qui in castra compulsi in extremo periculo fuerant, spacium nacti, qua quisq; poterat elapsi, relictis impedimentis trepidè per syluam ad primum agmen euasere: quò rex quoq; iã peruenerat. Nec diu sustinuere Valachi impetum equitatus regij. Verùm repulsi dissecti q; terga dedere. Nostri summo iter per syluam peregerunt, uictores q; ad regia castra peruenerunt. Postero die rex cum toto exercitu in ijsdem statiuis mansit, expectans si quis fortè de suis in sylua delituisset, uel aberrasset. Recognitis copijs complures de nobilitate Polonica & Russica desiderati sunt, partim cæsi, partim capti. Et Stephanus quidem plusquam barbarica crudelitate usus, quotquot in potestatem suam redegerat, omnes in conspectu suo trucidari iussit: quos autem Turcæ aut Tartari ceperant, in seruitutem abegerunt. E quibus Ioannes Tencinius, Petrus Prochnicius, & nonnulli alij postliminio aliquanto pòst reuersi sunt. De Odrouanzo palatini Russiæ filio dubitatum est à pleriscq;, etiam dum uixit. Post decimum octauum annum is demùm redijt, & à matre, ad nomen filij reducis temerè, ut creditum est, lætitia gestiente receptus, & ad possessio-

Polonorũ cladis apud Bucouiniam syluam.

Stephani crudelitas.

Ioannes Tencinius & Petrus Prochnicius capti.

Odrouanzus subditicius.

nem paternorum bonorum admissus, ignauam ac degenerem uitã deinceps in crapula & compotationibus assiduis egit, ne figura quidem & habitu corporis uero illi Odrouanzo, quemadmodum multi memoria recolebant, similis. Composito deinde agmine nostri motis à Bucouina castris progressi sunt, pridiano periculo admoniti: nec sanè quieuerunt hostes, quin opportunis locis carptim eos lacesserẽt, uexarentq; nõ modò pabulantes & ad aquantes, uerùm etiã in castris quiescentes. Nocte quadã obseruato uenti uehementioris flatu, herbas arentes cum frutetis haud procul à castris succenderunt. coorta flamma uento impellente magis ac magis castris propinquabat: affecisseq; nostros grandi aliquo incommodo, ni correptis celeriter falcibus proximas castris herbas desecuissent & summouissent. Semper autem plus incommodi ipsi accipiebant Valachi, quàm inferebant: præterquam quòd sexcentos equites Masouios ad internecionem penè delerunt. Tunc primùm ij ueniebant à Conrado duce, ex fœdere in auxilium regi missi. Quod ubi cognouit Stephanus, tria millia delectorum equitum ad opprimendos eos misit, priusquam cum rege sese coniungerẽt. Apud Sepnicium uicum in eos impetum fecerunt hostes: nec Masouij, quamuis impares numero, detrectarunt pugnam. Pugnatum est acerrimè: sed prœualente hostium multitudine circumuẽti Masouij, & concisi sunt. Secundo hoc prælio Stephanus ferocior factus, ripam Pruti fluminis ad Zarnouecium, cum omnibus copijs suis insedit, ut nostros transitu prohiberet. Quò cum peruenissent nostri, commissa pugna dimicatum est utrinque totis uiribus. Sed uirtute Polonorum repulsi, & non contemnenda strage affecti hostes, in auia nemora sese abdidêre. Nec deinceps tentarunt quicquam. Rex autem cum minus commodè ualeret, iactationemque itineris grauiter ferret, apud Zarnouecium triduo statiua habuit: per quos dies nostri longè lateq; quoquouersus prædas egerunt. Interea rumor castra peruasit, ingẽtes hostiũ copias aduentare, regẽq; clàm deserto exercitu subducer sese uelle. Quæ res temerè credita, ingenti formidine omnes impleuit. Maiores Poloni in primis tumultuabantur, & raptim sarcinas componebant, equorumq; dorsis alligabant: turpem fugam, relictis curribus & impedimẽtis cæteris, parantes. Nox instabat, omnia formidabiliora perturbatis redditura, tecturaq; ignauiam ad fugam spectantium. Itaq; necesse habuit rex, quamuis æger & languens, & ipse hominum conspectui sese repræsentare, & Sigismundum fratrem circum primores mittere, falsum illum rumorem diluturus, & fluctuantium, & iam penè fugitantium animos confirmaturus. Quod quidem Sigismundus impigrè fecit, totam illam noctem accensis funalibus castra obequitans: & cùm obuios quosq; benignè cõpellans, tum ad procerum tentoria adiens. Ita sedatus tamen est tumultus, repressaque fuga. Sequenti die cum castra iam rex mouere uellet, superuenerũt aliquot millia equitatus Lituanici, ab Alexandro magno duce eius gentis missa, regemq; & exercitum omnem spe meliore & lætitia impleuerunt. Quid autem causæ fuerit, cur ipse Alexander cũ fratre, sicuti conuenerat,

Moldaui infestant Polonicũ exercitum.

Masouij cæsi à Valachis.

Prutus fl.

Rumor tumultu complet castra regia.

Sigismundi diligentia.

Lituanorum aduentus.

uenerat, ſocia arma non coniunxerit, aut equitatum illum auxiliarem duntaxat tẽpori nõ miſerit, diuinare nõ poſſumus. Ipſe quidẽ cũ exercitu ualido apud Braslauiã arcẽ ad Bogũ flumen per omne illud tempus belli Valachici hęſit, arcem inſtaurans & muniẽs. Petiuerunt aũt à rege Lituani, ut ſe in Moldauiam populabundos excurrere pateretur: ſed ille non permiſit, aduerſam ualetudinem ſuam cauſatus, propter quam maturare reditum cogeretur: cumq; Snatinũ copias reduxiſſet, tranſmiſſo Neſtro amne dimiſit exercitum: ipſe Leopolim lento itinere uectus, tantiſper ibi acquieuit, donec morbo liberatus eſt. Inde poſtea Cracouiã reuerſus, quaſi rem bene geſsiſſet, conuiuijs & compotationi bus, amoribusq; mulierum & choreis impenſius indulſit. Feturq; quodam tempore, cum noctu in urbe uno aut altero fortaſsis miniſtro comitatus, abſq; lucerna obambularet, & in ebrios iuuenes incognitus fortè incidiſſet, exorto temerè iurgio uulnus accepiſſe: ex quo laborauerit aliquandiu, ita ut immemor conditionis ac dignitatis ſuæ, plaga illa non ſine dolore & rubore, officij ſui diuinitùs admoneretur. Nihilo tamen magis utilium rerum ſuis quicquam prouidit, negligens acceptæ in Moldauia ignominiæ, cladis'que: nec memor, quòd Stephanum animoſum & ferocem hominem iritaſſet. Quæ res grauium incommodorum et magni luctus Polonis atq; Ruſsis deinceps cauſa fuit. Etenim Stephanus acceptam ab ipſo iniuriam, bellum'q; ſibi immeritò illatum ulciſci ſatagens, primo uere inſequentis anni cum expeditis ſuorum Valachorum, Turcarum'que, ac Tartarorum copijs, in Podoliam & Ruſsiam inuaſit: & prætergreſſus Leopolim arcem urbem'que munitam ad Canizugam oppidum, & Vislocum amnem longè late'que populabundus excurrit, & ingentem cunctæ Poloniæ terrorẽ incuſsit, nemine ad arcendum hoſtem neq; parato, neque animato: ſed cunctis ad fugam ſpectantibus, & non modo in munitiones, uerùm etiam in auios montes atq; ſyluas ſeſe abdentibus. Vnde tamen plurimi mortales utriuſq; ſexus, & omnis ætatis atq; ordinis, à perſcrutãtibus cuncta hoſtibus & fugentiũ ueſtigia perſequentib. extracti, in miſerabilẽ ſeruitutẽ abducti ac diſtracti ſunt, ita ut Thracia, Macedonia, Scythia & Aſia Ruſsis mancipijs implerentur. Supra centum millia hominum abacta eſſe tunc feruntur, cum innumerabili gregum, armentorũ, & omnis generis præda. Præmislia, Radimnum, Iaroslauia, Præuorſcum, & complura alia ignobiliora oppida cũ innumerabilib. pagis direpta et incẽſa. Vnũ operæ preciũ tunc à noſtris factum eſt, quòd Cracouia metu propinqui periculi à latere Septẽtrionali turribus, propugnaculis, pinnis, uallo, foſſaq;, Rudaua flumine in eam inducto, munitior & magnificentior effecta eſt, ſubmotis etiam longius pleriſq; ſuburbanis ædificijs, quæ mœnibus urbis è propinquo imminebant. Neque uerò hic tunc Ruſsiæ & Podoliæ malorum finis fuit. Nam Tartari præda apud Tauricam depoſita, mẽſe Iulio iterum immani excurſione eaſdem regiones diuexarunt. Quibus incommodis & cõuicijs hominum rex motus, nobilitati uniuerſæ Polonæ arma ſumere, & apud Sendomiriam celeriter

Braslauia inſtaurata.

Ioannes Albertus amoribus deditus.

Ioannis Alberti periculũ nocturnum.

Valachi Ruſsiam populati. 1498 ann.

Canizuga opp.
Vislocus fl.

Captiuorum ingens numerus.

Oppida incenſa.

Cracouiæ munitio.

Ruſsia à Tartaris uaſtata.

Sigismundus in Vngariam profectus.

sibi pręstò esse iussa, ipse Cracouia relicta eôdem sese contulit. Sigismundus enim frater in Vngariam ad Vuladislaum regem paulo antè profectus erat. Dum ægrè moliuntur & conueniunt nostri, hostes præda onusti ad sua se recepêre. Quo cognito, nostri quoq; dilapsi sunt, cũ non

Poloni sua populati.

multo minore quàm hostes damno & incommodo Sendomirienſem tractum affecissent: præter quòd abigendis hominibus abstinuêre. Rex quoq; Cracouiam rediit: per quod tempus Cazimirię apud Iudęos uitulus biceps natus esse memorat, altero capite in loco caudæ, cauda uerò in medio dorsi existente, ac duobus tantum pedibus à dextro latere

Portentum.

prominẽtibus. Mali portentũ id esse creditũ est. Nec ita multo pòst sub finẽ Nouemb. septuaginta millia Turcarũ per Valachiam in Rusiam sese effuderunt, omnẽ eam orã, quæ ad Nestrũ & circũ Haliciam Zidazouiam, Drohobiciam & Samboriã est, ferro & igni uastantes, & præ-

Turcæ Russiã uastantes hyberna tempestate deleti.

das agentes. Neq; progrediẽdi ac debacchandi modum ullum barbari sibi statuissent, nemine sese ipsis obijciente: nisi cœlitùs Deo, sicut creditum est, miserante populũ suũ, repressi, atq; adeò oppressi essent. Derepentè enim intensum frigus & gelu extitit, et nix tanta decidit, ut circumsepti undiq; Turcæ neq; progredi, neq; regredi possent. Et insolens id nouum q; hominib. illis pariter & iumẽtis, mitiore cœlo natis & educatis, accidebat. Ita iumentis plerisq; omnibus frigore & fame confectis, hominũ quoq; supra quadraginta millia alsisse & obriguisse memorantur. Multi reperti postea, qui interfectis equis, in uteros eorũ exenteratos, calentes etiamnum, sese illatebrauerant, sed nullo operæprecio. Statim enim calor artus, uita & sanguine destitutos, deserebat. Reliqui cũ sese utcunq; tamen explicassent, & in Moldauiam euasissent, à Stephano palatino & Valachis, Polonorum insequentium habitum mentitis, & locorũ opportunitate utentibus, diuexati & contrucidati sunt, ita ut uix decem millia Istro transmisso salua euaserint. In religionem hæc res cessit Turcis, ita ut sibi persuaderent, gentem Polonam atq; Russam diuinitùs defendi & uindicari. Itaq; non temerè deinceps eam gentem bel-

1499 ann.

lo sibi lacessendam & infestandam esse existimauerunt. His tot tantisq; malis expiato hominum nostrorum fastu, nequitia, cultusq; diuini neglectu, magis propitiũ deinceps numen affulsit Poloniæ. Nonnihil simultatis siue adeò dissidij Ioanni Alberto cum Vuladislao rege Vngarorum, & Alexandro magno duce Lituanorum, nec scio an etiam Sigismundo fratribus intercessisse uidebatur. Nec tamen memoriæ proditum est, quæ fuerit causa dissidij. Ac ne dissidiũ quidem Bernardus Vapouius memorat. Siue autẽ hęreditas paterna in causa fuit, siue bellum Valachicum, in quo Alexander quidem pręter fœderis perpetui legem promissum q; suũ Ioanni Alberto defuit, Vuladislaus uerò fauisse etiã

Fœdus inter Cazimiri regis filios.

Valachis uidebatur: fœdus quidẽ certè inter Vuladislaum, Ioannem Albertum, & Alexandrum, per legatos ultrò citrò q; missos ictum est, quo cauebatur de auxilijs mutuis, & societate contra Turcas, & alios quosuis hostes, qui alicui de ipsis fœderati non essent: de periculis imminentibus, ut inter se præmonerent, neque unus quispiam cęteris in-

consultis

consultis cum Turcis pacem faceret, bellum'ue gereret: qui contrà fecisset, ei ne deberentur auxilia: Moldauus ut in clientela Vngarorum esset: Transalpinensi palatino contra Turcas fœderati ne deessent: de alijs conditionibus fœderis ipsi inter se principes congressi constituerent. De controuersijs autem dirimendis consiliarios suos delegarent. Extat etiam mandatum Vuladislai, legatis de redintegranda cum Ioanne Alberto concordia datum. Vnde rectè colligitur, diruptam inter ipsos fuisse concordiam, quæ redintegrabatur. Extat & renouatio pactorum inter Polonos & Lituanos, tam per ipsos Ioannem Albertum & Alexandrum dudum, quàm per Iagellonem & Vitoudum olim conuentorum, adiecta declaratione de electione regis ac magni ducis: nempe ut neutri alteris non uocatis principem sibi eligerent & crearẽt. Quod quorsum attinebat fieri tunc, nisi cõtrouersia & offensio quædã inter principes ac populos interueniisset? Sigismundo uerò Vuladislaus Glogouiensem & Opauiensem ditiones in Silesia concessit ijsdem sub conditionibus, quibus Ioanni Alberto prius concesserat, & inferiori superioríq; Silesiæ eum præfecit: ubi præclaram is operam uicinis populis in extirpandis eius gentis latrocinijs nauauit. Aliquanto aũt pòst etiã inferioris Lusaciæ Marchionatum idem Vuladislaus ipsi adiecit, et portionẽ suam paternę hęreditatis ipsi donauit. Ita tũc res inter fratres compositæ. Cũ Stephano quoq; palatino Valachorũ, & filio eius Bogdano pax tunc facta est: fœdusq; ictum, Ioannis Alberti regis, Alexandri & Sigismũdi, ducum nomine: quo professus est Stephanus, omnem culpam & iniurias à rege sibi clementer condonatas, ac dominatum Valachię relictum esse: & contra quosuis hostes totis uiribus semper præstò se ipsi futurũ esse promisit. Cautum est etiam eo fœdere, ne profugi & exules alterorum ab alteris receptarentur: Palatino autem ipsi si exulare contingeret, ut tutus patêret receptus in Polonia, & Lituania: & liber inde discessus, auxiliaq; darent, recuperare sua cupienti: ipse aũt Vngaro iuxtà ac Polono contra Turcas bellũ gerenti præstò ut esset, aut si non posset per se ipse, filiũ cũ copijs mitteret: Turcis uerò contra ipsos ne opitularentur, nisi extrema ui adactus, ipse autem contra eos à fœderatis defenderet: de hostibus & periculis præmonerent se inuicẽ principes. De iniurijs mutuis subditorũ, et controuersijs, Camenecẽsis, Cernechouiẽsis, & Chocimensis præfecti simul cognoscerẽt: de grauioribus uerò controuersijs inter ipsos præfectos, iudices à principibus delegarentur: cõmercia utrobiq; ut essent libera. Hæc ita, ut tunc cõuenêre, literis mandata, extãt in Archiuio arcis Cracouiẽsis. Quin & Ioannes Moschorũ dux de pace, amicitia & societate tũc ad regẽ Polonũ misisse & impetrasse, à Vapouio memoratur. Quid aũt in eo spectarit, tanto spacio terrarũ disiunctis Polonia & Moschouia, non intelligo: nisi fortè cum Lituanis bellum inferre cogitaret, Polonorũ auxilia ipsis eo fœdere detrahenda esse homo uafer existimauit. Nec multo pòst ipse etiam Turcarũ imperator Baiazetes, cũ de cõfœderatione tot ac tantorũ principũ cognouisset, insignẽ legationẽ ad Ioannẽ Albertũ regem de pace uel indu-

Pactorum inter Polonos et Lituanos renouatio ac declaratio.

Sigismundus dux Glogouiæ et Opauiæ, & utriusq; Silesiæ præfectus, & Marchio Lusaciæ.

Sigismundus latrocinia sustulit è Silesia.

Stephani palatini cum Polonis & Lituanis fœdus.

Moschorũ dux Ioannes amicitiam & societatem iungit cũ rege Polono.

Baiazetes Turcarũ imperator de pace ad Ioannẽ Albertum misit.

cijs prorogandis misit. Prouidebat enim prudens & cautus bellator, ne pluribus ac diuersis bellis eodẽ tempore implicaretur. Nam Venetos bello terra mariq; adortus erat: & classe quidem Ægeum & Ionium mare & Peloponnesum, quæ in ditione eorum erat, infestauit: Venetisq; nusquam pugnæ copiam faciẽtibus, Metonam, Iuncum & Coronam, urbes obsessas, et oppugnatas aliquandiu per uim ademit. Terrestri autem itinere ad octo millia equitum in ditionem eorum immisit: qui cum secundum mare per Istriam & Forum Iulij populabundi in Venetiam procurrissent, omnem eam oram quæ est circum Goriciam, S. Danielem, ac Teruisium siue Taurisium crudeliter uastarunt: & præter agrestes eius oræ, plurimos Venetos nobiles messis & uindemiæ gratia rusticãtes, multos itẽ Germanos, Vngaros, Polonos, Boemos, Prussosq; utriusq; sexus, religionis ergô Romam ad Iubilæũ à pontifice max. in sequentem annũ edictum, illàc proficiscentes exceperunt, & in miserabilem seruitutem, nullo accepto incommodo, abduxerunt. Quibus malis adacti Veneti, pacem à Baiazete petiuerũt, & ad spacium centũ annorũ & unius diei certis conditionib. tributoq; promisso impetrarunt. Sed id posterius actum est. Tunc aũt dubio adhuc euẽtu belli, cum nõ ignoraret Baiazetes Venetos rerũ suarum satagere, & cùm ab ijs, tum à cæteris Christianis principibus, atq; etiam à pontifice max. regẽ Polonũ & Maximilianum Cæsarem contra se concitari, consilio & comitate, missa ad Ioannem Albertum legatione, Polonicum bellũ auertendum sibi esse duxit. Totum autem annum Turcica illa legatio responsum regis Poloni expectauit. Neq; enim explicabat is, quid faceret: propterea quòd ad bellum Turcis inferendum cùm ipse ultrò prono animo ferebatur, tum ab alijs etiam incitabatur: cęterùm magnitudinem eius belli ac domesticas quasdam difficultates, & præsertim inopiam ærarij, & res Prussicas, de quibus mox dicemus, secum expendebat. Nec ignorabat, consultasse quidem Germanos cum Cæsare in comitijs Vormaciensibus de bello contra eundem hostem suscipiendo: sed eorum conatus domi cõflato cum Heluetijs bello, & Italicis motibus prępediri. Ardebat enim tunc bellis intestinis iuxta atq; externis uniuersa Italia: Pontifex, Neapolitani, Veneti, Florentini, Mediolanenses, Genuenses uariè inter se belligerabantur, & externa auxilia circumspiciebãt: Galli Hispanos regno Neapolitano, Ludouicũ uerò Sphortiã, quẽ Cęsar ducem appellarat, Mediolani dominatu eiecerãt. Ab hoc aũt & socijs eius Maximilianus Cæsar in auxiliũ euocabat. Hęc tunc secũ reputabat Iohannes Albertus: & uerò gemina Tauricanorũ Tartarorũ incursione distractus, cõsultandi cũ proceribus spaciũ non habuit. Tartari enim sub tempus messis hybernarum frugum magno impetu per Volyniam effusi in Russiam & Poloniam, circũ Belsum, Crasnistauiã, Turobinũ, Crasnicum & Lublinum, usque ad Vistulam immaniter omnia uastabant, prædas agentes, & in imbecillam senum puerorumq; ętatem ferro, in tecta autem igni sæuientes. Quo commotus rex, aliquanta manu ex aulico comitatu suo & uoluntarijs tumuluariè coadunata, ad hostem conten-

Turcarum bellum cum Venetis.

Iubilæus annus

Pax Venetorum cum Turcis.

1500 ann.

Maximiliani bellum cũ Heluetijs.

Italici motus.

Galli regno Neapolitano, & Mediolani dominatu potiti.

Tartari Russiã & Poloniam uastant.

contendit. Sed cum eũ præda ônustum raptim abeuntem assequi non posse uideretur, Cracouiã Augusto mense rediit. Quo tempore superuenit Caspar Callensis episcopus, legatus Alexandri sexti eius nominis pontific. max. ad Turcicum bellũ regem cohortans, & pię militię, quam Crucis seu Cruciatam uocant, facultatem ad id bellum ipsi pariter & Vngaro regi afferens: simulq; Iubileum, & potestatem decimę, de cunctis ecclesiasticis reditibus in suo utriusq; regno in subsidium eiusdem belli exigenda. Tardius autem is uenit, quòd prius in Vngariam cum ijsdem mandatis diuertisset. Ac decima quidem à nostratibus episcopis & collegijs sacris negata, sed usitata cõtributio pro ea decreta est, quæ tunc ad tria millia florenorum uix peruenit: Iubilæus uerò promulgatus, triginta ferè millia florenorum regi reddidit. Nec ita multo pòst Tartari prędа depositа, illecti eius dulcedine, mense Septembri reuersi sunt: effusiusq; etiam non modò easdem oras, sed Russię quoq; Australes & Lituaniæ partem depopulati sunt, circum Landishutam, Lezeiscum, Zauichostum, Opatouiã, & Breste Lituanicum prędis actis: nulloq; accepto incõmodo, ingentem hominum, pecudũ, & iumentorum uim cum omnis generis præda abegerunt: quæ eo maior & opulentior fuit, quòd intacta aliquandiu ea loca ipsorum incursionibus fuissent. Erant in Russia nonnullæ mercenariorũ militum copiæ cum Petro Myscouio præfecto Leopoliẽsi, publico stipendio, quòd è tributo agrario cereuisiarioq;, & censu oppidorũ collatum erat, merentes: quæ locis opportunis uel à tergo abeũtem hostẽ carpere ac differre, quoad rex cum maioribus copijs consequeretur, potuisse uidebantur. Sed nusquam eæ hosti sese ostentarunt. Rex quidem cum paucis equitibus, quos raptim ad manum habere potuit, egressus Cracouia, milites Cruce signatos à Callensi episcopo, qui nondum discesserat, subsequi se iussit. Verùm ij post discessum regium correptis armis, bacchantium in morem, ducib. religiosis & monachis, quorum non exiguus erat in ea turba numerus, in Iudæorum domicilia Cazimiriæ impetum fecere, & fortunas eorum diripuere & uiginti plus minus Iudæos trucidauere. Inde cum sub signis per pontem Cracouiam tenderent, clausis portis urbis excluſi, regem secuti sunt. Ne tunc quidem operæprecij quicquam factum. Rex enim ubi excessisse cum præda hostes cognouit, ipse quoque è Russia inglorius Cracouiam se recepit. Insigni calamitate & uastitate tunc illæ barbarorum excursiones Russiam & Poloniam affecere. Portenderat autem hæc mala cometa, decem & octo diebus ante primam Tartarorum incursionem conspectus. Quin & arcis Cracouiensis ea pars, quæ à pede galli Curzanoga nomen habet, paulo antè fortuito incẽdio conflagrarat. Et fuit sanè æstas illa tam calida & arida, ut ad medium Iunij fruges in Polonia passim demeterentur. Ne Lituania quidem eo anno meliore fortuna usa est. Etenim Ioannes magnus dux Moschorum, quamuis Helenam filiam Alexandro magno duci Lituanorum in matrimoniũ collocasset, augendi tamen imperij cupidior, quàm fœderum obseruantior, Russiæ totius dominatum Berezina flumine tenus auito

Legatio Pontificia ad regem Polon.

Decima negata regi.

Contributionis ecclesiasticæ summa.

Iubilæi pecuniæ summa.

Tartarorum altera excursio.

Petrus Myscouius.

Iudæorum bona directa à cruce signatis militibus.

Cometa.

Cracouiensis arcis incendium.

Messis præmatura.

Helena Moscha Alexandri ducis Lituani uxor.

&

Moschus Lituano bellum infert.

& pro auito quodã, ut uideri uolebat, iure à genero repetebat, elatus ac cessione earũ ditionũ, quas Cazimiro regnãte à Lituanis partim bello, partim defectione Russorũ abalienarat. Coadunato igitur ingenti exercitu, cùm alia quædã territoria, per deditionẽ acceptis magis, quàm expugnatis eorum munitionibus, in potestatem suam redegit, tum Smo-

Smolenscensis ager uastatus.

lenscensem oram uastauit. Alexander cum neq; uirium, neq; animorum satis contra tam potentem hostem in suis esse animaduerteret, misso Posnaniam thesaurario cum pecunia, non contemnendas equitum & peditum copias è Polonis, Silesijs, Boemis & Morauis mercede con-

Lituania à mercenarijs militibus uexata.

ductis conscripsit, eisq; Ioannem cognomento Polacum præfecit. Quę cum sub finem autumni demùm, & pluuijs increbescentibus, & frigore geluq; iam inualescẽte, ad Smolensciorum fines peruenissent, nec hostem ibi reperissent, nulla re memorabili gesta dimissæ, Lituania hosti-

Sigismundus Herbersteinus.

lem ferè in modum diuexata excesserunt. Sigismundus Herbersteinus, Slauus genere, uir plurimarum rerum & regionum in obeundis legationibus peritissimus, ac diligentissimus indagator, cum paucis annis pòst, legatus à Maximiliano Cæsare ad Basiliũ principem, Ioannis huius, de quo nunc scribimus, filium in Moschouiam penetrasset, paulò aliter hæc in commentarijs rerum Moschouiticarum memoriæ prodidit, Moschorũ, ut uidetur, sermone cõperta. Memorat is, Moschum iniuria generi commotũ, quòd is filiæ suæ Helenę Rusici ritus delubrum in arce Vilnensi, quemadmodũ conuenerat in pactis sponsalibus, non extruxisset, tres exercitus tribus diuersis locis in ditionem eius immisis-

Lituani à Moschis uicti. Vedrossus fl.

se: Lituanos uerò, cum uni ex his duce Constantino Ostrogio Russo occurrissent, commisso ad Vedrossum amnem prælio, in insidias præcipitatos dissipatosq; esse, ac ducẽ exercitus & complures de primoribus

Constantinus Ostrogius dux captus.

Lituanis captos, in tetro carcere aliquãdiu asseruatos: Drohobussum,

Munitiones à Moschis in potestatem redactæ.

Toropezum & Bielam arces à Russis hosti deditas: Branscum quoq;, palatino eius loci fortefortuna à Tartaris Casanẽsibus, qui Moscho militabãt, excepto, in potestatẽ, redactũ: ad extremũ duos duces Seuerien-

Seuerienssiũ deditio.

siũ Basilios patrueles, qui magno Lituanorum duci ad illud usq; tẽpus paruissent, Moscho se et sua dedidisse. Alexandrũ deinde captiuis tantũ

Pax cum Moscho.

ex pacto receptis, cũ socero pacem fecisse. Hæc ille, non uno, ut uidetur, anno acta, aliud agens, non habuit necesse temporibus distinguere, ac diligẽtius omnia persequi. Nõ abhorret aũt à uero, Alexandrũ suas hostiles q; uires metientẽ, uel aduerso prelio duntaxat admonitũ, mercenarium militẽ conduxisse: et hostibus ad sua reuersis, instante hyeme ad gerendũ bellũ inepta, dimisisse. Vapouius quidẽ noster, & Mathias Miechouiẽsis, illius tẽporis scriptores, ita de hoc mercenario milite scriptũ reliquerũt. Sic tunc Lituania diuexata est. Iã uerò Ioannes Albertus rex in Prussiã iter & expeditionẽ parabat, quo ordinẽ Teuthonicorũ Cru-

Fridericus Magister Crucifcrorum detrectat iusiurandum.

ciferorũ cũ suo Magistro ad officiũ reuocaret. Quãuis enim eius opera, regina matre postulãte, Fridericus Saxonũ ducis filius Ioãni Tisenio Leopoli mortuo in magistratu suffectus esset, detrectabat is tamen iurare in uerba regis, quemadmodũ debebat ex pacti et fœderis formula.

His

His igitur omnibus rebus ac difficultatibus diligẽter expensis, rex, cum comitia Petricouiam ad initium sequentis anni edixisset, de sentẽtia amplissimi consilij inducias quinque annorum Baiazeti concessit, legationem q; eius magnificè donatam tandem dimisit. Venerunt ad eadem comitia oratores Stephani palatini Moldauorum, & Sachmati principis Tartarorum Zauolgensium. Ac illi quidem Heliam, Petri, qui ante Stephanum palatinus fuit, filium profugum, ex fœdere deposcebant: quòd is affectare dominatum diceretur. Tartari uerò nunciabant, principem suum, legatione regis & Alexãdri magni ducis Lituanorum euocatum contra Mahometkereium Præcopensium siue Tauricanorum principem, adesse cum centum millibus equitum: traiectisq; Rha atq; Tanai maximis fluuijs non sine magno labore, apud Meotim paludẽ primùm consedisse: deinde longius progressum ad Boristhenem fixis tentorijs expectare Polonos & Lituanos, ut inter se icto fœdere, & iunctis uiribus cõmunem hostem adorirẽtur. His actę gratię, fœdusq; ictum multa ceremonia, & iureiurãdo interposito: quod quidẽ Tartari more suo dederunt, aqua strictis frameis infusa & sorpta, mala imprecãtes ei qui fœdus uiolasset. Missa principi à rege munera, et inita belli societas. Sed dum nostri atq; Lituani moras nectunt, Mahometkereius coactis magnis copijs, cum nõ multum Sachmati uiribus cederet, exercitatiorem aũt aliquanto militem haberet, ultro hosti obuiam iuit. Cõmisso acri & cruento prælio, uictus Mahometkereius, & in Tauricam reiectus est. Nec nostri postea uictorem sociũ iuuandũ sibi esse duxerunt, siue quòd ipse per se id bellum confecturus esse uidebatur, siue ut barbari ipsi sese mutuò ancipiti bello conficerent, uel debilitarẽt, propterea quòd ne socijs quidem ipsis barbaris fides habenda esse uideret. De Stephani aũt postulatis cum aliquandiu consultatum esset, dedere quidem insontem & supplicem, durũ & immane uidebatur: seruare aũt æmulum infidi socij, quẽ is metuere et cauere necesse haberet, nõ inutile quidem Polonis erat, sed fœderi dudum icto repugnabat: ac bello eum Stephanus repetiturus esse putabat, atq; adeò legati id minabantur. nolebat autem rex, ad Prussiam spectans, illum à tergo hostem relinquere. His ita disputatis, deditus quidẽ non est Petrus, uerùm capite plexus inspectãtibus legatis. Et ne iniustè id factum esse existimaretur, uulgatum est, crimẽ falsi in literis regijs eum commisisse. Dimissis legatis, & conuentu soluto, rex cum nonnihil temporis apparatui Cracouię dedisset, post medium Aprilem in Prussiam contendit. Toruniam cum peruenisset, ad Fridericum Magistrum legatos misit, hortatum, ut is sua sponte officium faceret potius, quàm Polonorũ uim & arma experiretur. Non apertè is quidem negabat, sed uarijs excusationibus rem extrahebat, quo se interim Maximiliani Cęsaris, & aliorũ Germanorum principũ, omnia prolixè pollicẽtiũ, & ad rebellionẽ cohortantiũ, auxilijs confirmaret. Dum eunt redeuntq; legati, Ioãnes Albertus rex apoplexi uitam finiuit. Corpus eius reuectum Cracouiam, in basilica arcis honorificè sepultũ est, matre funus prosequente, quæ quidem marmoreum monumentum fi-

1501 ann.
Comitia Petricouiæ.
Inducię quinquennes cum Turcis.
Valachica legatio.
Tartarica legatio.
Fœdus regis Polon. cum Tartaris.
Tartarorũ iusiurandum.
Tartarorum inter ipsos bellũ.
Tauricani Tartari uicti.
Petrus profugus capite plexus.
Legatio regis ad Magistrum Cruciferorum.
Ioannis Alberti mors, mores, & ingenium.

lio ponendum curauit. Fuit Ioannes Albertus statura proceriore, colore subfusco, capillo nigro & raro, ingenio magno, literarum & præsertim historiæ studiosus, liberalitate erga militares homines, & magnitudine animi non uulgari: aulicum comitatum non infra mille sexcentos equites alere solitus: in uenerem procliuior, cœlebs tamẽ extinctus est, cum ferè nouem annos regnasset.

1501

ALEXANDER REX.

Comitia Petricouiæ.

VSTIS funeribus Ioanni Alberto peractis, itum est Petricouiã ad comitia, creandi noui regis gratia de more à Friderico archiepiscopo Gnesnensi, qui idem episcopus Cracouiensis, & presbyter Cardinalis erat, indicta. Consultatum' que aliquandiu uariantibus procerum sententijs, & studijs in reliquos Cazimiri filios diuisis. Complures enim de minoribus Polonis ad Vuladislaum Vngarorum & Boemorum regem regnum deferebant, quòd eum opibus externorum regnorum paternum & auitum regnum aucturum & ornaturum, & maiore ui coniunctis trium populorum uiribus contra barbaros, Turcas ac Tartaros, & quosuis alios hostes defensurum esse dicerent. Et præmiserant iam ij priuato consilio, Petro Cmitha marsalco regni authore, Petrũ Myscouium palatinũ Lencicien sem, & Nicolaum Vuroblouium canonicum Cracouiensem, ad ipsum Vuladislaum, qui studia sua ipsi deferrent, & ad suscipiendum regnũ eum inuitarent. Alij uerò Sigismundo Glogouiensium & Opauiensium duci fauebant. Sed uicit eorum sententia, qui Alexandrum magnum ducem Lituanorum regẽ edebant. Nam & rationibus certis & exemplis ij refellebãt eos qui Vuladislao studebant: ostendebantq́, neq́ Vuladislai prioris, neq́ Ludouici tẽpore expediuisse Polonis, eũdem cũ Vngaris regẽ habere. Negocio sum esse in primis regnũ Vngarorũ, partim propter inquieta gentis ingenia, partim propter uicinos Turcas, ita ut rex diutius ab eo regno abesse rectè non possit: sibi item præsenti rege opus esse: magnisq́ incõmodis atq́ cladibus maiores suos affectos esse ob regis absentiam. Contrà, Lituaniam perpetuo fœderis nexu olim à Iagellone & Vitoudo cum Polonia consociatam, & quasi in unum reip. corpus redactam, ab ea disiungi, & quasi amputari, prorsus inutile esse. Omnibus bellis priscis iuxtà ac recentioribus Lituanos multum momenti Polonorum uiribus attulisse. Et quemadmodũ ij sine Polonis nihil præclari unquam gessissent, gerantúe: sic à Polonis quoq́, sicubi Lituani abfuissent, non multũ operæprecij factum esse, ex quo ij se cũ ipsis coniunxissent, uel nuper Valachico bello id satis animaduersum esse. Cõmodùm aũt Lituanj proceres, Albertus Tabor episcopus Vilnensis, Ioãnes Zabrezinius princeps marsalcus, & Nicolaus Radiuilus pincerna ducalis, & alij quidã duo aduenerant cũ mandatis Alexandri ducis, ac totius senatus Lituanici, ad eligendũ cum Polonis secundũ prescriptũ fœderis regem, & iurandum in uerba eius, confirmandumq́ & renouandum antiqua fœdera. Qui & priuatim primores Polonici senatus prensarũt, rumorẽq́ sparse-

De rege creando uariæ sententiæ.

Petrus Kmitha marsalcus regni.

Non expedire eundẽ esse Vngar. & Polon. regem.

Lituanorũ coniunctio cũ Polonis, utrisq́ utilis.

Lituanica legatio ad comitia Polonorũ.

ſparſerunt, Alexandrum cum exercitu aduentare: & publicè renouatio nem fœderum, cùm à ſe, tum ab ipſo Alexandro, conſentientibus proce ribus Lituanis conſcriptã & conſignatã exhibuerunt. Extat utrunq; di ploma, ſimul & mãdata ipſius Alexandri, & uigintiquinq; procerũ Li tuanorum, in Archiuio regio Cracouienſi. Adhibita eſt aũt in fœdere moderatio quędã nonnullorum capitum: nempe ꝙ è Polonis & Litua nis unus deinceps debet eſſe populus ſub uno rege: rex autem in Polo nia creetur, Lituanis etiam proceribus ſuis locis in eo conuentu ſuffra gia ferentibus: conſilium unũ ſit ambobus populis, & ſocietas in ſecun dis iuxtà ac aduerſis rebus: moneta par atq; ſimilis: fœdera antiquitùs ab utriſq; icta ſeruentur ab ambobus, quoad alteris non incõmodabũt: Magiſtratus, ſenatores, prędecti, nobilitas, & alij quiuis Lituani iurent in uerba regis non ſemel tantum, ſed quoties à cõſiliarijs Polonis admo niti fuerint: iura & prędogatiuę utriuſq; populi ſimul, & eodem cõtex tu literarum à nouis regibus confirmentur; cęterùm iudicia more anti quo utrobiq; exerceantur: nulla uerò utrinq; occaſio dirimendæ cõiun ctionis captetur. His igitur actis & conſtitutis, Alexander rex renuncia tus eſt, miſsiq; ad eũ Breſte oratores principes ſenatus, Andreas Roſa archiepiſcopus Leopolienſis, Ioãnes Lubrãcius epiſcopus Poſnaniẽſis, Andreas Samotulius Poſnanienſis, & Ioannes Tarnouius, cognomẽto Sramus Lublinenſis, palatini, iuſiurandũ ab eo & proceribus Lituanis de ſeruandis pactis conuẽtis exegerũt, & regnũ ei detulerũt. Nec longa mora interpoſita, maturauit is iter Cracouiã cũ mille quadringentis e quitibus, ſuſcipiẽdi diadematis gratia. Verebaẽ enim, ne quid Vuladis laus frater fautorũ ſuorũ conſilio moliret. Ac dimiſerat quidẽ Vuladis laus nuncios cum literis ad pleroſq; principes Chriſtianos, de oblato ſi bi à Polonis regno, fretus pollicitatione illorum, quorũ ſuperius mẽtio nem fecimus: ſed eos nũcios celeriter reuocauit, cum accepiſſet, Alexan drum regem à Polonis creatum eſſe, factumq; moderatè tulit: collauda uitq; etiam Polonos, quòd Lituanos, gentem magnã & bellicoſam de nuò ſibi adiunxiſſent. Dum autem præſtitutum coronationi diem Cra couiæ nouus rex expectat, aduenit ad eũ legatio Sachmatis Zauolgen ſium Tartarorum principis. Quæ introducta in ſenatũ, adorato de mo regentis rege, incuſauit Polonos iuxtà ac Lituanos, quòd cum ij Sach matem cum ingentibus copijs tam longo ac difficili itinere in auxilium contra Tauricanos Tartaros euocaſſent, ipſi tam diu cunctarẽtur cum eo ſeſe coniungere, & communem hoſtem non tam uiribus ſuis, quàm natura loci, & peninſulę latibulis fidentem adoriri: paterentur q; ſocios & amicos uaſtis & incultis locis hęrentes, hyberni cœli inclementia, pa buli & commeatus inopia, & fame unà cum equis confici. Verendum eſſe, ne Tartari, gens alioquí ferox, nec ſatis morigera ſuis principibus, mala conſultrice fame ſtimulante, in officio contineri non poſsint. Hæc ita breuiter prolocuti, reſponſum accepere: regẽ celebritate coronatio nis peracta, maturaturum eſſe expeditionem, & cum Polonis & Litua nis ad Boriſthenẽ prędò futurũ, operamq; daturum, ne Sachmatẽ cum

Fœdus Lituanorum cũ Polonis renouatum.

Alexãder rex creatus.

Polonorum legatio ad Alexandrum.

Iuramentũ Alexandri regis electi.

Vuladislai modeſtia.

Tartarorũ Zauolgenſium legatio ad Polon. regem.

fuis tam longinquæ ac diuturnæ expeditionis pœniteat. Hac ſpe onerati legati, additis hoſpitalibus donis, quæ domino ſuo ferrent, dimiſſi ſunt ſine mora. Interea uerò Sachmatis uxor, inediæ & frigoris impatiens, cum maiore parte copiarum eius in Tauricam transfugit. Qua uirium acceſsione fretus Tauricanus princeps Mengligeres, ſiue Mendlikereius, qui Mahometkereio fortè defuncto, uel ſuperiore pugna cæſo ſucceſſerat, duxit in hoſtem: commiſſoque in patentibus campis ſub Kiouia prælio, uictum ingenti ſtrage Sachmatem in fugam uertit. Sachmates diſſipatis ſuis, cum trecentis modò equitibus Bialogrodum ſiue Moncaſtrum profugit. Vbi cum ſubſtitiſſet aliquandiu inops conſilij, & à Turcis in gratiam Mengligeris inſidias parari ſibi perſenſiſſet, peruaſtas Podoliæ ſolitudines Kiouiam ſeſe recepit. Sed ne ibi quidem tutus fuit. Circumuentus enim à palatino ſiue præfecto loci, Vilnam trãſmiſſus eſt. Ibiq; regis aduẽtum operiri iuſſus, cum aliquoties fugere conatus eſſet, retractus è fuga, diligẽtius aſſeruatus eſt. Hunc exitum Tartaricum illud bellum habuit. Alexander duodecima die Decembris à Friderico fratre in baſilica Cracouienſi ritu ſolenni inunctus & coronatus eſt. Nec multo poſt Sigiſmundus frater ipſi gratulaturus aduenit, itemq; Ioannes Baduarius Venetorum legatus. Menſe autem Februario ſequentis anni Helena regis uxor è Lituania uenit. Nec tamen diadema de more reginarum ipſi impoſitum eſt, propterea quòd Græcorum ſchiſmati dedita, ab inſtituto eccleſiæ Romanæ & catholicæ abhorreret. In Lituaniam deinde rex initio menſis Maij cum ea ſe recepit, Friderico cardinali fratre uicario, gubernatoreq; regni pro ſe conſtituto. Acceperat enim, Moſchos bellum contra Lituanos reparare. Nec ita multo poſt, Demetrius Ioannis magni ducis filius, affinis Alexãdri, cum ualido exercitu adfuit, & ad Smolenſcum caſtra metatus eſt: fruſtraq; tentata arcis expugnatione, reduxit exercitum, cum Alexãdrum regẽ cum magnis copijs aduentare accepiſſet. Pax deinde, ſiue adeò ſex annorum induciæ inter ſocerum & generum conſtitutæ ea lege, ut captiui modò redderentur. Conſtantinum tamẽ ducem Sigiſmundus Herberſteinus memorat ante pacem factã elapſum eſſe, dimiſſum è uinculis, cum ſimulatè fidem ſuam Moſcho obſtrinxiſſet, agroſq; & poſſeſsiones in Moſchouia ab eo accepiſſet. Per idem ferè tempus Tartari Tauricani cum Podoliam, Ruſsiam & Sendomirienſem tractum populabundi peruagati, Reſſouiam, Iaroslauiam, Radimnum, Belſum, Dauniciam, tranſmiſſoq; Viſtula flumine, Opatouiam, Lagouiam & Cunouiã oppida diripuiſſent & exuſsiſſent, ad Pazanouiã uſq; peruenêre. Inde cum Ioannes Vapouius, qui erat in miniſterio Friderici cardinalis, aliquãta manu ſagittariorũ in aditu eius uici ſiue oppidi ipſis ſeſe oppoſuiſſet, & nõ contẽnendi exercitus ſpeciẽ oſtendiſſet, reuocarunt gradum onuſti præda omnis generis: & ferro igniq; in obuia quęq;, quę abigere uel aſportare cõmodè non poterãt, crudeliter debacchati. Proceſsit quidem ipſis obuiam Fridericus gubernator cum quingentis equitibus, & peditum aliquanta manu tumultuaria, cætera nobilitate Corcinũ ſe ſequi

iuſſa:

Tartarorum à ſuo principe defectio.

Zauolgenſes Tartari à Tauricanis profligati.

Sachmatis Tartari fuga & captiuitas.

Alexãder rex coronatus.

Venetorum legatio. 1502 ann.

Helena regis uxor non coronata.

Fridericus cardinalis gubernator Poloniæ.

Smolenſcũ oppugnatum à Moſchis.

Induciæ.

Conſtantini ducis reditus.

Tartarorũ excurſio in Polonam.

Ioannes Vapouius.

iussa: uerùm dum ea tardius molitur, Tartari in tutum se cum præda recepêre. Triginta millia equitum fuisse perhibentur. Eo ipso anno inducíæ, uiuente adhuc Ioanne Alberto cum Baiazete Turcarum imperatore dudum constitutæ, per Nicolaum Firleium Dambrouicium, qui tunc præfectus Lublini erat, confirmatæ sunt. Infestauit autem tunc ea gens Bosnam, & regiam gentis Iaice obsedit, & acriter oppugnauit. Contra quem exercitum quum Vuladislaus rex Vngarorum expeditas copias misisset, commisso prælio, cum æquo Marte aliquandiu dimicatum esset, ad extremum Turcæ fusi & fugati sunt. Nec tamen Vngaris incruenta cessit uictoria. Nec ita multo pòst idem Vuladislaus nexu matrimonij, quo se cum Beatrice regina constrinxisse dicebatur, Pontificis maximi authoritate solutus, cum Anna puella de Candale Vasconum, quæ illustris est in Gallis familia, solenni pompa nuptias celebrauit. Mox Turcas ulturus, Petro Ioza palatino Transyluaniæ, & Ioanne siue Hanselico Mathiæ regis nothо filio, ducibus, exercitum in Rasciam siue Bosnam Turcicæ ditionis uicissim immisit, multisque uicis & oppidis ad Bodon usque, nobile emporium in ripa Danubij situm, uastatis, & luculenta præda abacta, incolumem eum recepit. Enimuerò Persico tunc bello distinebatur Baiazetes: quod tamen per legatos siue Bassas non satis prospero successu gerebat, ipse propter pedum dolorem Adrianopoli & Constantinopoli mansitans. Quas ob causas inuisus factus militibus, facilè posterius à Selimo filio natu minimo regno eiectus est: uenenoque, ut creditum est, extinctus. Sed nos nostra persequamur. Insequens annus Friderici cardinalis & regij fratris, Creslai Curosuancij Vuladislauiensis episcopi, & Conradi ducis Masouiæ continuatis propè funeribus memorabilis est. Fuit Fridericus procera statura, aspectu decoro, ac dignitatis pleno: cæterùm ingenio nullo, iners, ignauo ocio, crapulæ, & assiduis compotationibus in fumo & sordibus cum gregalibus suis quibusdam marcescens: & ad extremum morbo Gallico confectus est, teste Mathia Miechouiensi medico. Vnum illud nominis sui monimentum in basilica Cracouiensi reliquit, quòd thecam caluæ diui Stanislai martyris auream, & multis preciosis gemmis, quas Academiæ præsidibus ademerat, distinctam contulit. Ei suffecti sunt uoluntate Alexandri regis, in metropolitana quidem Gnesnensi sede, Andreas Borissouius cognomento Rosa, archiepiscopus Leopolienſis, Bernardino Vilzico successore accepto: in Cracouiensi uerò, Ioannes Conarius, qui procurator Friderici fuerat, in gratiam reginæ matris, quam homo nulla doctrina, neque ingenio præditus, probus tamen, uulgaribus officijs & caponibus subinde præbitis demeruisse dicitur. Porrò Creslaus in episcopa quidem Vincentium Prœrembium episcopum Premisliensem: in munere aũt cancellariæ Ioannem Lasciũ præpositum Scarbimirienſem, & canonicum Cracouiensem: quẽ rex in Lituaniam proficiscens, cum neque cancellarius, neque procancellarius sequeretur, secum duxerat, & dato ipsi annulo suo à secretis habebat, pro-

Inducíæ cum Turcis firmatæ.

Turcæ uicti ab Vngaris apud Iaice.

Vuladislai regis Vngar. & Boem. uxor.

Turcarum ditio ab Vngaris uastatur.

Persarum ac Turcarum bellum.

Baiazetes à Selimo filio pulsus regno, & extinctus.

1503 ann.

Friderici cardinalis mors & mores.

Andreas Rosa archiepiscopus Gnesnen.

Bernardinus Vilzicus Leopolienſis.

Ioannes Conarius episcopus Cracouiensis.

Vincentius Prœrẽbius episcopus Vuladislauien.

Ioannes Lascius cancellarius Polon.

pterea quòd scriba primùm, deinde cancellarius Creslai episcopi cum fuisset, in cãcellarię negocijs bene exercitatus haberetur. Prę-

Mathias Dreuicius episcopus Præmisl. & procãcell.

rembio uerò in episcopa Præmislienſi Mathias Dreuicius succesſit, qui & in procancellarij munere antè succesſerat. Conradus uerò Masouiorum dux

Conradi Masouiorũ ducis mors et liberi.

Ioannem & Stanislaum filios impuberes hæredes reliquit. Sed hi in Cirnenſi tantum ditione ius succedendi patri habebant. Cæteræ, quas Conradus à Ioanne Alberto rege precariò obtinuerat, ad regem ex pacto deuoluebantur: nec tamen reddebantur, Anna uxore defuncti cum proceribus eas retinente. Quod quidem rex facilè passus est, pactus cum Anna & proceribus, ne id sibi regnóq; fraudi esset, donec contro-

Transactio regis cum Masouijs ducibus.

uersia decreto comitiorum decideretur. Verùm sequenti anno transacta res est amicè in comitijs Petricouiẽsibus: indultumq; pueris, ut quibus finibus pater eorum Masouiam tenuisset, ipsi quoq; retinerent, & posteris suis masculis tantum relinquerent, orbi autem, ipsi inter se succederent: ubi masculi hæredes defecissent, tùm demum rex Polonorum totam Masouiam reciperet, gentemque suis legibus uiuere permitteret: puellis, si quæ supereſſent è ducum genere, pro dignitate dotem daret. Vbi ad pubertatem pueri peruenissent, tum demum ut pacta hęc diplomatis suis approbarent, & in uerba regis iurarent: interim autem mater dominatum omnem administraret. Sed hæc sequenti demum

Tartari Russiam populati.

anno, quemadmodum perstrinximus, conuenêre. Illa autem æstate Tartari Taurícani Podoliam & Russiam rursus hostili incursione uexarunt, à Stephano palatino Valachorum, ut creditum est, concitati. Ipse quidem immisso in Russiam finitimam exercitu, tractum omnem

Pocuce à Valachis interceptum.

inter Nestrum amnem, & Sarmaticos montes, quem Pocuce uocamus, nemine repugnante, ac ne expectante quidem quicquam eiusmodi, subegit: siue, ut ipse dictitabat, de sua ditione iniustè prius detractum, recepit. His rebus, atque adeò crebris Polonorum procerum literis & nuncijs excitus rex è Lituania, Lublinum extremis diebus mensis

Comitia Lublini.

Octobris uenit, ibique comitia procerum habuit. Placuit, ut in æstatem proximam, milite mercenario res contra Valachos gereretur, & Pocuce repeteretur. Eiusdem autem exercitus metu Tartarorum excursiones repressum iri uidebantur. In stipendium uerò decreto comitiorum imperata est pecunia oppidanis & agrestibus, usitato more. Rex deinde peracto conuentu Cracouiam se contulit,

1504 ann.

& ibi hybernauit. Vere proximo exercitum è mercenario milite conscriptum in Russiam misit: ipse uerò, posteaquam pluuiæ, & insoli-

Prussi iurãt in uerba regis Alexandri.

tæ fluminum inundationes remiseruut, in Prussiam profectus, iusiurandum fidelitatis à ciuitatibus exegit. Fridericus uerò Magister Prussiæ orientalis, cognito aduentu regio, ad consanguineos suos in Saxoniam & Germaniam se recepit, ne uel iurare in uerba regis, uel improuisi belli molem imparatus sustinere necesse haberet. Sed ne Germania quidem tunc domestico & intestino bello uacabat. Etenim inter Maximilianum Cæsarem, & Rupertum Philippi palatini Rheni filium, bellum conflatum est propter ereptam Alberto duci Cæsaris

affini

affini Bauariam: celeriter tamen confectum, cum infestæ acies apud Ratisponam ad prælij dimicationem uenissent: Rupertusq; duobus millibus Boemorum desideratis, & septingentis captis, uictus & castris exutus, paternus uerò dominatus eius à ceteris principibus Germaniæ cum Cæsare sentientibus diuexatus & accisus esset. Ibi enim Philippus cum filio pacem & ueniam à miti Cęsare supplex petijt, æquisq; conditionibus impetrauit. Quin aliud quoq; bellum Maximiliano cum Ludouico rege Gallorum, & Venetis de principatu Mediolani, tunc exortum est, cum Gallus capto Ludouico Sphortia duce, dominatum illum, Venetis non tam socium regem adiuuantibus, quàm suam rem agentibus, iterum in potestatem suam redegisset, siue adeò cum Venetis partitus esset. Recuperarat enim eũ prius amissum Sphortia, Gallis eiectis. His igitur de causis Magister Cruciferorum apud Germanos suos nihil tũc opis inuenit. Per id tempus Moldauia infestata & uexata est à nostris, ita ut Stephanus è munitionibus Procutiensibus præsidia deducere coactus sit, præsertim cum ipse grauissimo pedũ dolore affligeretur: quo ad extremum confectus, haud ita multo pòst extinctus est, uir magnitudine animi, astu, peritia rei militaris, & rebus contra Turcarum, Vngarorum, & Polonorum reges, ac Tartaros feliciter gestis, omni æuo memorabilis. Cui Bogdanus filius Luscus in dominatu successit. Nostri enim satis habuerunt Pocuce recuperasse. Tartari uerò cum non ignorarent in propinquo esse regium exercitum, quieuerunt eo anno. Maturè igitur exercitus ille exautoratus est, siue quòd eo nihil opus erat, Valachis atque Tartaris quiescentibus, & ut uidebatur, deinceps etiam quieturis: siue quòd deerat pecunia, ita ut ne emerita quidem stipendia militibus exoluerentur. Quo factum est, ut ij agminatim in Cracouiensem oram reuecti, cum ne Cracouiæ quidem spes ulla pecuniæ è thesauro regio numerandæ ostenderetur, in bona & possessiones episcopi & abbatum hostilem penè in morem inuaderent, & inde rapto se se sustentarent, donec rex è Prussia redijt: quod quidem sub finem ęstatis factum est. Quo tempore Cazimiria, quæ Cracouię ponte iungitur, à meridie ad noctem usque rege ex arce inspectante arsit, & cum turribus & pinnis mœnium penitus conflagrauit. Eodem autem anno, mense Nouembri, Turcæ Croatiam regis Vngarorum prouinciam, acerbè depopulati sunt. Peractis Petricouiæ Polonorum comitijs, constitutis'que rebus Polonicis, & Masouiticis, Alexander rex insequentis anni initio Breste, quo Lituanis conuentum edixerat, contendit, ut eius quoque gentis res turbatiores componeret. Principem gratiæ locum ex ea gente apud eum obtinebat Michael Glinscius dux Russus, uir elati animi, magnas'que in Lituania opes & potentiam atque clientelas, Russorum præsertim eiusdem linguæ & religionis hominum, sibi compararat. Ægrè id ferebant Lituani proceres, alioqui etiam Russis non satis æqui: formidabant'que, ne per occasionem is Alexandri orbitate contempta Lituaniæ dominatum inuaderet, & ad suos Russos transferret. Quin etiam iactabatur uulgò, uere ne

Maximiliani Cæsaris uictoria de palatino Rheni.

Mediolanensis belli initium inter Germanos, Gallos & Venetos.

Moldauia infestata à Polonis, & Pocuce receptum.

Stephani palatini mors, & res gestæ.

Bogdanus palatinus Valachiæ.

Cracouiensis ora infestatur à militibus.

Cazimiria cõflagrauit.

Croatia uexata à Turcis.

1505 ann.

Michaelis Glinscij ducis potentia & inuidia.

Lituanici motus.

uere ne an falso, incertum est, Michaelem principatum affectantem Alexandro insidias struere. Non latebant hæc Michaelem: & homo gratiæ principis impotentior sui, non modò nõ dissimulabat quicquam, sed apertas cum æmulis suis inimicitias gerebat, & in odiũ principis eos adducebat. nec defuit ipsi occasio. Fortè Alexander præfecturam Lidensem, Lituano quodam amoto, Andreæ Drosdæ Michaelis consanguineo contulerat, & ad primores Lituanorum absens mandata dederat, ut eum in possessionem eius præfecturæ mitterent: id illi odio Michaelis ad regium aduentum reiecerunt. Hinc igitur arrepta occasione Michael, cùm alios Lituanos proceres, tum in primis Albertũ Taborum episcopum Vilnensem, Ioãnem Zabrezinium palatinum Trocensem, Stanislaum Zarnouecium præfectum Samagitiæ, & Stanislaũ Kiscam ducem exercitus, quasi contumaces rebellesq́, subinde apud regem criminari, donec eò regem perpulit, ut is secretis consilijs de nece ipsorum agitaret. Cum autem in media Lituania nihil eiusmodi propter magnas eorum clientelas, & communem gentis Lituanę dolorem tutò aggredi posse uideretur, Breste, quod oppidum in confinio Poloniæ situm est, eos ad conuentum euocauit. Non ignorabant illi quidem, regem sibi iratum esse: & erat res plena suspicionis, quod Lituanica comitia in eum locum præter morem edicta essent. aduenêre tamen, sed ingressu arcis abstinuere. Tandem suasu Ioannis Lascij cancellarij Polonici rex aliquantisper mitigatus, Zabrezinium quidem palatinatu Trocensi amouit, dato ei successore Nicolao Radiuilo: Albertum uerò episcopum Vilnensem, cum cæteris qui idem sentiebant, senatus ingressu excluſit, tantisper donec se placarent. Adductus deinde Vilna Sachmates Zauolgensium Tartarorum princeps: cui rex magna & splendida equitum caterua stipatus, ad quinq́ millia passuũ obuiam progressus est: & comiter ac lautè eum accepit, compositisq́ rebus Lituanicis, ad conuentum Polonorum Radomiam secum duxit. Vbi introductus in senatum, grauiter & magna libertate regem & consiliarios eius Polonos iuxtà ac Lituanos incusauit, quòd ab ijs contra Tauricanos Tartaros in auxilium penè ab Hircano usq́ mari ingentibus pollicitationibus euocatus, destitutus deinde, ac planè proditus, amissis partim per defectionem, partim aduerso prælio maximis, quas adduxerat, copijs, nihilo tutiorem apud socios & fœderatos, quàm apud Turcas fugæ locum inuenerit: sed contra iurisiurandi religionem pro captiuo habitus, & ad illud usq́ tempus in custodia, & quasi in carcere detentus sit. Sed Deus (inquit, sublatis in cœlum manibus) bonorum omnium & malorum remunerator, meam regisq́ causam aliquãdo iudicabit, & eorum nas meas, iusq́ iurandum uiolatum ulciscetur. Ad extremum orabat, ut sibi liberè discedere, & ad suos reuerti liceret. Responsum est regio nomine, immeritò ipsum de rege & consilio eius queri: ipsum sibi sua culpa, quicquid illud mali esset, conciliasse: quippe qui cum ualidum & florentem exercitum haberet, hostemq́ uiribus longè inferiorem secundo prælio fudisset fugassetq́, in campis Kiouiensibus ignauus desidere, &

Ioannes Zabrezinius palatinatu Trocensi amotus.

Sachmates Tartarus in Poloniam ductus.

Comitia Radomiæ.

Sachmatis libertas in dicendo.

dere,& ſociorum agros,fœdere & iuriſiurandi religione neglecta, rapinis uexare:quàm urgere uictoriam,expulſóq; hoſte, Tauricæ imperium ſibi adiungere, aut certè traiecto rurſus Boriſthene, è Moſchi ditione prædas agere, & exercitum inopem ſuſtentare,tantiſper dum Poloni & Lituani adueniunt,maluerit.Ne fœminam quidem uxorẽ ipſius,nedum exercitum,domini & uiri ignauiã illam ferre potuiſſe.Seipſum igitur potius,quàm quenquam alium incuſaret. Adhæc plurimũ eum Polonis & Lituanis incõmodaſſe,quòd ſua culpa, neglectis eorum conſilijs,de infeſtanda Moſchouia,defectione ſuorum,uires hoſtium auxerit. Sic refutatæ Sachmatis querelæ,retorta in eum culpa. Obnixius deinde is rogare, ut in Scythiam remitteretur:reparaturum ſe eſſe exercitum, & reliquias profligati recollecturum: trãsfugas quoq;,ubi ſe incolumem eſſe cognouerint,ad ſe reuerſuros. Ita fore,ut plus regi commodare dimiſſus,quàm retentus poſſet.Non ſatis conſultum fore noſtris uidebatur,dimittere ferocem hominem,detentione tam diuturna & retractione ex fuga iritatũ, qui tunc etiam, cum ſui iuris non eſſet, liberè tamen & acerbè de iniuria quereretur. Sed Tauricano tamen principi iratior eſſe, & infeſtior fore, non immeritò credebatur. Ita acquieturos tamen eſſe noſtros, barbaris inter ſe commiſsis.Placuit igitur,ipſo aſſentiente,fratrem quidẽ eius Cozacum Soltanũ in Scythiam mitti, nouas copias Sachmati adducturum, & Nogaienſes Tartaros conſanguineos ſuos contra Tauricanos concitaturum:ipſum uerò Sachmatẽ Troccos remitti,expectaturũ donec frater cum copijs reuerteretur,& rex in Tauricam expeditionẽ faceret. His ita conſtitutis,Kozacus accepto à rege uiatico in Scythiam contendit:Sachmates uerò à Lituanis proceribus Troccos reductus, liberiore uiuendi ratione uti permiſſus eſt,cum dediſſet fidem,ſe inde fugiturum non eſſe. Aduenerant autem Lituani proceres ad Radomienſia comitia, ut opera Polonorum regẽ ſibi reconciliarent. Sed nõ potuere tamen ij quicquam aliud impetrare, quàm ut rex data ipſis repulſa publicè,ſecretò Polonis polliceretur,ſe illos in gratiam recepturum eſſe,cum ad Lituaniam accederet.Dimiſsis Lituanis atq; Tartaris,reliquum tempus comitiorum iudicijs & conſultationibus de defenſione regni contra ſubitarias hoſtium incurſiones datum eſt. De equeſtribus quibuſdã.qui latrocinia exercuerant, ſumptum ſupplicium. Ac Oſuchouius quidem & Miſouius gladio percuſsi:Ruſinouia uerò fœmina cum ocreis, calcaribus,& cultu corporis uirili,ut erat prehenſa, ſuſpẽdio necata eſt. Ad defenſionẽ uerò regni minores quidem Poloni tributũ agrarium duodenũm groſſorum in ſtipendium mercenariorum militum ſciuere: maiores autem id abnuere. Per quod tempus,decimanona die Maij tempeſtas horrẽda circum Cracouiam coorta,tonitruis perpetuò terribiliter crepitantibus,& coruſcantibus inter denſas nubes fulguribus,grandinem inſtar oui gallinacei demiſit,qua frondes arborum craſsiores etiam decuſſæ,tectaq; domorum perfracta ſunt: turris una arcis fulmine percuſſa, tecti & muri parte abrupta,prodigij loco fuit.Nec multo pòſt rex Alexander uigore membrorum in una parte ſoluto,quem morbum paralyſin Græci uocant, Rado-

Nogaiẽſes Tartari.

Lituani ſupplices regi reiecti.

Ruſinouia ob latrocinium ſuſpẽdio necata. Tributum à minoribus Polonis ſcitum.

Tempeſtas ingens.

Alexander paralyſi affectus.

mia Cracouiam post medium Iunium apportatus est. Quo subsecuta est cum legatio Bogdani Valachorum palatini, quæ tunc Radomiam adue-

Bogdnai Valachi legatio.

nerat. Postulabat autem Bogdanus coniugium Elizabethæ sororis regiæ: & quo facilius id impetraret, Thysmeniciam & Cesibessos territoria regi reddebat. Ipse ne autem ea post mortem patris Polonis ademerit, ut memorat Vapouius, an à patre adempta, quemadmodum uult Miechouiẽsis, retinuerit: an uerò quę nõ habuerit quidẽ in potestate, sed quasi sua repetere posse & uelle uidebat, donãda sibi esse duxerit, nõ satis constat. Ea quidẽ certè donabat, quę retinere ipse nõ poterat: ut benignitate illa, quæ nihilo ipsi cõstabat, regis & Polonorũ studia promereretur. Abnuebant puella & mater barbaricũ fœdi ac lusci hominis connubium: nec tamen repulsa iritari placebat hominẽ, & ex amico hostẽ facere. Itaq; pro munere quidẽ gratiæ actæ Bogdano, de coniugio uerò ambiguũ responsum datũ. Per idem tẽpus legati Nogaiensiũ ducum, (neq; enim u-

Nogaiẽses Tartari.

nũ principẽ hi habẽt) octoginta equitũ comitatu in Lituaniã aduenêre, qui Sachmatẽ domum reducerẽt, magnas copias ad ulciscendũ hostem Tauricanũ ipsi pollicentes. Nec multo pòst Mẽdligeri siue Mẽglikereij

Tauricanorũ Tartarorum legatio.

Tauricani principis legatio subsecuta est, suadẽs & postulãs, ne Lituani proceres Sachmatẽ hostem suum dimitterent, sed asseruarẽt in custodia: quemadmodũ patruum suũ, quoad uixit, asseruassent. Percussurũ se esse fœdus cum rege, nec unquã deinceps in ditiones eius inuasurũ. Vtiliorẽ autem fore Lituanis & Polonis amicitiã suam quàm Sachmatis, à quo & propter longinquitatẽ sera, & propter debilitatas atq; adeò afflictas uires infirma auxilia essẽt expectãda. His utrinq; auditis, Lituani proceres neutram in partẽ quicquam statuerũt, sed rem integrã ad regis aduentũ reiecerunt. Patebat interim liber aditus ad Sachmatẽ legatis Nogaiensibus. Qui cum duci se pollicitationibus Lituanorũ suspicaretur, cõsilium fugæ cum legatis & equitatu, quẽ circum se habebat, clàm iniit, effusoq; cursu dies & noctes iter cõtinuabat: sed occurrentibus per cõpendia uia-

Sachmates è fuga retractus.

rum Lituanis, retractus ex fuga, ac diligẽtius deinde asseruatus est. Nihilo tamẽ magis Tauricani per eos dies Lituaniæ uexatione abstinuerunt.

Tartarorũ excursio.

Nam è Minscensi territorio prædas extremis diebus Augusti mẽsis egerunt: quo factũ est, ut Lituani anno sequẽti Vilnam muro cingerẽt. Sub excursionem aũt illam Tartaricã tertio Cal. Augusti, Elizabetha regina Cracouiæ extremũ uitæ diem clausit: fœmina lectissima, & insigni pietate ac munificentia in cultum diuinum. Cuius præclara & regalia donaria extant etiamnum cùm alibi, tum in basilica Cracouiensi, ubi sepulta est, honorificentissimo funere ab Alexandro & Sigismundo filijs elata, in delubro sanctæ Crucis, quod uiuens à fundamentis exædificarat, omnique apparatu ad cultum diuinum accommodato magnificè ornauerat, & censibus domo q; in octo presbyteros & nonum ministrum collatis dotauerat. In diui quoque Michaelis templo in eadem arce sito totidem presbyteris, qui cantando & sacris operando assiduo cultui diuino insisterent, census attribuit. Quamuis enim dotem nullam apportauisset, indulsit ei tamen rex filius, ut non modò tantum in cultum di-

Minscum. Vilna muro cincta.

Elizabethæ reginæ mors & pietas.

uinum

uinum elargiretur, sed etiam filiæ Elizabethæ natu minimæ Lencicien-
sem, Radomiensem & Prædecensem præfecturas, partem bonorum,
quæ nihilo minus donatione propter nuptias à marito rege utenda fru-
enda acceperat, quadraginta millibus Vngaricorum aureorum obliga-
ret & cõcederet, quo illa bonis ijs matre uiuente uteretur frueretur quo-
ad nuberet, uel cœlebs decederet: post mortem u rò matris, ad ius regni
libera ea reuerterentur. Iustis funebribus matri peractis Alexander, cum
ope medicorũ à morbo releuatus esset, Calendis Octobribus Lublinum
profectus est, & anni sequẽtis, qui fuit à Christo nato 1506, initio comitia
Polonorum habuit. Certatum ibi, ac disceptatũ est inter proceres profa-
ni ordinis, & episcopos, de ordine & ratione sedẽdi in senatu regio, ac de
expeditionibus bellicis. Contendebant proceres, ut episcopi alterum la-
tus regis sibi concederent, alterum uel dextrũ sanè ipsi tenerent: deinde
ut bona ecclesijs addicta, perinde ac ea quæ nobilitatis essent, publica bel
li onera sustinerent. Tuebantur episcopi prærogatiuas suas, quòd utri-
que regio lateri assidendi ius ipsi, & militiæ uacationem ecclesiastica bo-
na antiquitùs haberent. Post longam altercationem rex tandem con-
trouersiam ita diremit, ut episcopis & ecclesijs prærogatiuæ suæ saluæ
manerent. Constitutum deinde, ut à rege noua moneta argentea cude-
retur, & usitatum tributum ab agrestibus & oppidanis in stipendia mili-
tum, qui ad fines Russiæ & Podoliæ defendendos, ac depellendum Po-
cucien si territorio Bogdanum mittebantur, conferretur. Etenim Bog-
danus nuptiarum Elizabethæ regiæ sororis compos non factus, quòd
regina puellæ mater ipsi aduersata esse diceretur, ubi cognouit reginam
esse mortuam, iterum ea de re ad regem oratores miserat: sed cum
puella negaret se ipsi nupturam, ira percitus, quòd contemni se puta-
ret, Pocuce cum infesto exercitu inuaserat: & cum nullum ibi esset re-
gium præsidium, nec ualidæ munitiones, paruo negocio in potestatem
suam redegerat. Igitur quatuor millia mercenariorum militum decreto
comitiorũ in Russiã missa, Pocuce sub signis ingressa sunt: profligatisq;
ac depulsis sexcentis Valachis præsidiarijs, territorium omne non multo
maiore negocio, quàm erat amissum, recuperarunt. Deinde Valachiæ
fines infestis incursionibus uexarunt. Vbi duo Strusi fratres, adole-
scentes nobiles & bellicosi, decus Russicæ nobilitatis, cum ala quinqua-
ginta equitum longius prouecti, cum in longè plures Valachos fortè
incidissent, audacius quàm par erat cum eis congressi, à multitudine
hostium oppressi sunt. Ac Felix quidem in prælio fortiter dimicans ce-
cidit: Georgius uerò dum fratri laboranti per medios hostes animose
inuectus fert opem, suffosso equo ad terram defluxit, ibi que captus, &
ad palatinum deductus, cum octo alijs tyranno inspectante capite plexus
est. Sed non inulta mors eorum Valachis mansit. Postridie enim eius
diei nostri hostem uictoria recenti exultantem consecuti & adorti, ma-
gna strage ulti sunt. Cæsus præfectus Chocimensis: Copacius uerò dux
exercitus Valachici fuga elapsus est. Nec tamen memorant Miecho-

1506 ann. Comitia Lublini.

Contẽtio procerum cum episcopis de prærogatiuis loci & immunitatis.

Ecclesiastici ordinis prærogatiuæ regio decreto confirmatæ.

Pocuce Bogdanus palatinus Val. in suã redigit potestatẽ.

Strusi fratres interfecti.

Valachi fusi à Polonis.

uiensis & Vapouius, quinam belli huius Valachici exitus fuerit. Sed nos icto fœdere finitum esse conijcimus, argumento literarum Alexandri regis, quæ extant in Archiuio. Inde enim apparet, Bogdanū tres oratores ad regem denuò misisse, ipsis que cum eo conuenisse, ut Elizabetha Bogdano nuberet his legib. ut is ad Romanæ & catholicæ ecclesiæ ritus cum aulico suo comitatu accederet: in Valachia item ut templa, sacerdotes, & unus episcopus Romani ritus instituerentur: Romanus pontifex Bogdano postulante matrimonium id approbaret: Bogdanus regijs ditionibus fœderatus ut esset, & cum cęteris Christianis principibus cõtra barbaros bellum susciperet. Nec tamen hæc pacta rata fuere. Adactusq; postea bello Bogdanus, Sigismundo regi Alexandri literas illas reddidit. Sed hæc postea. Tunc autem Alexander comitijs Lublinensibus, quemadmodum suprà dictum est, peractis, in Lituaniam contendit. Expectabant enim eum ibi Nogaiensium atque Tauricanorum Tartarorum legati: & acceperat, Ioannem magnum ducem Moschorum è uiuis excessisse, gentemq; in motu esse, ita ut ipsi commoda occasio recuperandi ea, quæ Ioannes Lituanis ademerat, oblata esse uideretur. Felicissimus fuerat Ioannes: Tartarorum iugum excusserat: complures & magnos principatus paruo uel nullo negocio imperio suo adiunxerat, cum Stephano illo magno Valachorum palatino affinitatem & amicitiam contraxerat: Casanenses, Permios, Sibiros, Lapos, Iugros Vngarorum progenitores, Bulgaros Asiaticos partim subiugarat, partim tributarios sibi fecerat: cum uicinis Sueonibus siue Suetijs, Liuonibus atque Finnis prospero successu bella gesserat: Lituanis supra septuaginta arces & castella ademerat. Quanquam autem pleraque hæc omnia per legatos gesserat, formidabilis tamen Lituanis fuerat. Instituto gentis maximus natu filius in principatu patri succedit: sed cum is uiuente adhuc patre obijsset, susceptum ex eo nepotem Demetrium, quemadmodum Herbersteinus prodidit, Ioannes grauis annis successorem sibi designarat. Deinde uerò suasu secundæ uxoris Græcæ mutato consilio, Gabrielem filium ex ea susceptum, qui postea Basilius appellatus est, ei prætulerat, ipsum uerò Demetrium in uincula conieccrat. Moriens autem rursus Demetrio è carcere producto prærogatiuam suam restituerat, culpam admissam deprecatus. Maiores motus hinc inter Moschos expectabantur: sed eos rex in Lituaniã ueniens, celeriter compressos esse cognouit. Gabriel enim, siue Basilius Ioannis defuncti ducis filius, compacto in carcerem Demetrio, dominatum occupauit. Omissa igitur, siue in aliud tempus dilata rerum Moschicarum cura, Alexander cum Mengligeri gratificari statuisset, quo eum sibi amicum faceret, Sachmatem cum omni comitatu & legatis Nogaiensibus Vilnam adduci ad se iussit: instaurato que iudicio, uiolati fœderis reum damnauit, & Cauunam diligentius asseruandum misit, neequicquam deprecantem, & contestantem minimè placatum iri Lituanis & Polonis sua captiuitate & miseria Mengligerem: cæteri Tartari per munitiones

pacta Alexandri regis cum Bogdano.

Ioãnis Moschorũ ducis mors, & res gestæ.

Moschi Tartarorum iugum excussere.

Casanenses. Permij. Sibiri. Lapi. Iugri. Bulgari. Sucones. Finni.

Moschicus principatus hæreditarius.

Basilius Moschorum dominatum inuasit.

Sachmates Tartarus carcere damnatus ab Alexandro rege.

munitiones & caſtella Lituaniæ diſtributi. Nec malè diuinauit Sachmates. Paulo poſt enim, legatis Mengligeris domum reuerſis, menſe Maio quinque millia expeditorum Tartarorum è Taurica erupe- *Tartari Ruſſiam, Podoliam & Lituaniam populati.*
runt, & Podoliam, Ruſsiam atque Lituaniam longè lateque crudeliter uaſtarunt: & præter aliam prædam ingentem, ad centum millia hominum in barbaricam ſeruitutem abegerunt: plurimos uicos atque pagos exuſſerunt, & in imbecilliorem ſenum ac puerorum multitudinem immaniter ferro ſæuierunt. Languebat rex, ab empírico quo- *Alexandri aduerſa ualetudo.*
dam medico, ſeu uerius impoſtore, qui ſe, Polonus cum eſſet, Græcæ mentiebatur, balneis & ſudoribus magis etiam debilitatus. Procères uerò mutuis odijs certantes, regia'que indignatione prouocati, *Lituanorũ inteſtina odia.*
ſuum quiſque negocium agebant, nec ullam habebant curam reipublicæ. Tartari tam felici ſucceſſu illecti, diſtracta præda quam retulerant, *Tartari iterũ Lituaniam uaſtant.*
paruo interuallo quieti dato, mox auctis uiribus menſe Auguſto denuò in Lituaniam irruperunt: & cum ad Cleſcum oppidum haud longè à fontibus Nemeni fluuij ſitum, conſtipati peruenìſſent, relictis i- *Nemeni fl. fontes.*
bi duobus Soltanis (ſic illi Cæſaris ſiue principis filios uocant) cum decem millibus equitum, ad quos ipſi receptum habituri eſſent, cæteri ad uiginti millia turmatim quoquo uerſus populabundi excurrerunt. Vilnæ rex languens iacuerat. Inde uerò diſcedens cum uxore & ſupellectili ſua uniuerſa, Lidam, quæ arx duodecim milliarijs à Vil- *Lida.*
na abeſt, peruenerat. Ac Miechouienſis quidem eum aduentu Tartarorum excitum, cum negarentur Lituani, niſi rex ipſe loco ſe mouiſſet, ad arma concurſuri eſſe, nequicquam diſſuadentibus medicis, eò ſe uehi iuſsiſſe memorat, ne uel in extremo halitu ſuis deeſſet: Vapouius uerò eum in Poloniam iter habuiſſe ſcribit, quò iam Sigiſmundum fratrem è Sileſia euocauiſſet, ut conceſsis ei habenis regni, ipſe *Sigiſmundus à fratre ad regnum accitus.*
rebus gerendis propter ingraueſcentem & inſanabilem morbum minimè idoneus, in ocio reliquum tempus uitæ tranſmitteret. Sed quocunque tandem conſilio Vilnam reliquit, Lidæ cum eſſet, ecce adeſt unus quiſpiam nuncians, Tartaros populabundos uix unius diei itinere abeſſe: ſe ſagitta ictum in faciem, equi pernicitate manus eorum ægrè effugiſſe. Parum fidei habitum eſt nuncio. Proinde Michael Glinſcius, qui regem comitabatur, Raſcios equites aliquot, quos ad manum habebat ſtrenuos, dimiſit, certius omnia exploraturos. Nec longè hi abierant, cum in turmam Tartarorum inciderunt, conſerta'que intrepidè pugna, nouẽ ex ijs interfecerunt, cæteros in fugam uerterunt, & pręfixa pilis occiſorum capita ad dominum ſuum attulerunt. Trepidatũ eſt circa regẽ uehemẽter. Placuit deinde, ut rex moleſtia itineris & quaſſatio ne maiorem in modũ afflictus, lectica Vilnã reportaretur: Glinſcius uerò cum Stanislao Kiſca duce exercitus, & Lituana nobilitate, quæ aduentu Tartarorum audito ad regem confluebat, hoſti obuiã iret. Miſſus etiam, qui Sigiſmundum regis fratrẽ celeriter acciret. Siue enim uiueret rex, ſiue moreretur, & ſiue uincerẽt Lituani, ſiue uincerẽtur, pręſente eo uide-

batur opus esse. Ac rex quidem continuato die nocte'que itinere, Alberto episcopo Vilnensi, Ioanne Zabrezinio, & Ioanne Lascio cancellario Polono, cum regina deducentibus, uix trahens spiritum, Vilnam reportatus est. Michael uerò Glinscius, cum Kisca subito morbo correptus esset, non ignarus moris Scythici, quamuis non plus septem millibus equitum aggregasset, accelerandum sibi ratus est in hostem ad Clescum desidentem, priusquam cuncta agmina, quæ diuersa & palantia prædas agebant, eò sese recollegissent. Erat propè statiua hostilia, quà Lituani ueniebant, amnis non magnus, neque profundus, sed limosus, & ob id ægrè uadabilis. Eius ripam ulteriorem Tartari, cum Lituanos contra se aduentare cognouissent, insederant, ac denso sagittarum imbre Lituanos transitu prohibebant. Habebant Lituani secum bombardas aliquot: eas cum exoneràssent, hostem à ripa summouerunt: & comportatis è uicino frondibus ac uirgultis, amne'que constrato in ulteriorem ripam cum euasissent, magno impetu in hostes irruerunt. Peropportunè autem in primo agminum congressu, equites Poloni trecenti ex aulico regis comitatu, duce Sendiuoio Zarnicouio palatini Posnanensis filio, Vilna accurentes è propinquo colle Tartaris sese ostendêre: cum'que armis fugientes frontem latius diduxissent, ac tympanis atque tubis uehementius insonuissent, & longè maioris quàm pro numero exercitus speciem præ se tulissent, Lituanis quidem animum addidere, hostibus uerò terrorem incussere. Itaque statim ij terga dedêre. Nec segnius instabant Lituani fugientibus, nec ullum recolligendi sese spacium ipsis dabant. Fortè palus erat cœnosa, qua barbari constipati adhuc fugiebant: in eam cum urgentibus à tergo Lituanis compulsi essent, plurimi cœni uoragine hausti sunt: nec pauciores restitantes ab insequentibus contrucidati: Soltani, duces exercitus, equis in palude relictis, ægrè euasêre. Glinscius magnam non solum egregij ducis, uerùm etiam strenui militis laudem ex ea uictoria reportauit, tribus equis sub eo confossis. Neque tamen hac ille uictoria contentus fuit: sed reductis ad hostium statiua copijs, tacitus ibi consedit, operiens donec cæteri hostes, qui prædatum longè late'que excurrerant, casus suorum ignari, ad statiua, quemadmodũ inter eos conuenerat, reuerterentur. Nec eum fefellit coniectura & successus. Post quartum enim diem, eos turmatim reuerti incipientes, ut qui'que primi uenerant, excepit, & magna strage concidit: ita ut uiginti millia barbarorum tunc cæsa, totidem equi capti, memorentur. prẽda omnis excussa, & ingens captiuorũ numerus liberatus. Iam Alexander rex desperata salute, & testamẽto condito, sumptis'que ritu Christiano sacris mysterijs, animam agebat, cum ei de uictoria suorum nunciatum est. Sublatis igitur in cœlum manibus, & oculis lachrymas stillantibus, tacitus amisso iam usu linguæ gratias agere Deo uisus est: nec mora animam exhalauit, die decimanona mensis Augusti, quadragesimumsextum annum agens, cum non totos quinq; annos regnasset in Polonia. Cuius obitum

Poloni aulici. Sendiuoius Zarnicouius.

Tartari à Lituanis apud Clescum profligati.

Glinscij uirtus.

Cæsorũ numerus.

Alexandri regis mors, figura, & mores.

cometes

cometes paucis antè diebus ad Septentriones conſpectus portendit. Quin & globus igneus clariſsimus quadam nocte ſuper turrim curiæ ſenatoriæ Cracouiæ decidiſſe uiſus eſt. Fuit Alexander ſtatura mediocri, facie oblonga, capillo ſubnigro, uiribus corporis atque lacertis ualidis: uerùm ingenio hebetiore, atque ob id taciturnus. Liberalitate fratres omnes ſuperauit, non ſine uoluptate ſua fortibus uiris & militaribus, atque aulicis benignè facere ſolitus: cantoribus etiam, citharœdis, atque tibicinibus impendiò delectatus eſt. Prodigum potius quàm liberalem fuiſſe multi exiſtimauere, ita ut in tempore eum deceſsiſſe diceret, priuſquam Poloniam & Lituaniam omnem prodigeret. Bonorum quidem regiorum magnam partem oppignerauit. Eraſmum Ciolcum, hominem plebeium, quemadmodum creditum eſt, iam inde ex quo Lituaniæ dux factus erat, ualde familiarem habuit: eumq; ad epiſcopam Plocenſem euexit, & opera eius fideli & induſtria in obeundis apud Pontificem max. & Cæſarem legationibus ſemel atque iterum uſus eſt. Certatum eſt de funere Alexandri. Ioannes enim Laſcius cancellarius, Cracouiam id efferre ſatagebat, aſſeuerans ita ipſi quoque regi placuiſſe. Contrà Lituani proceres Vilnæ, iuxta Cazimirum fratrem ſepelire regem uolebant. Nec iniuſtam eius conſilij ſui cauſam habere uidebantur. Cum enim abeſſet Sigiſmundus regis defuncti frater, uerebantur, ne dum ipſi funus honoris gratia Cracouiam deducentes eunt & redeunt, interea Michael Glinſcius, homo factioſus, & recenti uictoria magis etiam elatus, Lituaniæ dominatum, adiuuantibus Ruſsis ſuis, inuaderet. Dum hæc fiunt, & pompa funeris apparatur, Sigiſmundus dux, cum de morte fratris in itinere nuncium accepiſſet, accelerauit iter. Venienti primus omnium procerum Glinſcius cum ſeptingentis equitibus gratulabundus occurrit. Plenus iam ante erat Sigiſmundi animus ſuſpicionum, non modò ex rumore uulgari, ſed etiam delationibus procerum Lituanorum de Glinſcio, quaſi principatum affectaret. Auxerat ipſe etiam tunc ſuſpicionem occurſu ſuo, & comitatu illo tam numeroſo. Nec plures ducentis equitibus Sigiſmundus ſecum habebat: ſed non poterat commodè & cum dignitate congreſſum eius declinare. Itaque aduenienti longius è cubiculo obuiam progreſſus, comiter & benignè eum accepit, & in cubiculū ſuum deduxit. Ibi Glinſcius non ignarus, ſuſpectum ſe eſſe principi, luculenta oratione ſeſe purgauit, & ſtudium obſequium'que ſuum ipſi detulit. ac deleuiſſe omnem ſuſpicionem ex animo eius ſibi uiſus eſt: cum ille ei uiciſsim, ſeu uerè, ſeu temporis cauſa, omnia de ſe polliceretur. Frequentes deinde affuere cæteri proceres, magnis & ſplendidis equitum cateruis ſtipati, Vilnam'que principem deduxere. Nec multo pòſt funus regium ſuperba pompa elatum eſt, & in baſilicæ delubro iuxta Cazimiri corpus ſepultū: per quod tempus Vuladislao Boemorum & Vngarorum regi Ludouicus filius ex Anna uxore, quę ſtatim poſt id puerperium obijt, natus eſt, anno uno poſt Elizabetham ſororem: quā pater poſtea, propter deſiderium uxoris amiſſæ, Annam uocari uoluit.

Cometes.

Alexãdri prodigalitas.

Eraſmus Ciolcus epiſcopus Plocenſis.

Sigiſmundi cũ Glinſcio congreſſus.

Sed nos

1508

Sed nos emensi, id quod nobis proposueramus, curriculũ, hic cursum inhibeamus: postea fortasis per ociũ, id quicquid supereſt spacij, si Deo placuerit, ad metam decursuri, aut, quod malimus, alij lampada traduturi. Interim uisum est nobis hic apponere panegyricum, siue funebrem orationem, Sigismundo regi, qui Alexandro fratri succesit, à nobis post obitum eius conscriptam: qua uitam & regnum eius regis compendiose complexi sumus, ut sit ea commentarij uice ijs qui res gestas Polonorum posterioris temporis utcunque nosse, aut ipsi accuratiore stylo & ordine historico persequi uolent.

LIBRI TRIGESIMI ET VLTIMI FINIS.

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO AVGVSTO, DEI gratia Regi Poloniæ, magno Duci Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samagitiæ, &c. Domino & hæredi, Domino ſuo clementiſsimo, MARTINVS Cromerus.

IN publico & acerbiſsimo omnium noſtrûm luctu, quem tecum pariter, Sigiſmunde Auguſte Rex inclyte, morte ſanctiſsimi Regis noſtri SIGISMVNDI, patris tui, nuper hauſimus, nulla eſt (mea quidem ſententia) maior & efficacior doloris leuatio, quàm honeſtiſsimè & laudabiliter in primis ab eo actæ, & religioſe exactæ atq; poſitæ uitæ: beneq; & feliciter, ſapienter & cum approbatione omnium bonorum adminiſtrati Regni huius, recordatio. Qua in parte cum ego pro meo de multis bene meredi ſtudio, opis aliquid nõ tibi, neque maioribus natu (qui multos annos in Rep. hac noſtra, & in aula eius Regis uerſati, exactius omnia norunt, & memoria tenent) ſed minoribus & imperitis afferre cuperem, prius quàm abs te orator ad Pont. max. Paulum eius nominis tertium proficiſcerer, ſcripſi ei funebrem orationem, ſiue laudationẽ: qua uitam eius, penè omnem, reſq; geſtas illuſtriores, nudè & ſuccinctè, quoad fieri potuit, exponendo, non uerbis amplificando (quod perlongum, & non mearum ſanè uirium opus futurum erat) cõplexus ſum, ut eſſet commentarij uice interim, dum ſiue à nobis ipſis in inſtituta hiſtoria gentis noſtræ: ſiue, quod malim, à doctiori atq; diſertiori quopiam diligentius omnia pertractentur. Nec ſanè deſunt in hoc tuo regno, quod multo florentius & belli et pacis artibus pater tuus reddidit, quàm acceperat: qui, ſi tua benignitas acceſſerit, & libenter id opus ſuſcepturi ſint, & cum dignitate perſecuturi. Equidẽ, ſi nihil aliud hoc labore meo aſsequar, certè doctiorũ ceſſantiũ adhuc ſtudia excitabo, & perſequi hæc accuratè & ornatè uolẽtib. materiã ſubminiſtrabo. Tibi uerò in primis, inclyte Rex, orationẽ hãc dicare uolui, cui meipſum non ita pridem addixi, & ad quem hæreditas paternæ gloriæ maximè pertinet: ut ſi quidẽ placebit, nonnulla, ſi non cum uoluptate, certè cum leuatione deſiderij paterni, domeſtica decora recognoſcas: & noſtri ſiue ocij, ſiue negocij fructum, & quaſi primitias quaſdam delibes: ſin diſplicebit (quod magis credo) melioribus des id negocium, ut ne cum eorum qui nunc uiuũt, mortalium memoria, ſapientiſsimi & optimi patris tui laudes intermoriãtur. Quanquam uiuent eæ (niſi me uanum fallit augurium) æuo ſempiterno, easq; poſteri noſtri longè etiam quàm nos gratiore & iucundiore memoria proſequentur. Quod reliquum eſt, Deum precor, ut fauſta tibi nobisq; omnibus Regni tui initia eſſe uelit, & lætioribus indies ſucceſsibus id cumulet, ac diutiſsimè incolume fortunatumq; præſtet.

Historia Polonica ab authore conſcripta.

Cracouiæ IX. Calend. Aug. M.D. XLVIII.

SIGISMVNDVS I. REX POLONIAE, MAGNVS DVX LI-
TVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMAGI-
tiæ, &c. Dominus & hæres, belli artibus pacisq; clarus, victorijs celebris, pietate & religione
insignis, iustus, clemens, benignus: Anno ætatis LXXXI, Regni uerò sui XLI
obijt: Anno à Christo nato M. D. LIIII. Aprilis I. die.

Regis Sigismundi Primi Epitaphium.

Sigismundus in hoc iacet sepulchro,
Quod uiuens sibi prouidè parauit.
Primus Sarmatiæ potens feracis
Hoc Rex nomine, quem Iagielliana
Ex magnis Ducibus uetus propago,
Gestis, iustitia, fideq; clarum,
Produxit: quibus & diu Polonos
Rexit magnanimos, eosq; multis
Auxit diuitijs, honoribusq;,
Et tot magnificis ubiq; passim
Structuris, ut in hac patescit arce,
In templis & item Deo dicatis.
Armis atq; toga probè per omnes
Insignis proculinde nationes,
Veri cultor erat, tenax honesti,
Et prudens, sapiens, pius, modestus.
In cunctis ratione semper usus,
Non præceps, neq; concitus notatus.
Tandem transyt hinc, bis octo lustris
Ex hoc pondere corporis, peractis:
Sanctè sicut in hoc agebat, hoc sic
Est iam tempore mortuusq; sanctè,
Christus quo tumulum die reliquit,
Coniunctus superûm beatitati.

Natus anno Domini 1467. prima Ianuarij. Electus 1506. octaua Decembris. Coronatus 1507. uigesima quarta Ianuarij. Mortuus 1548. prima Aprilis.

Ioannes Dantiscus Episcopus Varmiensis, Domino suo benemerenti non sine lachrymis posuit.

SIGISMVNDVS REX IPSE de se.

Ciuibus externisq; mea est clemẽtia nota,
Consilium, grauitas, relligio, atq; fides.
Pax mihi chara fuit: tamen haud me impunè lacessit
Teutho, Liuo, Moschus, Turca, Scytha atq; Getes.

Mart. Crom.

MARTINI CROMERI ORATIO IN FUNERE OPTIMI ET MAXIMI PRINCIpis, Sigismundi, eius nominis primi, Polonorum, Lituanorum, Russorum, Prussorum, & Masouiorum regis, &c. M. D. XLVIII. Calend. April. defuncti.

INtemperantius fortasse, Sigismunde Auguste Rex inclyte, & uos Patres amplissimi, ac cæteri uiri undequaq; ornatissimi, abuti facilitate & patientia uestra uideor, qui locũ hũc augustũ, apud uos hoc tẽpore dicturus, cõscẽderim: nihil neq; cõspectũ cõsessumq; istũ uestrũ amplissimũ grauissimũq; reueritus: neq; rei, de qua dicẽdũ est, magnitudine deterritus. Neq; ego ita sum hebes, ut nõ intelligã, quid & quãtũ sit, quod nunc à uobis expectetur: neq; ita mihi ipse placeo, ut non perspiciã, quid à me præstari possit. Quod si Alexander ille magnus, rex Macedonũ, qui res maximas mira celeritate, & rara fœlicitate gesit, neq; pingi se nisi ab Apelle, neq; fingi nisi à Lysippo, prestãtissimis suę ętatis artificibus, passus est: quanto acumine, quàm uaria doctrina, quàm solido iudicio, quàm memoria, quàm ubere deniq; & illustri eloquẽtia esse oportet eũ, qui de optimi, fortissimi, sapientissimi, clemẽtissimi & pientissimi regis SIGISMVNDI, cuius nunc exequias Polonia, Lituania, Russia, Prussia, Samagitia, & Masouia omnis, mœsta & pullata celebrat, laudib. & uita omni, uerè & pro meritis eius dicere uelit? Et effigiẽ quidẽ cuiusquã aptè seu pingere, seu fingere, nõ maximi est ingenij, neq; laboris, ac ne operę precij q; dẽ. Patent omniũ obtutib. corporis lineamẽta: neq; magnopere cuiusq; refert, quo colore, qua figura oris, quo corporis totius habitu, quaue statura quisq; fuerit, qui inter homines esse desijt: animorũ habitudines uitãq; omnẽ, nõ cuiusuis est neq; exactè perspicere, neq; dicẽdo aptè & ad uiuum exprimere. Magnorũ autẽ uirorũ, & excellenti uirtute prędito rũ laudes celebrare, apprimè utile est uitæ hominũ, & necessariũ: ut & illis, quoad fieri potest, pro meritis suis gratia referatur: & cęteri habeant, unde uirtutis & laudis exẽpla petant, & quo ad benemerendũ de suis incitẽtur. Tantę sunt autẽ huius optimi regis uirtutes, ut summis pariter ac imis abundè exemplorũ, ad uitã rectè & honestè instituendam suppeditent: tanta in nos & in patriã hanc nostram communẽ merita & beneficia, ut ea sempiterna immortalitatis laude consecrari à nobis oporteat.

Alexandri Magni delectus pictorum & sculptorum.

Propositio.

Animorum habitudines exprimere difficile.

Vtilitas ex laude bonorum.

Sigismundi regis uirtutes.

Neq; tamen is ego sum, qui id me rectissimè & cum excellentibus sanctissimi illius regis uirtutibus, tum perpurgatis uestris auribus, dignè facere posse confidã. Absit hęc à me arrogãtia. Nõ adeò effrons demensq; sum: intelligo nullã in me esse doctrinã, nullum dicendi usum & exercitationem, nullum excellens ingenium, nullam deniq; memoriã. Quæ nam uerò tanta est cuiusquam eloquẽtia? in quo tantũ flumen lectissimorum uerborum?

Authoris modestia.

uerborũ? in quo tãta uis, & ut ita dicã, fulmen sententiarũ? in quo deniq; tanta memoria & pronũciandi dignitas, ut clarissimis optimi regis uirtutib. atq; meritis par esse possit? Sed si lautis & delicatis epulis deficimur, an ne cibariũ quidẽ panẽ hospitib. apponemus? Et, si auro, gẽmis, preciosáq; ueste caremus, ne malo quidẽ cotoneo, uel scypho aquę ex præterlabẽti amne haustę, gratitudinẽ animorũ nostrorũ sanctissimę huius regis animę ostẽdemus? Vetus est prouerbiũ, eos qui thura non habent, mola salsa litare. Certè uel cũ periculo priuatę temeritatis & impudẽtię, nõ est prodẽda causa publica: neq; cõmittendũ est, ut dũ singuli pudori nostro cõsulimus, cuncti, hoc extremo laudationis officio in funere talis ac tam bene meriti regis prętermisso, ingratitudinis (ne dicã impietatis) reprehensionem apud hos ornatissimos magnorum principum oratores, & apud omnes gentes, quæ humanitatem colunt, meritò incurramus. Audendum est igitur, & eo quidẽ maiore fiducia, quòd ijs de reb. dicendum est, quę uobis plęrisq; omnib. ęquè ac mihi notę, nõnullis etiam notiores sunt: nẽpe quas uidistis ipsi ferè, & meministis, & quarũ (ut ait Poeta quidã) pars magna fuistis. Ita enim futurũ est, ut me rudi & inculto, sed plano tamẽ sermone, capita modò rerũ attingẽte, cętera uos ipsi diligentius mecũ recognoscatis, & grata iucũdáq;, ut par est, memoria recolatis. Ac de trib. bonorũ generib. quę sola sunt laudabilia, primùm externa, deinde corporis, postremò animi eius bona succinctè persequar. Quod dũ facio, uos mihi quęso, uiri pręstãtissimi, benignos uos & attẽtos prębeatis.

Excusatio in sufficientiæ.

Iusta laudandi causa.

Vergil.

Partitio.

GEnus paternũ Sigismũdi à Cazimiro est, Vuladislai Iagellonis filio. Nemo est autẽ sic hospes in Polonia, ac in toto fermè Septentrione, cui nõ sit auditũ de Iagellonũ familia, quę iã supra cẽtũ & quinquaginta annos apud nos regnat, à uetustis Lituanorũ ducib. ducens originẽ. Cuius princeps Iagello, cui Vuladislao nomẽ, bono ueróq; omine, quasi qui gloria potens esset, maiores nostri indiderũt. Huius auus, tuus autẽ Sigismũde Auguste proauus, cũ Lituanię & magnę partis Russiæ dominatu potiretur, expetitus à Polonis, & ad regnũ unà cũ cõiugio religiosissimę uirginis Heduigis, demortui Ludouici regis Vngarorũ & Polonorum filiæ, repudiatis quibusdam alijs procis, accitus: religioni Christianæ sese, & cunctam simul Lituaniam addixit, ditionesq; suas omnes Poloniæ fœdere sempiterno adiunxit: in curãda, & à prodigiosis dęmonũ superstitionib. ad ueri Dei cultũ cõuertẽda gẽte sua agresti & barbara, per multũ laboris, operæ, sumptuumq; impẽdit. Nec indecorũ sibi duxit prę potens rex, doctoris & apostoli munere fungi apud rudẽ & uilẽ plebeculã, cũ nostri sacerdotes eius linguæ penitus essent imperiti. In Boemis quoq; ad sanitatem priscamq; religionẽ à multiplici errore, quo se authore Ioã. Husso implicarant, reuocãdis, nõ parũ operæ sumpsit: cũq; pertinaciores eos esse animaduertisset, regnũ ab eis delatũ repudiauit. Silesios quosdã, & Russos duces domuit. Cruciferos Germanos nõ modò Lituanię inhiantes, uerùm etiã Poloniã ipsam, parẽtẽ & nutricẽ suã crudeliter & impiè laniãtes, clarissimis aliquot uictorijs repressit: uictis fractisq; pacẽ æquis cõditionib. dedit. Erat em̃ singulari lenitate & mãsuetudine, ad remittẽdas offẽsas perfacilis, & supra modũ credulus: quippe q̃ fallere ne

Iagellonum uetus stirps.

Vuladislaus Iagello.

Vuladislai etymon.

Heduigis regina Ludouici filia.

Lituanorũ ad Christum conuersio.

Iagellonis studium in propaganda religione.

Boemi.

Vuladislai regis gesta.

Iagello credulus & cãdidus.

minem ipse consueuisset. Quo magis obnoxius & opportunus fuit dolis
Suitrigellonis. & iniurijs cùm Sigismundi Cæsaris, tũ Vitoudi & Suitrigellonis proximorũ suorũ, de quibus erat bene meritus: per quos factum est, ut in ad-
Iagellonis filij. ministrando regno plusculum haberet negocij. Huic decrepita ualde ætate, cum duodequinquaginta annos regnasset, uita defuncto, de duob. filijs impuberibus, quos è quarta uxore Sophia Russa Kiouiẽsium ducis
Vuladislaus rex Vngar. & Pol. apud Varnam à Turcis occisus. filia susceperat, maior natu Vuladislaus in regno successit: is qui Vngarorum quoq; regno suscepto, & profligatis summa cũ gloria aliquot Turcarũ exercitibus, cum prius ad Macedoniæ, deinde ad Thraciæ fines, hosti pacem petenti formidabilis, cum animosiore quàm ualidiore exercitu penetrasset, apud Varnam inter confertissimos hostes incautius dimicans, certam propemodum uictoriã cum uita pariter amisit: cũ undecim fermè apud nos, apud Vngaros uerò non totos quinq; annos regnasset.

Cazimirus rex Post hunc Cazimirus natu minor frater, tuus Sigismunde Augustæ auus, regnum hoc suscepit: cui peruastata à Tartaris (tametsi profligatis semel atq; iterum) Podolia & Russia, & amissus per defectionẽ ad Moschos dominatus Seuerienſis, ac domestici motus, seu uerius offensæ uoluntates multorum, propterea quòd Lituanis plusculum indulgeret, malisq; consultoribus uteretur, nõ parum de paterna fœlicitate detraxêre.
Prußia per deditionem Polonis adiuncta. Prussiam tamen & Pomeraniam per deditionẽ recepit. Cruciferis fœderum non tenacibus post tredecim annorum bellum supplicibus, &
Cruciferi iurarunt in uerba regis Poloni. reiurando in uerba sua & posterorum suorum regum Poloniæ adactis, relicta parte Prussiæ pacem dedit. Valachorum palatinum bellicosissimum Stephanum, in clientelam accepit, & in consilio suo locum ei dedit,
Valachus cliẽs Polon. ac magno ei ad profligandos Turcas adiumento fuit: cũ Vngaris & Boemis uario Marte bella gessit.
Vxor & filij eius sex, & filiæ septem. Filios sex, & septem filias ex Elizabetha Alberti Cæsaris filia, Ladislai Vngarorum & Boemorum regis sorore, fœmina honestissima & religiosissima, suscepit. Ex his uiuens Vladislaum natu maximum Boemis, Cazimirum ac deinde Ioannem Albertum
Vuladislaus Vng. & Boem. rex. Vngaris, reges dedit. Sed utroq; hoc dissensione partium deserto, Vngariam quoq; Vladislaus obtinuit.
Ludouicus rex De quo nati, Ludouicus quidem filius, bimulus uiuente patre coronatus, cum ei exacta ætate mortuo, in utroq; regno successisset, iuuenis admodum, Turcico bello ante unum & uiginti annos apud Mohatium miserabiliter perijt.
Anna soror eius, & uxor Ferdinandi regis Rom. &c. Anna uerò filia cum Ferdinando Cæsare, qui post Ludouicum apud Vngaros & Boemos regnat, nupta, tribus filijs præclaræ indolis, & nouem filiabus superstitibus relictis, anno abhinc altero parturiens, diẽ clausit extremum.
Ferd. Cæs. liberi. De suprà memoratis uerò duob. filijs Cazimiri regis
Cazimirus filius Cazimiri sanctus. Cazimirus quidẽ, iuuenis castissimus atque religiosissimus, in Lituania immaturam mortem obijt, non sine celebri sanctimoniæ fama, quam complura miracula ad sepulchrum eius edita confirmarunt.
Ioannes Albertus rex Polon. Ioannes Albertus post patrem octo & amplius, deinde hunc secutus
Alexander rex Polon. Alexander, quinque annos regnarunt: ille quidem maximi animi, sed ante susceptum regnum, quàm regnans, fœlicior: hic à Moschis apud Vedrusios uictus, eosdem apud Opolcam, Tartaros uerò Tauricos apud Clecicum paucis ante mortẽ diebus

bus insignibus prælijs profligauit: utercꝫ extincti properè, credo ut digniori cederent: post hos Sigismundus hic noster natus est. Hunc secutus Fridericus, sacris initiatus, archiepiscopus Gnesnen. simulcꝫ episcopus Cracouiensis, & S. Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis fuit. *Fridericus cardinalis.*

Porrò filiarum Cazimiri duæ immaturè mortuæ: Heduigis Georgio duci Bauarorum, Sophia Friderico Marchioni Brandeburgensi, Anna Boguslao Pomeranorum, Barbara Georgio Saxonum, Elizabetha uerò (patre mortuo) Friderico Legnicien sium & Bregensium Ducibus matrimonio iunctę fuere: & omnẽ penè Germaniã affinitatibus & propinquitatibus illustrium uirorum & mulierum, quas enumerare perlongum esset, nobis deuinxere. Sed ad institutum nostrum reuertamur. Hoc igitur Sigismundi genus compluribus, quemadmodum uidetis, præclaris principibus ac regibus fœcundum fuit. Atque is ab ineunte primùm puericia, unà cum alijs fratribus, ab honestissima & religiosissima matre sanctè ac temperanter educatus, & à præceptoribus, uiris eruditis, bonis, grauibus & pijs, ad uirtutem in primis & pietatem, cultumcꝫ diuinum institutus, in literis quoque non contemnendos progressus fecit: ita, ut latinè scribentes & loquentes sine interprete intelligeret, nec incommodè ipse ea lingua uteretur. Germanicam uerò, cuius propter finitimos atque etiam incolas Germanos, non exiguus est usus apud nos, exactius didicit. Porrò in diuinis scripturis ita fuit exercitatus, ut multa inde senior meminisset: ac sæpe eas in ore haberet, non ad scurrilem iocum, aut ad curiosam disceptationem, ut nunc improbus, ne dicam impius, mos inolescit, sed seriò, & ad moderandas actiones, uitamcꝫ omnem: eocꝫ timorem Dei, iustitiam & uirtutem maximè semper præ oculis habuit. Permultum enim refert, quibus rebus quis ab ineunte ætate assuefactus fuerit. Nec scio, an ad uitam sic uel sic degendam longe plus faciat, quo modo quis à puero eductus & institutus, quàm quo modo natus sit. Solent enim plerunctꝫ etiam bonæ & generosæ indoles, praua, atcꝫ adeò negligentiore quocꝫ educatione deprauari: uitiosam uerò naturam sæpe bona educatio corrigit. Sic igitur educatus Sigismundus, adolescens singulari indole, modestia, comitate, grauitate & industria, quę res maximè ętatem illã cõmendant, magnam sibi non modò nostrorum hominum, sed etiam externorum, Vngarorum inquam, Boemorũ, Silesiorum & Germanorum, cum quibus uixit, beneuolentiã adiunxit. Nam cũ regnante Ioanne Alberto fratre post patrẽ, iuuenis in Vngariam ad Vuladislaum alterum fratrẽ se contulisset, ibi ea dignatione fuit, ut Vngari & Boemi magis eum propemodũ, quàm regem suum, reuererentur: per eum, quæ cuperent, publicè & priuatim à rege peterent: eius authoritati & iudicio libenter starent. Vsque adeò maiorem uim habet ad tenendos in officio etiam feroces homines, æquitatis, grauitatis, constantię & sapientiæ opinio, quàm regium sceptrum, quàm etiam carcer, bonorum confiscatio, proscriptio, uirgæ denicꝫ & secures. Itaque magno omnium fauore, Glogouiensem & Opauiensem dominatum, & summam utriusꝫ Silesiæ præfecturam à Vuladislao fratre obtinuit: adeoque charus ac uenerandus

Filiarum Cazimiri desponsatio.

Educatio Sigismundi.

Linguarum peritia.

Pius usus sacrarum literarũ.

« *Educationis bonæ utilitas.*

« *Adolescentia Sigismundi.*

Fauor Sigismũdi apud Vngaros & Boemos.

« *Glogouiẽsis & Opauiensis dominatus, & suprema præfectura Silesiæ.*

uenerandus fuit Silesijs, ut hodie etiam eius imperium grata & iucunda memoria prosequantur. Quid illud, non ne ingens est bonæ existimationis & beneuolentiæ hominum erga eum documentum? quòd cum regnaret iam in Polonia, à Suetijs post eiectum Christiernum regem, & item ab Vngaris atq; Boemis, post miserabilem Ludouici fratris filij interitum, ut illa quoq; regna susciperet, expetitus est? Neq; deterrebat Suetios tanta terræ maris q; intercapedo, quanta à nobis disiunguntur: ac ne Vngaros quidem & Boemos pacta conuenta cũ Maximiliani Cęsaris liberis, aut Caroli & Ferdinandi maximorum principum potẽtia, si Sigismundus delatum sibi regnum suscipere uoluisset. Apud suos uerò q; gratiosus fuerit, uel illud permagno argumento est, quòd Ioanne Alberto rege mortuo, prælatus fuisset proculdubio in regno, maiori natu fratri Alexandro cunctorum suffragijs, nisi plus publica quies atq; tranquillitas, & uetusta cum Lituanis, quos iam Alexander ditione tenebat, fœdera ualuissent. Iam uerò quantum ei honorem summi quique Principes habuerint, redite quæso mecum pauliſper in memoriã. Primũ enim Maximilianus Cæsar, non minoris animi quàm prudẽtiæ princeps, dudum hostis acerrimus, post celebrem illũ congressum Viennensem, eo ipsum honore prosequutus, ea charitate complexus est, ut in loco fratris deinceps eum haberet: eius gratia fœdus cum Basilio magno Moschorũ duce ictum respueret, ac non modò non defenderet contra Sigismundum Cruciferos in Prussia, quos defendendos susceperat, uerùm etiam auxilia ei contra illos, si quid noui molirentur, suo, nepotum q; suorum nomine promitteret. Qua de re extat apud nos diploma eius.

Regna ei oblata, sed non acceptata.

Gratiosus apud Polonos.

Amicitia & fœdus cum Maximiliano Imp. Viennẽsis cum Cæsare cõgressus.

Huius uerò nepos Carolus, qui nunc latè & fœliciter imperat, non ne hunc Sigismundo honorem habuit, ut inclytę huic reginæ Bonæ, uxori eius coniunctissimæ, Barensem principatum, quem post obitum matris eius in potestatem suã redegerat, redderet? ipsum societate sua, & aureo uellere ultro dignaretur? sæpe honorificentissimam eius mentionem faceret? neq; unquam Cruciferis & alijs Germanis bellum contra eum flagitantibus indulgeret? Adest hic uir clarissimus Stanislaus Lascius palatinus Siradiensis, haud ita pridem apud illum potentissimum Imperatorem legatione functus. Adsunt item uiri prę stantes, Petrus Opalenius castellanus Gnesen. Stanislaus Borgius Decanus Cracouiensis, Nicolaus Myscouius regiæ mensæ structor. Vellẽ adesset etiam uir eruditissimus Ioannes Dantiscus, episcopus Varmiẽsis: qui omnes idem munus apud eundem Imperatorem cum laude superioribus tẽporibus obierunt. Ex his cuiq; licet discere, quantopere ille princeps maximus & grauissimus Sigismundum regem obseruarit. Quid frater eius, Ferdinandus Cęsar & rex potentissimus? non ne plurimùm eum & amauit, & coluit? non ne eius arbitrio controuersiam suam cum Ioanne rege de regno Vngarorum permisit? Non dico, quibus uerbis & rebus præterea sæpenumero idem rex quanti Sigismundum faceret, declarauit. Possem autem non uano rumore accepta referre, sed quæ cùm de grauibus uiris accepi, tum ipse explorata habeo, cum nuper ad illum à te rex Sigismũde Auguste cum

Stan. Lascius.

Petrus Opalenius, Stan. Borgius.

Nicolaus Myscouius.

Ioannes Dantiscus episcop.

Amicitia cum Ferdinando rege & Cæsare.

Nicolao

Nicolao Radiuilo, uiro illustri & acuto, Lituanię summo marsalco mis- *Nicolaus Radiuilus & Mart. Crom. oratores ad Ferdinand.*
sus essem. Ne illud quidem commemoro, quãto animi dolore idem nu-
per Sigismundi nostri mortem prosecutus, quantoq; studio pariter &
apparatu exequias ei in maxima principũ Germaniæ celebritate feciſſe
dicitur. Vt autem & Gallorum regem Franciscum, qui anno superiore *Amicitia cũ maximis Regibus & Pontificibus Rom.*
decesſit, Iulium secũdum, Leonem decimum, Clementem septimum: &
hunc, qui nunc præsidet, sapientissimum Paulum tertiũ, Pontifices ma-
ximos præteream, quorum illustria habiti huic Regi honoris documen
ta commemorare possem: ut magnorum item & grauium quorundam
Germaniæ principũ perhonorifica de ipso elogia, quæ ipse his auribus
audiui nuper, omittam. Barbari non ne eum præ cęteris regibus & mo- *Barbari Sigismundum reuerũti.*
narchis reueriti sunt? Quo enim rege cultior & populosior fuit Rus-
sia & Podolia? hoc est, quo rege quietiores fuere Tartari, prædis & ra-
pto alioqui uiuere soliti? Quid ego dicam de Turcis, qui fœlicitate sua *Cũ Solimanno.*
elati, omnes homines atq; gentes præ se contemnunt? An non Soliman
nus, bellicosissimus & fœliciſsimus eorũ Imperator, cũ eo perpetuum
fœdus percusſit, & religiose coluit? negare id alijs postulantibus, aut ad
tempus modò concedere, nec admodũ superstitiose seruare solitus. An
non Valachis ac Tartaris uectigalibus suis, ne Sigismundi Regis ditio-
nes infestarent, edixit? An non idem, huic etiã eius filio Sigismundo Au- *Ioannes Oceſsius orator ad Solimannum Turc. imper. Isabella regina Vngar.*
gusto, per Petrum Opalenium, & Ioannem Oceſsium castellanum Bie-
censem, uiros ornatos, pacem & amicitiam in gratiam patris promisit?
An non eiusdẽ intuitu, filiam eius Isabellam reginam uiduã, nepotemq;,
hactenus incolumes esse barbarus tyrannus passus est? qui ne ad Vala-
chiam quidem adspirasset, nisi eum intempestiuæ, ne quid aliud dicam,
dissensiones nostræ animassent. Quid Selimus Solimanni huius pa-
ter, ferox, & in patrem etiã suum impius, an non Sigismundi amicitiam
splendida legatione olim expetiuit? Nimirum admirabantur in eo cun-
cti uirtutem, grauitatem & constantiã singularem: reuerebantur etiam
nonnihil eius fœlicitatem. Quis enim tot annorũ spacio, in tanta or- *Regnum florẽs & pacatum.*
bis terrarum perturbatione fœlicius eo regnauit? quis regnũ, superio-
rum regum infœlicitate diuexatum ac deformatum, aut pacatius admi-
nistrauit & retinuit, aut florentius & opulentius reliquit? Quis tot ac
tam difficilia bella tã secunda fortuna, tantaq; celeritate confecit? Com
memorantur à ueteribus scriptoribus, Cyrus Persarum, Alexãder Ma- *Reges & duces inclyti.*
cedonum, Mithridates Ponti, Carolus magnus Germanorum, maxi-
mi & fortunatissimi Reges. Celebrantur Alcibiades, Conon, Themi
stocles, atq; Timotheus Athenienſium: Agesilaus, Pausanias, Lysander
Lacedęmoniorũ: Pelopidas, & Epaminundas Thebanorũ: Hãnibal &
Asdrubal Carthaginenſium: Romanorum uerò (ut multos omittam)
Fabij, Scipiones, L. Lucullus, Gn. Pompeius, & C. Cæsar, clarissimi Du
ces & Imperatores. Ne nostrorum quidem Boleslaorũ & Vuladislao-
rũ obscura est gloria. Verùm illi omnes partim cum imbellibus popu-
lis rem habuerunt: partim bello felices, cæteris rebus infortunati fue-
runt: partim cladibus uictorias propemodũ adæquarunt: partim etiam

aliquousq; à fortuna euecti, in medio cursu destituti, & ad extremum se-
Comparatio Sigismundi cum clariss. principibus. uis eiusdem procellis obruti sunt. At Sigismundum nostrum ab initio
ad finem usq; secundo flatu fortuna prosecuta est. Cum quibus uerò
Bella Sigismundi. bella is gesserit? Nempe cum potentissimis Moschis, ferocissimis Tartaris, acerrimis Valachis, fortissimis Germanis, cum Turcis denique, uel
ipsa uictoriarum perpetuitate formidabilibus. Quarum gentium uali
dos exercitus uel insignibus prælijs uicit & profligauit, atque adeò de-
leuit etiam, uel castris exuit, uel denique regiones earum impunè uasta-
Victi ab eo Tartari diuersis prælijs. uit. Quasdam etiam domuit. Atque ut à Tartaris, perpetuis nostris
hostibus incipiam: horum quidem non contemnendos tres exercitus
Constantinus Ostrogius dux. apud Sluscum tribus prælijs duce Constantino Ostrogio, principe o-
mnium sæculorum memoria digniss imo, ad internecionem penè cæci-
dit. Deinde apud Visnoeciam uigintiquatuor millia, cum se per Rus-
siam populabunda diffudissent, sexies fusa leuibus & particularibus
Nicolaus Camenecius. prælijs, ad extremum tota acie in abeuntes facto impetu, Nicolao Ca-
menecio palatino Cracouiensi, & eodem Constantino, ducibus profli-
gauit, cum nostri sex milliũ equitum numerũ non excederent, de quib.
uix centũ eo prælio desiderati sunt. Hostiũ uerò multo minor pars per-
Valachi uicti. nici fuga euasit. In Valachia quoque ante multos annos à Bogdano
Palatino, huius Regis auspicijs & armis ijdem hostes graui prælio ui-
Ioannes Camenecius. cti sunt. Ne illæ quidem ignobiles uictoriæ sunt, quæ apud Vorono
Stan. Lanscoronius. uiam Ioanne Camenecio, apud Buscum Stanislao Lanscoronio, apud
Zincouiam arcem Iacobo Sencignouio, atque iterum palatino Kiouien-
Iacobus Sencignouius. si, in Volinia Constantino & Ostaphęo ter, apud Ossacouiam hosti-
Ostaphæus. lem arcem eodem Ostaphęo & Prædislao Lanscoronio ducibus, &
Prædislaus Lanscoronius. quæ in Podolia Trebinij, quę que apud Camenecia & Vereștatincium
Nicolaus Senauius. pagum, & compluribus alijs in locis Nicolai Senauij uiri fortis & ma-
gnanimi, qui nunc palatinus Belsensis est, ductu, & fratrum eius Ale-
Bernard. Prætificius. xandri & Procopij, ac Bernardi Prætificij Silesij opera partę sunt. Nam
leuiora cum his apud Trebouuliam, Podhaciam, Medibozum, & mul-
tis alijs in locis prosperè item gesta certamina, sciens uolens que præte-
reo, ne sim longior. Tot enim ferè sunt, quot excursiones ea gens rapa-
cissima & famelica, & uel è flamma, quod dicitur, cibum petere solita, in
ditiones eius ipso regnante fecit. Perrarò enim impunè id abstulit.
Quid illa apud Caniouiam in Lituania ante unum & uiginti annos, nõ-
ne omnibus seculis est memorabilis uictoria, qua uiginti sex millia Tar-
tarorum eodem illo Constantino duce parua manu profligata sunt?
Bella cum Turcis gesta. Cum Turcis nullum hic rex apertè bellum gesit: sed tamen aduer-
sus eos, cum uel Tartaris intermixti è Podolia prędas agerent, uel Vala
chis opem ferrent, uel denicq; nostros circum Bialogrodum, quod &
Moncastrum uocant, populabundos insequerentur, cùm ab alijs, tum
Præd. Lansc. à Prędislao Lanscoronio regis huius auspicijs prosperè dimicatum est.
Bis contra eosdem in Vngariam Ludouico rẽgi missa auxilia: quo qui-
Ioannes Tarnouius Comes. Gnoinius. dem utroq; tempore, utinam prius quidem uiro illustri & incompara-
bili Ioãni Tarnouio, earum copiarum ductori, posterius uerò Gnoinio

obtem-

obtemperatum esset. Vterq; Turcica arma uiresq; periclitatus erat in Podolia: cū illi inde, irritati à nostris, aliquoties prędas egissent. Sed magis comes Tarnouius, cuius prędara uirtus enituit, quo tēpore Turcæ ad tredecim millia, Podoliā & Russiā ad Leopolim usq; & fines Vngarię ferro igniq; uastantes, tria millia, plus minus, de suis, particularibus aliquot prędijs fusi, amisēre. Quod si idē robur animi fuisset in eo, penes quē tunc erat militare imperiū, potuerat exercitus ille cūctus deleri. Taceo duodecim millia Turcarū in Austria, ante quindecim nisi fallor annos, nostratium triū millium opera & uirtute in primis penè ad interneciōnē deleta. Nam ij tunc, quāuis Sigismundo regnāte, tamē nō publicè, neq; Sigismundi auspicijs, sed Caroli Cæsaris & Germanorū stipendijs militarunt. Iam Valachos dolis atq; artibus usitatis fretos, & clade nostrorum Ioanne Alberto regnante apud Bucouinā syluā accepta, Turcarumq; ac Tartarorū auxilijs tumētes, quanta nō modò felicitate, uerùm etiā celeritate uicit, ac domuit: cæsisq; eorū copijs, uastatis longè lateq; agris, senatu penè omni capto, Bogdanū regulū gētis, quē Voieuodam & Palatinum uocant, restituentē prędā, quam paulo antè in Russia cæperat, in uerba sua iurare coegit: & amissam maiorū suorū culpa Pocutiā ab eo recepit. Nostra uerò memoria, cum Petrus palatinus rebellasset, Pocutiāq; rursus inuasisset, primùm sex millia hostium apud Guosdeciā arcē, ac mox uiginti duo millia apud Obertinū pagum uix à quatuor millibus nostrorū, duce hoc Ioanne comite Tarnouio, uiro clarissimo & primario bellatore, insigni & inopinata clade profligata sunt, eremo & primario bellatore, insigni & inopinata clade profligata sunt, eremo & primario bellatore, insigni & inopinata clade profligata sunt, erepta cum bōbardis cętera impedimēta, Palatinus ipse saucius uix fuga euasit. Nec tamē ad officiū redijt, donec postea in arce Chocimēsi obsessus, & ad extrema redactus, solenne unà cum proceribus et cuncta nobilitate sua regi iusiurandū dedit. Porrò cum Germanis Prussiā sibi uendicantibus, quo tēpore tu Sigismunde Auguste natus es, bellatum quidem uariè, sed nunquam, nisi prosperè à nostris dimicatum est. Nempe apud Prusmarcum, Zeburgam, Gutestadiam, Brunsbergam, Reslam & Rastemburgum, à Iacobo Sencignouio: apud Pissiā à Stanislao Mafouiorū duce: in sinu Varmiensi, siue Habo lacu nauali prelio à Gdanē sibus, bis apud Bartensteinā, sępius à Prędislao Lanscoronio & Ioanne Zarēba palatino Calisiensi multis in locis: apud Heilisbergam ab Alexandro Ilouio, Gdani & Elbingę, cum eas urbes adorti essent, à ciuibus fusi & profligati: ad extremum tot cladibus & inedia, uigilijs & iugi nostrorū equitum uexatione fracti, & ad paucos redacti, Prussia excessere.

Tarnouij laus.

Bogdanus Valachus uictus.

Petrus Valachus ductu Tarnouij uictus.

Bella cum Cruciferis Teuthonicis gesta in Prussia.

Iacobus Sencignouius.

Lanscoron.

Ioannes Zaremba.

Alexander Ilouius.

Quid ego de Moschis loquar? qui uel præcipuam gloriæ & uictoriarum materiam huic regi præbuere? Apud Poloscum, olim quidem septē millia hostiū à Ioanne Boratinio, uiro acri & animoso, interfecta: deinde uerò tredecimo abhinc anno, cum ij Lituaniam non amplius decē & octo milliarijs à Vilna metropoli, hyberna excursiōe depopulati, reuerterentur, mille extremi agminis, quos solos Lituana nobilitas cū aulico regis comitatu, tumultuariè accurrens, assequi potuit, trucidāti. Superiori etiā quodā tempore in interiore Lituania prædabundi, magnū

Victoriæ de Moschis partæ.

Ioannes Boratinius.

ſuorum numerum,& prædã,quam abigebant,Lituanis inſequentibus, amiſêre.Iam apud Starodubum Radogoſtiam,& apud Smolenſcum ali quoties ante tredecim annos, ductu Georgij Radiuili caſtellani Vilnẽ ſis,nõ ſine magnis cladibus profligati. apud Orſam uerò cum primùm Sigiſmundus regnare cœpiſſet,ne expectare quidem noſtros,dum Boriſthenem tranarent,ſuſtinuêre,experti uim eorum in una & altera turma,quæ primo impetu incredibili audacia traiecerant: uerùm dilapſi, cum uaſtari ſua ultra Veſmã etiam atq; Drohobuſum cernerẽt, denuò coadunati ad centum millia,ne adoriri quidem ter mille noſtros mercenarios milites, cum paucis Lituanis longius à caſtris regijs ad Smolenſcum poſitis progreſſos,auſi ſunt. Magnis uerò incõmodis affecti,Moſiro, Turouio,& alijs quibuſdam munitionibus, quas dudum Michael Glinſcius ad eos perfugiẽs interceperat, redditis, cõmutatiſq; captiuis quinquaginta nobilioribus ac ſenatorij ordinis, quos de Lituanis Alexandro rege uicto apud Vedruſios ceperãt,pacẽ accepêre.Nec maiore ij fuere fiducia longe pòſt, cũ Radogoſtiã, ac deinde Ioanne Tarnouio noſtros ducente,Homiã & Starodubũ arces à noſtris partim ui captas, partim in deditionẽ acceptas amiſêre. Et Starodubum quidẽ, cum amplius quindecim millibus armatorũ, qui fuerunt in eius arcis præſidio: qui ſoli noſtrorum numerum longè ſuperabant, uirtute perpaucorum militum noſtrorum, & ſulfurati pulueris igniſq; adiumento expugnatũ & uerſum.Neq; uerò ij tanto tẽporis,hoc eſt,plus quàm uiginti annorũ interuallo,quantũ inter Orſenſem pugnã,de qua iam dicã, & hoc extremũ Starodubẽſe bellũ interceſsit, abiectos ſemel ſpiritus recipere potuere. Orſenſem uerò illã celeberrimã, & cum omnib. ferè omnium gentium atq; ſeculorum uictorijs cõparandã uictoriam, quid hic pluribus commemorare attinet? Eadem opera ſoli lumen adderem. Quis enim eſt qui neſciat,illo prælio,Conſtantino Oſtrogio principe & Ioanne Suirzouio ducibus,octoginta millia Moſchorum bellatorũ,qui omnem noſtrum exercitum nõ modò proterere poſſe uidebant, uerùm etiam Boriſthenem tranare paſsi,pecudum in modum flagris abigere in Moſcouiã deſtinarant,ingenti ſtrage interfecta eſſe:ita,ut deſideratorũ numerus ad quadraginta ferè millia peruenisſe,uel certè duo & triginta millia ſuperaſſe dicat? Ductores eius exercitus,uiros illuſtres,omnẽq; ſenatum gentis,& ſupra quater mille captiuos uiuos in poteſtatem uenisſe, direpta caſtra opulentiſsima: ducem ipſum Baſilium bellatorem exercitatum, & contra Tartaros & alias gentes finitimas uictoriosum, uſq; ad regiam ſuam Moſquam profugiſſe: atq; ibi amplius centum & uiginti milliaribus bene longis à loco conflictus,tamen uix tutò ſe ſubſiſtere poſſe credidiſſe. Tantus uerò tunc pauor Moſchorũ animos occuparat,ut Smolenſcum,Seuerienſe Nouogrodum,& complures alias munitiones,quæ ferè fraude & perfidia Ruſſorum, partim hoc ipſo rege regnante,partim ſuperioribus temporibus in poteſtatem hoſtiũ uenerant,deſertas tunc ac uacuas defenſoribus, nullo negocio recuperare noſtri potuerint, ſi proſequi ſtatim uictoriã per tẽpus anni quiuiſſent.

Georgius Radiuilus.

Orſenſis de Moſchis memorabilis uictoria.

Ioannes Suirzouius.

Baſilius Moſcouitarum princeps.

Atq; hæc

Atq; hæc quidem sunt bellica huius regis decora pręcipua (nam leuiora multa prętereo, ne anxiè & minutatim cuncta exquirere & persequi uidear) quæ quidem hoc sunt admirabiliora, quo magis inopinata: utpote in summa ęrarij inopia, & pleraq; omnia longè imparibus uiribus gesta: ita, ut bene cum nostris agi uideret, quoties nõ plus duplo hostiũ multitudo excederet. Has tot ac tãtas uictorias, tanta imparitate copiarum quęsitas, nihil mirum est (ut est rerũ humanarum conditio uaria & instabilis) si quę clades interpolarunt. Sed quot nã, & quantulę sunt eę? Vna apud Socalum à Tartaris, temeritate Russicæ nobilitatis accepta, ubi quatuor fortasse millia nostrorũ à quadraginta millibus Tartarorũ loci opportunitate usorũ, defatigata uerius quàm superata, non incruẽtam hostibus uictoriã cõcessêre. Nostri mille ducenti desiderati, barbarorum uerò cęsa quatuor millia. Itaq; raptim ij cum pręda, quãuis uictores, retrocessere. Altera apud Serethũ amnẽ, cum perpauci nostri in hostico palantes, à Valachis circumfusis oppressi sunt: ubi tamen non plures, ducentis nostris perière. Nam eum peruastata longè lateq; circũ Pescouiã, siue Plescouiã Moscouia, ab oppugnatione Oposcæ à ualido hostium pręsidio reiecti sumus, ignominia illa uerius quàm clades fuit, ductorũ insciti a & incuria (nolo dicere ignauia) accepta. Amissa uerò magna pars Albę Russię Michaelis Glinscij, hominis ambitiosi, & Alexãdri regis gratia inflati, proditioni, & Russorum atq; præsidiariorũ militum perfidiæ imputanda est. Porrò apud Ozacouiam, cum uir in primis strenuus, Nicolaus Senauius eò usq; cũ mille, opinor, equitibus priuato consilio populabundus excurrisset, priuata illa, nõ publica clades fuit, credulitate eius & perfidia Tartarorum contracta. Hę sunt uniuersæ clades, quas Sigismundo regnante accepimus: quæ omnes una aliqua ex his quas superius percurrimus, uictorijs abundè expiatæ & cõpensatæ sunt: nec scio, an quasi nęuuli quidam formosum corpus, uel nubeculę meridianum solem, tot illas clarissimas uictorias illustriores reddidêre. Bello ne autem tantum clarus, an etiã pace Sigismundus fuit? Imò uerò pace, quam semper expetiuit, clarissimus. Testantur id tantę opes & facultates hominum nostrorum, tam opulenta cùm externis commercia, tantus splendor, ne dicam luxus, tanta elegantia cum in ædificijs & uictu, cultuq; corporis, tum in sermone & moribus, quanta nunquã ante hunc regem in Polonia fuit. Loquuntur leges diligentius aliquãto cõscriptę, clamãt tot arces instauratę, tot exornata templa Dei opt. max. Tam splendidè & magnificè exædificata publicis iuxtà ac priuatis ędificijs Cracouia, Posnania, Leopolis, Varsouia, Lublinum, Gdanum, & aliæ quędã urbes atq; emporia: tã denicq; culta & habitata Russia, Prussia, Lituania & Podolia, quę regiones antea sylueſtres & incultę, aut superiorũ temporum cõditione desertę magna ex parte iacuerãt. Quid ego priuatos Sigismundi thesauros, & ęrarium sine ulla cuiusquã iniuria, in extremos reip. usus asseruatum? quid tot ac tantas possessiones à maioribus eius oppigneratas, ab hoc uerò redẽptas, cõmemorẽ? Hęc eo sunt maiora, & magis honorifica, quo fœdius fuit ac deformius,

Clades paucæ & paruæ in tot bellis.

Michael Glinscius.

Nicolaus Senauius.

Pacis studia.

Splendor & elegantia Polonorum.

Leges.

Arces instauratæ, & templa.

Vrbes opulentæ sub Sigism.

Regiones benè cultæ.

Thesauri regij.

quosdam ante eum reges quotidianis quoque sumptibus interdum defectos esse. Iam uerò non minima est & illa felicitatis accessio, quòd eo regnante Zatorienſis ditio, & Masouia post quadringentesimum ferè annum ad corpus & compagem Poloniæ rediuerunt: Prussia recusatum diu, & aliquoties excussum iugum accepit: Pomerani Stolpenses ad intermissam aliquandiu huius regni societatem & clientelam, iureiurando adacti, reuenêre: in qua tamen nostra connitentia non diu permansere. Porrò in cõmemorandis coniugijs & liberis, quę nõ exigua felicitatis humanę pars est, diutius me immorari necesse nõ est. Permulti sunt in hoc cœtu, qui priorẽ eius uxorem, Barbarã, Stephani comitis Scepusiensis, ac Transyluanienſiũ palatini, cuius ductu nõnunquã cum Turcis Vngari fortiter dimicarunt, filiam, Ioannis postea regis Vngarorũ sororem, fœminam sanctissimam & pientissimam, nouerunt: quæ quidem maximam illam Orsensem de Moschis uictoriam assiduis, diurnis ac nocturnis precibus, cũ lachrymis, & profusa in egenos beneficentia, asperioreq; cultu corporis & ieiunio coniunctis, à Deo impetrasse existimata est. Quæ quàm coniunctè cum uiro uixerit, magno & longo mœrore, & uberi fletu, ac penè muliebri eiulatu post mortem eius indulgẽtissimus rex testatus est. Hac immaturè intra tertiũ annũ amissa, alterã suasu Maximiliani Cæsaris duxit, Bonam Sphortiam, Ioannis Galeatij Sphortię Mediolanensiũ ducis & Isabellæ Arragoniæ filiã: cuius auus maternus, Alfonsus eius nominis secundus, Neapolitanorũ rex, & stirpis Aragoniorum ac Siculorum regum, de qua Carolus quoque & Ferdinandus summi monarchæ maternum genus ducunt, antiquitate & sua uirtute fuit clarissimus. Paternus uerò proauus Franciscus Sphortia, Sphortiæ, qui primus eam familiam rebus magnis gestis fundauit, filius, cum plurima et grauissima bella cum maximis principibus, potentissimis populis, & præstantissimis bellatoribus per omnem Italiam prosperè gessisset, nominisq; sui gloria ac terrore eam implesset, à Philippo Maria Mediolanensium duce, Blancæ Mariæ filiæ coniugio, dotaliq; Mediolanensium principatu dignatus est. Hoc igitur tali genere prognatam Bonam, alteram uxorem Sigismundus rex accepit. De qua, quoniam præsens adest, graui dolore & mœrore amissi dulcissimi mariti, quemadmodum cernitis, prostrata, nihil dicã amplius: nisi quòd triginta fermè annos cum eo nupta, tãti ea fecit maritum regẽ, ut his extremis aliquot annis egrotantẽ, & uiribus planè destitutũ, nõ coniugali charitate, sed ancillari planè ministerio sine omni fastidio curaret. Quo factum est, ut plurimum ei uicissim rex amantissimus indulgeret. Harũ uerò duarum uxorum è Barbara quidem Heduigim filiam susceptam, fœminam lectissimam, Ioachimo Marchioni Brandeburgensi, Electori Rom. imperij, matrimonio iũxit, & nepotibus ex ea uiuẽs adhuc auctus est. E' Bona uerò maximã natu filiã Isabellam, fœminam excelso & regio animo præditam, Ioanni regi Vngarorum, affini iam prius suo, nuptui tradidit: nepotemq; ex ea, regia, quemadmodum fertur, indole puerũ susceptit. quæ mulier complures iam annos post mariti mortem, in præ-

Zatoria et Masouia recuperatæ.

Prußia & Pomerani in clientelam accepti.

Coniugia.

Barbara uxor religioſiß.

Altera uxor Bona Sphortia.

Alfonſus rex Aragonum.

Franciſcus Sphortia dux Mediolani.

Bonæ reginæ fides & obſequium.

Sigiſmundus plurimũ indulſit Bonæ.

Heduigis filia.

Quatuor filiæ Sigiſm. è Bona.

Iſabella regina Vng.

in præcipua laceri & afflicti regni parte regnat. Reliquas uerò tres, Sophiã, Annã & Catharinã, uirgines ſpectatiſsimas, magnorumq; regum connubijs dignas, quas hic dolore immaturè amiſsi patris miſerabiliter lamentantes, & humi abiectas uidetis, elocari ipſi, ita ut optabat, datum non eſt. Filius uerò unicus hic Sigiſmundus Auguſtus, puer etiãdum decimum agens annum paterno regno, ipſius opera ſtudioq; ante decẽ & octo annos inauguratus, pòſt iuuenis factus, uxorẽ accepit uolũtate patris, Elizabetham, Ferdinãdi Cæſaris & Vngarorum ac Boemorum regis filiam natu maximã. In qua muliere genus cum forma, forma cum comitate & manſuetudine, hæc cum probitate, probitas denique cum pietate (quæ ipſi patria uirtus fuit) certabat: ita ut neſcires, quid in ea potiſsimùm admirareris. Quæ utinam uixiſſet diutius, & editis ſocero optatis ac ſui ſimilibus nepotibus, fœlicitatem eius perfeciſſet, tranquillitatem'que huius regni ſtabiliuiſſet. Sed non merebantur hæc, opinor, noſtra ſcelera. Nunc ad Sigiſmundum redeo. Non'ne igitur hoc ſingularis cuiuſdam felicitatis fuit, rege patre, patruo, auo'que, matre uerò Cæſaris filia, & magni regis ſorore ortum eſſe: tres fratres, & unius ex his filium, reges uidiſſe: regem & ipſum ſupra unum & quadraginta annos tranquillè feliciter'que regnaſſe? Summis Principibus uenerabilem, hoſtibus formidabilem, cæteris admirabilem fuiſſe? regnum legibus, opibus, ædificijs, humanitate, elegantia & gloria longè florentius, quàm acceperat, reliquiſſe? Filiam reginam, alteram uerò regina non inferiorem, & ex his nepotes & neptes habuiſſe? Filium denique regem ſecum, & poſt ſe feciſſe? morientem, permagnum ſui deſiderium bonis omnibus reliquiſſe? Non'ne hæc (inquam) ei præclariſsima, & longæ poſteritati memorabilia in hac uita contigerunt? Atque hæc tamen pleraque omnia, externa ſunt bona, in quibus fortuna plurimum ſibi uendicat: ſed ab eo tamen ratione & conſilio moderata ſunt. Quid ego nunc formam & ſtaturam eius, robur cuiuſuis honeſti laboris patiens, dignitatem oris, dignam'que, ut ait Poeta ſummus, imperio faciem, depingam? Quod ſi facere maximè uelim, non poſsim. Prius enim ferè hæc in eo ætate ingraueſcente marceſcere cœperunt, quàm ego in hanc lucem prodij: ſed tamen permanſerunt in eo etiam affecta iam ætate, non obſcura earum rerum ueſtigia. Roboris uerò & uirium eius argumenta, fractæ inter manus non ſemel florentiore ætate ferreæ equorum ſoleæ, rupti funes canapei craſsiores, intenſq; manu baliſtæ, diſcerpti luſoriarum chartarum faſciculi, à maioribus natu, qui hęc fieri ab eo uiderunt, prædicant. Atq; hæc leuiora fortaſſe cuiquam uideantur. Illa quidem non in poſtrema bonorũ parte numerãda ſunt, ſanitas, quę ipſi perpetua ferè ante extremam ſenectutẽ fuit: integritas, & ſolida compago membrorum, quæ afflictas morbo uires facile recuperabat: uigor ſenſuũ, qui ad extremũ uſq; eũ non deſtituit: firma, melioribus præſertim annis, memoria: denicq; acumen ingenij, quo fratres maiores'q; ſuos longo interuallo anteiuit. Sed & hæc omnia, ut ſint magis propria hominis, quàm illa ſuperiora, tamẽ ad corpus ferè, quę deterior

Filius Sigiſmũ. Aug. puer coronatus.

Elizabeth prima Sigiſ. Aug. uxor.

Eliſabethæ laus.

Nobilitas Sig. regis & felicitas.

Bona corporis forma.

Robur et uires.

Sanitas.

Ingenium.

pars

pars hominis est, pertinēt, nec magna laude & admiratione digna sunt, quippe cum quibus nascamur, quæq; in potestate nostra non sint, & ingenuo cum seruis, urbano cum rusticis, nobili cum plebeis, regi cū mediastinis & baiulis, denicq; bono uiro cum improbis sint communia. Ta

Vigor sensuum in quibusdā pecudibus.

metsi ne mutæ quidem pecudes, penitus horum bonorū expertes sunt. Quin pleraq; in illis, quàm in nobis, maiora & illustriora spectātur. Viribus quidem ab ursis & leonibus, agilitate à ceruis & bisontibus, longeuitate ab ijsdem ceruis, specie fortassis ab equis & pauonibus, sanitate à piscibus, sensuum uigore à lyncibus, aquilis, canibus, uulturibus: industria & ingenio quodam modo ab elephātis, uulpibus, & apibus, sic

» alijs rebus ab alijs fortasse superamur. Cæterùm in animo uera hominis

Bona animi. » *Laus propria hominis est in bonis animi.*

& propria laus est. Corpus enim partim instrumentum, partim domicilij, partim etiam carcerē & ergastulum animi, sapiētissimi homines esse uoluerūt. Animū ferè hominis appellatione dignati sunt. Qui uerò molissimè senserunt, partē quidem hominis, sed longè deteriorē, corpus dixerunt: in animo omnē hominis excellentiā & principatū collocarunt. Quocirca his quę externa, quęq; corporis bona dicunt, ita obiter trānscursis, ad eas quæ sunt propriæ hominis, atq; adeò magni & excellentis Principis laudes, transeamus. Quas dum, quanta maximè breuitate poterimus, persequimur, quæso, ut benignè & attētè, quod feciſtis adhuc, audiatis. Virtutem, summam animi, atq; adeò hominis perfectionem,

Virtus, & eius partes.

quicunq; rectè philosophati sunt, dixerunt: eiusq; uirtutis prudentiam,

Laus Sig. à uirtutibus.

fortitudinem, temperantiam, atq; iustitiā, quatuor partes, & quasi fontes quosdam, unde officium, & omnis honesta & laude digna actio manaret, esse uoluerunt. Quę nam ergo ex his in hoc pręstantissimo Rege

Prudentia.

desiderata est? Prudentia'ne? quæ ex præteritis & præsentibus, ea quæ deinceps euentura sint, colligit: causas rerum uidet, rectè de rebus iudicat, sibi suisq; in longum prospicit, impendentia mala sapienter auertit, at ea summa & admirabilis in eo fuit. Argumento est, bene & cum approbatione cunctorum, quoad ei per ętatem atq; morbum licuit, administrata, & inter tot undiq; imminentes hostes per tot annos incolumis

Gentes & leges uariæ.

conseruata Respublica. Nam quis sapientius eo, siue ex legibus & moribus nostris, siue ex æquo & bono ius dixit? Nihil eum uarietas legum atq; morū, quibus alijs equestris ordo, alijs oppidani, alijs agrestes, deinde diuersis Poloni, Lituani, Masouij, Prussi, Silesijq; utuntur: nihil diuersa & pugnantia nonnunquam senatorū iudicia, quo minus ius suum cuiq; tribueret, perturbarunt. Accidit interdum, ut post dictas à senatu sententias, ultima ipsius, ab omnibus diuersa, & tamē omniū esset ęquissima. Porrò in cōsilijs de repub. nihil temerè & inconsultè faciebat, cuncta ad publicam, non partis, aut ordinis huius uel illius, sed omnium utilitatem referens, fortunæ quàm minimum sese suaq; permittens: ac tuta

Consilia quieta.

cōsilia lubētius, quàm callida & periculosa semper secutus. Bella, in quibus fortuna plurimùm dominatur, nunquam appetiuit: nec nisi necessariò, & graui iniuria prouocatus, suscepit, & ita quidem, ut ab illa comici

» Poetę sentētia nō discederet: Omnia prius experiri, quàm armis, sapientem de-

tem decet. Itaq; à quietis consilijs nunquam, ne inter media quidem arma, & rebus ad nutum fluentibus, abhorruit. Regna à Suetijs, Vngaris & Boemis (quemadmodum superius dixi) delata recusauit, ne se patriam'que suam nouis & periculosis bellis implicaret. Valachos subiugare, siue adeò exterminare, ob rupta crebrò fœdera cum posset, noluit: ne uel illi desperatione adducti, Turcis sese dederent: uel redacta in prouinciæ formam Valachia, & amoto quasi obice, ipse difficillimum cum potentissimis Turcarum tyrannis bellum de finibus gerere cogeretur. Non quòd à pia contra barbaros ac deuotos Christiani nominis hostes expeditione penitus abhorreret: sed quòd suas illorum'que uires iusta lance metiretur. Sic enim iudicabat, neque suum esse, neque unius planè cuiusquam principis, tam ualidum hostem, qui Asiæ, Aphricæ, Europæ'que magnam partem ditione teneret, florentissimum Græciæ imperium euertisset, Caramannos, Cilicas, Syros, Aegyptios, & nescio quas præterea gentes una æstate subiugasset, denique latissimè dominanti Persarum regi grauis esset, debellare. Coniungenda esse Christianis principibus arma, si hostem illum à ceruicibus suis uellent depellere.

Regna oblata repudiata.

Valachi cur nõ subacti.

Bellum contra Turcas cur deuitauit.

Cum ergo animaduerteret, cæteros principes feralibus odijs inter se digladiari, ac totum penè orbem Christianum plus quàm ciuilibus bellis ardere, omni honesta ratione semper Turcicum bellum declinauit: & Ludouico, fratris filio, Vngarorum & Boemorum regi sedulò idem suasit: qui iuuenis si patrui, quàm ferociorum quorundam consiliariorum suorum, consilijs obtemperare maluisset, oblatam'q; à Turcis pacem accepisset, seu uerius ipsis expetitam dedisset, uiueret fortasis adhuc, neque munitissimum Christianorum regnorum propugnaculum Vngariã secum unà perdidisset. Hæc sanè fuit causa, cur apud pientissimum & Christianissimum regem Sigismundum nihil ualuerunt Iulij secundi, Leonis decimi, Adriani sexti, & Clementis septimi Pontificum maximorum preces & exhortationes, ad suscipiendum contra Turcas bellum incitantiũ.

Dissuasor belli Turcici.

Consilium Sigismundi à Ludouico rege Vng. neglectũ.

Pontificũ exhortationes ad bellum Turcicum.

Optabat quidem sapientissimus rex tempus illud, cum Christiani principes restinctis intestinis bellis, reconciliatis'q; inter se animis, ad inferendum Turcis bellum conspirarent: plurimum'que in id operæ, laboris, & sumptuum impendit, siue quando cum Maximiliano Cæsare congressus est: siue cum missis non semel ad dissidentes principes, & ad Pontifices maximos, ueluti prȩsides & moderatores Reip. Christianę legationibus, accuratè ac diligenter ea de re egit. Et cum initiò nõnulla eius rei spes ei affulsisset, nõ nisi annuas inducias Baiazeti, Solimãni huius auo, petẽti dare uoluit. Ea uerò spe frustratus, sæpe diuinauit, nunquã id se uiuẽte euenturum esse, ut Christiani principes aduersus cõmunem illum hostẽ uires coniungerent. Intelligebat enim, quousq; nonnullarũ nationũ mutua inter ipsas odia processissent: nec defore Turcis, quos à cæterorũ consensu, ad impediendos pios conatus, auellerẽt. Quid illud? cum principes Christiani cõplures, quos nominare necesse nõ est, sub Clemente pontifice, in suum fœdus, contra Carolum Cæsarem, partim inuidentia fœlicitatis eius, partim potentiæ metu initum, pertrahere eum non potuerunt?

Bellum Turcis cõmuni Regum cõsilio & ope inferendũ.

Baiazetes pacem petiuit à Sigismundo.

Bellum contra Carolum Imp. semper dissuasum.

Smalcaldense fœdus.

Aut cum nuper primarij Germaniæ principes, affines ferè ipsius, & præpotens illa tot opulentorum populorum contra eundem Imperatorem & fratrem eius conspiratio, pellicere eum in societatẽ suam nequiuit? ne eatenus quidem, ut uel pecuniæ nonnihil mutuò daret affinibus & cognatis, uel conatus illos tacitè approbaret, uel denique, ne suos homines stipendijs eorum militare prohiberet? Cuius tamen rei non leuem ei excusationem dabant apud Cæsares, libertas & instituta nostra. Non modò autem nihil eorum fecit, sed etiam dissuadere conatus illos, & pacificatorem sese interponere conatus est. Atque utinam ei obsecundatum esset: non tam uasta quibusdam locis, neque tam exhausta passim esset pecunijs iuxtà ac uiris Germania: & liberi adhuc principes quidam, retinerent dominatus suos amplissimos. Sed fortasse sic Deo uisum, ut fastum & contumaciam, prætextu libertatis Euangelicæ, contra sanctissimas leges & instituta maiorum, contra antiquissimum uniuersi Christiani orbis consensum, & contra legitimos magistratus suos impiè sese efferentem, retunderet. Cum igitur hæc uel faceret, uel recusaret optimus rex Sigismundus, non ne magna fuit illa eius prudentia, cum fide amicitiæ & constantia coniuncta? Quid? cum Ioanni regi, bis affini suo, ne regnum Vngarorum Ferdinando Maximiliani nepoti iam prius destinatum, susciperet, dissuadere frustra studuit? aut cum ei profugo, exilij quidem locum apud se indulsit, ut aliquid necessitudini & calamitati eius tamen daret, auxilia uerò contra eundem Ferdinandum negauit? aut cum pacem inter eos componere magna cura instituit? Cernebat nimirum sapientissimus princeps à longè, quantum mali intempestiua illa Ioannis ambitio Vngaris aduectura, quantis'que malis & calamitatibus non modò florentissimum illud regnum, uerùm etiam finitimas ei regiones inuoluturum esset bellum illud, inter duos de regno conflatum. Iam in reuocandis ad officium Gdanensibus quodam furore multitudinis ad rebellionem concitatis, & in ejciendis è Prussia Cruciferis Marianis tam cupidis, tam'q; contumacibus, ut nunquam ab eis Polonia & Lituania quietæ esse possent, an non magno & exquisito consilio usus est? Ne illud quidem eius consilium sapientia uacauit, quo, cum hinc à Moschis graui bello distineretur, inde Cruciferi non leuius bellum ei ostentarent: Maximilianus uerò Cæsar, infensus ipsi adhuc, & hos, & omnes, quoscunque posset, in eum, & in perniciem Polonorum concitaret: Tartaris donatiuum, siue stipendium constituit, non modò ut ab assiduis eorum incursionibus ditiones suas, alijs, quemadmodũ dixi, bellis impeditas, liberaret, uerùm etiam ut eorum opera in uexandis ac distinendis Moschis, & alijs hostibus suis, paruo redempta uteretur. Qua re tantũ profecit, ut & Moschos ad petendã pacem adigeret: & tam culta & habitata sit, quàm nunquã sub fratribus, patre & patruo eius fuit, Podolia. Quàm solidum uerò fuit eius iudicium in mandandis honoribus & magistratibus, & in allegendis in senatum uiris idoneis, quoties id ei arbitrio suo facere per quosdam importuniores, quibus impensius indulgebat, licuit? Atque hoc id admirabilius est, quod difficile est non peccare in hac

Cledes Ligæ Smalcaldicæ.

Germanorum cõtumacia prætextu libertatis Euangelicæ.

Erga Ioannem regem Vngar. quomodo se gesserit.

Intempestiua Ioannis ambitio ad regnum.

Gdanum pacatum.

Cruciferi ejecti è Prussia.

Stipendiũ Tartaris sapienter datum.

Iudicium in distribuendis honoribus & magistratibus.

in hac parte maximis quibuſcũ regibus & principibus, propterea quòd alienis ferè & oculis cernunt, & auribus audiunt. Iam peculiaris illa eius in omnibus dictis & factis cunctatio, ne ipſa quidem ſua commendatione caret. Nimirum ſapientis eſt, nihil temerè, nihil præcipitanter, ſed omnia conſultò ac deliberatè agere. Sic enim cauemus, ne cuius nos dicti aut facti unquam pœniteat. Itaque celebratur etiamnum literarum monumentis, non ignobilis populi Rom. Imperator, Fabius Maximus, de quo uulgatus eſt ille Poetæ cuiuſdam uerſiculus:

Cunctator Sigiſmundus.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

Atque hactenus quidem de prudentia Sigiſmundi regis nobis dictum ſit modò. Cuius quidem ipſi cauſa fuit timor Dei, cum lacte nutricis, ut ita dicam, imbibitus. Initium enim ſapientiæ, quemadmodum ſapientiſſimi reges Dauid & Salomon inquiunt, eſt timor Domini. Fortitudine uerò, & magnitudine animi, quanta hic rex præditus fuerit, quàm impiger ad propulſanda & ſuſcipienda pro ſalute & incolumitate ſuorum bella, quàm contemnens earum rerum quæ maximè in hac uita expetendæ eſſe uideantur (qualia ſunt, regna & imperia) ſatis iam, opinor, intellexiſtis ex his quæ ſuperius diximus. Quin ex illo quoque magnitudinem animi eius intelligere licet, quòd Pruſsico bello, cum terrore non modico aduentantium è Germania auxiliorum, meliore rurſus loco res Cruciferorum eſſe cœpiſſent, nihil de conditionibus pacis, hoſti prius à ſe oblatis, mutare uoluit: aut quòd, cum ipſi Lituaniæ poſſeſsionem poſt mortem Alexandri fratris adeunti, ne nouis quorundam Lituanorum motibus renunciaretur, non eſt deterritus, quo minus inſti tutum cum pauco comitatu aulico iter proſequeretur. Et cum deinde Michaelem Glinſcium, ducem Ruſſum, qui ad dominatum adſpirare dicebatur, cum ualido equitatu aduentare, in balneo tunc fortè ſeſe abluens, cognouiſſet, neutiquam turbatus eſt animo. Venientem cum tranquillo uultu & comiter accepiſſet, cuncta ei ſcelerata conſilia (quod Michael ipſe poſtea faſſus eſſe fertur) è pectore excuſsit. Tantũ eius animi magnitudo, in graui & conſtanti aſpectu relucens, apud hominem Alexandri regis nimia gratia inſoleſcentem, ac dominandi cupiditate incenſum, ualuit. Sic feroces alioqui canes ad moloſſorum aſpectum proijcere ſeſe, & adulari cauda ſolent. Quid illud? quòd Vngaris & Boemis, cum ſuis regibus Viennam ad Maximilianum Cæſarem proficiſci, fideique eius, quem Poſonij in conſtituto congreſſus loco diu fruſtra expectarant, credere ſeſe ob non leues ſuſpiciones dubitantibus: ipſe, nõ ſanè amicum ad eam diem expertus Cęſarem, permagna fiducia ire ad eum perrexit, ac cæteris idem faciendi, data fide pro Cæſare, author fuit?

Timor Dei principium ſapientiæ.

Fortitudo & magnitudo animi.

Conſtantia.

Michael Glinſcius.

Fiducia.

Porrò æquabilitate animi in utraque fortuna, tanta fuit, ut neque ſecundis rebus diffluueret, neque aduerſis frangeretur: à ſuperbia & faſtu ſemper alienus, aditu & affatu facilis fuit. Aeſtus, frigoris, inediæ, & laboris patientiſsimus: quippe qui ab ineunte ætate molliciei deliciſq́ue minimè aſſuefactus eſſet: craſsioribus cibis, & pannis, & caprinis pellibus, quod iactitare ipſe ſolitus erat, innutritus. Morbos, & alia uitæ in-

Animus in lætis & aduerſis conſtans.

Tolerantia.

Educatio minus delicata.

commoda admodum æquo animo ferebat. Quodam tempore ad sectionem digiti pedis, sacro, ut medici dicunt, igne inflammati, nihil est planè commotus. Porrò cum arx hæc conflagrasset, illa de re tantum angebatur animi, quod dubitaret, tantisper se deinceps uicturum esse, donec eam instauraret. Publica suorum incommoda depellere, damna que uindicare non libenter neglexit. Priuatas uerò suas iniurias, obtrectationes, conuicia, & maledicta insolentiorum hominum ita contempsit, ut nunquam uindicaret, nec esset ob id deinceps ad beneficentiã in huiusmodi homines restrictior. Iam uerò temperantia & moderatione non modo cum laudatissimis omniũ gentium regibus & principibus, uerùm etiam cum priscis philosophis, quorũ seuerior & accuratius instituta fuit uita, certare potuit. Nihil ab eo leuius, nihil cupidius, nihil insolentius, nihil dissolutius & flagitiosius unquam dictum aut factum. Fuit in eo uultus æquabilis, & ad seueritatem compositus, incessus lenis, sermo perpaucus & grauis, sale tamen & lepôre non inurbano neque petulanti nonnunquam temperatus. A' sordibus semper abhorruit: sed frugali tamen uictu & cultu corporis elegantiore, quàm splẽdidiore usus est, nisi quando externos homines & legatos ad se admissurus erat. nam tunc augustiore habitu commendare Maiestatem suam studebat. Eademq; de causa splendidius, quàm quisquam maiorum suorũ, habitare instituit. Cuius exemplo & imitatione eliminata magna ex parte è uita nostrorum hominum pristina barbarie, ciuilitatem, mundiciã, elegantiam & splendorem cum dignitate consectari passim cœpimus. Itaq; longè alia nunc est facies rerum in Polonia, quàm ante hunc regem fuit. Sobrietatem uerò rex idem magni fecit, & ab infantia quidem ad senectutem usque patris aui'que instituto, planè abstemius, & aquæ potor fuit: ingrauescente uerò ætate, medicorum suasu uinum bibere didicit, sed ita tamen, ut nunquam eum quisquam ebrium uiderit. Edacior quidem, & libidinosior natura fuit, uerùm in utroque tamen magnopere sibi imperabat: cum prægrauatum se sentiret, ipse sibi cibum subducere solitus. Quod uerò ad uenerem attinet, cœlebs quidem uiridiore ætate laxius aliquanto uixit, & liberius: nec tamen alienos thoros contaminauit, nec uim cuiquam honestæ & pudicæ intulit: neque fœdius quicquam, quod honestæ aures abhorreant, admisit: & ueros illos lubricæ ætatis lapsus multis clarissimis uirtutibus compensauit atque contexit. Maritus uerò, coniugij fidem sanctè seruauit. Verecundia summa, & penè uirginali, quoad uixit, fuit. Nudum se, aut necessitati naturæ satisfacientem, non nisi à perpaucis interioris cubiculi ministris, conspici passus. Obiurgare & admonere officij eos, qui aliqua dignatione essent, non sine rubore solitus. A' probris, maledictis, & acerbioribus uerbis, quamuis iratus, omnino sibi temperauit. Quanta uerò fuit huius optimi regis modestia? qui cũ acri & solido esset cùm in iudicãdo, tum in cõsultando iudicio: & neq; gratia, neq; odio facilè deduci se ab æquo & bono pateret, tamẽ nihil ferè maius unquã sine cõsilio senatus fecit, aut statuit: ac nonnunquã de recta sententia sua cõsensu senatus adductus decesit, ne pertinax esse uideretur: quod

Iniuriarum obliuio.

Temperãtia.

Ciuilitas Polonorum.

Sobrietas.

Abstemius Sigismundus.

Edacitas.

Libidines moderatæ.

Pudicitia.

Verecundia.

Modestia.

quod ingens est & perniciosum plerunq; in principe uitium. Fiunt enim multa interdum iniustè & inutiliter, atq; etiã temerè, & cum multorum exitio, ab ijs qui sibi plus quàm cæteri sapere uidentur, dum iudicio suo freti, aliena consilia aspernantur. Iam illud, non'ne magnæ fuit modestię simul & grauitatis, quòd aduersantẽ sæpe desiderijs suis, uel utilibus, uel certè non perniciosis Reipublicæ nobilitatem, æquo & moderato animo pertulit: neq; ui quicquam inuitis extorquere aggressus est, neq; intemperantiorem cuiusquam in se petulantiam acerbius ultus est: ne tum quidem, cum apud Leopolim concitatæ multitudinis conatus prodigiosa tempestate diuinitùs disturbati, ferociorem eum facere potuerunt? Ac ne eblandiri quidem pręter dignitatem aliquid, quod extorquere nollet, uoluit. Non pauca tamen aliquando extra ordinem & præter debitum huic eius modestiæ cõsensu & obsequio multitudinis atq; consiliariorũ concessa sunt. Ita nimirum sæpe plus impetrat modestia, quàm exprimit imperium & uiolentia, præsertim ab hominibus ab humanitate & libertate non alienissimis. Ab eo uerò, quem sibi in omni uita proposuerat, modo, neq; cupiditate ulla; aut metu, neq; ira aut odio, neq; aduersitate & ægritudine animi, neq; lætitia deniq; & uoluptate (quę res transuersos ferè rapiunt homines) facile unquã auocatus est, & abstractus. Porrò si quando animum grauibus & continentibus reipub. occupationibus lassum, & quasi fatiscentẽ recreare & relaxare uoluisset, equitationibus, ac ceruorum, onagrorũ, aprorum, ursorũ & bisontiũ uenationibus (quod studium ipsi gentilicium atq; hæreditarium fuit) nõ sine utili & salubri corporis & uirium, atq; etiã industriæ exercitatione id facere solitus est: interdum etiam equestrium certaminum atq; ludorum spectaculis. Scurrilibus quidem iocis, & leuioribus sordidis'ue lusibus, mimis item, & histrionibus, & morionibus non libenter, præsertim integrioribus adhuc uiribus, uacauit. Nec plura nunc de regis huius temperantia & modestia dicam. Reliqua est nobis una maxima & præclarissima uirtus eius, quæ eiusmodi est, ut neque uesperugo, neque aurora sit magis admirabilis, quemadmodum inquit Sapiens quidam: Iustitia, inquam, qua firmantur solia, ut ait sapientissimus rex Salomon, stabiliuntur'que regna: quæ quidem uel maximè in hoc rege resplẽduit. Itaq; ergo iure optimo firmatum est solium eius, regnum'q; stabilitum. Nam siue æquabilitatem & æquitatẽ eius in dicẽdo iure, tam diuerso & uario, q̃ est in hoc regno, spectes, siue grauitatẽ & constantiã inter diuersas plerunq; senatorũ, & nonnunquam pugnantes inter se sententias, studia'q; ad gratiã uel odium (ut fit) inclinantiũ, siue laborem & patientiã in exercendis iudicijs, quoad ei per ualetudinem licuit, & audiendis etiam infimorum hominũ querimonijs, est quòd admireris, nedum laudes. Admiranda est & illa eius cõtinentia, quòd nemini unquã, eo regnãte, quamuis luculentas, quãuis amœnas possessiones regijs uicinas habere obfuit: quin illum uicinũ, quàm proceres quosdã, cũcti maluistis. Quid ego fidẽ eius cũ in promissis, tum in fœderib. & amicitijs, inimicis iuxtà ac amicis spectatã, prędicẽ? Cõmemoraui nõnulla superius, quę ad hanc rem pertinẽt: nẽpe, quòd ad

Confidẽtia caruit.

Moderatio erga nobilitatẽ.

Leopolienses turbæ.

Studiũ nobilitatis erga eum.

Constantia.

Quales animi recreationes.

Iustitia.

Prou. 16.

Aequitas in iure dicendo.

Labor.

Continentia Sigis.

Fides eius in promissis et fœderibus.

dissoluendam cum Cæsaribus Carolo & Ferdinando amicitiam adduci se nunquam passus est, ne à necessarijs quidem, & affinibus. Promissi uerò quàm tenax fuerit, possem hic, si necesse esset, locupletissimos eius rei testes citare, nonnullos uiros amplissimos, qui partim hic adsunt, & hæc taciti audiunt, partim iam è uiuis excesserunt: quibus quo minus præstaret semel promissa, neq; gratia, neq; odio, neq; precibus, neq; conuicijs, neq; lachrymis cuiusquã flecti potuit. Nihil in eo fallax aut multiplex: aperti uerò & simplices fuere mores, pariter & oratio. Et quoniam ea quæ Respub. continet, tuetur, & florentes facit, iustitia, pœna & prœmio, seueritate & clementia maximè constat, de his quoq; pauca dicamus. Vtrunq; ille quidem coluit: nec dum alterũ sequitur, neglexit alterum. sed cum intelligeret, liberis & minimè malitiosis populis se imperare, & satis magnam pœnam sceleri & ignauiæ, institutis maiorum nostrorum esse propositam, infamiam inquam, & odium bonorum uirorum: ad seueritatem quidem, & expetendas de fontibus pœnas fuit remissior: nec nisi necessariò, quemadmodum ad secandum urendumq; medici, ad hoc descendebat. Vt, cum Cazimirienses aliquot decuriones ob cædem nobilium quorundam, tumultu concitatæ multitudinis patratam, supplicio capitali affecit, ne quod maius malum inde existeret, & ut illi exemplo essent in posterum magistratibus, multitudinem temerè concitantibus, concitatam ue nõ refrenantibus: uel, cum Gdani de capitibus seditionis urbanæ supplicium sumpsit. Vel denicq;, cum dux adhuc Silesiæ, regionem illam omnem latrocinijs, quibus infamis erat, iam inde ex quo tempore bella ibi à Boemis & Vngaris, Mathia & Georgio ac mox Vuladislao regnantibus, gesta sunt, penitus repurgauit. Quod factum eius cùm finitimi omnes laudant, tum Silesij quoq; etiamnum grata memoria prosequuntur. Ad clementiam uerò fuit propensior, ita ut cum aliquando eam ob rem, nescio à quo uiro senatorio reprehenderetur, urbaniori responso repressisse illã eius acerbitatẽ feratur: Qui scis, inquiẽs, à quo nam seueritatem istã exordirer? Illud opinor innues, neq; illũ culpæ exortem esse, & ad multa nonnunquã conniuendum esse Rempub. administranti. Proinde multos capitis reos uita donauit, nõnullis inustã iure infamiam sustulit: nullius propemodũ bona cõfiscauit: confiscata etiã ijs, quorum fuerant, reddidit. Exules & proscriptos reuocauit, sine accusatore quidẽ & indicta causa neminem damnauit. Gdanẽsibus uilis plebeculæ impetu ab officio discedentibus, nihil ferè de pristina libertate & immunitate, nihil de commodis, quæ perampla sunt ciuitati illi publicè & priuatim, detraxit. authores modò seditionis paucos inuitus partim interfecit, partim exilio multauit. Hostibus supplicibus libentissimè ueniã dedit, ita, ut uel de medio uictoriarum cursu nõ grauatè retrahi se ad ueniã reconciliationẽq; pateret. De Valachis quidẽ iam diximus. In Cruciferos uerò debellatos iam ferè, quàm clemẽter se gessit? Quòd nisi fidẽ eorum suspectã habuisset, nõ modò siuisset eos retinere quę habebãt adhuc, sed ablata quoque, ni fallor, eis reddidisset. Magistrũ quidẽ eorum, Albertũ marchionem Brandeburgẽsem, sororis suę filiũ, expectatione & aduentu auxiliorum è

Sinceritas.

Seueritas & lenitas.

Cazimirienses puniti.

Gdanenses seditiosi puniti.

Purgata à latrocinijs Silesia.

Clementia Sigis.

Clementia erga Gdanenses.

In Cruciferos clementia.

Albertus Marchio Brãdeburgen. dux in Prussia factus.

rum è Germania, uariè tunc, ut quàm leuissimo uerbo utar, secum agentem (dabit mihi ueniam princeps amplissimus, uulnus suum necessariò refricanti: & beneficentissimi in se auunculi memoriæ hoc non inuitus, uti spero, donabit) retinere ea quæ ante bellum illud habuerat, & partim iure belli amiserat, partim amissurus esse uidebatur, omnia iussit: & honore auxit, Magistri appellatione in Ducis nomen, quo omnem deinceps rebellandi occasionẽ tolleret, commutata: denique hæreditarium ei fratribus' que eius Cazimiro & Georgio, in mares duntaxat liberos, principatum illum constituit. Hæc an non maxima sunt documenta clementiæ, hostem, quem minimè esse decuerat, & hostem pertinacem, penè deuictum & fortunis spoliatum, meliore quàm fuisset dudum, conditione, in societatem & amicitiam recipere? Quid illud eodem bello, quòd Germanos milites contra se militantes, uelitationibus & leuibus nostrorum præliijs exagitatos, & labore, inopia, inedia, uigiliijs, uulneribus' que confectos, delere, cum posset, noluit? Captiuos, quorum plenæ erant turres & ergastula in maiore Polonia & Cuiauia, sine ullo precio liberos, atque adeò uestę & uiatico donatos, dimisit? Cuius clementiæ benignitatis' que suæ maximum, nisi fallor, fructum cepit: nempe, quòd per tot annos deinceps eo regnante, in Prussiam Germani, & contra Polonos, quamuis sedulò sollicitantibus Cruciferis, arma non sumpserũt: non tam uiribus & fortuna regis, ut equidem credo, deterriti, quàm beneficentia uicti. Sæpenumero enim ij qui aliquando uicti fracti' que sunt, contra uictores sese recolligunt. At quos uictos seruaris ac iuueris, eos beneficij pariter & fortunæ suæ recordatio, pristinos spiritus recipere nõ tam facilè finit. Necp illud minus est, nec scio an longè maius clemẽtiæ Sigismũdi argumentũ, quòd cum permagna libertate, cui reges atcp monarchæ plerique omnes infensi & infesti sunt, respublica nostra constituta sit, nunquam eam infringere conatus est: quamuis impellentibus ad id quibusdam, & maiore nonnullorum licentia aliquando prouocante. Verùm cedere furori paucorum, quàm detrahere aliquid propter eos de communi libertate, rex optimus maluit. Quòd si qui reprehendũt, ijdem sanè reprehendant, quòd amari à suis, quàm timeri: & patrem se, quàm dominum haberi maluit. Huc & illud pertinet, quòd procerum simultates atcp dissensiones semper sedauit, quoad potuit: quas alere tyranni, & qui priuata commoda sua, quàm Rempub. pluris faciunt, solent. Nec eæ tantum (proh dolor) his extremis eius temporibus inter quosdam inualuissent, magno iustitiæ & iuris dicundi impedimẽto, scelerũ impunitate, & periculo malorũcp Reipub. dum ea quasi plaustrum disparibus ac diuersis iumentis, auriga cessante, aut nec quicquã laborante, distrahitur ac discerpitur: non inualuissent, inquã, dissensiones tam pestilẽtes, si seniũ & perpetuus ferè morbus consuetudinẽ & authoritatẽ pristinam retinere eum siuisset. Quo fit, ut ipsi iure quodã suo uenia dãda sit, si nõ per omnia eum quem debuit, quemcp florentiore ipsius ætate tenuerat, cursum Respub. pristino illo sensuum, animi & memoriæ uigore in eo deficiente, tenuit. Aetatis hæc, uiri Poloni & Lituani, non illius culpa est. Ille quidem præclaris uir-

Prussia in feudum concessa Marchionibus.

Clemẽtia in uictos Germaniæ milites.

Libertas in repub.

Simultatũ sedator.

Simultates procerum.

Senium Sigismundi.

claris uirtutibus ſuis, atq; ſuperioris temporis adminiſtratione & fœlicitate hæc, ſi qua fuerũt, extremi corporis incõmoda, penitus (ſi modò uos æquiores & gratiores, quàm maligniores haberi mauultis) obſcurauit.
» Neminem unquam mortalem inuenietis, qui omnes numeros fœlicita-
» tis abſoluat. In chariſsimis quoque parentibus, ſuauiſsimis uxoribus, dulciſsimis liberis, atque adeò in ſeruis quoque ueſtris multa quotidie uos ferre neceſſe eſt, niſi humanitatem exuere prorſus uelitis. Quæ enim iſta eſſet iniuſtitia & immanitas, atque adeò impietas, ſi liberi parentem ſuum, à quo progeniti, liberaliter educati & inſtituti, ſemper indulgenter habiti, & omni ratione adiuti & ornati, ſumma denicq; omnia conſecuti eſſent, ad extremùm propter olentem animam, mucidas q; nares, adeo etiam, ſi libet, propter neglectam rem familiarem, abominarentur, aut etiam grauius incuſarent, ſuperiorum omnium beneficiorum oblitiſ? Non eſt hoc ueſtri moris, neque ingenij, uiri Poloni: qui non penitus malos reges, nedum bonos & bene meritos, grata memoria proſequi ſoletis. Verùm ad inſtitũ noſtrũ reuertamur. Fuit igitur in Sigiſmundo, quemadmodũ uidetis, ſingularis clementia & priuatim & publicè. At fuit is reſtrictior in benemerentes de ſe ac repub. Fuerit ſanè ita. Sed quis hoc ei uitio uertat? ſi bene ſecum reputet, inane ante eum regem ærarium: oppigneratas à maioribus eius poſſeſsiones pleraſque & bona regia: egentes quoſdam reges, ne in quotidianos quidem ſumptus pecunia ſuppetente: non ſolutas à patre, ab ipſo uerò exactas omnium, niſi fallor, ſororum dotes: dotatas duas filias, tres etiam reliquas dotandas, & pro dignitate ſua regnicq; elocandas: perſoluta militibus ſuis & externis ſupra ducenta millia florenorum, emeriti apud Ioannem Albertum & Alexandrum fratres ſtipendij nomine debita: denique complura bella non ſine magnis impendijs geſta, & alia præterea impendentia. Hæc quiſquis rectè ſecum perpendit, ſimulq; cogitat, quò indignitatis illa ærarij inopia, patrem, fratresq;, atque etiam maiores eius nonnunquam impulerit, æquior multo in hac parte Sigiſmundo erit. Et tamen nihil is prætermiſit, quod ad ſplendorem regni & patriæ, dignitatemq; ſuam & magnificentiam pertinere exiſtimauit. Vt enim illa quæ modò attigi, non repetam, ut redemptos à barbaris captiuos: reſtitutas res, ne belli cauſa eſſent, potenti hoſti à noſtris prædabundis ablatas: ſenas nuptias magnificentiſsimo apparatu factas: conſtructas aliquot locis, & pro ueteribus tugurijs regali magnificentia exornatas domos. Vt hęc, inquam, prætream, arces quidem, Camenecenſis in Podolia, Leopolienſis, Sendomirienſis, Corcinenſis, Vilnenſis, Cracouienſis, & hæc quidem bis, & aliæ quædam inſtauratæ & munitæ: comparatæ & inſtructæ permultæ & magnæ bombardæ: frequentes legationes ad externos principes miſſæ, & ab eis uiciſsim uenientes ſplendidè ac liberaliter acceptæ atque dimiſſæ, permagno ei conſtiterunt. Sumptuoſus uerò & ille fuit, ſplendidiſsimusq; cum Cæſare Maximiliano, & Vuladislao ac Ludouico regibus apud Viennam congreſſus, quo Polonorum & Lituanorum nomen, obſcurius antehac, & inopiæ, inertiæ, barbarieiq; opinione cõtemptibile

Senio condonãdum aliquid.

Cur minus largus fuit.

Sumptus.

Magnificentia Sigiſ.

Arces ab eo extructæ, aut inſtauratæ.

Bombardæ.

Legationes.

Regũ conuentus Viennæ.

ptibile apud externas gentes, illustrius & admirabilius esse cœpit. Post hos tot tantosq; sumptus, nõ in luxum, delicias & uoluptates priuatas profusos, sed ad utilitatem, salutem, decus & ornamentum reip. factos, non est sanè reprehendendum, nec scio an ualde laudandum, quòd ærarium non inane reliquit, filij hæredis necessitati, & futuris reip. usibus, ut filiarum dotes taceã, utiliter seruiturum: bellíq;, si quod alicunde nobis inferretur, neruum futurum. Et tamen cum hoc sibi proposuisset, ne in priuatos quidem benignitatẽ & munificentiã suam clausit: & fortes, doctos, ac sapiẽtes uiros, aut quauis alia ratione utiles reip. cùm donis, tũ honoribus & alijs beneficijs prosequutus est. Vt enim literatos homines, nostrates pariter & externos, quorum uel opera honorificè in rebus magnis uti se posse existimabat, uel scriptis & præconijs suum populorumq; suorum nomen illustratũ iri sperabat, ut eos igitur omittam, ac de fortibus uiris aliquot modò insigniores cõmemorem, nõne Constantinũ Ostrogiensem ducẽ peramplis beneficijs auxit? nõne Ostapheio plebeio, aut obscuro duntaxat homini, sed in Tartaricis bellis exercitatissimo & uigilantissimo, cùm aliàs, tum post obsessam aliquandiu, & oppugnatã à Turcis atq; Tartaris, ab eo uerò strenuè defensam arcem Cercasiam, permagnum honorẽ habuit, & multa largitus est? multa sæpe delinquenti indulsit? Quid Nicolaum Senauium, scientia & usu rei militaris præstantem, excellentis uirtutis ergò collocupletatum, & ad eum, in quo nunc est, honoris gradum euectum? Quid ue uirum omni laude cumulatissimum, Ioannem comitem Tarnouium, cùm alijs nõ obscuris beneficijs ornatũ, tũ ad summũ dignitatis fastigiũ euectum, euidentibusq; grati animi indicijs, & præclaris elogijs, cũ siue à Moschi co bello & Starodubo euerso, siue à deuictis apud Obertinũ Valachis reuerteret, ab ipso ornatũ, & honorario munere, publico totius Poloniæ consensu binis grossis collatis, cohonestatum, cõmemorem? Viuũt hi duo, & adsunt, & hæc mea dicta nutibus renidentes approbant. Tametsi longè maximum hi uirtutis præmium, sempiternam rerum à se gestarum gloriam, quæ eos nunquam destituet, arbitrantur. Taceo Bielscium & Lacium Moschos transfugas perhonorificè ab eo acceptos, & luculentis possessionibus donatos, ingenij, fidei & scientiæ rei militaris ergò. Non fuit ergo, non fuit Sigismundus, ne in hac quidem parte restrictior. Aut si quando tandem fuit, non sua uoluntate, sed necessitate, id'que ingrauescente maximè ætate fuit. Quoniam autem illa quoque uel potissima pars est iustitiæ, quæ cum cœlitibus hominum quasi societatem quandam tuetur, pietas inquam, & religio, de hac quoque iam tandem postremo loco mihi dicendum est. Consultò autem in hunc eam locum seruaui, ut quæ reliquas omnes uirtutes in se continet, & quasi germina quædam ex se emittit, hominisq; felicitatem perficit, eadẽ nobis huius optimi regis perficiat laudationẽ. Absq; hac enim cęterę uirtutes, imãgines uirtutũ & umbrę sunt uerius, quàm uirtutes: neq; omnino laudabiliter & beatè, quãuis rebus ad uota fluenti-

Aerarium non inane.

Beneficentia.

Constantinus dux.

Ostapheius.

Senauius.

Tarnouius.

Honorariũ publicè decretum Tarnouio.

Bielscius et Lacius Moschi transfugæ.

Pietas ex religio Sigism.

bus, uiuitur. Qua autẽ pietate fuerit, quamq; sanctè & religiosè Deum optimum maximum Sigismundus hic rex coluerit, si alia nulla essent, ea quæ hactenus persecuti sumus, satis magno essent argumẽto. neq; enim ita se ille tum in administrando regno, tum in omni uita gessisset, neque tantus euasisset, neq; tot bonis & fœlicitatibus, quot percurrere obiter uix potuimus, aut ipse, aut ditiones eius cumulatæ fuissẽt, nisi Deũ propitium habuisset. Verissimum enim illud est, quod est in Epistola diui Iacobi Apostoli: Omne munus bonum, & omne donum perfectum suprnè descẽdere, à patre luminum. Eum uerò nemo propitium habere potest, nisi qui agnoscit, reueretur & colit, omnemq; fiduciam suam in eo collocat. Sic enim canit Dauid rex & propheta: Inquirentes Dominum non deficientur ullo bono. Et alibi: Qui confidunt in Domino, erunt sicut mons Sion, qui non commouetur in æternum. Cum igitur Sigismundo tot illa tantaq; bona in omni uita suppetierint, quis negabit eum Deo curæ fuisse? Vt enim non fallit, ita neq; fallit Spiritus sanctus, qui per Dauidem olim locutus est: Quoniã rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi, nõ cõmouebitur. & quę præcedũt: Desiderium cordis eius tribuisti ei: præueneisti eũ in benedictionibus dulcedinis. Et alibi: Propè est Dominus omnib. inuocantibus se, omnibus inuocãtibus se in ueritate: uoluntatẽ timentium se faciet, & preces eorũ exaudiet, & saluos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se. Sed quoniã impijs quoq; nonnunquã prosperè multa in hac uita cadũt, elucetq; in eis etiam aliquando nonnulla imago uirtutis atq; probitatis, age uideamus, num qua alia ratione pietatem huius regis ostendere possimus. Et ecce occurrunt nobis templa Dei opt. max. partim instaurata, partim à fundamentis excitata, & multis magnisq; donarijs, & preciosis utensilibus, ad splendorẽ simul & usum cultus diuini, regali munificentia exornata. Atq; ut Vilnensem basilicam, & Rupense siue Scalcense fanum, & quædam alia, quæ nunc in mentem non ueniunt, prætream: hoc quidem certè delubrum pulcherrimum & sumptuosissimum basilicæ huic adiunctum, seu uerius iniunctum, quod sepulchrum & monumentum suum ille esse uoluit, cum instituto iugiter & concinnè Deum colentiũ sacerdotum collegio, ferit oculos nostros, & quodam augusto splendore perstringit. Huic uerò basilicę quàm multa, & quàm ampla donaria contulit? Iam quis nescit, quàm sedulò is, dum per ætatem & morbum potuit, & quàm religiosè sacris cultuiq; diuino operam dederit, nulla neq; temporis, neq; loci incommoditate, neq; occupationibus retractus? Quid ego precum eius assiduitatem, quid festorum dierum ieiuniorumque intemeratam obseruantiam commemorem? in quibus omittẽdis uix ualetudinis gratia, atq; id extremis demũ aliquot annis, medicorũ suasu, & episcoporũ permissu, ne dicã hortatu, sibi indulsit. Quę enim à teneris annis cum lacte quodammodo materno imbiberat, ad extremũ usq; halitũ cõstanter & mordicus ea retinebat. Externi hi sunt cultus ritusque, fateor, neque in his cardo religionis nostræ uertitur: uera &

Regni felicitas ex cultu Dei.

Psal. 33.

Psal. 124.

Psal. 20.

Psal. 144.

Impiorum prosperitas.

Templa magnificè culta, extructa & ornata.

Sedulitas in templis.

Obseruantia institutorum ecclesiasticorum.

Externus cultus Dei.

uera & interior pietas in mentibus & uoluntatibus nostris penitus in- «
cluſa est. Ita sanè. Sed cum ea soli Deo perspecta & explorata sit, tamen «
his externis sese nobis prodit & exerit: ut sic luceat, secundum authorẽ
salutis nostræ Christum, lux nostra hominibus, ut ꝯ uidentes opera no-
stra bona, celebrent & glorificent patrem nostrum cœlestem. Bona est
enim, ait angelus ad Tobiam, oratio cum ieiunio, & eleemosyna. Ipse Tob. 12.
quoq; CHRISTVS IESVS apud Matthæum magnoperè hęc tria Matth. 6.
commendat, dum quomodo fieri debeant, præcipit. Quid uerò proli- Eleemosynæ
xam Sigismundi in egenos, quorũ uictus uestitusq; parãdi rationes uel Sigism.
morbus, uel ętas, uel calamitas aliqua, uel denicq; arctioris et addictioris
Deo uitę professio impediuisset, beneficentiã & liberalitatẽ persequar?
Eadẽ opera lucẽ hãc diurnã accensa lucerna illustrare coner. Cernitis en
ipsorum turmas, non modò templum hoc, uerùm etiam uias & plateas
complentium, & orbitatem suam, tam benefico regę amisso, miserabili- Constantia in
ter deplorantium. Illa uerò eius in receptis antiquitus Dei placandi riti fide et religio-
bus & cæremonijs, sacrosanctè retinendis ac defendendis, & in propu- ne Catholica.
gnandis Dei ministrorum commodis, prędara uoluntas & constantia,
in ista præsertim nostri temporis licentia, & isto nouarum rerum, quo
nunc leuissimi quiq; homines flagrant, studio, seu uerius pruritu, non-
ne maximum est singularis pietatis argumẽtum? Vidit enim sapientis-
simus rex, in religione nostra nihil melius, nihil exactius hoc tempore à
quoquam inueniri posse, quàm ab ipsis Christi seruatoris nostri discí- Ecclesia & do-
pulis, eorumq; successoribus proximis, sanctissimisq; patrum Cõcilijs ctores antiqui.
constitutum, & publico Christiani orbis consensu tot seculis retentum Matth. 24.
esset. Didicerat non hic, aut illic, & in angulis omnino Christum quę
rendum esse: neq; uniuscuiusq; esse, arbitratu suo uerba & instituta Dei
interpretari: sed ecclesiam, ecclesiam inquam, in qua certa esset ac perpe- 1. Timot. 3.
tua, ut inquiunt uetustissimi, sanctissimi & grauissimi doctores, Irenæ-
us, Cyprianus & Augustinus, tot seculis continuata, uerorũ episcopo-
rum successio, columnam esse, quemadmodum ait diuus Paulus, & fir- 1. Corinth. 14.
mamentum ueritatis. In ea sola dari spiritum ueritatis, qui ut author,
ita interpres quoque sit sacræ scripturæ: non dissensionis, uerùm pacis Ephes. 4.
Deus. Quo quidem illis carere necesse esset, quibus inter ipsos nõ con-
ueniret: & qui ne ipsi quidem singuli sibi constarent, sed omni uento do
ctrinæ, quasi nebulæ turbine exagitatę, circumferrentur. Iam uerò il- Ritus Christia-
la, quòd moribundus sacra Christi mysteria ritu Christiano expetiuit, ni in moriente.
& uenerabundus accepit, quòd se totum Deo religiosis uerbis & suspi-
rijs commendabat, quòd in eius clementia & misericordia fiduciam suã
omnem collocabat, quæ & isti euidentissima, nisi fallor, uerę pietatis in-
dicia iudicant, non ne certa sunt piè & religiosè exactæ uitę testimonia?
Cum igitur tanta pietate, quanta genere illo inclyto, & educatione opti- Virtutes Sig. in
ma digna fuit, præditus fuerit Sigismundus, nihil mirum, si iustus quo- speculum Prin-
que, clemens, magnificus & benignus: si temperans, moderatus, pudi- cipibus posita.
cus, & modestus: si fortis, constans, patiens, & excelso animo: si prę teri-

torum memor, præsentium sagax indagator, futurorum acutus coniector, & utilium publicè priuatim'que diligens, & sapiens prouisor fuit.

Aetas 82. annorum. Non mirũ, si in hac breuitate uitę humanæ, magnisq; laboribus uiuendo octogesimũ secundum annũ attigit, si uiribus & ualetudine plerũq; firma fuit, si sensuum ingenijq; uigorem ad extremũ penè retinuit. Non mirum, si gratia & authoritate apud suos pariter & externos, summos iuxtà ac infimos ualuit: si amplissimum regnum, elatis post patrẽ duob. fratribus, maturè adeptus, bellis felix & uictoriosus, pace multa beatus, uxoribus & liberis non infortunatus, ditionum aliquot accessionibus locupletior, tam bene, tam quietè, tam feliciter, tanto'q; bonorum omnium fauore uno & quadraginta annis id administrauit: & florentius multo, quàm acceperat, nõ degeneri, uti confidimus, filio reliquit. Non

Pater patriæ Sigism. mirum denicq;, si sempiternum optimi & fortunati principis, & patris patriæ nomen atq; gloriam, nisi me uanum fallit auguriũ, apud longam posteritatem celebris inclytusq; rex retinebit: quippe, qui superiores omnes principes & reges nostros nõ modico interuallo post se reliquisset. Nam quæ in singulis illis singula laudabilia fuerunt, ea hic unus om-

Poloniæ regis uirtutes. nia cõplexus est. Boleslai Chrobri, ut ab hoc potissimũ ordiar, solertiã & magnificentiã: Cazimiri monachi, pacis & instaurandæ patriæ, superiorum temporũ iniuria afflictæ, studium: Vuladislai eius filij mãsuetudinem, Boleslai Criuousti uictorias, Crispi prouidentiam, Miezislai senis grauitatem, Cazimiri horum duorum fratris iustitiã, Lesci albi excelsum animum, Boleslai pudici religionem ac temperantiam, Lesci nigri moderationem animi: Vuladislai Loctici fortitudinem, & in tolerandis aduersis patientiam: Cazimiri magni, in ornando & muniendo regno studium atq; diligentiam: Iagellonis aui, si non in propagando, certè in amplificando cultu diuino, pietatem, laborem & munificentiã: Vuladislai patrui magnanimitatẽ & clementiã: Cazimiri patris facilitatem, & offensarum perbreuem memoriam: denique Ioannis Alberti fratris ad res magnas gerendas, quanquam meliore fortuna, alacritatem.

Sigis. omnibus excellentior. Has, inquam, omnes omnium, illorum uirtutes solus Sigismundus non modò æquauit, sed superauit etiam: ita, ut nulla cuiusquam eloquentia, nedum infantia nostra, satis dignè & pro meritis eum laudare possit. Sed iam ipsum ex augusto illo mausoleo, in quo heri reconditus est,

Oratio Sig. ad Polonos. nos, quibus præfuit, alloquentem audiamus. Quam iustè, quam'que moderatè, uobis uiri Poloni (liceat enim mihi uos omnes, imperio coniunctos, uno nomine appellare) imperauerim, & quanta felicitate regnum hoc auxerim, ornauerim & cumulauerim, uos ipsi probè nostis: aut si qui per ætatem intelligere & iudicare adhuc non potuistis, è maioribus natu, bonis & grauibus uiris, discere potestis. Pro his meritis meis, iure meo illud à uobis postulo, ut si quid unquam imprudens offendi, id uel humanæ imbecillitati, uel ætati meæ condonetis: quam uerò mihi debetis gratiam, eam liberis meis dulcissimis referatis, mor-

Pathetica filij commendatio. te mea pupillis. Filium hunc meum unicum, quem ipsi uobis regem, mihi suc-

hi succeſſorem, me uolente & poſtulãte, iampridem deſignaſtis, eodem quo me, aut maiore etiam ſi poteſtis, ſtudio proſequamini, conſilijs adiuuetis, conſentientibus animis atq; uiribus protegatis, ætati eius nonnihil etiam indulgeatis. Ne audiatis eos, qui dum ſuam rem agunt, ueſtram agere uideri uolunt: & tamen aliud alibi præ ſe ferunt, utrinq; ut gratiã ineant, & opes potentiamq; ſuã augeant & ſtabiliãt. Cernitis qualia nunc ſint tẽpora, quouſq; domi progreſſa ſit multorũ audacia, quãta huic regno & cõmuni patriæ pericula à barbaris impendeant. Maturè uobis prouidendũ eſt, ne nõ modò imperiũ ueſtrũ et reſp. uerùm etiam libertas & uita ueſtra ueſtrorumq; in extremum diſcrimen ueniat. Id uerò ita demum rectè prouidebitis, ſi ſublatis omnino quorundã factionibus, diſsidijs & ſimultatibus mutuis, amore & officio erga uos inuicẽ, erga regem uerò ueſtrum ſtudio & beneuolentia certabitis. Sic enim fiet, mihi credite, ut qui nũc formidoloſi nõnullis uidemini, formidabiles uicinis ueſtris, hoſtibusq; ſitis. Ad te uerò, fili chariſsime, hæc mea eſt oratio. Illo aũt habitu, illoq; uigore, hæc tu Sigiſmunde Auguſte patrem tecũ loqui exiſtimato, quo fuit, cum tibi huius regni habenas ſceptrũq; traderet. Nihil eſt q̃ te unà cum matre, & ſororibus tuis, puellis lectiſsimis, propter mortẽ meam tantopere excrucies. Mihi quidem ego meo tempore, annorum, uitæ, gloriæq; ſatur, non dico mortuus ſum, ſed ad beatiorem uitã regnumq; melius migraui. Vt aũt ueſtro quoq; & horũ omniũ tempore id factum eſſe uideatur, ſecũdum Deum in te, fili, maximè ſitũ eſt. Tibi mi fili deinceps, & mater, & ſorores, & uerò reſp. maximè curæ eſſe debebunt. In te ſpes omnes omniũ, quas fruſtrari te æquum non eſt, ſitæ ſunt. Nonnihil quidẽ nobis debet Polonia, quemadmodũ audiſti: ſed nos illi multo plus. Quippe quæ nos ſibi, maioresq; noſtros, poſthabitis quibuſdam illuſtrioribus & elegantioribus, atq; etiam potentioribus fortaſſe, reges aſſumpſit, & ſumma fide, ſtudio, obſequioq; coluit. Te, quemadmodum ipſe noſti, puerulum etiamtum, regio diademate inſigniuit. Ad eius igitur ſalutem atq; dignitatem, uiciſsim te uoluntatem tuam, ſtudia & conatus omnes adiũgere in primis æquum eſt. Id uerò ita demum rectè facies, ſi omnibus te æquabilem, familiarem uerò non niſi grauiſsimis & ſapientiſsimis quibuſq; præbebis: ſi nullius ius & innocentiam neq; gratia, neque odio cuiuſquam opprimi ſines: & in iudicijs exercendis, non cuius cognatus, neceſſarius aut cliens quiſque ſit, ſed quàm iuſtã cauſam habeat, attendes: ſi tenuiores à ui & iniurijs potentiorũ uindicabis: ſi honeſtatẽ uoluptati, publica cõmoda tuis priuatis antepones: ſi nulla in re leuior, aut præceps eris, neque de maioribus rebus abſq; conſilio ſenatus quicquã ſtatues: cum iuuenibus uerò & iuuenili ardore præditis, cõſilia nõ temerè cõmunicabis: ſi aſſentatoribus aures nõ accõmodabis (Blandũ enim eſt malũ, ſed peſtilẽs in primis rẽgnis atq; regibus, aſſentatio) ſi diſſenſiones ordinũ, & ſimultates procerũ, inter ipſos authoritate tua penitus extirpabis: ſi deniq; pietatẽ atq; religionẽ ſanctiſsimã ſeduló & ex animo coles: neq; ab inſtitutis maiorũ, & iam inde ab exoriẽte religione Chriſtiana apud oẽs gẽtes

Conſiliũ regiũ.

Verba Sigiſm. ad filium.

Aurea pij patris monita.

recepto, & ad noſtra uſque tempora tranſmiſſo retentoque cultu Dei opt. max. uenerandisque cæremonijs atq; dogmatibus, te cuiuſquam uel inſidioſis blanditijs, aſſentationibus & illecebris auocari, uel importunitate auelli ſuſtinebis. Harum rerum omnium exempla domeſtica habes, ſatis, niſi fallor, illuſtria. Non ignoras fili, quo ſucceſſu, qua felicitate, quantaque gloria nos tam diu regnauimus: id nos totum Deo opt. max. quem ſeduló ritéque coluimus, acceptum referimus. Exiſtimare autem debes, neque regnum, neque quicquam omnino ſanctum » & inuiolabile eſſe poſſe, ubi religio labefactatur. His tibi uijs, fili ſuauiſſime, ad laudem, ad beneuolentiam hominum, ad ſalutem tranquillitatemque ditionum tuarum, denique ad decus & immortalitatem graſſandum eſt. Hac certus eſt, & exploratus pijs principibus ad cœlum aditus. Hęc tecum Sigiſmunde Auguſte, pater: illa rex ueſter uobiſcum, uiri Poloni. Reliquum eſt, utriq; ut ſanctiſsimis & ſaluberrimis monitis eius obtemperetis, eiusque præclara erga uos merita, aſsidua pietate & grata memoria ſemper proſequamini: omnesque pariter eum, uti debemus, uiuorum & mortuorum Deo, apud quem nemo ſatis iuſtus & inſons eſt, aſsiduis precibus commendemus. Viciſsim ille in cœlis, uti ſperamus, pro nobis orabit: & quorum ſaluti & incolumitati omni ratione, quoad uixit, conſuluit, ijs ne nunc quidem, omni iam rerum terrenarum cura & moleſtia ſolutus, ſtudium ſuum in placando Deo opt. max. deeſſe patietur.

FINIS.

ERRATA, OPERARVM INCVRIA COMmissa, sic emendabis.

Pag. 14. uerſ. 33. in marg. adijciend. Polonorum nomen ante Chriſtum natum non extitiſſe. 35. 34. Luſaria 46. 10. Lambertus 47. 11. educaſſet 49. 28. inferret 58. 35. Stopolcum uictum 62. in marg. 2. Culmenſis Ead. 19. precioſiß. quaq; & ult. à noſtris memoriæ 70. 39. Dei cultu 77. in marg. Cracouienſi diœc. 101. 1. Bardum arcem 136. in marg. Criſtinæ 152. 35. Boleslai 160. 20. retinuit 163. in marg. Breſte Lituanicum recep. 180. 42. fortè legend. recuſare, pro refutare 193. in marg. Suentopelci 198. 12. profugit. 199. in marg. Henrici ducis 201. 22. Conſtantiam 203. in marg. Vuladiſ. Sputator 210. 19. fuere 224. penult. facilius 225. in marg. Poloniæ maioris 229. 38. aliquandiu 230. in marg. Cazimiri ducis 231. penult. autem 233. 19. Lituanis 243. in marg. Griffina ibid. Ladislaus 268. in marg. Ottomanus 275. in marg. Gdanenſes nundinæ 302. in marg. Zarnouecia arx 331. Lib. XIII. 336. in marg. Carolum fratris fil. 344. 25. fuit 346. in marg. Siradiæ 383. in marg. Vecra fl. 384. 10. Virgini 389. 4. cum rege 396. antepen. fecere 401. 28. ſiue ſiclis 413. 23. iudicis 422. 11. Columnenſi 455. ult. impediretur 461. in marg. Palatini 496. in marg. Philippi Burg. legatio ad 522. 9. pecunia 530. 9. ueſtitum

RERVM ET VERBORVM IN HISTORIA Polonica præcipuè memorandorum INDEX.

AARON archiepiscopus Cracouiensis 77
Abas, q & Ouo, Vngarorũ rex. ibidem
Abigei anathemate notati 162
Aborigines 2
Abraham Sbancius 455. 465
academia Cazimiriæ inchoata. 314
academia Cracouiensis 474
Pragensis 314
Adalberti res, eiusq; cædes 52
adalberti corpus Gnesnã translatum ibid.
S. Adalberti reliquiæ è latebris erutæ 128
Adleida Miezislai filia 48
Adolfus Cæsar 263
adoratio syncipitis apud Tartaros 232
Aegyptiorum origo 2
Aeneas Syluius 21 Polonis iniquior 55 papa 528 eiusdẽ error 54. 71. 226
Agathia, quæ & Ofca 541
Agathocles Siculorum tyrannus 33
agraria, siue iugeralis contributio 373
Aidorus Tartarus 609
Alanus 2
Alani, corruptè Catalani 10
Alba regalis, Vngarorũ regum sepultura 336
Albania uastata à Turcis 643
Albertus Bauarus regnum Boemicum repudiat 471
Albertus Cæsar 269. 463
eius mors 271. 466
albertus Coscelecius Palatinus Brestensis 296
albertus Crantius primus Vandalicæ historiæ scriptor, nostra ætate 3. 6 eiusdem error 11. 26. 328
albertus episcopus Cracouiensis, & Cancellarius Poloniæ. 411 eius odium 412
albertus Gorscius 544
albertus Iastrambecius 374
archiepiscopus Gnesnẽs. 421
episcopus Cracouiensis per ambitionem factus 404
albertus marchio Austriæ 128
albertus marchio Brandeburg. dux in Prussia factus 694
albertus rex Boemorum 462
Vngarorum ibid.
albertus Taborus episcopus Vilnensis 664
Albis fluuius 17
Alexander filius Cazimiro natus 537
alexander Flonius 682
alexander Lituanorũ princeps, rex coronatus 660
alexander Magnus 21
alexander M. dux Lituanorũ factus 642
alexandri Macedonis bellũ cum Polonis fabulosum 31
alexãdri Magni delectus pictorum & sculptorum 676
alexander Massouius Tridentinus archiepiscopus & Cardinalis 424
alexander Palatinus Moldauiæ & Valachiæ iurat in uerba regis Poloniæ 409. 501
alexander Palatinus Valachorum 401
alexander Palatinus Valachorũ extinctus 440
alexander papa tertius ad Venetos profugit 158
alexander Sextus papa 635
alexander rex Polon. 659. 678
paralysi affectus 665
eiusdem pacta cum Bogdano 668 cum Masouijs ducibus 662
alexandri aduersa ualetudo 669
insidiæ struũtur Alexandro regi à Michaele Glinscio 664
alexandri regis mors, forma & mores 670 prodigalitas 671
alexander Viguntus Vuladislai Iagellonis frater 360
idem ueneno sublatus ibid.
Alexãdra Vuladislai Iagellonis soror Zemouito Masouio nupta 356
Alexius imp. Constantinop. pulsus 176
Alfonsus Aragonum rex 686
Almus rex Vngarorum à Polonis reductus 107
Amadeus Allobrogũ dux à concilio Basilienſi pontifex creatus 470
Amedeus palatinus Vngar. 269
ἀμνησία 731
amor coniugalis 350
Amurathes dux Turcarum 329
Transyluaniam infestat 474
eiusdẽ legatio ad Vuladislaũ regem 475. 491
Andreas Brochocius 419
Andreas Bela, & Leuenta, duces Vngari in Poloniã profugi 68
andreas Bninius episc. Posnanienſis Sbanſinũ adortus armis propter hæreticos 466
andreas Cazimirus filius Vuladislao natus 425
andreas Cedrouicius proditor. 277
andreas Constantinopoli theologus, legatus põtificius 428
andreas Drosdas 664
andreas Iagellonis regis frater, Lituaniam infestat 354
idẽ in carcerẽ coniectus. ibid.
andreas Lascaris Posnanienſis episcopus electus rege præsente uix assensus est 407
andreæ equitis Masouij audax facinus 287
andreas Odrouanzus, Russiæ palatinus 562 Alexandrũ Valachum tueri iussus 495
andreas rex Vngariæ 77
religionis Christianæ instaurator ac propugnator 78
andreæ regis fuga & mors 82
Andreas Rosa archiepiscopus Gnesnenſis 661
andreas Tencinius 514
eiusdem & Nicolai Dreuicij charitas in patriam 435
andreæ Tencinij consilium 394
eiusdem cædes 536. 537
andreas Vasilo Polonus, Vilnenſis ecclesiæ primus episcopus 355
Andreonienſe monasterium, eiusq; uectigal 142
Anglia & Hibernia Romano pontifici uectigales 176
Angliæ rex regno pulsus à filio 155
animorum habitudines exprimere difficile 676
Anna filia Cazimiri Boguslao Pomeran. duci nupsit 641
Anna Ludouici regis soror, & uxor Ferdinandi regis Romanorum 678
Anna Ottocari filia, uxor Heinrici Pij 218
Anna uxor Vitoudi 370. 531
annonæ caritas ingens 579 584. 585
Antæ Slauorum cõsanguinei 6
quæ loca incolant ibid.
Antonius Bonfinius rerum Vngaricarum scriptor 3
Antonius Sabellicus 25

eiusdem error 575
Antonius Zenus legatus Apostolicus 417 eiusdem integritas 418
Aperiassium direptum & incensum à Polonis 473
Apostoli 44
apostolica sedes uacat tribus annis 237
apparatus belli irritus 411
Appianus Alexãdrinus Dalmatarum & Illyriorũ res gestas descripsit 5
Appulia uastata 634
aqua mulsa 637
aquila alba Polonorum principum insigne 26.383
Arabum origo 2
arbitrium inter Polonos & Cruciferos Sigismundus Cæsar sibi sumpsit 403
archiepiscopa in Russia instituta 314
archiepiscopæ Leopolienses uacatio 623
archiepiscopi facultates direptę à fratribus 402
archiepiscopi legati responsum animosius quàm consideratius 377
archiuium 372
armatura leuior Polonorum. 81
Arnolphus Imp. 41
arrogantia cum imperitia coniuncta 511
Asarmotes 13
Athenienssium origo 2
Augusta Vindelicorum caput. 3
Auinio donatus Ro. pont. 306
aulæ principum quales 119
aulæ principum utplurimum sufurronibus & palponib. plenæ 205
aulici equites in præsidiũ missi. 395
aulici, uentris mancipia 548
aurei nobiles, qui & duplices. 394
Austria infestata ab Vngaro 368 à Mathia & Vngaris 633
Austriæ ducum & archiducum origo 246

B

BAchanalium seu Liberalium dierum superstitio 265
Baiacetes Turcarum Imperator pacem petit à Sigismundo rege 689 item à Ioanne Alberto 653
Baiazetes à Selimo filio pulsus regno, & extinctus 661
Balduinus Cyprius legat. 444
Balduinus Gallus 176
Balga arx 214
Barbara Cazimiri filia, Georgio duci Saxoniæ nupta 645
Barbara imperatrix capta 462
Barbaræ imperatricis nequitia, seu impietas 464 & mors ibid.
Barbara Sigismundi Imp. uxor, in Polonia Sendomirienssi præfectura donata 463
Barbara uxor Sigismundi regis religiosissima 686
Barcouicius palatinus latro. 312
Baricia pagus 248
Barlotum oppidum Valachiæ. 494
Barninus, qui & Barnimus 35 Cassubiorum dux 219
Bartesa, siue Barduuia 399
Bartensteinum oppidum deditum 533.567
Bartholomæus Capra Cæsarianus legatus 411
Bartholomæi Chotelij conatus 339 latrocinium 334
Basco annalium scriptor 228
Basilienssе concilium 442 Eugenio pontificatum abrogauit 464
Basilienssis concilij acta approbata à pontifice 488
Basilienssis concilij oratores ad regem 446
Basilius Moscouitarum princeps 362.684 à Vitoudo pacem impetrat 376
Bassa 634
Bassa Asiaticus à rege interfectus 481
Battus dux Tartarorum 206
Batti uia 206
Bauaricum solum fertile 23
Bauolus pagus 306
Bazaradus Transalpinenssium Voieuoda, Carolum regem Vngarorum uincit 289
Bazinum arx 214
Beatrix Matthię regis uxor 620 Vuladislao fauet 639
Bela rex Vngar. cæcus 128.154 hospitem Volodomirũ uiolat 166 Polonorum fines depopulatur 167 in Dalmatiam fugatur 207 Austrijs bellum infert 225
Bela, gener regis Poloniç, & Pomeraniæ dux 68
Belæ filiorum fuga in Poloniam 85
Belæ regis Vng. mors ibid.
Belaui opp. obsessum 93
bellũ arte aut dolo geratur, parum refert 294
bellum inter fratres 187. 284.639
bellum Russicum 316
bella cum Cruciferis Teuthonicis gesta in Prussia 683 cum Turcis 682
bellorum seminarium 78
Belzum, Ciruenum, Vuladimiria, arces deditæ 124
Belzensis prouincia à Cazimiro subacta 307
Bendinum opp. 489
Benedictini monachi Cluniaco acciti, mittũtur in Poloniã. 77
Benedictus & Suiradus monachi 51
Benedictus Macrinus 405
beneficentiæ remuneratio 39
Berda fl. 237.396
Bernhardus abbas Claræ Vallis 143
Bernardi archiepisc. Strigonienssis furtum 635
Bernardi Legnicienssium ducis mors 256
Bernardus Prætificius 682
Bernardus Sunbergius 543
Bernardus Vapouius 17
Bernardinus Vilzicus Lepolienssis episc. 661
D. Bernardini cœnobium à Sbigneo Cardinali in Polonia conditum 504
Bernenssis pax inter Vngaros et Boem. irrita 626
Berosi error 12
Berualdum acceptum pro Zatoria 461
Berualdum & Ziuecia arces destructæ 622
Bessarabia 636
Betica, quæ & Granata, à Saracenis subacta 176
Biala fl. 270
Bialogradum Pomeraniæ oppidum captum 108
Biecz arx 270
Biecense oppidum 280
Bielogradum à Turcis frustra obsessum & oppugnatũ 175
Bielscum, Meluicum ac Drohicinum Cazimirus Masouijs eripit 472
Biezz opp. 126
apud Biezum opp. Vuladislai nuptiæ 370
Biezensis castellania 458
Biscupicensis pagus 189
Blanca Maria Maximiliani uxor secunda 636
Blondus quando scripserit 1
Bninum arx 199
Bobrouunici dediti 378
Bochna pagus 223
Boemia armis Polonorum subacta 54

Boemia & Morauia uexatæ. 370
Boemum inter & Polonum reges pacta conuenta 299
Boemi ad sacrorum communionem admissi à rege & episcopis 443
Boemi profligati 130.438. 305.452
Boemi Opauiam occupant. 225
Boemi, Sigismundo Cæsari & Germaniæ graues 428
Boemi Silesiam inuadunt 100
Boemorum ambitio 542 bellum contra Vngaros 241. conditiones oblatæ regi Vuladislao 586 consilia contra Gorgium regem 577
Boemorum cum Cruciferis societas 285 dissidium in creando rege 471.592
Boemorum exercitus 611 expeditio in Poloniam 260. 295.571 fuga 119
Boemorum incommoda ex dissidio religionis 459
Boemorum legationes 415.539. 578.585.588.609
Boemorum mores 82 postulata ad religionem pertinentia 415
Boemorum principes in Asiam cum Conrado Cæs. profecti. 144
Boemorum principes post Venceslaum tertium 271
Boemorum regis expeditio in Prussiam 226
Boemorum regum stirps defecit 271
Boemorum secessio 389
Boemicę res 626 earundem status uarius 592
Boemicum bellum 53.66.80. 129
Boemici regis egestas 634
Boemici motus 159.379.412. 577
Boemicorum episcoporum auaritia 379
Boemicorum scriptorum dissensio & temeritas 299
Bogarodiza pęan D. Adalberti. 384
Bogdanus Palatinus Valachiæ. 492.663 uictus 681 interfectus 496
Bogdani frans 493 legatio. 666
Bogorij & Habdanci nobiles. 170
Bogus fluuius, qui & Hipanis. 57 Russorum clade insignis 559
Bogufalus, qui & Boguslaus, Pomeraniæ dux 372 619 à Danis uictus 160
Boguslaus Gdano præfectus. 272 Stolpensium dux, cum suis iurat in uerba regis Polonorum 391
Bogussus captus à Cruciferis. 273
Bogussi iudicis fides 273
Boguthæ defectio 212
Bolesta homicida uiuus exustus 154
Boij, gens Gallica 28
Boiuoius Scrinius 542
Boleslaus ad Cæsarem in castra uenit, ac bellum sopiuit. 145
Boeslaus Boemus exæcatus. 54
Boleslaus Bregensium dux. 282
Boleslaus Caluus 213 ad principatum uocatus 211. diris deuotus 229 eiscitur 213 fugatur 244. secundò captus & elapsus. 221
Boleslai Calui impium facinus. 229 nuptiæ 242 mors 246
Boleslaus Cazimiro natus 75
Boleslai Crispi comitas 143. filij 149
Boleslaus deseruit principatũ. 258
Boleslaus dux filios etiam oppignerauit 285
Boleslaus dux Oppolienses mercatores Polonos diripuit. 478
Boleslaus filius legitimus Vuladislai regis, precibus S. Aegidij impetratus 93
Boleslaus fratricida 42
Boleslaus Lesci filius 196. & inde de eius tutela discepta tur ibid.
Boleslaus Masouius dux Russorum 307 rex à Polonis creatur 486 eiusdem crudelitas 200 mors & filij. 280.514
Boleslai Masouij uxor Lituana. 263
Boleslaus natura credulus. 132
Boleslaus Miezislai filius occisus 172
Boleslai Oppolienses ducis mors 280
Boleslai Pij fuga 232 mors. 245
Boleslaus Plocensis accitur ad principatum 258
Boleslaus primus rex Polonorum 151
Boleslai secundi indoles 78
Boleslaus tertius, qui & Criuoustus 104 ad Cæsarem Hen. 5. profectus pacem petit 116. quietis & ocij impatiens. 119
Boleslai tertij uaticinium 134. uictoriæ 115.117.133
Boleslaus Pudicus 187.204 à Vuladislao adoptatus 198. cũ matre dolo à Conrado captus 199 reuocatus 211. principatum recuperat 212
Boleslaus Pudicus uictus & fugatus à Conrado & barbaris. 216
Boleslai Pudici ætas 246 conuictus cum rege Boemorum. 241
Boleslai Pudici mater Grimislaua 200
Boleslai Pudici mors 245 pra uitas in iudicijs 241 reditus 212 studia 217 uictoria contra defectores 241. in uictoria moderatio 213
Boleslaus rex diris deuotus ab episcopo 89
Boleslai regis expeditio in Russiam 57
Boleslai Suidnicienses ducis mors 267
Boleslaus ueneno extinctus. 301
Boleslaus Vuratislauiẽsiũ dux. 282 moritur 778
Boleslai audacia & uictoria. 230
Boleslai columnæ 58. 60.62 consilia in pace 63. cum Zemomyslo transactio. 237
Boleslai donariũ, templo Gnesnens. 128
Boleslai immanis crudelitas. 263 in Daniam expeditio & successus 125 mors 65
Boleslai peregrinatio in Narbonensem prouinciam 127
Boleslai prodigalitas 283
Boleslai splendor & munificentia 53
Boleslai uirtutes 51.149
Boleslai uxor Iuditha 48
Boleslauice oppidum à Conrado duce captum 238
Boleslauicia condita 245
Boleslauecia septennio obsessa. 365
Boleста familia 153
bombarda, quãdo, & à quo inuenta 333
Bonę reginę Polon. fides & obsequium 686
bonus campus 209

Bonfinij error 60.110.331
Bonifacius nonus põtifex max. 370.371
Borcum opp. 201
Boristhenes 18
Boriuoius Boemorum dux. 105 quo tempore Christianus factus 45 à Cæsare captus. 117 eius impotentia & cædes 203
Boriuoius & Scrinnius insignes prædones 532
Boruſci 61
Bosna à Tartaris uastata 207. à Turcis capta 560
Bosphorus Cimmerius 17
Bozenta episcopus Cracouiensis 306
Bozentinum arx & oppidum. 317
Branda cardinalis legatus. 403
Brandeburgense bellum 235. 237.238.240.245
Brandeburgensis marchio uictus à Polonis 245
Brandeburgenses marchiones gentiles Columnensium. 422
Brandeburgensis marchia empta à Carolo imperatore. 325
Brandeburgensis marchiæ origo 5
Brandeburgum in Prussia, quãdo, à quibus conditum 227
Braslauia, Cremenecia, & reliquę munitiones Podoliæ regi deditæ 457
Brauslauia incensa 445
Braslauia instaurata 651 regi restituta 450
Brathianũ proditione captum. 519
Braunsbergenses Polonos eiecerunt 538
Brausciũ & Staradubũ arces. 375
Brega opp. 267
Bregensium cum Olesnicensib. bellum 283
Breste oppidũ Lituanicum. 655. in confinio Poloniæ situm. 664
Breste nouum conditum 296. obsessum, captum & depopulatum 296.346.357
Brestæ Cuiauiæ comitia 536
Breste situs descriptio 308
Brestensis ora à Polonis recuperata 163
Brestensis prouincia à Cazimiro subacta 307
Brobnicia arx 564 obsessa à Polonis 408 à Cruciferis. 539
Brodnicia arce potiti Cruciferi. 540
Brodnicia, Culma, & Starigrodum à Cruciferis redempta. 625
bronisius comes 205
Brozouia arx 474
Brugenses puniti 636
Bruno Olomucensis episcopus. 222
Brunsberga arx 226 à Cruciferis uastata 567
Brzemia, quæ & Brema 26
Bsura fl. 263
Buconecia asylum latronum. 543
Buconicia, quæ & Lubeca 36
Buconina sylua 648
Bucus pagus 228
Buda, primaria urbs Vngariæ. 85 siue metropolis 128.333. redacta in potestatem Vladislai Polon. regis 468
Bugus fl. 308.404
Bulgari 15 quo tempore Christiani facti 45
Bulgarorum bella cum imperatoribus 35
Bulgaria à Tartaris uastata. 207 capta ab Vngaris 476
Bulgariæ situs 35
Bydgostia arx intercepta 204.
Boleslao Calisiensi tradita. 237 cõcessa Pomeranis ducibus. 358 recepta à Polonis 378
Bythin castellum oppugnatum. 347
Bythomia arx 225 condita, uel restaurata 221
Bythomia & Glogouia exustæ ab ipsis Polonis 147
Bythomia oppugnata 112 retenta à Miezislao 178 Stolpensium duci donata 572
Bythomiensis dux Boemo subditus 283
Bythomiẽsium metellorum interitus 317
Baiazetes Amuratis F. Turcarum imp. Mysos & Vngaros uexat 366 à Tamerlane captus, & cauea circũuectus. 368.635
Burgrabij qui 363
Burgundiones, qui & Vandali dicti 9
Buscense monasterium 170. 208
Buzacius Tartaros uexat 490

C

Cayleius portus 409
cæculi à Stephano subacti. 614.
Cæsaris cum Iagellone & Vitoldo conuentus 427
Casa urbs à Turcis capta 559.
Polonis terrorem incutit. 568
calistia arx intercepta 198
calisia tentata 339.344 defensa 291 Henrico Vuratislauiensium prodita 252
calisia oppidum conflagratum fortuito incendio 252 eius situs ibid.
calisiensis regio uexata 230. 275.291
Callimachi opinio de bello Turcico & Vuladislai regis interitu 481
calumnia in aulis principum regnat 190
calumniæ pœna 205
calumniatores à principibus uiris coercendi 187
camenecia arx in Silesia 101.
ciuitas 375
camenecia capta 357 oppigne rata, sed redempta & munita contra Turcas 562 Polonis donata 103
cameniza riuus 191
Camenum arx condita 325
camenum interceptum 344.
caninus campus 115
canonicatus uiginti Cracouiæ à Boleslao additi 127
capha à Turcis capta 615
captiui omnes sponsione soluti. 401
carambeius Bassa & dux Turcarum captus 476
contentio de loco inter cardinalem & archiepiscopũ. 492
cardinalicia dignitas ibid.
de cardinalatu & legatione constitutio comitialis 494.
carolus Cæsar & rex Boemorũ. 305
carolus Danorum rex exul 522
carolus imperator, uentri & genio deditus, bis captus, & ab imperio amotus 370
caroli imperatoris mors 332
carolus octauus Gallorum rex. 635
carolus Quintus Rom. imperator 246
caroli imperatoris aduẽtus Cracouiam 315
caroli Magni bellum contra Polonos 34
caroli Vngarorum regis periculum 289.302
carolum inter, & Ludouicum, inimicitiæ 315
carpathus mons Poloniam ab Vngaria dirimens 622
carthusij monachi duo detecta proditione plectuntur 539
caspar Nostiuicius Silesius 543

caſpium mare 186
caſanenſes deuicti 668
caſſanus Tartarus regibus Perſarum initium dedit 232
caſsiliēſe collegium conditum. 179
caſſouia obſeſſa à Ioanne Alberto 639
caſſubia 35
caſſubij qui 14.
caſtellanus Cracouienſis Palatino prælatus 121
caſtrenſis negligentia 140
caſtrorum Polon. & Boem. incendium 612
cataclyſmus ſeu inundatio magna 468
catharina Micha Luſconi Lituano duci matrimonio iuncta. 541
cauurum opp. 359
cazimiria maioris Poloniæ oppidum 59.201
cazimiria cum templis condita. 306 conflagrauit 663
cazimiriæ canonici regulares. 453
cazimirum direptum 348
cazimirienſes puniti 694
cazimirus regno potitur 60
cazimirus monachus fit Benedictinus 70 item diaconus. 72
cazimirus reuocatur ibid.
cazimirus Sendomiriēſium dux creatur 152
cazimirus reluctans ad principatum uocatur 158
cazimirus Leſco ignoſcit 165
cazimirus Maſouiā & Cuiauiam redigit in poteſtatem ſuam. 165
cazimirus Ruſſos latrocinantes reprimit 166
cazimirus apud pleroſq; proceres odium Volodomiri reſtitutione ſibi conflauit 167
cazimirus principatum recuperat Rufforum auxilio 168
cazimirus honeſtis diſciplinis imbutus 169
cazimirus ueneno extinctus. ibidem
cazimirus à filijs pulſus 231
cazimirus Cuiauienſium dux mortuus 236
cazimirus Lencicienſium dux in prælio cæſus 263
cazimirus dux ſupplex Cruciferis 276
cazimirus filius Vuladislao natus 278.286.423
cazimirus maiori Poloniæ præfectus 290
cazimirus cum uxore coronatur 298
cazimirus rex in Vngariam profectus ibid. 301
cazimirus quē ſibi ſucceſſorem deſignarit 300
cazimirus excōmunicatus. 307
cazimirus ab excommunicatione abſolutus 309
cazimirus quæ templa condiderit ibid.
cazimirus uocatus plebeiorum rex 311
cazimirus Scecinenſium dux interfectus 328
cazimirus Iagellonis filius, à Boemis ad regnum uocatus, ſenatu Polonico improbante. 462
cazimirus magnus dux à Lituanis creatus 472
cazimirus Vigros Maſouijs eripit 480
cazimirus Vuladislai frater à Polonis rex creatus 484 coronatur 488
cazimirus Lituanorum & Ruſſorum inſidijs petitus 486
cazimirus ſuſcipit regnum. 487
cazimirus conditiones fert Polonis ibid.
cazimirus Pol. rex puerorum ſtrepitu exagitatus 538
cazimirus rex arbiter inter Marchionem & Pomeranos. 558
cazimirus à Moſchico bello abhorret 632
cazimirus pacem Ioanni Alberto filio cum Vuladislao fratre diſſuadet 639
cazimirus filius Cazimiri, ſanctus 678
cazimiri regis cum legato pontificio altercatio 546
cazimiri caſus 318
cazimiri comitas ac pietās 74.
cazimiri conſilium de rebus Valachicis 635
cazimiri cum Ludouico fœdus. 317
cazimiri & Georgij regum conuentus Glogouiæ 542
cazimiri effigies 320
cazimiri regis erga uxorem indulgentia 613
cazimiri in Ruſsiam expeditio. 301 item in Sileſiam 303
cazimiri filiæ relegatę & exhęredatę 323
cazimiri filij quot, & qui 236
cazimiri aſtus 163
cazimiri clementia 168
cazimiri facilitas uertitur uitio. 166
cazimiri regis Polon. fortitudo. 512
cazimiri lenitas 164.
cazimiri pietas 161
cazimiri ſtudia principe digna. 161
cazimiri flagitia & ſcelus in presbyterum 307
cazimiri fœdus cum Baiazete. 638
cazimiri fuga 290
cazimiri induciæ cum Moſcho. 641
cazimiri Maſouij obitus 488
cazimiri legatio ad pont. max. 591 item eiuſdem ad Georgium ibidē ad Boemos. 593 ad Mahometem Turcarum imp. 615 ad Mathiam 616
cazimiri regis leges 306
cazimiri liberi 170
cazimiri libidines 302 mores & ſtudia 170
cazimiri mors 78.641 ętas. ibidem
Magni cognomen ibidem
cazimiri munificentia 574.
cazimiri nuptiæ cum Elizabetha Alberti Cæſaris filia 504.
cazimiri Oppolienſium ducis mors 201
cazimiri ducis cupiditas & ſcelera 230
cazimiri oratio ad milites 163
cazimiri regis poſtulata 488
cazimiri reditus in Poloniam. 73
cazimiri regis reſponſum ad uarias legationes 578
cazimiri regis teſtamentum. 318
cazimiri regis tranſactio cum Cruciferis 302
cazimiri tranſactio de Ruſsia cum Vngaris 307
cazimiri ſancti principis mors & caſtitas 633
cazimiri Sendomirienſium ducis laus 157
cazimiri uictoria de Ruſsis. 164.
cazimiro & Vuladislao regib. interdictum ſacris 652
cazimiro fortuna fauet 165
cazimiro nō ſatis propitius Pontifex 588
cazimirum pœnitet nō ſuſcepti regni 486
Cechocinum epiſcopo Vuladislauienſi ablatum 288
cechanouia uaſtata 300
cempnum arx capta & recepta. 517

centuriones & rei militaris periti acciti è Boemia 381
cercassos munitio 362
cerequitia 311 opp. 225
Cesinensis dux Boemo subditus 283
Chelma Russica capta 316 recepta 330
Chelmensis & Kiouiēsis episcopa instituta 453
Chelmensis prouincia à Cazimiro subacta 307
Chelmensis tractus à Prussis occupatus 190
Chencinensia comitia 290
Chermiscus fluuius 61
Chersonesus 60
Chersonesus Taurica quādo à Tartaris inhabitari cœpta. 187
Childibius, Slauonos fudit, fugauitq; 6
Chimelicus pagus 207
Chrinicia oppidum captū. 276. obsessum à Polonis 447. Polonis deditum 572
ad Choiniciam prælium 511
Choinicienses impunitate donati 572
Chossno oppidū à Polonis munitum præsidio 447
Christophorus Safranecius. 633 ob latrocinium capite plexus. 634
Christi milites qui 191 ordo in Liuonia 184
Christianæ religionis progressus 44
Christianus episcopus Chelmēsis,& eius ditio 190
Christianorū expeditio in Prussiam 226
Christianorum regum in Syriā expeditio 167
Christianorum strages 210 à Tartaris 232
Christinus Cozeglouius ultus Silesios, Gliniciam cæpit. 457
Chrobersum arx condita 58
Chrobri, quid lingua Russica. 58
Chrobrzany 318
Chuni qui 186 & inde
Cidlina fl. 117
Cimbarca Friderici tertij Cæsaris mater 424
Cimbrica Dania 60
Cineris dies 265
Cirnelinus pagus 228
Cirscum arx 199
Cisa, siue accisa Prussis tributa. 540
Cissa, qui & Tibiscus fluuius. 82
Cizouius amotus à præfectura Cracouiensi 525
Clauus sacer 53
Clecicū oppidum incēsum. 291
Clemens & Benedictus XIII. pseudopontifices 371
Clemens tertius pontifex max. decimā ab ecclesiasticis exegit 167
Clemens armorum faber & Ioannes Doisuō. autores cædis Andreæ Tencinij elabuntur. 540
Clepari opp. 363
Clepariēse oppidum, templum, & collegium sacrum 169
Clicedorphia arx 267
Clobuscum direptum & incensum 524
Closcum à Boemo rege emptū. 283 exustum ibidem. regi Boemorum traditum 244. Silesijs redditum 246
Cnipouia diu obsessa, ac tādem per deditionem recepta à Cruciferis 515.516
Codanus sinus 26
Cœlestinus tertius pont. max. 174
Cœlum ardere uisum 122
Cœli intemperies 643
Colbergum frequens & opulentum oppidum 106
Coli comitia armata 447
colomeia Palatinę cōcessa. 490
colloquia generalia in papilionibus olim habita 89
Colum castrum 190
Colomannus Andreæ Vngar. regis filius Halicienſis princeps 184.185 Halicia pellitur ibidem. ab episcopo Cracouiensi coronatur ibidem. cum uxore capitur. 186. Haliciam recuperat ib.d.
Colomanni auxiliares contra Russos qui 185
Colomanni uxor 185
Colomanno Polonorum cōtra Russos missa auxilia 185
cometes 186.655.671 plusquàm unum mēsem pernox, face ad occidentem uersa apparuit 449
Cometæ mēstrua apparitio. 520
cometę duo 584
cōmunio sub utraq; specie Boemis concessa à concilio Basilienſi 459
Comorouius ad defectionem sollicitatus à Mathia rege. 620
Comorouius bonis exutus, Crasnostauiā à rege accipit. 623
Compestrinum 637
Conari arx diruta 371
concilium œcumenicum opera Sigismundi Cæsaris indicitur 407
concilium Ferrariam ab Eugenio reuocatum 464
concilij Basilienſis cum Eugenio pontifice dissidium. 446
confiscare bona 182
Coninum opp. uastatum 291
coniugalis amor 350
Conradus Albus Olesnicēsium dux 438
Conradus archiepiscopam Salisburgensem, propter cereuisiæ defectum, repudiauit. 267
Conradus Cæsar 218 eiusdem expeditio in Coloniam 145
Conradus Cæs. mortuus 146
Conradi Cæs. & Ludouici Gall. regis expeditio in Syriā 143
Conradus Celner magister Cruciferorum Iagellonis inuitationem contemnit, & Lituaniam infestat 354
Conradus Cruciferorum magister 365
Conradus Glogouiensis mortuus 267 eiusdem filij. ibid.
Conradi Lesci fratris nequitia. 189. & inde
Conradus Marchio Brandeburgensis 235
Conradus Masouiorū dux 47. principatum Sendomiriensem & Cracouiēsem inuadit. 211 episcopi Cracouiensis bona diripit 216 iurat in uerba regis Polonorum. 646
Conradi ducis Masouij fuga. 249.255 mors 217 & liberi 662
Conradus Nemcius 418
Conradus Olesnicensium dux. 339.344
Conradus Suenus imperator electus 65
Conradi Sueui contra Lotharium Cæsarem bellum 127 sanctio 53
Conradi Versauiensi. ducis caussidici 546
Cōradus anathemate ictus. 217
Conradus bis uictus ab Henrico 197
Conradus fractis ceruicibus interijt 188
Cōradi fuga 213. pœnitētia. 205
consiliū senile & iuuenile quid commodorum aut incōmorum adferat 215
Cōstantiensi cōcilio cōtrouersię Prussicę disceptatio permissa. 408

Constãtinopolis capta 176.500
Cõstantinopolitanum regnum Græcis restitutum 232
Constantinus Magnus imp. 10
Cõstantinus Ostrogius dux 682 captus 656 eiusdem reditus 660
consuetudo longa & inueterata legis uim obtinet 162
contributio à Pontifice cõcessa regi, à clero negata 418
Copanicia arx 219.609
Coprinum castrum 190
Copriuunicense monasterium. 170 direptum 206
Corcinensis arx incensa 268
Corcinum, Noua ciuitas dicta. 343. 451
Coributhus cũ exercitu in Boemiam profectus 418 cum uxore & liberis captus. 362 è Boemia reuocatus. 421 ad regnũ à Boemis uocatur 422
Coributhi minæ contra episcõpum 437 mors 458
Corigello dux captus & occisus 359
Coronouia opp. 396.397
Corostanum 49
Corradinus occisus 232
Cosciolense monasterium 18
Cosminius turbator 345
Cosminum munitio 312
Costenum opp. 609
Costrinũ oppidũ incensum. 291
Cotificius proditionis damnatus 522
Conale arx capta & incensa 287
Conalouia, quæ & Sconese 420
Cozle arx exusta & instaurata. 108
Cozonouia arx 267
Cracus perperàm appellatus Gracchus 28
Cracus inuitus regnũ suscipit. ibid. expeditionẽ fecit in Carinthiam 29
Craci astus ibid. mors ibid.
Cracouia, q̃ & Cracouecia. ibid.
Cracouia à Craco condita & appellata ibid.
Cracouia an fuerit in ditione Boemorum 55
Cracouia arx clauditur Miezislao 167
Cracouia direpta 211
Cracouia in potestatem Boem. uenit 260
Cracouia fidelis Lesco 254
Cracouia Præmislo seruata 260
Cracouia proditiõe recepta ab Heinrico 259
Cracouia quæ templa in circuitu habeat 363
Cracouia recuperata 270.280 tentata à Tartaris 256
Cracouiæ archiepiscopus 47
Cracouiæ incendium 126 207. 232. 376. 466. 514. 616. 641. 644
Cracouiæ munitio 651
Cracouia obsessa 200.217.304
Cracouiæ urbis regimen Teuthonibus cõmendatum 255
Cracouiæ tumultus contra senatum 466
Cracouiam regni insignia trãslata 282
Cracouiensis academia condita 370 quibus potissimũ disciplinis floruerit ibid.
Cracouiensis Academiæ professoribus census è salinis & telonio 370
Cracouiensis aduocatio 280 arx obsessa 212 arcis incendium 655
Cracouiensis basilica cum thesauro episcopi & ærario de cœlo tacta 188
Cracouiensis basilicę argentum Cazimiro regi negatum 518
Cracouiensis basilicæ prerogatiua 335
Cracouiensis ditio principatui addicta 152
Cracouiensis ecclesiæ immunitas 245
Cracouiensi episcopo ex metallis decimæ donatæ 257 item ex salinis 265
Cracouiensis nobilitatis motus contra Boleslaũ principẽ. 153
Cracouiensis ora infestata 261. 663
senatus Cracouiensis multatus ab episcopo propter animad uersionem in sacerdotes 519
de Cracouiensi episcopa cõtentio 534
Cracouiensem principatum Nicolaus palatinus reddit Miezislao 178
Cracouienses canonici ad controuersias cum Vngaris disceptandas ac dirimendas missi 617
Cracouiensium canonicorũ cultus 535
Cracouienses ciues ad Boleslaũ Oppoliensem deficiunt 279
Cracouienses ciues multati ob cædẽ Andreæ Tencinij 540 item ob cædem Iudæorũ. 563
Cracouiensium ciuium fides & constantia 255
Cracouienses nuncij nõ nisi sub fide regis ad cõmitia ueniunt 529
Cracouienses proceres capti, & mox elapsi 212
Crapina 20
cremenecia arx 337 opp. 587
Creslaus Curozuancius, episcopus Vuladislauiensis 646
cressouia opp. 307
cristenburgum arx 573
Cristinus comes, palatinus Plocensis 182
Cristinus Ostrouius Sendomirensis dux 365
Cristini palatini uiri optimi cædes 190
Criue antistes Prussorum 62
Criuoustus quur dictus Boleslaus 134
Croacia à Tartaris uastata 207 item à Turcis 663
crobia opp. 345
Cropidlo episcopus arcanũ regis prodit 406
crosna opp. à Polonis alienatũ. 239 oppigneratum 244 redemptum ibid. & inde crosnense territorium & arx 221
crucis Christi portio in monte Caluo 59
crucis militia contra Turcas. 563
S. Crucis templum Vuratislauię institutum 254
cruce signati milites contra Boemos 586 item in Prussos missi 190
Cruciferi profligati 219.234 excõmunicati 281.282.300
Cruciferi fusi in Habo 562
cruciferi belli quàm pacis cupidiores 383
cruciferi capitales Polonorũ hostes 428
cruciferi Cuiauiam depopulantur 296 itẽ Dobrinũ 400
cruciferi decimas occupant, & sacerdotia 280
cruciferi fœderum parum tenaces 678.505
cruciferi Gdanum in suam potestatem redigunt 273
cruciferi in clientela regis Polonorum 573
cruciferi insignes capti 440
cruciferi iurant in uerba Poloni 678
cruciferi quomodo se gesserint cum Polonis 506
cruciferi bellum in Polonos renouant 291.406.625
cruciferi nescitũt uti uictoria. 513 nõ parent decreto Cæs. 405. 414 non desunt sibi 506 pacem petunt 570

Cruciferi à Lituanis & Prussis uexati 268 Lituaniam rursus infestant 314.354.359.363. 367.373 (519
Cruciferi fœderati cum Lituanis
Cruciferi pertæsi inauspicati belli, pacẽ petunt à rege, & impetrant 420
Cruciferi Pomeraniam uastant. 219.275.278
Cruciferi Pomeraniã emũt. 279
Cruciferi quomodo adepti Michalouiensem tractum 274
Cruciferi Prussiam uastant 200 204 ipsi rursum obsessi à Prussis 507 dedunt Prussiam Ladislao Boemorum regi 508
Cruciferi Samagitiã uastãt. 329
Cruciferi sui semper similes 513
Cruciferi uicti 294 & profligati à Polonis 287 388.397.398.400.440.528 à Suentopelco 215
Cruciferi Varmiam uastant 567
Cruciferorum arces à Vitoudo exustæ 356
Cruciferorum artes 532
Cruciferorum clades 388.543 apud Reslam 566 apud Choiniciam 572 apud Fridelandiam 516 apud Nezamyslũ lacum 291 apud Passeneimum 531 apud Ploscum 292 apud Sipelbeinum 536 apud Vormitam 557
Cruciferorum commẽdatores. 276
Cruciferorum copiæ dilapsæ 533
Cruciferorum crudelitas 275 293.385.505
Cruciferorum cum Boemis altera in Poloniã expeditio 288 cum Lituanis bellum 332 cum rege Polonorũ conuentus 278
Cruciferorum duces capti, per arces asseruãdi distributi 390
Cruciferorum & Boemorũ societas 285
Cruciferorũ expeditio in maiorem Poloniam 290
Cruciferorum facinora 279 fœdus cum Marchionib. 275
Cruciferorum iniquitas in ecclesiasticos 280
Cruciferos inter & Polonos, à Pontifice max. iudices delegati 281.299
Cruciferorum legatio ad regem Polonorum 438
Cruciferorum magister iurat in uerba regis Polon. 591.630
Cruciferorum ordo, & eius origo 195
Cruciferorum pacta cum Bugoslo 273 cum duce Cuiauiæ 274
Cruciferorum Prussiensium & Suentopelci conflictus 219
Cruciferorum res gestę in Prussia 214.215.506.538
Cruciferorum subdola calliditas 195
Cruciferorum signa militaria in basilica Cracouiensi appensa 402
Cruciferorum temeritas, qui pactis conuentis non steterunt 299
Crucigerorũ uicinitas Polonis suspecta 264
Cruciferorum fractæ uires 397 cum Cruciferis conuentus 367 induciæ 298.572
Cruciferis quæ donata 195 & inde Pomerania 288
de Cruciferis in Tenedon insulam transferendis tentatum 531
Cruciferos Imperator Fridericus à bello Polonico deterruit 622
cõtra Cruciferos decretum 300
Crupscius eques Polon. 640
Crusuicense territorium Zemomyslo traditum 238
Crusuicia direpta 100
Cuiauia uastata 215.230.233. 245.296 à Lituanis 261 à Suentopelco 204.219
Cuiauia in potestatẽ Zemouiti redacta 343
Cuiauiensis ac Dobrinensis nobilitas in præsidia distributa 396
Cuiauiensium ducum propago 326
Cuiauiensibus ac Dobrinensib. immunitas promissa 431
Culma arx 196 urbs 564 prodita Cruciferis, siue Sumbergio 523
Culmensis episcopa Gnesnensi subdita 573 in pristinũ gradum restituta 573 quando condita 47
Culmensis episcopæ bona quæ 190
Culmensis episcopus cui subiectus 264
Culmensis episcopi cũ Plocensi transactio 237
Culmensis palatini in Prussia eminentia 576
Culmensis regio uastata 215. 219.245.287.297
Culmeniza riuus 191
Cumani qui 186
Cuni, q & Cumani Polouuci 93
Cunigundis uxor Boleslai 204
curatores principis 172
Curetnicum oppidum 384
cursus publici, siue subuectiones 64
Cypri regis legatio ad Vuladislaum Poloniæ regem 444

D 8

DAci, qui & Valachi Dacia 10 quæ & Dania 23 quãdo & à quo subacta 313 312
Daciæ descriptio
dæmones caliginosi aeris incolæ 389
Dalenburgum 35
Dalmatiam Veneti Vngaris eripuere 403
Dambrouuca Boema Miezislai uxor 46
Dambrouuca mortua 49
Dambrouinũ, quod & Gilgenburgum dictum, direptũ & incensum 385
Donaster fl. 18
Daniæ descriptio 125
Danicum fœdus 412
Daniel rex Russorum 232
Dantiscum oppidum, quod & Gdanum 26
Danubius fl. 18
Dauid Turca profugus 495
decima decimarum regi Polon. à Pontifice donata 309 negata regi 654
decimæ episcopis attributæ 47
decimarum conuectio & uendi tio 309
de Decimarum iure controuersia 314
de Decimis Michalouiensibus transactio 281 item Pomeranicis 288
decretum iniquũ de tributo ecclesiasticis impositio retractatum 518
delatorum exitus qui 205
Demetrius Coributhus Nouogrodensium Seuerianorum dux. 354 eius fideiussores qui & quot ibid.
Deporta siue Daporta mala 178
Dersauia uexata 275 capta 276 incensa 448
Derslaus Rhithuianus homo factiosus 454 Sendomirensis Palatinus 562 Zatoriam intercipit 461
Derslai pocillatoris luculẽtum facinus 120
Deruancia fl. 62.384
Deruaza fl. 289

derzanzina pagus 252
diadema regiũ à Pontifice max. petitum 51
Diana, Ieſſa à Slauis uocata 44
dimiſsionis, ſiue diuiſionis Apoſtolorum dies feſtus apud Polonos 390
diſciplina militaris neglecta apud Polon. 517
diſsidia inter fratres 218
dlubna fl. 191
dlubnia fl. 31
Dlugloſsi domus direpta 535
dlugloſsi error 61.160.162.181. 185.189.202.235.361.519.
dlugoſeldus pagus 233
dobeslaus Oleſnicius 373.388
dobeslaus Puchala 400
dobrinenſes fuſi à Cruciferis. 522 uectigales crucigerorum 533
Dobrinum uaſtatum 268 à Pruſsis incenſum 256 uexatum à Lituanis 282 deditum 287 uenditum 288 oppigneratum 365 captum & incenſum 377
Dobrino rex Vuladislaus potitur 285
Dobrogneua regina 74
Dobrogoſtius archiepiſcopus Gneſnenſis 357. idem etiam Bonauentura dictus 372
dobrogoſtius Nouiduorius epiſcopus electus reijcitur 335
dobrogoſtius Palatinus Poſnanienſis occiſus 193
dobrouunicos arx 365
dolſcum opp. 345
dolus dolo recompẽſatus. 194. 229. & inde
domaratus, profligatus à Suidua 340
domarati odium 339
dominatus diuiſio inter fratres 282
Dominicus Calaguritanus, Prædicatorum ſectæ princeps. 188
donaiecius fl. 51
donaria ex manubijs Deo dicata 58
dopiſice & Mislouice oppida. 524
Dragomira impia regina 47
drahiminum arx recuperata à Polonis 375
Drahiminũ arx à Pomeranis occupata 575
drahimum captum & receptum 420
drauus fl. 266.627
dreſſiani populi 49
drenum arx 95.235.240
drenum refectum, & à Saxonib. interceptum 238
drenum arx regi dedita 371
drenum, ſiue Dreſna arx à Caſſubijs intercepta 221
dreni comes dedit ſe regi Pol. 317
Drohicinum oppidum 212 obſeſſum & incenſum 346
drohicinenſis ora Lituanis adempta à Maſſouijs 468
drohicinenſis tractus Maſouio datus 360
dunaiouia oppid. 610
Dunini uafrum conſilium. 544
dupinum arx conditur 245
Dux de monte non ſuſceptus à rege in clientelam 417
duces duodecim ſeu Palatini à Polonis creantur 26

E

Eberhardus generalis magiſter Cruciferorum 420
eccleſiaſtica immunitas 356.430
eccleſiaſtica ſupellex conflata à Cruciferis 513
eccleſiaſtica bona uexata 334. 524
eccleſiaſtica bona, per uim alienata, reſtituta 354
eccleſiaſtica uaſa conflata à Polonis 516
eccleſiaſticæ opes à Barbaris direptæ 162
eccleſiaſticus ordo regi ſubſidium denegat 330
eccleſiaſtici ordinis cum equeſtri controuerſia 312
eccleſiaſtici ordinis immunitas 65.199.189.309.326
eccleſiaſtici ordinis prærogatiuę regio decreto confirmatæ 667
eccleſiaſtici commeatus ſeu ſtationes regi denegatæ 355
educationis bonę utilitas 679
educationis diuerſę diuerſi fructus 47
Eginhartus, rerũ geſtarũ Caroli magni ſcriptor 34
elbinga caſtrum 196.214
Elbingenſes cum Polonis Sambiam populari 537
Elbingenſium ſtudium erga Polonos 391
electionum ſublatarũ culpa penes Pontifices max. 548
Elizabetha imperatrix mortua. 474
Elizabetha regina in Poloniam remigrat 328 eius leuitas & ſtultitia 329
Elizabetha regina interfecta 351. eius q; facinus 338
Elizabetha prima Sigiſm. Aug. uxor 686
Elizabetha regina filiam ſuam Mathiæ nuptui dare recuſat. 613
Elizabetha Vuladislai regis filia, Carolo regi Vngarorũ nubit 282 De eadem 322.
Elizabethę reginæ mors & pietas 666
Elizabethæ reginę oratores. 338
Elizabetæ ſenioris reginę mors. 333
Elizabethę reginæ Polon. mors omnibus grata 414
Elizabethæ reginæ ſtudium erga Ioannem Albertum, regni Polon. candidatum 642
Elizabethæ reginæ adminiſtratio regni commiſſa 324
Elizabetha uidua, Cazimiri ſoror 619
Elsberga opp. 567
Emanuel ambit occidentale imperium 154
Emanuel Cõſtantinop. imper. captus & mortuus 158
Emericus rex Vngar. 177
Emericus ſanctus, Stephani Vngariæ regis filius 59
Enilias Maſſouiorum dux. 442
enla fl. 368
Ennij poetæ ſententia 691
Entius Friderici imperatoris filius captus 218
epiſcopæ & baſilicæ primæ in Polonia 47
epiſcopę in Ruſsia, quę & quãdo inſtitutę 330
Epiſcopalia bona occupata à profanis 535
Epiſcopus armatus ſeditioſis Boemis reſtitit 437
Epiſcopus & ſacerdotes ex ſua diœceſi eiecti 253
Epiſcopi garruli & contentioſi ſupplicium 335
Epiſcopi ducib. antepoſiti. 488
Epiſcopi Itali in Polonia 48
Epiſcopi non dominatores, ſed diſpenſatores ſe eſſe meminerint 189
Epiſcopi olim loco numinum habiti 548
Epiſcopi Polon. refragati, ne rex Vuladislaus Boemorũ ſeditioſorum auxilijs uteretur. 447
Epiſcopi Pruſsici iurant in uerba regis Pol. & cultum Crucigerorum abijciunt 508
Epiſcopi olim quales 547
Epiſcoporum electiones liberę 547

Episcoporum & Masouiorũ ducũ de loco controuersia. 456
Episcoporum dignitas & autoritas 547
Episcoporum mortes 627
Episcoporum munificentia in bellum Prussicum 528
Episcoporum nuncupãdorum ius sacris collegijs ereptũ. 548
Episcoporum subditi immunes à uectigalib. 326
equini lactis usus apud Tartaros 631
equorũ cursus de principatu. 32
equorum lues 447
Erasmus Ciolcus episcopus Plocensis 306. 671
Erasmus Stella 61
eremitæ martyres sex 59
Ericus Scecinensium dux 534
Erici Pomerani perfidia 545
Ermanaricus, quo tempore uixerit 10
Eruli à Lõgobardis deuicti tempore Iustiniani 23
eucharistia uase argẽteo in templo recondita rapitur 612
Eugenius tertius Põt. max. 144
Eugenij & oratores Basilij concilij ad Cæs. & Polonos. 464.
Eustachius Sprouius 537
Eutropius 9

EXEMPLA,

Ab ecclesijs, templis & sacris rebus abstinendi 225
Ambitiosi hominis 193
Amoris fraterni 187 parentum in filios ibid.
Animi moderationis 228
Beneficentiæ 187
Beneficij male remunerati. 190
Beneficij immemoris, & ingrati in fratrem animi 189.
Calũnię punitæ 205. 187
Constantiæ in muliere 210
Continentiæ 203 uiri mortem fortiter ferentis ibid.
Continẽtiæ perpetuæ uouendæ 204
Contumaciæ cohercitę 267
Crudelitatis 200. 262. 275
Crudelitatis punitæ 277
Defectionis punitæ 241
Dolositatis punitę 194
Elationis punitæ 186
Fortitudinis in monacha. 287
Fortunæ uariantis 198
Iniurię punitæ 204
Iniustitiæ punitæ 204
Legum malarum abroganda rum 201
Pacis amplectendæ 187. 192
Pastoris timidi, Conradi scelus punire non ausi 205
Patientię 3
Perfidiæ punitę 284
Pietatis 228
Pietatis in mortuum 205
Pietatis in patriam communem, coniuges & liberos 207
Principis boni & seduli 187. 201. 228
Quietis amplectendę 188
Religionis 228
Religionis amplificandæ in Polonis 188
Religionis propagãdę. ibid. 189
Sanctimoniæ 188
Sobrietatis 228
Vindictæ diuinæ 231
Vxoris piæ, & uirum liberantis, & pacem componentis. 197
Exercitus ducendi ratio 234. & inde
expeditio tributo redempta. 561
expeditionum publicarum incommoda 564
exules Poloniam repetunt 98
Exigeres Tartarus Cazimiro regi Polon. amicus 514

F

Facere audientiam 172
fames in Polonia 149. 189. 211. 250. 278. 280. 315. 468 in exercitu Vuladislai regis 477
famelicum bellum 408
Fedco dux captus 457
fœminis captiuis honor habitus à Polonis 448
Ferdinandus Cæsar & rex 246. eiusdem liberi 678
fides publica negata Lituanis. 495
Fiedusco dux 438
fines reguntur inter Prussiam & Samagitiam 421
Firnauia opp. 590
Firstesteinum 613
flagellantium sese secta 307
Florentinæ ciuitatis tumultus. 628
Florentinum concilium 474
Florentini diris deuouentur à Sixto pontifice max. 628
Florentini Robertum Cæsarem mercede conducunt 371
Florianus episcopus Cracouiensis 317
diui Floriani reliquiæ Cracouiã deductæ & reconditæ 169
Fogelsang castellum 196
fortitudo & magnitudo animi Sigism. regis 691
fortuna sæpe paginã uertit. 502
fortuna uaria & anceps in bellis 63
fortunæ priscinæ memoria 55
Franckesteinum à Boemo rege emptum 283 duci Suidniciensium donatum 262
Franci, Galli appellati 10
Franci Gallias sibi armis uendicant 3
Franci orientales Austrasiam & Bauariam sibi uendicant 28
Franciscus Sforcia dux Mediolanens. 686
Franciscani sodales quando in Poloniã acciti 205 interdictum contemnunt 255
Francisci Irenici error 11
Frãcofordia ad Odrã fl. 286. 432
fratrum dissensio 356
Fraumberga ab obsidione Cruciferorum liberata 543
Fricius cæsus 544
Fricius Raunechius Austrius. 543
Fridelandia incensa 564 recepta 537
Fridelandenses præsidiũ regium trucidant 538
Fridelandenses sese dedunt. 570
Fridericus Austriæ dux occisus. 218
Fridericus Barbarossa Cæsar. 146
Fridericus Cęsar 218. 280
Fridericus Cæsar & regnum & administrationem Boemiæ recusat 471
Friderici imperatoris cum Mathia rege dissidium 589 expeditio in Polonos 147
Friderici imperatoris legatio ad Cazimirum 589
Friderici imperatoris mors 218. 644
Friderico imperatori abrogatũ in concilio imperium 218
Fridericus cardinalis Archiepiscopus, & episcopus Cracouiensis 643 gubernator Polonię 66
Friderici Cardinalis mors, & mores 66
Fridericus magister Cruciferorum detrectat iusiurandum. 655. 662
Fridericus episcopus Cracouiẽsis 637
Fridericus filius Cazimiro natus 581
Fridericus Marchio Brandeburẽ genes. gener Vuladislai regis Polon. 416. 417 fauet Cruciferis 516 eiusdem legationes ad regẽ Cazimirũ. 507
Fridericus Marchio Brãdeburg. malę fidei accusatus 517

Friderici Marchionis ingentia promissa 417
Fridericus secundus Cæsar 177. in Syriam proficiscitur 167. Hierosolymorum rex. ibidē. 196
Fridericus tertius Cæsar 470. bello perduelles suos persequitur 620 eiusdem arbitrium inter Prussos & Cruciferos 504 legatio ad Cazimirum 492. 620
Fridericus obsessus in Noua ciuitate 560 à Viennensibus. 546 obsidione liberatus à Georgio 527 bis Romę coronatus 500
Fulco episcopus Cracouiensis. 170 qui & Pelca 173 eiusdem consilium 171 studium 173.225
fulminis impetus in comitatum regium 412
funerū ritus apud Lituanos. 353
Funtzol sublatum 509

G

Gabriel monachus, legatus pontificius, belli incensor. 626
Gabriel, qui & Basilius, Moscho rum dominatum inuasit. 668
Galata 481
Galatiæ regnum cur sibi uindicent Vngari 186
Galeatius dux Mediolanensiū, totam fermè Italiam ad arma concitat 371
Gallus anonymos rerum Polonicarum scriptor 67
Galli à Craco profligati 28
Galli regno Neapolitano & Mediolani dominatu potiti. 654
Gallorum cum Anglis, & Venetorum cum Pisanis belli origo 167
Gallorum origo 2
Gansaua uilla 193
garruli & cōtētiosi suppliciū 335
Gastoudus 495.520
Gastoudi potentia & autoritas. 486
Gaudentius, qui & Razinus, archiepiscopus: & corpora quinque eremitarum Gaudentij à Boemis asportata 71
Gdanum à Sigismundo pacatū. 690 expugnatum 239 in pignus datū marchioni Brandeburgensi 239.272
Gdanum occupatū 266 proditum Cruciferis 275.561
Gdani seditio 618
Gdanensis parœci fraus 394
Gdanenses ad partes Crucifero rum sese rursus inclinant 395
Gdanenses cur de doctore non iudicarint 561. & inde
Gdanenses incommodo affecti à Sumbergio 533
Gdanenses insimulati cogitatæ defectionis 583
Gdanenses quid regi debeāt. 80
Gdanēses Sambiā uastarunt. 543
Gdanenses seditiosi puniti. 694
Gdanensium & regis mutuæ donationes 522.584
Gdanensiū reditus publici. 509
Gdanensium seditio ab Vlrico Ceruonca sedata 520
Gdanensium studium in Polonos & regem 516.583
Geberichus rex Gothorum 10
Gedeminus magnus dux Lituanorum 286
Gediminus quis, & quot eius filij 349
Gedeon episcopus Plocēsis. 190
Gedeonis episcopi oratio liberior ad principem 155.156
Geisa rex Vngarorum Austrios uicit, subegitq; 139
Geluca Grœcus proditor 500
Gembice oppidum direptū. 344
gentium mutationes & migrationes 3
gentium origines obscurę, & antiquitatem affectantes 2
Georgius Boemi rex profligatus 546
Georgius Bulzim 445
Georgius dux Belzensium 316. dux Russorū, regi sese & Belzum dedidit 330
Georgius Podiebradius dominatum apud Boemos sibi uendicat 471 Boemię gubernator 487 rex Boem. 821
Georgius Radiuilus 684
Georgius rex Boem. inuisus Morauis, Silesijs & Lusacijs 527
Georgius rex hæreseos damnatus, regno priuatur 575
Georgij Boem. filij, duces facti. 547
Georgij regis ad Cazimirum legatio 526.577.581.585
Georgij regis inconstantia 592. mors ibid.
Georgij regis res meliores 590
Gerardus Slouenius uiuus captus 327
Gerlicia oppid. 221
Germanię motus uarij 120.177. 218
Germani incolæ Poloniæ 311. diligentiores patresfamiliâs, quàm Poloni ibidem.
Germani olim humanis hostijs deos placarunt 295
Germanorū contumacia prętextu libertatis Euāgelicæ. 690
Germanorum origo 2 phalanges & cataphracti 292
Germanicæ linguæ usus apud Boemos & Polonos 12 in Prussia 61
Germanici scriptores 66
Germanicum bellum 111
Gilauia dedita Cruciferis 523
gladij missi regi Vuladislao à magistro Cruciferorum 386
gladium distringendi mos apud Polonos, dum Euangelium recitatur 51
Glebus & Borislus indigetum numero ascripti 57
Gliuisçij uirtus 676
Gliuiscenses & Ribnicenses duces capti, & mulctati à Mathia 613
Glogouia oppugnata, & fortiter defensa 112
Glogouia in Boemorū potestatem redacta 283
Glogouiæ obsidio soluta 114
Glogouiense collegium 267
Glogouiensis dominatus diuisio 278
Glogouiensis & Opauiensis dominatus, & suprema præfectura Silesiæ 679
Glogouiensis, Opauiēsis & Carnouiensis dominatus in Silesia Ioanni Alberto concessi à fratre 640
Gloruna flumen 141
Gnasdus nidus Polonis 26
Gnescouia arx incensa 296
Gnesna obsessa 198. incensa. 291
Gnesnæ domus sacerdotum direptæ 345
Gnesnens. archiepiscopus Poloniç primas 410
Gnesnensium ecclesiarum immunitas 199
Gneua arx condita 250
Gneuomirus dux fuste comminuto capite interfectus 111
Gneuomirus Zarnicoui dominus Christianus factus 108
Gneuosius delator 357 idē ignominia notatus ibid.
Gneuosij Dauelicij opes 352
Gnesnum, quę & Gnesna oppidum 26
Gneuum, à Germanis Meua appellatur 513
Gneuum obsessum 561
Gneuum per deditionem receptum à Polonis 564
Gneui Dersauiçę deditio 513
Gneuucouia arx incensa 327

Gneuncouiẽſis conuentus cum Cruciferis 374
γνώμη 179
Goltiberga caſtrum 188
Goltibergia Vuratislauienſibus adempta 284
Golubum opp. 219.557.& arces duæ 418
Golubum proditum Cruciferis. 533 receptum 545
Goplus lacus 36.100
Goſcicouus pagus 205
Goſtinium Cazimiro ſurreptũ. 255 oppugnatum 269
Goſclouia familia 182
Goti qui 186
Gothi & Scytæ in Sarmatia 19
Goti, qui & Cuni, ſiue Cumani. 79
Gouorcus Chrobranius 455
Gouoricius Rauitanus Palat. captus 173
Gouoricius ægrè relegatus à Senatu 181
Gouoricij fuga 175
Grabouecia munitio 330
Gradiſcum opp. 590
graduum preces quibus utitur Cracouienſis diœceſis 77
Græci ad concilium Baſileenſe ueniunt 464
Græci cum Latinis coniuncti. 232
Græcis olim lingua latina familiaris 12
gratia aſſentationibus parta ſtabilis eſſe nequit 452
grauitatis, conſtantiæ & ſapientiæ opinio, feroces animos in officio continet 679
Grebouia opp. 489
gregarij militis prçclarum facinus 133
Gregorij archiepiſc. Leopolienſis mors 613
Gregorius magnus quo tempore Romanæ eccleſiæ præfuerit 7
Gregorius quintus põtifex maximus, qui & Bruno 53
Gregorius undecimus Auinione Romam remigrat 319
Gregorius duodecimus pſeudopontifex max. 371
Gregorius Sanocius archiepiſc. Leopolienſ. 494
Greifenſteinum oppidum à Polonis alienatum 239
Griffina Leſci Nigri uxor 243
Grimalij & Nalencij familiç, capitali odio diſſentientes, reconciliati 354
Grimislaua Boleslai mater 200. Leſci uxor 187
Grodecũ arx 81 oppidum. 452
Grodlum arx 337 munitio 430
Grodli oppidi ſitus 438
Grodnum obſeſſum 358. idem captum ibid.
Grotcouia opp. 267
Grothus Nouomœſcius 541
Grothus pocillatorem Pol. ſonat 546
Grotus Slupecius, & Ioãnes Rogala, inſignes latrones 271
Grudentum caſtrum 190
Grudentum, ſiue Gruzanzum opp. 289
Grudenti comitia Pruſſorũ. 508
Gryphina Leſci Nigri uxor. 260
Gualtho epiſcopus Beluacenſis, ſummi põtificis legatus, duos epiſcopos Polonos eiecit ſedibus 106
gubernatores Poloniæ 468
Guelfi & Gibellini factioſi homines in Italia, unde originem ſumpſerint 218
Guida fl. 192
Guillelmus Siciliæ & Richardus reges in Syriam proficiſcuntur 167
Guntherus epiſcopus Plocenſis. 195
Guteſtadia opp. 567

H

Habdancorum familiæ origo. 114
Habo lacus Cruciferorum clade nobilis 562
hęres è ſemiſſe 165
Hagecus diſſentit ab Aenea Syluio 55 Syluij ſimia 78
Hageci error 28.56.60.80.97. 731
Hainouia Vuratislauienſibus adempta 284
Halicia obſeſſa à Volodomiro. 166
Halicia Vngari exciderunt 186
Haliciæ ſitus 133
apud Haliciam clades accepta, proceres terret 163
Halicienſe bellum 163
Halicienſis archiepiſcopa Leopolim translata 331.402
Halicienſis arx Valacho conceſſa ad tempus 460
Halicienſis principatus Romano duci conceſſus 175
Hamerſteinenſes ſeſe dediderũt. 570
Hanco proditor, uiuus captus & exuſtus 98
Hãnſelicus & Maximilianus Cęſar uicti ab Vuladislao 641
Hebræi, qui & Iſraelitæ 3
Hebræorum origo 2
apud Hebræos ut antiquiſsima, ita certiſsima hiſtoria 2
Heduigis Cazimiri filia, Georgio Bauarorum duci nupta. 617
Heduigis regina Ludouici filia. 677 regina religioſiſsima. 369
Heduigis regina in monaſteriũ ſeceſsit 298
Heduigis regina in Poloniam profecta 348 coronatur. ibidem, eius mores & forma. ibidem
Heduigis regina quas arces in mariti abſentia in ſuã poteſtatem redegerit 359
Heduigis Vuladislai regis filia mortua 442
Heduigis mira fortitudo & conſtantia 210
Heduigis religioſa mulier futuram prçuidit filij mortem. 188
Heduigis reginæ alienus animus à nuptijs Iagellonis. 352
Heduigis reginæ amor erga Vlelmum Auſtriæ ducem 352
Heduigis reginæ pietas 355 munificentia 356 mors 312.213. in diuos relatio ibid. 368
Heduigis reginæ uaticinium in Cruciferos 367
Helena, Cazimiri mariti merita in Rempub. memorat 177
Helena Leſci pueri mater, Miezislai ſenis oratione flectitur. 176.177 eadem iterũ à Miezislao incantata & decepta. 178
Helena pro filijs ſollicita 177
Helena Moſcha Alexandri ducis Lituani uxor 655
Helenæ regis uxor non coronata, & cur 660
Helias palatinus Valachiæ, iurat in uerba regis Leopoli 459
Heliæ palatini conditio 450. 458 3
Hellenes, qui & Græci 320
Heluetiorum incrementa 320
Henricus archiepiſcopus Gneſnenſis 176 eiuſdem prçlara facta 189
Henricus barbatus 178 cur dictus 204 à Conrado captus 197 à Peregrino Veiſemburgio ſeruatus 194
Henricus Barbatus contra Leſcum quorundã factione concitatur 192
Henricus barbatus diuidit principatum inter filios 187
Henrici Barbati expeditio contra Tartaros 208 in mi-

norem Poloniam 200 in maiorem 203 eius mors. ibidem
Henricus Bauarorum dux, imperator creatus 53
Henrici Boleslai Calui filij fortitudo & uires 244
Henricus Camenecius ac Derslaus Glouinius occisi 644
Henricus dux ad militiam Hierosolymitanam profectus. 145
Henricus dux interfectus 152
Henricus episcopus Vuladislauiensis iurat in uerba regis. 364
Henricus filius, Conradi successor in imperio 72
Henrici filij qui, & quot 278
Henricus impe. Romanus 42. 177 ueneno sublatus 280
Henricus Kerlicius 168
Henricus Legnicienſis Vuratislauia potitus 260
Henricus à Boleslao uictus & mortuus 278
Henrici magistri Cruciferorum suspecta fides 618
Henricus Masouius hypodiaconus, ducta uxore, ueneno sublatus 361
Henrici mors 260
Henricus Pius dux Sileſiæ à Tartaris interfectus 218.209. eius filij qui ibidem
Henricus Plauenius magister Cruciferorum creatus 395. 588 Marieburgum prȩsidio firmat 390 idem magistratu amotus, & in carcerem cõiectus 406
Hẽricus Probus nomine, & non re 247 diris deuotus 251. ad dolos factus 252 eiusdẽ dolus 248 in episcopi & ecclesiæ bona usurpanda temeritas 252. & inde
Henrici Probi ira quomodo mitigata 251. & inde
Henricus quartus & quintus, & Rodolphus, Cæsares 107
Henricus quartus dux Vuratislauiensis, captus à patruo. 244
Henrici quinti imperat. expeditio in Vngariam 109 arrogantia 113
Henricus septimus Cæsar 271
Hẽricus Saxo dominatu pulsus. 159
Henrici Stolpensium ducis perfidia 571
Henricus Vuratislauiensis, 282 Cracouia potitus 258 eiusdem testamentum 260. mors 236.263
Henricus Zeganensis mortuus. 284
hercinius saltus 61 Boemiam terminat 107
Hermannus comes Ciliæ 380
hermannus Contractus 67
Hermãnus de Salza primus magister Cruciferorum in Prussia 195
Hermanni Elbingensis cõmendatoris mira superbia 291
Hermanni magistri Liuonienſis callidum consilium 394
Hermunduli, qui & Hermunduri 8
Hernesti marchionis Misnens. ad Cazimirum regem Polon. legatio 610
Hieronymus Cretensis legatus pontificius 546 eiusdem subdolum ingenium. 567
Hierosolyma capta 59 à Saracenis 167
Hincia Rogouius 369
Hispanorum origo 2
historia, certa complecti debet. 61
Hoensteinum, Morangum, Prȩismarcum, & Zirgonum, oppida in deditionem accepta. 590
Hollandia ciuitas Cruciferis dedita 562
hollandiæ ciuium infidelitas. 562
Holophagus à Craco interemptus 29
Hollatię comites 67
Holsteinum magnum oppid. interceptum 564
Homia & Starodubum arces à Polonis captę 684
hominum ingenium ad honores insatiabile 191
Hornatus Banus Croatię, & eius facta 318
Hornisberg arx 283
Hospitalariorum ordo, à quo & quando institutus 189
Huniades gubernator Vngariȩ. 490 ab Iscra uictus 496. captus à Despote Rasciæ. 491
Huniades & Iscra Polonorum opera reconciliati 491
Huniadis & Capistrani mors.
Hunor 2
Hunnorum origo ibid.
Hus, anserem Boemis sonat. 379
Ioannis Husi fauor apud Boemos, ex edicto pontificio. 380
hyberni cœli clementia 500
Hydruntum captum 634 receptum ibid.
hyems aspera 48.467.646. calida 405

I

Iacicus, siue Iacinctus monachus, sanctimonia clarus. 229 in diuos relatus. 188
Iacobus archiepiscopus Gnesnenſis principem diris deuouet 140
Iacobus Corskeuius episcopus Plocensis 361
Iacobus Dembenius cõpiarum regarum dux 533
Iacobus Leodiensis archidiaconus, legatus pontificius. 220
Iacobus Schadecus iurisconsultus 559
Iacobus Sencignouius 680
Iacobus Sennenius orator ad pontificem 531
Iacobus Suinca episcopus non per electionem 253
Iacobus Zuder 473
Iacubouius & Zulicius, illustres Poloni interfecti 389
Iafnutus captus à fratre 349
Iagello princeps 349 baptizatus, Vuladislai nomen accepit 353
Iagello, uide Vuladislaus
Iagello credulus & candidus. 677
Iagello bellum infert Plocensibus 350
Iagellonis aduentus Cracouiã. 352 cum Vitoudo reconciliatur ibid.
Iagellonis fideiussores & obsides 353
Iagellonis filij 678 fœdus cõtra Keistutum 350
Iagellonis legatio ad Polonos. 351 studium in propaganda religione 677 liberalitas, siue prodigalitas. 453
Iagellonum uetus stirps 677
Ianislaus archiepiscopus Gnesnenſis 272
Ianizeri qui 566
Ianus, qui & Noa 2 & Iuanus 3
Iarmericus Syuardi filius 26
Iaromirus dux à fratre excæcatus 54

Iaropelci principis concio ad Russos suos 129
Iaroslauia arx 359
Iaroslaus cæcus abdicauit se archiepiscopa 324
Iaroslaus episcopus Gnesnensis 302
Iaroslaus bellum innouans, iterum superatur 57
Iaroslaus non ritè factus archiepiscopus 325 eiusdem magnus animus 325. mors. ibid.
Iaroslaus Prussorum dux 62. eiusdem cõcio ad milites. 58. ad Polonos confugit cum uxore & liberis 122 interfectus 124
Iaroslai Halicienſium ducis fuga ad Polonos 132
Iascus Cmita Siradienſis præfectus 327. & præfectus Cracouienſis, interfectus 329
Iassenessum arx capta & incensa 448
Iauanus 2. qui & Noa 3
Iauoria duci Suidniciẽsium donata 262
Iaxa Gryphius 146
Iazuingi & Slomenses populi. 75
Iazyges, siue Iasmingi qui nam fuerint 212
Iazyges metanastæ ibid.
Iazygum excursio in Poloniam. 216
Iazygũ primus episcopus quando datus 234
Iazygum reliquiæ ad religionem Christianã conuersę 234
Iazyges ad internecionem propè deleti 234
Iazygum reliquiæ deletæ 249
de Iazygibus insignis uictoria. ibid.
Iberorum origo 2
ieiunium quadragesimale temeratum 96
ieiunij quadragesimalis relaxatio 220
Ielitorum familia 295
Iglauia obsessa à Georgio Boemorum rege 527
Igorus, qui & Gregorius 79
Ilopum oppugnatum 332
Imaus mons 186
imperium occidẽtis quandiu uacarit 34
imperij diademata 53
imperij Romani electores, quãdo, & à quo designati ibid.
Ina fl. 266
Inanus dux, qui & Ioannes 610
Inauguratio solennis 643
incendiarij conducti à Crucigeris 441
inducię 345.579.586.660.6[illegible]. cum Cruciferis 410.378.417. 408.449 cum Ladislai posthumi factione 478 cum rege Oppolienſi 498 cum Silesijs 360 cum Stephano Valacho 648 cum Suitrigellone 441 cum Vngaris. 167.618
inducię damnosę 439
inducię decem annorum grauibus conditionib. Amurathi concessę 478 decem dierũ. 382 duodecim annorum. 450 menstruæ 400 uiginti mensium 526 Lituanorum cum Moschis 632
inducię prorogatæ 457
inducię quadrimestres Polonorum cum Alberto Cæsare. 464
inducię cum Turcis 644 quinquennes 657 firmatę. 661
inducię uiolatæ 528
iniusti hominis supplicium. 245
Innocentius papa 635 tertius. 177 septimus, pseudopontifex max. 371
Inouuladislauia obsessa 230. dedita 296
insula minor 509
inuidia grauari solere, qui apud reges & monarchas autoritate ualent 645
inuidia in aulis principum regnat 190
inuidia quæ mala faciat 243
inundatio ingens ex perpetuis biennio imbribus, in Polonia 189
inundatio 224.616.122.238
Ioanna regina Neapolitana scelesta & libidinosa 305
Ioannæ reginę concessum regnum Neapolitanum 306
Ioannes Albertus filius Cazimiro natus 531 claresçit 638. rex Poloniæ creatus 643. 678
Ioan. Albertus imperij propagandi percupidus 646. Veneris satelles 651
Ioannis Alberti cõsilium. 647. fortitudo & fuga 640 ingenium 643.642 mors, mores, & ingenium 657. expeditio in Vngariam 639. periculum nocturnum 6[illegible]
Ioannis Alberti tyrannicum dictum ac consilium 646
Ioannes archiepiscopus Gnesnenſis 325
Ioannes Amor Tarnouius. 537
Ioannes Bassenus gubernator Pruss. 509 685
Ioan. Boratinius
Ioannes Bresius de proditione suspectus 526.534 400
Ioannes Broglouius
Ioannes Capistranus, Franciscanus, uir sanctus, in Poloniam uenit 504
Ioannes cęcus, rex Boemorum. 304
Ioan. Choinius episcopus Cracouienſis 114
Ioannes Colda Boemus 814. eiusdem stratagema 515
Ioannes Conarius Cracouienſis episcopus 661
Ioan. Cropidlo episcopus Vuladislauienſis 346 archiepiscopa excluſus 357 captus. ibidem 534.
Ioannes Cruscinius 505
Ioannes Curopatſa.
Ioannes Dantiscus episcopus. 680
Ioannes Dlugossus 3 regiorum liberorum præceptor. 582 historicus, & archiepiscopus Leopolienſis designatus, fatis concesit 633
Ioannes Dlugloſſus sacerdotiorum suorum fructibus spoliatus 633 uariam uolucremq; fortunam expertus. ibid.
Ioãnes Dreuicius scriba regius. 621
Ioannes Dubrauius historicus. 291 idem reprehensus. 296
Ioannes quidam dux, Danielis filius 15
Ioannes dux Kiouienſis 362
Ioannes episcopus Cracouienſis captus 280
Ioannes & Cauuca Sueborouij, & Georgius Stossus, latrocinantur in Polonia 517
Ioannes & Paulus martyres. 39
Ioannes Falchenbergius sodalis Dominicanus, ob satyram à se editam in carcerem conjectus 410
Ioannes Gamratus 457
Ioannes Gels 496
Ioannes Goslubius legatus missus ad summum pontificem. 625
Ioannes Grotus episcopus Cracouienſis 287.306
Ioan. Gruscinius episcopus Cracouienſ. 547
Ioan-

Ioannes Gryphius ignominia notatus 191
Ioannis Huniadis genus, & res gestæ 471
Ioannes Hus, & Hieronymus Pragensis Pontificios abusus detegũt 379. ijdẽ exusti. 407
Ioannes, qui & Ianusius, Masouiorum dux, obijt 644
Ioannes Iscra 470
Ioannes Lascius Zincouiensis. 501 cancellarius Polon. 661
Ioannes Leuinus Vilcinius magnæ stragis autor 449
Iodocus Marchio Morauiæ infensus Vuladislao regi 381
Ioannes Masouiorũ dux captus à Cruciferis 374 ad regnũ Polonicum aspirat 642
Ioannes Melstinius moderator regis 298 mandatorum regiorum contemptor 535
Ioannes Moschorum dux, amicitiam & societatem iungit cum rege Polonorum 653
Ioannis Moschorum ducis res gestæ 631 mors, & res gestæ 668
Ioannes Muscala episcopus Cracouiensis 265
Ioannes Obychouius 369
Ioã. Ocesius orator ad Solimanum Turcarum imper. 681
Ioannes Odrouansus archiepiscopus Leopoliensis 460
Ioannes Olesnicius præfectus Lituaniæ 350
Ioannes Ostrouicius 369. eiusdẽ egregium facinus 397
Ioannes Penansçus archidiaconus Gnesnensis, adulterij & homicidij reus 565 idem sacerdotio priuatus ibidẽ. latrocinatus à patre capitur. 566
Ioannes Plauenius à Melzaco repulsus 566
Ioannes Polacus 636
Ioannis Poloni fortitudo 210
Ioannes rex Boemorum 271. 281 diris deuotus 283 eiusdem uafrum ingenium. 284 uanitas 288
Ioan. Rituianius dux copiarum Polonicarum 611
Ioannes Radlicius medicus, episcopus Cracouiensis. 335 eius mores & mors ibidem
Ioannes Rostouius præfectus Corcinensis captus 577
Ioannes Saffranecius episcopus Vuladislauiensis 424
Ioannes Scalius Boemus cruciferos uexat 564
Ioannes Sirassus ob insimulatam reginam stupri in carcerem coniectus 425
Ioannes Smiritius magnæ auctoritatis uir 374
Ioannes Scecocinius Odrouanzus 381 præfectus Lublinẽsis 508
Ioannes Scicius 397
Ioannes Sennenius 534
Ioannes Sprouius Archiepisc. Gnesnens. electus 501
Ioannes Strassus 455
Ioan. Suirzouius 684
Ioan. Tarnouius 40 comes 682 palatin. Cracouiensis. 425. 480 eiusdem autoritas 415 Oratio 428
Ioannes Tencinius castellanus Cracouiẽsis 562. & palatinus. 492 captus à Valachis. 649
Ioannis Tencinij oratio 342
Ioan. Tifenius magister Cruciferorum formula iuris euocatus 646
Ioannes Vapouius 660
Ioan. Varsanienſium dux mortuus 426
Ioannes Vedelius Pomeraniam infestat 333
Ioannes Vicleffus 380
Ioannes Vicesinius tertius pontifex ibid.
Ioannis Vulodici patiẽtia singularis 463
Ioannes Zabreziniuspalatinatu Trocensi spoliatus 664
Ioan. Zaiecius fauet Cazimiri filijs 586
Ioan. Zapla scholasticus Plocensis à Conrado suspensus. 205
Ioan. Zaremba 683
Ioan. Zarnicouius 431
Iobelus, qui & Tubal 2
Iocus pernicioſus 138
Ion, qui & Ianus 3
Iornandes Alanus 3
Iosephus 13
Isabella regina Vngar. 681. 686
Iscra pacis sequester inter Polonos & Cruciferos 525
Isidorus Russus Cardinal. pulsus à Rusis 500 Idem legatus ad imperat. Constantinopolitanum ibid.
Ister, qui & Danubius 6
Italia infestatur 218. multis principum disidijs uexata 196
Italię tyrãni 305. motus 638. 654
Itali sæpe I pro L proferunt 13
Iuanus 3
Iubilęus annus 654 in Polonia 496 Romæ 268
Iubilæi pecuniæ dispẽsandæratio 498. 635
Iudęi, Cracouiæ direpti & cõtrucidati 376. 563
Iudęorum bona direpta à cruce signatis militibus 655
Iudęi trucidati 307
Iudæorum domicilium Cazimiriam translatum 644
Iudæorum prærogatiua in Polonia 320
iudex iniustus punitus 355
iudices delegati inter Cazimirum & Ludouicum 323
iudicia exercenda sedulò 187
iudiciorum prauitas 241
Iudithæ reginæ clementia 64
iugerale uectigal regi decretum à minoribus Polonis 470
iugerale tributum 514
Iuliani cardinalis mors 482
Iulinum Pomeraniæ opp. expugnatur 127
Iuo episcopus quis, cui successerit 188
Iuonis episcopi in egenos beneficentia 189 eiusdem præclara facta recensentur 188
iusiurandum iniquum exactum à collegio sacerdotum 335
iurisiurandum regis 464 Polonis datum 503
iurisiurãdi barbarus mos sublatus 306
iurisiurandi dati solutio 341
iustitię & moderationis insigne exemplum 157

K

Kaidamus dux Tartarorum. 206
Kaslis dux excæcatus 41
Keistus Lituanus ter captus 314. Vilna potitus 349 in carcere necatus 350
Kelcense oppidum & collegium à Gedeone episcopo conditum 155
Kelcius Posnanienſis Palatinus. 272
Kemlicius pugnã instaurat. 446
H. Ketlicius malus consultor in exilium mittitur 168
Kilia urbs ad ostia Danubij sita. 618
Kilia & Bialogrodum urbes captæ à Turcis 635
Kinga princeps cum sorore monasticum ritum amplexa. 246
Kunigundis principis castitas, religio, mors 261
Kiouia condita 40 sedes Russici imperij 41 per deditionem accepta ac directa. 57. 58

Kiouienſis principatus in formam prouinciæ redactus. 591
Kiouienſium motus ibid.
Keſgello Samagitiæ præfectus. 406
Knes 632
Kozacus Sachmatis Tartari frater, ad comparãdas nouas copias in Scythiam mittitur. 665
Kozlerogi qui, & unde dicti. 295
Kynixberga arx 226
Kynxberga uetus & noua ad Cruciferos defecit 515

L

Labencia familia 126
Lacicus Crauarius præfectus Moraviæ 404
Ladislaus Saca fuſus, fugatusq;, & à Cæſare captus 470
Ladislaus Gara cum archiepiſcopo Strigonienſi deficit ab Vuladislao rege 470
Ladislai Garæ periculum 469
Ladislaus poſthumus Alberti Cæſaris filius 407 infans diademate redimitus ab Vngaris 484.498 rex Boemiæ deſignatus 471
Ladislaus Huniadis filius ob interfectum comitem Ciliæ capite plexus 521
Ladislaus rex Vngarorum 91. 243 ſui iuris factus 500
Ladislaus infenſus hæreticis. 521
Ladislai Vngar. & Boemiæ regis legatio ad Cazimirum Pol. 500 Item alia 508.513
Ladislai regis mors 521
Ladislai Vngarorum regis nequitia, improbitas & interitus 250
Ladislaus & Andreas reges Vngariæ 177
Ladislaus rex Neapolitanus ab Vngaris expetitus 371
Ladus, qui & Lado 44
Lamberti Saffnaburgen. error. 46.71
Lampertus Zula epiſcopus Cracouienſis 81.202
Landa reſtituta 231
Landenſe territorium 230
Landenſe & Vangroneccẽſe monaſteria Teuthonibus attributa 79
Landishuta oppid. 655
Laneus ſiue Manſus quid 280
Lanſcoron 683
Laſacia quomodo in ditione Polonorum 187
Laſconogus principatũ iniit. 181
Laſsinum fruſtra à Polonis obſeſſum 517
Laſſorinus mons 29
Latrocinia 530
lati groſsi, ſiue Pragenſes, qui dicantur 275
Laurentius Vuratislauienſis epiſcopus roſarum odore extinctus 202
Laurentius Zaremba Sileſios ultus 462
laus propria hominis, in bonis animi 688
Lechus, qui & Lachus, autor primus gentis Polonicæ 20
Lechus tyrannidem exercet in ſuos 26
Lechus Secundus fratrem Cracum interemit 30 ob necẽ fratris exulat ibid.
Lecnum oppidũ incenſum. 345
Legatio Cæſaris ad Vitoudum. 431
Legatio Cazimiri ad Mathiam regem 625 . ad Nicolaum Pontificem max. 488
legationis perpetuum munus unde natum archiepiſcopis Gneſnenſibus 189
legatus pontificius Cracouia exclusus 555
legati pontificij iniquitas ibid.
legati Apoſtolici in Boemia periculum 174
legati ſummi pontific. corrupti muneribus 411
legati pontificij ſuſpecti Polonis 532
legati terreſtres ad comitia mitti quando cœpti 582
leges malę abrogatæ 301
Legnicia ciuitas 188
legnicia arx defenſa 210
legnicienſis dominatus in cliſen telam Boemorum regis uenit 284
legnicienſes æs alienum ſui ducis ſoluunt 285
lelouia arx 217.230
Lemburgum ciuitas Stolpenſium duci donata 572
beneficiarij Lemburgi urbis nomine qui 161
Lemburgenſes redimere ſeſe uoluerunt, ne dederentur Cruciferis 514
Lencicia arx 231 incenſa & capta 263.291 Zemouito dedita 343
lenciciæ & Cracouiæ incendiũ. 541
Lenciciæ comitia habita 62. 377 turbulẽta 162.414.423. 507.541
Lenciciẽſis tractus uaſtatur. 245 263
lencouice pagus 280
Leo Ruſſorum dux 247
leones ac urſi proſtratis parcunt 392
Leopolis Cazimiro tradita & incenſa 301 à Cazimiro mucnita 208
Leopolienſes tumultus 693
Lesbos inſula à Turcis capta. 560 32
Leſcici etymon
Leſcus adoleſcens à Miezislao deceptus 164.
Leſcus, qui & Albus dictus, à colore capillorum 170
Leſcus Albus princeps creatus. 171.514
Leſcus Albus ad principatum re uocatur 184
Leſci Albi iuſtitia, & animi magnitudo 181
Leſci Bobricij uirtus & audax facinus 482
Leſcus Niger, hæres nũcupatus à Boleslao Pudico 241
Leſcus Niger infert bellum Henrico Probo, ob captos dolo tres duces 248 patrem pelit 231
Leſci Nigri inſignis uictoria. 249 mors 257
Leſcus tertius 34 eius liberi 24
Leſcus arte uictor deprehenſa fraude trucidatur 33
Leſcus Cracouia potitur 178. Gdanum occupat 266
Leſcus interfectus à Suentopelco 194
Leſcus pacis amator 187
Leſchus, Popielum filium ſibi ſucceſſorem deſignauit 35
Leſcus quo cultu potiſsimum uſus 265
leſci mors 33
leſci noui, mores be
leſci principis indoles 275 dignitas & moderatio 42. 250 pœnitentia 165 oratio ad milites 250 ſtudia in pace & in bello 33
Leſci uictoria contra Cõradum Maſouium 255
in Leſcum quorundam coniuratio 191
letaua arx 542
lezeiſcum oppid. 655
liberales dies, uulgò Carniſpriuium 513
liberalium ſiue Bacchanalium dierum ſuperſtitio 265
Liblij regum Pol. & Vng. conuentus 493
Libuſſa ſaga 20

lida arx 669
linguarum peritia 679
lituania Samagitia & pars Ruſſiæ adiuncta Poloniæ 353
lituania uexata ab Vngaris 304. à Cruciferis 314. 354. à Pruſſis & Liuonibus 356. 363. rurſus à Cruciferis 373. 379. à mercenarijs militibus 686. 587
lituaniæ diuiſio 349
lituani Caliſsienſem & Siradienſem tractum uaſtant 275
lituani Cruciferis graues 268
lituani Cuiauiã populantur 261. Dobrinum uexant 282
lituani fuſi 300. in Chelmẽſi territorio 439. imbelles facti 632. iterũ uicti in Belzenſi tractu 439. à Leſco 251. à Polonis 270
lituani Lublinenſem tractũ uaſtant 241. item Maſouiam 245. 256. 287. 300. 302. 317. 346. item Poloniam maiorem 272
lituani à Moſchis uicti 686
lituani Pruſſiam uaſtant, & tria oppida incendunt 379
lituani incõmodo affecti à Pruſſis 408
lituani religionem Chriſtianam recipiunt, & abijciunt 224
lituani, Ruſſi, atq; Valachi, à fide regis Vuladislai defecere 447
lituani à Ruſſis uicti, & uectigales facti 182
lituani Ruſſiam occupant 301. Sendomirienſem tractum uaſtant 250. 307
lituani ſupplices regi Alexãdro reiecti 665
lituani Tartaros in Ruſſiam immittunt 499
lituanorum ad Chriſtum cõuerſio 677. baptiſatio. 355. ueſtitus. ibidem
lituanorũ cladcs 359. apud Cremeneciam 440
lituanorum collegium Pragæ 369
lituanorum comitia 355. 533. cum Cruciferis 409. 410
lituanorum crudelitas 286
Lituanorum diẽ quales 353
lituanorum domandorum difficultas 286
lituanorum dubia fides erga dominos ſuos 529
lituanorum ducũ diſſenſiõ 356. eorundem propago & origo 348
lituanorum epiſcopus primus quis 224
lituanorum in lublinenſem orã excurſio 248. item in Maſouiã 224. 226. in Marchiam 287. in Poloniam 216. 225. 247. 322. 329
lituanorũ forte facinus 300. impium facinus 384
lituanorum & Tartarorũ fuga 387
lituanorum inteſtina odia 669. pacta cum Polonis 444. renouata 464
lituanorum peruicacitas aduerſus regem Pol. 502
lituanorũ Polonorumq; fœdus 286. 302. 658. 659
lituanorum promiſſa 435
lituanorũ ſuperſtitiones 353. prærogatiuæ & leges datæ à rege 405
lituanica legatio ad comitia Polonorum 658
lituanicus exercitus uarijs incõmodis affectus 376
lituanicæ hiſtorię locus emendatus 362
lituanicæ primæ parœciæ 356
lituanici motus 663
lituinouia exuſta 610
liuonia à Lituanis uaſtata 447
liuones, qui & Liuonij appellati 61
liuones ad religionem Chriſtianam adducti 184
liuones Lituaniam infeſtãt 591. pacem petunt à Cazimiro 592
liuones profligati à Samagitis 457
liuonũ clades in Samagitia 565
liuonienſis Magiſter Pruſſienſibus ſuppetias uenit 393
liuonienſes milites Chriſti 191. à Pruſſis deleti ibid.
liuonienſium claſſis profligata 562
locuſtarũ ingẽs copia 298. 303. 616
lodomeriæ regnum cur ſibi uendicent Vngari 186
lotharius Cæſar 126. eiuſdem legatio ad Boleslaum 131
lotharij imper. mors 134
Lotharingi, qui & Lotarij 159
Louicia arx condita 325
louicia uilla 205
louicienſe territorium uaſtatum 233
louicienſes reditus quanti 325
louiciæ nomine tributum Archiepiſcopo remiſſum 546
lubauia deficit ad Cruciferos 528
lubecenſis reip. origo 67
Lubecẽſes pacem inter Polonos & Cruciferos conciliant 564
lubenſe monaſterium 178
lubenenſe monaſterium 114
lubenſenſe monaſterium 77
lubeſſouij uirtus 523
lubicenſis moletrina 423
lubinenſe monaſterium 180
lubinenſis monaſterij bona depopulata 344
lublinecia oppignerata 366
lublinũ à Ruſsis interceptũ 231
lublini comitia 662. 667. cum Lituanis 489
lublini obſidio 182
lublinenſe monaſterium 453
lublinenſis arx incenſa 224. à Polonis recepta 270
lublinenſis ora uaſtata 241
lublinenſis palatinatus ſiue Satrapia inſtituitur 609
lublinenſem tractum Sbigneus ab epiſcopa Cracouienſi auelli paſſus non eſt 453
lubouia, quæ & Iuconia 36
lubus arx capta 112
lubuſſenſis & Camenenſis diœceſes in Polonia 68
lubuſſenſis tractus quomodo in ditione Polonorum 187
lucardis Prẽmisli uxor iugulata 252
lucenſis arx obſeſſa 439
lucenſis epiſcopa 234
lucenſium priuilegium 445
lucius tertius pontifex max. 169
lucomlia capta 354. recepta ib.
ludi priſci in Polonia 44
ludimirus pagus 205
Ludouicus Balbus German. & Gallor. rex 41
ludouici Bauari ducis legatio ad Cazimirum 542
ludouicus Cæſar 280
ludouici Cęſaris interdictũ 300. mors 305
Ludouicus Erlichanſius crucifcrorum magiſter 498
ludouicus pius imper. 38
ludouicus Polonorum rex 307
ludouicus ingratus Polonis 325. eius profuſa donatio 323
ludouicus rex cunctator 322
ludouicus rex filium cum exercitu in Italiam mittit 336
ludouici regis coronatio 323. expeditio in Italiam 305
ludouici regis facilitas 330. mors, mores, & effigies 336. eius res geſtæ 337
ludouici regis uxor ſecunda 326
ludouicus Tranſalpinam recuperat 324
ludouici tranſactio cum duce Pomeranorum 323
ludouicus Vngariæ rex apud Mohatium à Turcis occiſus 678

Luitprandus ſcriptor 49
lunchini 42
luneburgum unde 36
luſatia 35
luſco arx 307
luſcum arx Polonorum præſidijs munita 316
Luſcum à Suitrigellone interceptum 468
luſcum oppidum incenſum 439. obſeſſum ac deditum 86
luſcum regi redditum, & ab eo traditum Sigiſmundo duci Lituanorum 461
luſcum Lituani occupant 496
luſcum iuris Polonici 489
Luſſinum oppidum 513
luſtrandi ritus 440
luterberga oppidum 384
lyſecenſe monaſterium 59
Lyſſecenſe monaſterium direptum 322
lyſezus mons, qui & Caluus 59

M

MAchinæ incenſæ à Naclenſibus 123
Magdeburgum urbs 35
magicæ artis cognitio 209
magor 2
magiſtratuum peccata 155
mahumetes Turcarũ princeps 491 ferox 409. apud Adrianopolim caſtra metatur 618
mahometes Turcarum imperator mortuus 412. 634
maleſſum caſtellum 499
manfredus occiſus 232
manſus, ſiue laneus quid 280
marca 470
marchia Brandeburgenſ. à Polonia abſciſſa 417. eius origo 68
marchia noua ubi, & unde dicta 266
in Marchiam, Polonorum expeditio 239
marchionis Brandeburgẽſis cũ duce Pomeranorum cõtrouerſiæ 588
marchio Miſnenſis Ploſcum intercipit 200
marcomanni 8
Margaritæ Zẽbociæ pudicitia 88
Maria Meſcislai filia 186
Maria Palatina Valachiæ 495
Marieburgum 389
Marieburgenſis arx Polonis obſeſſa 391
Marieburgum, Gilauia atq; Derſauia regi deduntur 522
Marieburgũ oppidũ obſeſſum 526. captũ 391. per deditionẽ à Polonis receptum 533
apud Marieburgum incommodum à Polonis acceptum 392
apud Marieburgum res geſtæ 510
Marieburgi obſidio ſoluit 395. 513
Marieburgi proditio inſtructa 522
apud Marieburgum ſtrages hominum & equorum 526
marieburgo præfecti Io. Ceſcelecius, & Prendotha Lubeſſouius 530
marieburgenſium impreſſio in Polonos 392
marieuerderum caſtrum 196
marothus rex poſt Attilę tempora 14
marſalci Cruciferorũ prudentia 512
marſalci Poloni comitatus 374
martianus imperator 23
Martinus Bariſca presbyter à Cazimiro ſubmerſus 307
Mart. Coga reip. turbator 520
martinus Gallus hiſtoriograph. taxatur 33
martinus quintus Põtifex max. 407
martinus Truchſeſſus Crucigerorum magiſter 622
martinus Vurocimocius legatus Pol. 615
martyrum dies Sendomiriæ 232
maslaus, qui & Maſos dictus, tyrannus 70
maslaus uictus reparat exercitũ
maslai interitus 76 (75
maſouia Cazimiro adiudicata 585
maſouia Cirnenſis uaſtata à Siradienſibus 257. itẽ à Leſco 256
maſoui Plocenſis in ditionẽ Boemorum uenit 288
maſouia uaſtata 235. 245. 255. 287. 336. 345. 346. à Lituanis 226. 300 302. 317. à Polonis. 286. à Pruſſis 190. 217. à Ruſſis 233
maſouia Pol. redintegrata 310
maſouiæ diuiſio ibi.
de Maſouia regis Polonorũ trãſactio 645
de ſucceſſione in Maſouia & Belſenſi controuerſia 541
Maſouij ad rebellionem ſolicati 621
Maſouij à Polonis uicti 287. item à Valachis 650 à Ruſſis 233
maſouij duces iurãt in uerba regis Polonorum 426
maſouij duces Sochazouia repulſi 617
maſouij in fide & clientela regis Polonorum 310
maſouij Neſcum montem oppugnant 572. Poliſſienſem terram & Pruſsiam uaſtant 200. 241. 255
item Ruſſiam
maſouiorum cum Sileſijs bellũ 304
maſouiorum ditiones expertes incommodorum belli 441
maſouiorum ducum diſparia cõiugia 634
maſouiorum ducum controuerſia cum epiſcopis de loco 488
maſouiorum ducum poſtulata in comitijs Petricouiæ 562
maſouiorũ ducum genealogia 310
maſouiorum & Sileſiorum affinitas 197
maſouiorũ uictoria cõtra Pruſſos 217
maſſouijs ducibus hectica peculiaris 517
cum Maſouijs tractatus 594
maſouienſe bellum 74
Matthæi epiſcopi Cracouienſis ingluuies 155
Matthęi palatini Siradiẽſis mors 257
mathias Boemiæ rex renunciatus 586
mathias Dreuicius epiſcop. Præmiſl. & procancell. 662
mathias frater Huniadis captus 521
mathias Moſinius prefectus maioris Poloniæ 619
mathias prodagricus 632
mathias Taloncius 475
mathias rex à Boemis orthodoxis receptus 580
mathias Vngariæ rex Auſtriam ferè ſubegit 623. dominatum ſeu patrocinium Valachiæ ſibi uendicabat 636, bellum in Turcas ordinat 568
mathias rex cũ Friderico Imperatore reconciliatus 567
mathias rex inducias uiolat 613
mathias rex literatos coluit 620
mathias rex quibus militibus in Turcas uſus 560. æmulos ſibi reconciliat 561
mathias rex, neq; regio neq; ducali genere ortus 613
mathias Vãſoſſius palat. Caliſſienſis 390
mathiæ & Georgij regum congreſſus 586
mathiæ & Vuladislai regum cõuentus Olomuciæ 679
Math. Miechouienſis locus 3
mathiæ res geſtæ in Auſtria 368
math. regis acerbitas 613. hoſtilis animus in Cazimirũ & Pol. 620
math. regis copiæ bis à marchio ne Brandeburgẽſi fuſę, & aditu in

in Prussiam prohibitæ 626
Mathiæ regis exercitus fusus fugatusq; 611. è Silesia 621
mathię regis expeditio in Valachiam 580. fœdus cum Cruciferis 621. item cũ Friderico Imperatore 580
mathiæ regis fuga 581
mathiæ regis ingenium 589. inquietudo 638. uanitas & iactãtia 613. 614. 620. mors 638
matrimonio disparium in religione lex 356
marchia Brãdeburgens. ad Burgrauios Norenbergenses peruenit 416
Mauritius imperator quo tempore uixerit 7
D. Mauritij lancea 53
Maximilianus Cæsar Albam regiam expugnat 641
maximilianus Cæsar Brugis in custodia habitus 636
maximilianus Cęsar coronatus. ibid.
maximilianus Cæsar regnũ Vngariæ sibi uendicat 641
maximiliani Cæsaris bellum cũ Heluetijs 654. eiusdem uictoria de Palatino Rheni. 663
maximiliano Cæsari sponsa prærepta 636
maximilianus dux Austriç 547
mediolanum euersum 149
mediolanensis belli initiũ inter Germãos, Gallos & Venetos 663
medirecia arx 237. in Mathię potestatem redacta 612
medirezum receptum 97
mednicẽsis episcopa, siue Samagitiæ instituta 406
medniki uicus exustus 360
Meideburgum, quod & Magdeburgum 60
meinardus & Prasco gubernatores Boemiæ 471
melstinij præclara mors 368
melzacum oppidum captũ 566
mendligerus, qui & Menglikerius
mendocus dux Lituanorum fidem Christianam abijcit 226. hic idem alio loco, nempe 224. pag. uocatur Mindacus
mentes hominum ad quemcunque fortunæ motum mutabiles 513
meotides paludes 186. quando à Tartaris inhabitari cœptæ 187
mercatores Cracouienses direpti à duce Toscensi 500
mercatores Lituani interfecti à Cruciferis 377
mercatorum & legatorum strag 616
mercatoribus externis interdictũ domicilijs in Polonia 494
mercatura 509
mercenarij milites externi an utiles 381
Mescislaus contra Colomanum copias colligit 185
mescislaus dux Halicienssiũ ueneno sublatus à suis 165
mescislaus in fide et clientela Polonorũ se fore promittit 164
mescislaus in Halicienssem principatum restitutus ibid.
mesciugus Pomeranorũ dux siue satrapa 172
mesco cæcus natus 43
mescouia opp. 609
messis præmatura 655
metemburgum arx condita 360
methodius & Cyrillus episcopi 45
methodius martyr 9
meuensis commendatoris consilium 383
mezislaus senex, ab Otthone filio pulsus 159
michael Buzacius à Tartaris interfectus 463
michael Cochmeister captus 397
michael dux ueneno extinctus 497
michael episc. Cuiauiensis 195
michael Saladinus, qui & Zilagius 521
michael Sigismũdi ducis filius, patrimonio spoliatus à Cazimiro 472
michaelis Buzacij factum 436
michael Glinscius dux 685. eiusdem potentia & inuidia 663
michalouiensis tractus, quomodo in Cruciferorum potestatẽ uenerit 274
miechouiense cœnobium 146
miesca, qui & Miezlaus, Christianus factus 217
miesco Cuiauiæ dux à muribus consumptus 204
miezislaus, qui & Mesco 56
miezislaus à Lesco hęres, tutorq; nuncupatus 164
miezislaus ad Feder. imp. affinẽ suum proficiscitur 161
miezislaus conatur recuperare principatum 159
miezislaus cur senis cognomen sortitus 155
miezislaus dux Oppoliensiũ 188
mezislaus iterum ad principatũ aspirat 172
miezislaus Masouia & Cuiauia potitur 164
iezmislaus Oppoliensiũ & Ratiboriensium dux 171
miezislaus pactorũ inuẽtor 179
miezislaus, Pomeranorum opeditionem suã recuperat 161. 176
miezislaus promissa non seruat 177
miezislaus regnat 46
miezislaus sauciatus 173
miezislaus Silesios instigat ad capienda arma contra Lescum album 172
miezislaus Vuratislauiã Bolesłao adimit 162
miezislai asper dominatus 155. conatus 175
miezislai secundi coronatio 66
miezislai etymologia 43. exiliũ 161 iusiurandũ 176. mors 179. odium 177
miezislai Oppoliensium ducis mors 217
miezislai regni & uitæ finis 51
miezislai sanctio 180
miezislai tertia uxor, filia sororis imp. Frider. 148
miezislao Otto patri F. reconciliatus 162
mikul archidiaconus 195
militum licentia 267
militandi ratio iusta ibid.
militaris disciplina in exercitu Vitoudi 426
militum grassatio ob non exoluta stipendia 631
cum Militibus trãsactio de emeritis stipendijs 576
milizia arx intercepta 285
Miloslauiæ conuentus 337
mindacus Lituaniæ rex creatus 224. interfectus 235
miscense territorium 666
miraculũ seu portentũ 39. 43. 44. 59. 71. 114. 208. 223. 306. 322
misnense fœdus 372
meotidis ora longè patet 8
mogilnẽse monasteriũ 91. à quo institutũ, & cur sic dictum. 118. eiusdem incendium 488
mogida pagus 31
moldaui feri & indomiti 648. infestant Polonicũ exercitũ 650
moldauiorum bellum 590. defectiones ad Vngaros 647
moldauia 313. infestata à Polonis, & Poeuce receptum 663. peruastata à Turcis 635
monachæ cuiusdam præclarum facinus 287
monarchia elanguit 196

MONASTERIA

Andreouiense 200. siue Androuiense 188
Brescense 206

Cacicenſe 188
Copriuncienſe 206
Dlubnenſe 189
Henricouienſe 188
Landenſe 219
Lubinenſe 198
Lyſecẽſe 256. ſiue Lyſſecẽſe 322
Meſtouienſe 189
Mogilnenſe 192
Olobocenſe 198
Ouanſcenſe 228
Paradiſi 205
Ribnicenſe 188
Sandecenſe 246.256.381
Secechouienſe 199
Sendomirienſe 189
Siricienſe 205
Srodicenſe 228
Tinecenſe 217
Trebnicienſe 188
S. Trinitatis ibid.
Veteris montis 180
Virouienſe 208
Zenctochouienſe 365
monaſteriũ carcer ærũnoſus 98
moncaſtrum, quod & Bialogrodũ, expugnatũ uel tentatũ 616
de Moneta 430.509
moneta adulterina 530
monetæ cudẽdæ ius 199. 303. fœminis datum 452
monetæ probãdę magiſtri 464.
monetaria officina 456
Moniuidus 520
moniuidus & Rũoboldus proceres Lituani, læſæ maieſtatis damnati 451
mõſterbergẽſis ducis fuga 398
monſtrum 238. monſtra ſeu portenta 644
mons regius arx 226
montes Macedonici 476
morangum deditum 398
morangum, Sipelbeinũ & Ramſtembergum à Cruciferis, acriter oppugnantur 538
morangi obſidio ſoluta 537
moraqua fl. 445
morauia à Polonis uaſtata 81. 129. Boemiæ rurſus iuncta 97. in poteſtatem Mathię regis uenit 581
morauia infeſtata à Tartaris 210. item à Boleslao tertio 105
morauiæ magna pars ſubacta à Polonis 55
morauiam Poloni amiſere. 66
morauí Germaniam armis uexant 41. Polono regi tributarij facti 56. quo tempore Chriſto nomen dederint 41
morauí unde dicti 14
morauorum regni finis 42
morauicum bellum 224
moſchi, qui & Slaui 12.375
moſchi, unde & quando appellari cœpti 15
moſchi cũ Tartarisuicti 776. Tartarorũ tributarij & ſerui 631. Tartarorum iugum excuſſere 668
moſchorum dux Nouogrodum & magnã partem Albæ Ruſſiæ ſubegit 631
moſchica expeditio 376. 473. in Lituanos 656
moſchicus principatus hæreditarius 668
moſchici imperij terminus ad Mæotim fermè 8
moſchici, ſiue Moſchij mõtes 14.
Moſes 13
moſgaua fl. 172
ad Moſgauam prælium funeſtiſſimum 172
moſqua fl. & arx 15
moſcorouius caſtellanus Vlicienſis de mendacio damnatus 376
mucha captus & extinctus 641. Ruſſiam uaſtat ibi.
muliebre facinus memorabile 117
muliebre imperium 68
muliebris improbitas 37. uirtus 385
muliebris ſexus credulus 175
mulieris magnus animus 521
munus exitiale quod à deuoto hoſte offertur 427
murzæ, qui & Vlami, apud Tartaros 499
muſianus lacus, qui & Myſianus 11
H. Mutius hiſtoricus 33. eiuſdem error 116

N

Naclẽſe territorium tributariũ Cruciferis uaſtatũ à Polonis 537
naclum arx intercipitur 217
naclum oppidum incenſum 291
naclus fl. 95
naclum captum & incenſum 123. 213. 288. per deditionẽ receptũ à Polonis 118
è regione Nacli arx noua condita 227
nacli obſidio relicta 96.117
nalencius Præmisli interfector 265
namislouienſis ager uaſtatus 571
nandor Alba, quæ & Taurinum 520
nankerus è Cracouienſi epiſcopa ad Vuratislauienſem tranſit 287
Nankerus epiſcopus Vuratislauia excedit 285
Nankeri epiſcopi mors 302
napiuonum familia 312
narimundus dux interfectus 359
narua fl. 249.300
narzas, qui & porcus 509
naufragæ merces ibi.
naugardum munitio à quo, quãdo, quare conſtructa 360
neapolitanum regnum ad Gallos translatum 232
neumarcum opp. 220
neutichum opp. 523
nemcium & Grothecium arces conſtructæ in Sileſia 146
nemecium opp. 267
nemenus fl. qui & Chronus, ſiue Chronis dictus 62.249
neminus, qui & Dubeza flu. 379
Nemeni fluuij fontes 669
nemez Germanus à Polonis appellatur 501
nepolomiciæ comitia 36. 415. 442. 449 291
nepreſt quid 572
neſco mons 245
neſluſſum conditum 195
neſlouia arx 543
neſſouia translata 440
neſſouienſis arx præſidio firmata 420
neſſouiẽſes præſidiarij fuſi à Brochocio 18
neſter, qui & Dueſter 379
netupa fl. 375
neuaza fl. 291
nezamyslus lacus, Cruciferorũ ſtrage celebris 45
niæ templum Gneſnæ 38
Nicephorus imperator à Bulgaris occiſus 618
Nicolaus Blazeouius Sileſius epiſcopus 682
nicopolis Bulgariæ metropolis 480 641
Nicolaus Camenicius 460
Nicolaus Chodecius
Nicolaus Chranſtouius epiſcopus Premisliensis 622
Nicolaus Comorouius ad defectionem ſpectat 456
Nicolaus Cotificius
Nicolaus Cracouiẽſis palatinus 163. repreſſor conatuũ Miezislai 178. eiuſ. implacabilis ira 180
Nicolaus Curouius archiepiſc. 372. gubernator Poloniæ 382
Nicolai Curouij arch. mors 402
Nicolaus Ferceius 638
Nicolaus Gara palatinus Vngarus 338
Nicolaus Henrichouius, eiuſq; res geſtæ 188

Nicolaus Lasocius electus episc. Posnanēsis, sed nō confirmatus 466 inuito rege episcopus factus, possessione excluſus est 491 eiusdem encomium 491
nicolai Lasocij prefecti ærarij tenacitas 480
nicolaus Michalouius dux exercitus Polon. 447
nicolaus Moscorouius cum exercitu in Lituaniam missus 356 præfectura se abdicat 359 & inde
nicolaus Myscouius 680
nicolaus Palat. ad Miezislaum transijt 179
nicolaus Radiuilus, & Mart. Cromerius, oratores ad Ferdinandum 981
nicolaus Senauius 682. 685
nicol. Tungenus in gratiam à rege recipitur 629 inuito rege Cazimiro in Vuarmiensem episcopam inuasit 618
nicolaus Tramba procancellarius 389 eius consilia 395
nicolaus Veisembachius dux Bauarorum 564
nicopolensis clades 370
Nida fl. 132
Ninus primus Assyriorū rex. 2
nix & gelu post medium Maium 309 sub finem Aprilis 298
Noa idem cum Iano 2
Nobiles quādo capi possint 430
nobilium onera 241
nobilitas Polona bellum detrectat 727
nobilitas Polonica contra eccle siasticū ordinem fremit 456 item in regem 538
nobilitatis & ciuitatū Prussicarum studiū erga Polon. 621
nobilitati prærogatiuæ concessæ à sacerdotibus 459
Nogaienses Tartari 665. 666
Nogatus fl. 391
Nominum priscorum interpretatio 45
Nossus dux uictus, & captus à Kerdeio 447
Nostiuicij fuga 544
Notessus fl. 266
Noua Marchia, olim Cassubia dicta 507 Vuladislao regi oppignerata 372 à Friderico Brandeburgens. occupata 507
nouarum rerum cupidi, qui'nā esse soleant 240
Nouenses ad Cruciferos deficiunt 526
Nouogroda duo in Russia 57
nouogrodū captū à Moschis 631
nouogrodecū opp. incēsum 360
nouogrodenses pacem à Vitoudo redimunt 426
nouogrodū magnū subactū 639
nouogrodum magnum Lituanorum magno duci tributarium 631
nouogrodensis prædę magnitudo 632
nouogrodenses opulenti 57
Nouum opp. captum 276 à Polonis, & incensum 399
numarij iudices 156
numus S. Petri 73 per Silesiam 285 eius ratio cur mutata. ibid.
nunciorum infinitæ potestatis periculum 582
nunciorum nimia potestas 582
nuptiarum inter reges apparatus 316
Nysla fl. 209
Nyssa episcopę Vuratislauiensi donata 178
nyssa fl. 101

O

OBlecomum arx 260
Obornihi opp. 341
obtrectatoris pœna apud Polonos 357
Occa fl. 375
Odalanauia arx 355 regi quęsita 334
odra fl. 208. 221. 225. 226. qui & Viadus, siue Gutta & Guttalus ueterib. dictus 15
Odrouanzus subditicius 649
odrusčēses à Vitoudo subacti 362
apud Olauiam castrametatus Cazimirus rex Pol. 610
Olaus & Ioānes Magni, fratres, Archiepiscopi Vpsalenses 125
Olga, quę & Helena 45
Olescum arx 337. 439 eius obsidio 415
olescum expugnatum 445
olesnum oppigneratum 366
Olesuicensis & Scecinensis duces capti 88
olesnicia opp. 225
olesnicij atq; Tarnouij integritas & constantia 429
olesnicensium cum Bregēsibus bellum 283
Olgus Rezanię dux 376
Olgerdus magnus dux Lituanorū 349 eius uxor & filij. ibid.
olgerdi & Keistuti amicitia 349
Oliuense monasterium 160. 170
incensum 448
Olobocum à Polonis recuperatum 252
Olomucium 271 urbs primaria Morauiæ 14
Omē malū 140. 210. 395. 481. 488
Oppauia donata amicæ 149 à Boemis occupata 225. 260
oppauiensis tractus uexatus à Polonis 225
Opatouia 201
opatouiæ conuenticulum 454.
opatouicum arx condita 325 pagus 230
Opisso abbas legatus pontificius 216 fines legationis suę transgressus 229
Oporouia arx 501
Oposnum opp. 307
opoliensis dux Boemo subditus 283
opoliensium ducis iusiurādum regi Polonorū datum 323
Oppoliensis principatus Boemo addictus 258
oppoliensis tractus uastatus 365
oppolienses fusi apud Clobuscum 612
oppoliensium ducum cum rege Polonorum transactio 366
Orientales coniuncti cum Romana ecclesia 176
Orsa capta 362
Orsensis de Moschis memorabilis uictoria 684.
orsimouia arx 233
Osocum castellum incēsum 566
Ossa fl. 62 Poloniam à Prussia dirimit 81
Ossmianense collegium 446
Ostaphæus 682.
Osterroda, Nideburgum & Zaldouia arces à Cruciferis receptæ 396
Ostrogoti, qui & Goti 23
ostrorogum castellum 340
Osuencinense territorium Silesiæ additum 162
osuencinensis arx frustra tentata à Ioanne duce 503
osuencimensis conuentus iuratus in uerba regis Polon. 503
osuencimensis dux Parsouiam profectus 502 eiusdem pacta cum Polon. ibid.
osuencinēsis principatus redit in potestatem regis Polon. 503
osuencimenses in fide & clientela regis Polon. 461
Ouansčēse monasterium à quo conditum 228
Othmuchouia arx 253
Otto dux Boemię datus 113
otto dux Burgundiæ in Syriam proficiscitur 167
otto Friderici imper. filius captus 158
otto imperator Romam profectus 53

Otto marchio Brandeburgenſis 237
otto Pilecius maioris Poloniæ præfectus 324
ottonis mors 53
otto Saxonum dux 177
Ottocarus Boemorum rex 198. 225
ottocarus ſecũdus Boemorum rex, in prælio occiſus 246
ottocari regis Boemorũ & ſuorum expeditio in Pruſsiam 226

P

PAcis amatores qui 187
pacis artes, oppida & arces 160
Pacoslaus necem faſſus, plectitur, quamuis gratioſus apud principem 262
Pacoſſum arx defenſa 296
pacoſſum oppidum captum 230 Boleslao Pio redditum 231
Palæologus imper. Conſtantinopolitanus 479
Palatini duodecim iterum creati 31
palatinorum dignitas 27
Pallia, aſſeres compacti 112
Paluci regio 542
Pamphilus 2
Pan, Slauica lingua dominus 22
panis Lituanicus cuiuſmodi 358
Pannones & Moraui à Polonis profligati 31
pannoniæ habitatores 3
Papouia 190 capta, incenſa, ac diruta 525 intercepta à Cruciferis 525
papouiæ antemurale direptum & incenſum 460
Parœci rectius dicuntur quàm plebani 48
Parſouiæ conuentus 442. 495
partus duodecim filiorum 288
Paſchalis ſummus põtifex cum cardinalibus à Cæſare captus 120
Paſſauia fl. 394
pro Patria mori honeſtiſsimum 251
Paulus Conſtãtinus Phrygio 41
paulus Diaconus 9
pauli epiſcopi Cracouienſis cõtaminata uita & improbitas 240
paulus epiſcopus ob impuram uitã diuinitus corripitur 242
paulus epiſcopus turbator captus 251. 259
paulus epiſcopus uenationi nimium deditus 261
pauli epiſcopi odium in Leſcum 249
paulus Iaſenius 611 eiuſdem legatio ad Mathiam regem 630 audacia 544
paulus Giricius epiſcop. Plocẽſ. ab Archiepiſcopo confirmatus 466 gubernator Maſouiæ 518
pauli Iouij error 635
pauli Ruſdorfij magiſtri Cruciferorum, legatio ad Polonos 432
paulus Varmienſis epiſcop. 565
paulus Venzicus 420
paulus Vuladimirius 417
Pecinigi, qui & Peucini 49
Pecunia incognita Polonis 26
pecunia neruus belli 372
Pelca prępoſitus Curolouienſis occiſus 334
Pelplinenſe monaſterium direptum 447
Perfidiæ pœna 284
Perſarũ ac Turcarum bellũ 661
perſarum origo 2
perſarum regum origo 232
Perſica legatio ad regem Polonorum 615
Peſcinicia opp. à Polonis occupatum 575
Peſciſca arx recuperata 270
Peta Tartarorum dux 206
Petreſſum & Sumenũ arces expugnatæ 480
Petricus mortuus, precib. Stanislai epiſc. uitę redditus 89
Petrus cancellarius Pomeraniç, patriæ proditor 272
petrus Cmitha præfectus Lenciciæ 329 marſalcus regni Polon. 658
petrus Comorouius 543
petrus Cretenſis ſodalis Franciſcanus 379
petri Dani calamitas 139. opes & præfecturæ ibid.
petrus Duninus 125 præfectus Marieburgenſis 624 dux mercenariorum militum 538 eiuſdem opera 125
petrus epiſcopus Cracouienſis 306
Petrus Lunenſis, qui & Benedictus 13
petrus Mezinecius 396
petrus Myſcouius 655
petrus Odrouanzus captus in Vngaria 473 eiuſdẽ mors 494
petrus Opaneuius 680
petrus palatinus Moldauiç 519
petrus profugus capite plexus 657
petrus Pſonca proditor 308
petrus Saffranecius copiarum Polonicarum dux 398 latrocinij ſuſpectus 492 redemptus à Cruciferis latrocinio Poloniam turbat 502
petrus Samotulius 514. 525
petrus Valachus ductu Tarnouij uictus 685
petrus Viſſus epiſcop. 364. 379
petri Vuloſtouicij conſilium ac audax facinus 130. 131
Philara 2
Philippus Biſſouius 621
philippi Burgundionis ad Cazimirum legatio 496. 510
philippus Callimachus Florentinus 476. 623. 645 legatione functus regio nomine 685
philippus Gallorum rex in Syriam copias mittit 177
philippus dux Sueuorum, imperium ſibi uendicat 177 diris deuouetur ab Innocentio tertio 177
Phocas imperator Mauritio ſucceſsit 7
Piaſti ætas 40 genus & conditio 39 poſteritas 40
Pienanſcus præfectus 543
Pienina arx 207. 257
Pieta pagus 235
Piezari quid 362
Pilcia fl. 170
Pinum caſtrum 190
Pipinus, Caroli Magni proauus 28
Pipo Florentinus 409
piratę combuſti 448
Piſanum concilium 379
Piſanus archiepiſcopus laqueo necatus 628
Pius pontifex, qui aliàs Aeneas Syluius, ęquior Germanis quàm Polonis 531
Piſdri capti & incenſi 290
Plauenius 510 eiuſdem oratio ad regem 392 reſponſum magnanimum 393
Plinij opinio de Sarmatis 13
Plocenſe monaſterium 170
Plocenſis arx incenſa 226 inſtaurata 233
plocenſis ditio Poloniæ adiuncta 645
in Plocenſi diœceſi interdictum 205
de Plocenſi iudicium, & Belſenſi ditione 545
plocenſis epiſcopi cum Culmẽſi tranſactio 237
plocenſes alieni à rege Poloniæ 541
plocenſium deditio 354
plocenſis cathedra biennio uacat 192

Ploche arx 270
plochum castrum 190
Plomycouius uirtute infamiam deleuit 378
ploniny quid 314
plosce pagus Cruciferorum clade insignis 292
plosczum arx intercepta 200.256
ploscum Masouiorum caput in censum 190. 217. 256. 286 obsessum 102 oppugnatum 269
Pobedisci oppidum incensum 291
Pocuce à Valachis interceptum 662 item à Bogdano 667
pocucensis ora oppignerata Palatino Valachiæ 401
Podolia munita contra Lituanos 518 oppignerata 368 uastata 587. 309. 619 recepta à Polonis 375. 445
podolia iuris Polonici 489
podolia Vitoudo subacta 362. 401
podolia Suitrigelloni attributa 373. 435
podoliorũ præclarũ facinus 435
Polaci, qui & Poloni 20
polanecium oppidum 206
polaui, siue Poloni unde dicti 22
Polesse, seu Podesse, siue Podlasse, quid 212
polisiensis terra à Masouijs uastatur 242
Polonia à Germanis olim habitata 22
polonia uastata 211 à Russis, Lituanis 247 à Silesijs 498 à Tartaris 206. 231. 247. 256 ab Vngarorum copijs 612
polonia diuisa inter Boleslai filios 134
polonia maior intestinis discidijs & ciuilibus bellis agitatur 192
polonia maior uastata à Lituanis 272
poloniæ maioris ad Henricum Barbatum defectio 199
poloniæ maioris diuisio 218.225 motus 203. 344. 347 eiusdẽ præfectura cum Palatinatu 619
polonia minor à Lesco ad Conradum Masouium deficit 254
poloniæ minoris motus 199
poloniæ diuisio 35. 104
poloniæ familiæ quatuor, præcipuè illustres 90
poloniæ fines mutati 27
poloniæ legati ad concilium Pisanum missi 375
poloniæ mala ob absentiam regis 331
poloniæ occidẽtalis fines, quando & à quibus accisi 36
poloniæ præfecti 330. 331
poloniæ regnum Vitoudo oblatum 428
poloniæ status turbulẽtissimus sub rege monacho 70
poloniæ situs 19
poloniæ toti sacris à Gregorio septimo Roman. pontifice interdicitur 90
in Polonia uilis annona 616
polonica licentia 566
polonorum lingua à Russorum haud multum diuersa 187
polonica lingua Germanicę dissimilis 369
polonicus exercitus 647 bellum detrectat 648
polonici exercitus lætitia, quòd ad mare peruenissent 448
polonicum ius de cæde 539
polonici regni insignia reportata ex Vngaria 404
polonici senatus constantia 452 libertas 137
polonicæ naues cum frumento à Cruciferis interceptæ 377
polonicæ opes in Lituaniam exportatæ 530
polonicæ urbes, seu Venedicæ 36
polonicarum fœminarum petulantia 878
polonum inter & Boemum reges pacta conuenta 299
poloni à Prussis subacti 151 item à Russis fusi 186 item à Tartaris 206
poloni ante Mauritium imperatorem 23
poloni auxilium mittunt regi in Vngariam 472
poloni Christiani 46
poloni contra Tartaros 367
poloni Culmensem tractum uastant 297
poloni diadema petunt à Pont. max. 281
poloni dilapsi ab obsidione 522
poloni episcopi 162
poloni, Boemi, unde migrarunt 17
poloni & Boemi, an è Croatia uenerint 22
poloni & Slaui alieni à literis 5
poloni etiam inter Cruciferos recipiendi 573
poloni fusi à Suentopelco 228 ab Iscra 473
poloni Haliciã in formam prouinciæ redigere conantur 174.
poloni incõmodo affecti à Cruciferis 390
poloni iurant in uerba Ludouici regis 307 Masouiam populantur 286
poloni maiores ad arcendos hostes educti tumultuãtur, suaq; infestant 511
poloni maiores cum Sbigneo episcopo, Vuladislai regis defuncti filio, regnum decernunt 454 Henrico Glogouiensi sese subijciunt 271 in fidem Vuladislai ueniunt 278
polonorum maiorum conspiratio 309 defectio à Boleslao Caluo 213 expeditio in Prussiam 522. 523. 528
polonorum maiorum licentia 438. 432
poloni minores ad Vuladislaũ Oppolienſiũ ducẽ deficiũt 241
poloni minores cgrè assentiuntur maioribus 454
polonorum minorum ad maiores legatio 341 cõspiratio contra principem 240 expeditio contra Russos 269 contra latrones 524 studia in Cazimirum 486
poloni nobiliores cæsi & capti 512
poloni, quibus temporibus floruerint 5
poloni quomodo Lusacia & Lubussenſi tractu potiti 187
poloni nescierunt uictoria uti 390
poloni noluerunt pro rege habere Cazimirum, donec iusiurandum ipsis daret 492
poloni non corrupti consuetudine Boemorum 445
poloni non probant consilium regis de uiolandis pactis 475
poloni nunquam fuere tributarij Rom. imperio 67
poloni uexant Prussiam 382
poloni re infecta Boemia excesserunt 462
poloni rebus secũdis securi 566
poloni Russiam uastant 247 sibi subijciunt 302
poloni sua populati 652
poloni, Slauina gens 1
poloni uicti 333
polonorum auxilia Stephano Valacho data 636
polonorum bellum ciuile 319
polonorum captiuorũ eximia uirtus 483
polonorum ciuilitas 692

polo-

polonorum clades apud Bucouinam syluam 649
polonorum clades cum Boemis Bythomię 531 cũ ijsdem induciæ 241
polonorum cum Cruciferis de pace conuentus 558
polonorum cum Germanis belli gerendi ratio 145
polonorum cum Lituanis fœdus 286 conuentus 473. 495
polonorum cum Rusis prælium 495
polonorum cum Stephano Valacho fœdus 582 item cum Vngaris 343. 401. 430
polonorum defectio à Vuladislao 142
polonorum equitum immunitas 316 memorabile facinus 382
polonorũ & Boemorũ societas contra Mathiam 638
polonorum & Gdanensium legationes ad Cazimirum regem 520
polonorum & Slauorum dij falsi 44
polonorũ expeditiones in Boemiam 55. 462 contra Cruciferos 378 in Marchiam 239 contra Prussos 251. 513. 516. 525
polonorum fœdus cum Boemis 134 cum Lituanis 302
fortuna Polonorum mutata 393
polonorum fremitus aduersus regem 497
polonorum fuga 209 & clades 512
polonorũ humanitas erga externos 69
polonorum ius atq; studia 64
polonorum legatio ad Albertum Cæsarem 464 ad Alexandrum Lituanorum principem 659 ad Boemos 579. 582 ad Carolum Magnum 38 ad Cazimirum 485 ad Cruciferorum magistrum 377 ad Iagellonem 551 ad Pont. max. 281 ad regem 331. 497 ad externos principes 588 ad Vitoudum 428
polonorum licentia 516
polonorum merita in familiam Iagelloniam 529
polonorum militũ perfidia 612
polonorum mores antiqui 51
polonorũ nomẽ Turcis formidabile 635
polonorum obsequiũ 502 erga principes suos 69
polonorum pauor ob captã Cafam 562 ob subactã à Turcis Bessarabiam 616
polonorum pietas 384
polonorum priuilegia à Cazimiro confirmata 590
polonorum procerum confœderatio 503
polonorum procerum dissidiũ in creando rege 642
polonorum procerum studium erga regem 456
polonorum regis & Crucigerorum conuentus 278
polonorum regis fœdus cum Tartaris 657
polonorum regis Monodia 673
polonorum regnum quàm diu uacauerit 264
polonorum splendor 542
polonorum strages 173. 207. 314. 482. 542
polonorum uictoria cõtra Cruciferos & Masouios 287. 382. 545 apud Osecum 566 apud Puscum 544 contra Russos 186 de Tartaris 637 de Turcis 560. 520
polonis & Rusis eadem præro gatiua & ius 302
polonis Boemi præficiũtur 269
polonis iniuncta onera à pontifice max. 73
polonis quanta in religione augenda sedulitas 188
polonis quæ data ab Ludouico rege priuilegia 309
polonos inter & Vngaros fœdera 301
polonos inter & Cruciferos induciæ 297. 289 pax 298. 564. 572. 574
polonos inter & Cruciferos, iudices delegati à pont. max. 281
polonos inter & Vngaros iurgium 330
Polouuzi, barbara gens, Rusiã uastant 79
polouucij qui 186
polouucij à Tartaris uicti 187
polouuciorum auxilia contra Colomannum 185
Poltouia direpta & incensa 286. 300. 317
Poltouiense collegium institutum quando, & à quo 561
Pomerania 35 bello petitur à Cruciferis 275
pomerania ditionis Polonicæ 160
pomerania Cruciferis donata 288 ab ijsdem subacta 278
pomerania infestata 332 Marchionibus prodita 272 Præmislo donata 260
pomerania Slupensis, siue Stolpensis amissa, & rursus recuperata 198
pomerania citerior subacta à Polonis, Christiana facta 125
pomerania uastata 219. 106. 447. 543
pomerania uendita & empta 270
pomeraniæ descriptio, & nomen 16
pomeraniæ duces Polonis obnoxij 538
pomeraniæ fines mutati 160
pomeraniæ præfecti 187
pomerani ad res nouandas proclines 99 à Mecislao ad Cazimirum deficiunt 159
pomerani duces, Cruciferis sua donarunt 250
pomerani & Prussi uictori regi Polono Vuladislao sese dedunt 94.
pomerani iurant in uerba Vuladislai 272
pomerani Poloniã infestant 72
pomerani iterum profligati à Boleslao 103 à magno comite 117
pomerani, quo tempore Christiani facti 109
pomerani Santocum adorti, repelluntur 100
pomerani Scecinenses uexati & profligati à Polonis 537
pomerani uicti 68. 216
pomerani Vsce arcem intercipiunt 110
pomeranorum castra expugnata 118
pomeranorum duces in fidem & clientelam regis Polonorũ ueniunt 358
pomeranorum & Polonorum fœdus 305
pomeranorum uictoria 333
pomeranis tributum impositum 281
pomeranicum bellum 68. 140
pomeranici ducis iusiurandum datum regi Polonorum 325
pomeranicarũ urbium deditio 108
Pomesanienſis episcopa Cruciferis relicta 573
Pomorzani 610
Pompo magister Crucigerorum occisus 209
pompo secundus magister Cruciferorum 205
Pomponius Lętus 15
Ponecia arx incensa 345
Pontificia sedes uacat biennio 281

Pont. maximi delegati de controuersijs Polonorum & Cruciferorum 299
Pontificis max. studium de liberando Vuladislao rege 436
à Pontifice prouocatio ad futurum concilium 410
pontificũ exhortationes ad bellum Turcicum 389
Popielus iunior regno inauguratur 37
popielus patruos & proceres ueneno extinxit 38
popieli auaritia & tyrannis 37
interitus 38
Poradlinæ uectigal imminutum 325
porsus fl. 66
portenta 238. 243
Posnania obsessa 140 eiusdẽ conflagratio 488
posnaniense hospitale 180
posnaniensis ecclesiæ bona direpta 344
de Posnaniensi episcopa 424
posnanienses Henrici præsidiũ suscipiunt 278
posnanienses Palatini capti 230
posnaniensium pœna 278
Prabuta, quæ & Bissouisuerderum 513 à Polonis capta. ibid.
prædboria opp. 317
prædborius Brezius Vngarorũ audaciam retundit 329
prędicatorum ordinis & sectæ institutor quis 188
prædislaus Dmosicius 543
prædislaus Lanscoronius 682
prædislaus Vlderici filius 54
prædislai Boemorum ducis odium in Polonos 98
præfecti primarij mutati 463
præfectorum regiorum iniuriæ 529
præmenta arx expugnata 213
præmislia arx 49. 359 eius deditio 85
præmisliense bellum 84
pręmisliẽs. episcopę uacatio 613
præmislus aurifex magni animi 31
præmislus, qui & Ottocarus, Boemorum princeps 177. 198
præmislus Conradi filius occisus 197
præmislus cum fratre redit in gratiam 225
præmislus dux maioris Poloniæ 215 Silesiam infestat 225 insidijs Marchionum Brandeburgensium appetitur 265
præmislus Glogouiensis ueneno sublatus 283
præmislus posthumus Pręmisli filius 229
præmislus rex Gnesnę creatus 264
pręmislus sacris interdictus 225
præmislus successionibus fortunatus 260
præmisli filia Rixa 265
præmisli filiæ quæ, & quot 228
præmisli Posnaniensium ducis nuptiæ 242
pręmisli regis opes 26
præmisli præclara facta 265 religio 225 studia 264 mors & laudes 228. 265 sepultura 228. 265
præmonstratenses monachi 126
Praga & Vissegradum regi Polono dedita 54
praga expugnata 50
pragensis academia 314
pragensis episcopus cum exercitu in Poloniam uenit 261
pragensis Senatus à plebe trucidatus 634
pragenses repugnant Sigismundo regi 413
pragenses, siue Lati grossi qui, 275
pragensium potentia. 413
Prandinicus fl. 32. 197
precum piarum efficacia 235
pregla fl. 226
pregola fl. 515
prendota episcopus Cracouiensis 212
prendota Lubessouius dux exercitus 522
prendotæ Galcæ fortitudo 305
Primogenitorum ius apud multas gentes 137
principatus multorũ perniciosus reipub. 135
principatus insigne 444
principatum oblatum recusare, ridiculum 180
principatum obscurus homo fortuitu adeptus 33
principis munera usu condiscũtur 173
principis officium 143
principis reditus seu uectigal 26
principis uirtutes 41
principes alienis oculis & auribus sentiunt 548
principum aulæ quales olim, & quales nunc 548
principum aulę quibus malis abundent 190
principum & potentum iniurię ferè semper mussantur 331
principum exempla illustria 88
prinum oppidum à Polonis alienatum 239
de Priuatorum controuersijs disceptandis 403
Procopius Cæsariensis 6
procopius episcopus Cracouiensis 262
prodigia 238. 245. 324. 542. 641
proditio in Senatu Polonico 429
proditio punita 308
proditorum bona confiscata 309
proditorum pœna 337
proditionis iusta merces 500
proditores in exercitu Polonico 439
proditores patriæ 308
profundum Turnum castrum 190
Prondota episcopus 205
protasius Olomucensis episcopus 579
prouisores instituti in Polonia 456
prouisores siue curatores abrogati 464
prudentia 688
prussia à Masouijs uastata 242
prussia ferè omnis in deditionẽ accepta 391
prussia fluminibus atque lacubus abundat 450
prussia in feudum concessa marchionibus Brandeburgensibus 695
prussia per deditionem Polonis adiuncta 678
prussia quando, & à quibus uastata 200. 226
in Prussia uermes uenenosi 256
prussiæ cum Polonia coniunctio 573
prussiæ episcopæ quæ, & quot 214
prussiæ fines 62
prusiæ gubernator sublatus 576
prussiæ nomine etiam Pomerania & Culmensis quandoq; accipitur tractus 62
prussiam qui homines inhabitent 10
in Prussiam Polonorum excursio 111
prussi, à Cazimiro rege Polonię in fidem accepti 506
prussi à legato submoti, à Polonis admissi 558
prussi absoluti à pontifice maximo 531
prussi ad res nouas spectant 621
prussi apud Suece malè accepti 378

pruſſi Chelmenſem tractum in ſuam poteſtatem redigunt, & Maſouiam uaſtant 190
pruſsi Chriſtianam religionem execrantur 169
pruſſi & Iazyges à Polonis profligati 76
pruſsi & Pomerani in cliẽtelam accepti 686
pruſſi icto fœdere cum Polonis captiuos dimittunt 169
pruſsi, iudicem Fridericum imper. recuſant 505
pruſsi iurant in uerba regis Polonorum 507. 625. 662
pruſſi Latinis uerbis utuntur 61
pruſſi, Lituani, Liuones, & Samagitæ, eadem ferè lingua utuntur 61
pruſſi Maſouiam uaſtant 245
pruſſi multa de Cruciferis ęperunt 248
pruſſi munitionibus olim caruere 62
pruſsi Polonos pro iuſtis dominis agnoſcunt 505
pruſſi profligati à Maſouijs 217
pruſsi, qui & Boruſsi, ſiue Boruſsi 9 & Poleſsiani 168
pruſſi regis opem implorant cõtra cruciferos 501
pruſsi religionem Chriſtianam recipiunt coacti, & mox abijciunt 150
pruſſi ſe & munitiones ſuas regi Polon. dedunt 504
pruſſi, tributarij Polonorum regi 153. 583
pruſſi unde dicti 61
pruſſorum balnea, & Lituanorum 62
pruſſorum confœderatio 505
pruſſorum conuentus ſiue regiones Chriſtianę factæ 220
pruſſorum defectio & à Cruciferis, & à religione 214
pruſſorum defectio & excurſio in Maſouiam & Culmenſem tractum 145
pruſſorum dij 62 exequiæ, ibidem
pruſſorum fidele conſilium & ſtudium erga regem 394
pruſſorum in Maſouiam excurſiones 217
pruſſorum legati capti 505
pruſſorum legationes 527. 540. 567
pruſſorum mores 62
pruſſici motus 618
pruſſorum origo 61
pruſſorum prærogatiuę & priuilegia 509
pruſſorum proditio 152
pruſſorum querelę de Cruciferis 504
pruſſorum ſtrages 645 ſtudium erga Polonos 518 & regem 540
pruſſorum uictoria 191 contra Cruciferos 219
pruſſorum uires fractę à Teuthonibus 204
pruſſorum unio cum Polonis 509
in Pruſſos crucę ſignati miſsi 190
pruſſica oppida à Polon. rege capta 408
pruſſicæ arces Polonis commiſsę 513
pruſſicę urbes 391
pruſſicarum ciuitatum ſtudium erga regem 512
pruſſicum bellum 61. 120. 150. 287. 381. 413. 407. 447. 626
pruſſici conſiliarij 509
pruſſi Cruciferis graues 263
prutus fl. 650
Pſari 20
pſeudopontificum ludificationes ac pręſtigię 379
pſola fl. 363
puellarum captiuarum à Tartaris numerus 257
puero imperij habenas commitere periculoſum 171
pueri triginta ſex uno partu editi 238
puſcum interceptum 533
puterborgum arx 216

Q

Qverisſouum oppidum direptum 344
Quirinũ & Varmia capta à Polonis 534
Quincinus arx 196

R

Raba fl. 255
Racianzum captum 230. 283 incenſum 320
razianzum triplex 227
radeuicus Phryſingenſis hiſtoriographus 116. 148
radinum arx obſeſſa, nec expugnata 398 per deditionem acceptą 395
radinum oppidum receptum & incenſum à Polonis 389
radomia opp. 619
radomię comitia 664
radeouia in cenſa 288
radomſcis comitia 337. 347
radoſſicæ opp. 400
Rauitę, qui & Verſouicij 54
rauitarum excidium in Boemia, & eorundem in Poloniam migratio 110
rapacis hominis ſupplicium 243 643
raphael Iaroslauius
raphael Leſcinius eques Polonus 589. 620
raptorum pœna 204
rapſtinum arx Spirconi adempta ibid.
raſcia à Tartaris uaſtata 207
Turcis ſubdita 491
raſcia & Serbia à Turcis afflictę 464
raſcianorum dubia fides 560
ratiboria ciuitas obſeſſa ob epiſcopum & ſacerdotes exules receptos 253 222
ratiboria incenſa
ratiborię collegiũ ſacerdotum inſtitutum 254
ratiborienſis dux Boemo ſubditus 285
rathnum proditione captum & exuſtum 439
rauam & Goſtininum Catharina ui ſubigere aggreſſa 542
rauenſes & Goſtininenſes regis fidem ſecuti 541 571
rauiorum familia 2
Rhea ſylua 112
recenum oppidum
de Recuperatoribus, ſiue commiſſarijs 430
de Redemptione captiuorum 430
Reginę liberalitas in Academiã Cracouienſem 369
de Reginę adulterio rei 425
reginę purgatio 425 685
regiones bene cultę 643
regius comitatus aulicus
regius exercitus qualis, & quantus 418
regiorum liberorum educatores 436
Reichembachum duci Suidnienſium donatum 262
regni ſocietas omnis infida 138
religio ad gubernandam rempl. efficax 40
religio ui & metu expreſſa, facile labaſcit 150
religionis contemptus, non negligendus principibus 151
religionis propagandæ cura 47. 48
religiones falſę 44
remenſe concilium 144

Resla arx Cruciferorum clade nobilis 566
reſtes ternæ 515
reſtes, quibus alligatæ literæ 381
Rex à conſiliarijs grauiter obiurgatus 383 culinę ſordibus à mulierecula perfuſus. 373
regis clementia,& Vngarorum ira in proditorem 470
rezania uaſtata 362. 376
Rhodia lex de mercibus naufragio eiectis 281
Riga cui erepta,& quibus addicta 279
ripinum & Lipinum oppida direpta 378
riſco, qui & Gregorius Kerdeius 447
riſemburgũ, quod & Vambrezum 418
riſsinum caſtrum 199
rithuianij in regem inuecti 618
rithuiani oratio ad regem in comitijs 529
ritigerus, qui & Ritogarus Vendę coniunx 30
riteruerderum arx 360
rixa Venceslai uxor, Prȩmisli filia 268
rixa Miecislao nupta 53
rixa regina profugit è Polonia 69
rixa regnum adminiſtrat ibid.
Rochezana 521 Georgio formidabilis 580
robertus Cæſar 370 eius mors 380
robertus primus archiepiſcopus Gneſnenſis 52
rodolfus Cæſar bellum infert Boemis 243
rogatca, qui & Boleslaus Caluus 246
rogerius utriuſq; Sicilię primus rex 127
rogoſmum arx 196 oppidum 62
rogoſnum duplex, Polonicum & Culmenſe 265
rogouia arx 196
roma à Ladislao rege Neapolitano capta 402
romæ litigatum cum Boemorum duce,de ſpoliatione templorum 71
romana reſp. Tribunitijs furoribus euerſa 593
romanus dux Vuladimirienſium 163 iurat in uerba Leſci 175
romanus tyrānus,Lublinenſem tractum à Leſco & Conrado popoſcit 182
romanus Vuladimirienſiũ dux uulneratus 172
romani ducis ſomnium 183 fuga & interitus 183
romani ducis cadauer iuſto honore tumulatur 183
romani ducis tyrannis & ſuperbia 182
romani & Græci à barbaris euerſi 5
romanorum origo 2
romoue urbs in Pruſsia 61
romualdus abbas ſanctus 59
rouum caſtellum captum 498
ropcicia oppidum 234
ros,an nomen gentis apud Ezechielem 18
roſarum odore quis extinctus 202
roxani,qui & Roxolani 16
roxanorum ſedes 26
roxolani Sarmatica gens 16
Ruch caſtrum 190
rubcouo lacus 384
rublus quid 368
ruda arx 222
rudana fl. 217
rudenſe territorium 222
rudolfus Cęſar 246
rudolfus epiſcopus Lauantinenſis legatus Apoſtolicus 567 eius integritas 574
rudolfus Vuratislauienſis epiſcopus 582
rugia 35
rumboldus & Gaſtaudus Lituani capti 439
ruſinouia fęmina ſexum uiri ſelem ementita, ob latrocinium ſuſpendio necata 665
ruſsia opp. 19
ruſsia à Lituanis occupata 301. 308. 337. 302
ruſsia auſtralis, quando à Polonis defecit 301
ruſsia Polonis uectigalis facta 87
ruſsia uaſtata 255. 247. 302. 651. 331
ruſsiæ fines 16
ruſsiæ pars recuperata à Polonis 162
ruſsiæ principatuum initium 40
ruſsiæ ubertas & opulentia 83
ruſsiani, qui & Ruſsi 17
ruſsini papiſtici à Polonis appellati 182
ruſsi,qui & Rutheni 1
ruſsi contumaces coerciti à rege 424
ruſsi & Valachi in auxilum miſſi Cæſari contra Turcas ibid.
ruſsi explicant ſuas acies 164
ruſsi finitimi ſubacti à Moſchis 631
ruſsi Græcorum ſectam amplectuntur 45
ruſsi incantationibus dediti 440
ruſsi Maſouiam populantur 255
ruſsi profligati 57. 58. 235. 104. 183. 175. 186. 270. 247. 446
ruſsi à Suitrigellone ad Sigiſmundum magnum ducem Lituanorum deficiunt 458
ruſsi pecora abigunt 166
ruſsi Polonis exæquati 431
ruſsi Polonorum fines infeſtant 49 Poloniam uaſtant 74. 256
ruſsi proditores 359
ruſsi quomodo proferant ſ Grȩcum 195
ruſsi ſagarum & magorum præſtigijs faſcinati 163
ruſsi Sendomirienſem tractum uaſtant 268
ruſsi Tartaris uectigales 187
ruſſorum anceps cum Tartaris pugna 524
ruſſorum annales 16 defectio 308 dij 45
ruſſorum bellum cum Græcis 40. bella ciuilia 57 clades 473. 559
ruſſorum dolus 231 leuitas 86
ruſſorum duces iurant in uerba Iagellonis regis, & reginę 354
ruſſorum duces multi, ac diſſidentes inter ſe 184 eorum ambitio 174 inteſtinum diſsidium 127
ruſſorum expeditio in Turcas 619 in Poloniam excurſio 234. 247. 126
ruſſorum dubia fides 451
ruſſorum ingenium 130
ruſſorum lingua non longè diuerſa à Polonorum 187
ruſsicæ linguæ uſus in Lituania 61
ruſſorum nomen 16 onera 456 perfidia 233
ruſſorum principum ſtirps 49
ruſſorum rex Daniel 232
ruſſorum ſæuitia 440
ruſſorum ſeptentrionalium populi 15
ruſſorum ſtudia erga Suitrigellonem 434
ruſſorum uictoria contra Maſouios

ſouios 233 de Polonis & Vngaris 186
ruſſis & Polonis eadem prærogatiua ac ius 302
ruſsica & Podolica nobilitas exæquata cum Polonica 456
ruſſica hiſtoria 58
ruſſicæ literæ 16. uenationes 380
ruſſicum bellum 49. 56. 66. 182. 234. 306. 316. 330
ruſticorum tumultus contra dominos 70
rutheni, non ijdem cum Ruſſis 16
ruuenſes & Goſtininenſes regis fidem ſecuti 541

S

SAcerdotes inferiores 48
Sacerdotes interfecti, & cædis eius pœna 317
ſacerdotalium redditus inæqualis æſtimatio 564
ſacerdotum bona inuaduntur iuſſu regio, & ipſi Cracouia pelluntur 534
ſacerdotum collegium Ratiboriæ inſtitutum 254
ſacerdotum domus direptæ 345
ſacerdotum & ſcholaſticorum gratitudo in Polonos 570
ſacerdotibus ubi, quando, uxores ademptæ 174. 189
ſachmates Tartarus carcere dānatus ab Alexandro rege 668 in Poloniam ductus 664 è fuga retractus 666
ſachmatis legatio ad Polon. regem 659
ſachmatis principis Tartaricæ gentis fuga & captiuitas 660 libertas in dicendo 664
acra Slauico ſermone publicè facta 363
ſacrarum literarum pius uſus 618
ſacrificium ſolenne 353
ſacrificulorum impotēs dominatus 459
ſacrilegij pœna 109. 612
ſanguinis ius principatus cauſa non uiolandum 181
ſadachmetes Tartarus à Lituanis in uincula coniectus 499
ſaffranecius Sileſiā infeſtat 499 eiuſdem pacta cum Sileſijs ducibus. ibid.
ſala fl. 17
ſalefeldum oppidum Rixæ emptum 70
ſalinæ Bochnenſes 223 in fauces Carpathi montis 622 Pincenſes in Polonia 625
ſalomea Conradi uxor 221 Halicienſium regina uirgo ſancta mortua 236 Leſci Albi ſoror, Colomanni uxor 185
ſamagitæ Cruciferorum dominatum detrectant 375 falſos deos abdicant 406
ſamagitia ad religionem Chriſtianam conuerſa 406 ceſſa Cruciferis 175 recepta ab Vitoudo 377
ſamagitia uaſtata à Cruciferis 329
ſamagitiæ ius datum Cruciferis 405
ſambienſis epiſcopus ad Cruciferos deficit 513
ſambinenſes religionem Chriſtianam amplectuntur 226
ſamotuli oppidum 340 direptum 348
P. Samotulius 537 inuiſus maioribus Polonis 538
ſandecia condita 270
ſandeciæ conuentus 148
ſandeciæ nouæ collegium 514
ſanocum opp. 330
ſantocum arx 219 maiori Poloniæ adiunctum 219. 235 reſtauratum 238 Polonis ereptum 321
ſantoci comes dedit ſe regi Polon. 317
ſanus fl. 84
ſaracenorum origo 2
ſarleium arx 327
ſarmatiæ fines ſecūdum Berosum 12
ſauoranus, qui & Safranus fl. 638
ſauus fl. 25
ſaxones Henrico quinto Cæſari rebellant 120
ſaxonia uaſtata à Polonis 59
ſaxonicum bellum 59
Sbanſinum arx 219 intercepta 221
Sbaraſſum arx expugnatur 610
Sbignei archiepiſcopi Gneſnenſis mors 643
Sbigneus Brezius 374 dux copiarum Polonicarum 375
Sbigneus captus 110 eius cædes 121
Sbigneus Cardinalis 470 ducem Toſcenſem repreſsit 494
Sbignei cardinalis & epiſcopi mores & laudes 514
Sbigneus dux exulum 98
Sbigneus epiſcopus diſsipat cō filia iuuenum 455 Vuladislaum regem obiurgat, ſuiq; officij admonet 451
Sbignei epiſcopi grauitas & libertas in dicendo 498. 441
Sbigneus exilio mulctatus 111
Sbigneus fratris miſericordiam implorat & impetrat 121
Sbignei fuga 99 graue conſilium 486
Sbigneus gratiam patris ſibi cōciliat 100
Sbignei improbitas 105
Sbignei magnus animus, contemnensq; periculi 443
Sbigneus nothus Vuladislai filius 93 monachus 98
Sbigneus Oleſnicius epiſcopus Cracouienſis 421 eiuſdem luculenta diſſuaſio 433 uirtus 388
Sbigneus Spitconi reconciliatus 461
Sbigneus Vuratislauiam occupat 99
Sbignei oratio ad regem 443 ſententia de regno Vitoudi 427 211
Scabiriæ comitia 197
ſcala opp. 200 dedita 211
ſcampe opp. clade Cruciferorū nobile 557
ſcarbimirienſis præpoſitura 306
ſcarbimirus Palatinus Cracouienſis excæcatus 107. 122
ſchadecum arx incenſa & direpta 291
ſcepuſium oppigneratum regi Polon. 405 Sbigneo epiſcopo commendatum 468
ſchiſma eccleſiaſticum 336 ob duos Pontifices creatos 371 per quadraginta annos 379 488 ſublatum
ſciborius Chelmius præfectus maioris Poloniæ 523 præfectus Marieburgenſ. 526
ſciborius Gozacicius epiſcopus Plocenſis 561
ſciborius Polonus armatus Danubium tranat 366
ſciborij Sciboricij fides erga Sigiſmundum regem 372
ſciricienſis & Biecenſis nobilitas relicta in præſidio contra Vngaros 381
ſcripinius præfectus per ebrietatem arcem zlotoriam amittit 327
ſcholæ ſacerdotum ſeminaria 548
ſcordiſci ac Tauriſci Gallorum populi 28
ſcubelæ Boemi ſtratagema 516 ſculteti,

Sculteti, qui & Oppidani, immunes à raitrali pensione 430
Scutara, quæ & Scodra, urbs Epiri, siue Albaniæ 628
Scytharum appellatio 13
Sgorelecia, quę & marchia Brandeburgensis 35
Skirgello Kiouiæ dux 362
Slaua 13
Slaui ab Illyrijs diuersi 6
Slaui à Slouo, uel Slaua dicti 13
Slaui apud Italos qui 13
Slaui diutius falsas religiones retinuerunt 44
Slaui cur Venedi uocati 11
Slaui non sunt à Tuiscone orti 12
Slaui, perperam dicti Sclaui 13
Slaui quando florere cœperint 13 quando literas coluerint 5 quo tempore Christo inaugurati, ibidem. quo tempore Dalmatiam & Illyricum occuparint 6. 7
Slaui, qui & Slauini 1
Slaui regnarunt in Pannonia 24
Slauorum ingenium quale 5
Slauorum non eadem natio siue gens cum Dalmatis, Illyrijs atq; Vandalis ibid.
de Slauorum origine 12
Slauorum reliquiæ apud Saxones 18
Slauorum res gestæ 1 inde incertæ & obscuræ 5
Slauica lingua ob omnibus aljjs diuersa 12 unde apud Valachos 313
Slauicæ linguæ usus in sacris, annuente Pont. max. 45
Slauina gens rapinis intenta 41
Slauonia 6. in potestatem Vladislai redacta 471. uastata 589
Slauucouia incensa 517
Slochouia arx fraude intercepta 563 eadem, magnitudine Marieburgo non impar 570 recuperata à Polonis 569
Slochouiæ periculum 557
Slupensis, siue Stolpensis Pomer. citerioris ducũ origo 160
Slupia oppidum 382
Slupcia opp. incensum 290
Secechouia arx 102
secechouiense monasterium 59
secechus Palatinus Cracouiensis 97 in exiliũ mittitur 102
secechi astus & inuidia 101 nomen odiosum 98
secechi potentia & acerbitas occasio rerum nouandarum 98
segedinum opp. 478
seminanti liberaliter, uber messis prouenit 189
senatusconsultum 347 de regno Vitoudi 427
senatus principi aduersatur 161
senatus Polonici uariæ sententiæ de recipiendis Prussis 506
senatus regij factũ insigne 423
senco dux occisus 438
sendiuoius Slesinius 321
sengiuoius Subinius maioris Poloniæ prefectus 324 in Dalmatiam excurrit 346 eius celeritas 347 obstat conatibus Vuladislai 327
sendiuoius Zidouius bonis mulatus 612
sendomiria arx capta & incensa 232 expugnata 206. 231
sendomiriæ comitia 436. 446. 489. 536
sendomirienses præfectus à Tartaris occisus 232
sendomirienses præfecturæ priuilegium 624
sendomirienses tractus 250. 263. 268. 307
sendomirienses à Lesco deficiunt 249
sendomirij agri fertilitas 318
senio condonandum aliquid: quia bis pueri senes 696
sennouij transactio de episcopa Cracouiensi 536
sepinensis ora Valacho donata 450 regi & regno restituta 459
septentrionales populi carent urbibus munitis 57 hinc etiam expugnandarum munitionum imperiti 287
serbia 35
serethus fl. 424
serpentes pro dijs habiti 353
seueri episcopi Pragensis impietas 71
seueria arx infestata à duce Toscensi 494
seuerienses dominatus à Sbigneo Cracouiensi episcopo emptus 477 à Michaele occupatus, & à rege recuperatus 491
seuerienses deditio 656 defectio ad Moschum 639
seuerum opp. 259
suolossum munitio 330
Sicilia à Gallo ad Hispanum deficit 248
siculæ uesperæ 248
siculum regnum ad Gallos trãslatum 232
sidlouum opp. 207
signa militaria capta centum, & amplius 614
signa Polonorum & Lituanorum 386
sigismundus Augustus rex nunciorum potestatem repressit 582
sigismundus à fratre Alexandro ad regnum accitus 669
sigismundus Berna 413
sigismundus Cæsar creatus 380 cum Venetis bellum gerit 402 inuisus Lituanis 451 quo anno copias in Turcas duxerit 426
sigismundi Cæsaris astus & uanitas 411. 483. conatus 418 cum Vuladislao rege cõgressus Sandeciæ 412
decretum Sigismundi Cæsaris 413 scopus ibid.
sigismundi Cæsaris & Vuladislai regis congressus 421
sigismundi Cæsaris legati capti & excusi à Zarnicouio 431
sigismundi Cæsaris maleuolentia 425 præceps iracundia 414 secreta pacta cum Vitoudo 427
sigismundus cunctator 691
sigismundus dux Glogouiæ & Opauiæ & utriusq; Silesiæ prefectus, & Marchio Lusaciæ 653
sigismundus dux Lituanis à rege præficitur 444 à suis interfectus 468
sigismundus filius Cazimiro natus 576
sigismundus Herbersteinus 15. 656
sigismundus imperator factus 446 tutelam Vuladislai regis ambit 456 eiusdẽ mors 461
sigismundus Lituanus spe excidit 488
sigismundus rex à Turcis profligatus 366 rex Boemorum appellatus 459
sigismundus rex captus ab Vngaris 370 bellum Polonis indicit 385 dissuasor belli Turcici 689
sigismundus rex plurimum indulsit Bonæ coniugi 686
sigis. Polonorum rex 336 Poloniæ fines circum Sãdeciam populatus 399
sigismũd. Polonis gratiosus 680 quomodo se gesserit erga Ioannem Vngariæ regem 690

Sigismundus rex redemptus à Cruciferis 380
Sigismundus rex Vngariæ Bosnam recipit, & à Turcis iterũ uictus 380 eiusdẽ artes 381 in Poloniã aduentus 364.367
Sigismũdi Polon. regis amicitia cum Carolo V. Cæsare 680 item cũ Maximiliano imp. ibid. cum maximis regibus & Pontificibus Rom. 681
Sigismund. regis clementia in uictos Germaniæ milites 695 fauor apud Vngaros & Boemos 679
Sigismundi regis fœdus & amicitia cum Ferdinando rege & Cæsare 680
Sigism. regis fides in promissis & fœderibus 693
Sigismundi regis iudicium in distribuendis honorib. & magistratibus 690
Sigismundi regis uirtutes 676
Sigismundi Roti proditoris interitus 458
Sigismund. abstemius rex 692
Sigism. Cuiauiam uastat 346
Sigismundi filius Augustus puer coronatus 686
Sigismundus latrocinia sustulit è Silesia 653
Sigismundus quando regnum adeptus apud Vngaros 339
Sigismundus regna sibi obiecta recusauit 680
Sigismundi adolescentia 679 æquitas in iure dicendo 693 animus constans in aduersis 691 animi recreationes quales 693
Sigismundi Polon. regis bella 683. 412
Sigismundi clementia erga Odanẽses 694 in Cruciferos. ibid.
Sigismundi comparatio cum clarissimis principibus 682
Sigismundi consilium à Ludouico rege Vngariæ neglectũ 689
Sigismundi regis consilia quieta 688
Sigismundi copiæ profligatæ à Polonis 399
Sigismundi diligentia 650 educatio minus delicata 691
Sigismundi filiæ quatuor è Bona uxore 686
Sigismundi indoles 642 labor & continentia 693
Sigismundi regis libertas in rẽpub. 695 magnificentia 696 moderatio erga nobilitatem 693
Sigismundi nobilitas & fœlicitas 687
Sigismundi senium 695 seueritas cum lenitate cõiuncta 694
Sigismundo Caroli filio Ludouicus rex filiam suam desponsat 325
à Sigismundo rege arces instructæ aut instauratæ 696
Silesia à Boemis uexata 129. 135 à Polonis 473 à Tartaris 208 purgata à latrocinijs 694
Silesia pars Poloniæ 55 Vuladislao attributa 148
Silesiæ à Boemis interuersę causæ 282
Silesiæ diuisio 149 eiusdem principatuum diuisio 218
Silesiæ ducum origo 149
Silesiæ fines & nomen 149
Silesij uicti à Vuladislao 259 in Mathiam propensi 609 malè animati in Polonos 571 Poloniam infestãt 464. 499. 461 item Velunensem oram 496
Silesiorum cum Masouijs bellũ 304
Silesiorum cum Polonis offensæ mutuę compositæ 484
Silesiorum duces reconciliati 162
Silesiorum ducum intestina bella 282
Silesiorum & Masouiorum affinitas 197
Silesiorũ expeditio contra Vuladislaum 259
Silesiorũm fuga 209 intestinũ bellum 244
Silesiorum militum acerbitas 278
Silesiorum pacta cum rege Polonorum & fratre eius Cazimiro 463
Silesicum bellũ 242. 267. 609
Silesici motus 220. 241. 262. 477
Simon episcopus Plocẽsis, pius 117
Simon Lipnicien sis 633
Simulachra tolluntur ac demerguntur 48
Simulachrorum cultus 44
Siradia opp. direptum ac incensum 291. 261. 230
Siradiæ comitia 341. 442. 458. 484. 499. 617
Siradien sis tractus uastatus 291. 261. 275
Siradienses fusi & præda exuti à Masouijs 257
Sixtus quartus papa 514
Smalcaldense fœdus 690
Smiderouia obsessa 464
Smogorouia, quæ & Vuratislauia 55
Smolẽscum oppugnatum à Moschis 660
Smolensci à Lituanis & Polonis subacti 354
Smolensci, res nouantes à Cazimiro cohibentur 472
Smolensci à Vitoudo subacti 362. 372
Smolenscensis ager uastatus 636
Smolensciorum dux profugus 372 Lituaniam infestat 354
Smolensciorum uirtus 387
Sniatynum arx 337
Sobeslaus dux Boemis datus ab imper. 154. captus & elapsus 119 electus 159
Sobinouia, quæ & Cibinium urbs 612
Sobota arx 263
Sochazouia in potestatem regis Polon. redacta 617
Sochouia arx incensa 256
Socoli liberi regis impendijs educati 395
Socolnici opp. 306
Sola fl. 543
Soldinum captum & incensum 238
Solomõ reductus in Vngariã 85
Soltani, Cęsaris seu principis filij, à Tartaris uocati 668
Sontius, qui & Lisontius fl. 623
Sophia Cazimiri regis filia Friderico Marchioni Brandeburgẽ si nupta 629
Sophia regina coronata 421
Sophia, Scecinensis Pomeraniæ ducis Erici coniunx, regem Cazimirum pro marito exorat 538
Sophiæ munificentia in cultum diuinum 538
Sophia urbs capta 476
Sorstenum arx expugnata 371
Sozauia nequicquam obsessa & oppugnata 647
Spectrum 245
Spicimirus uicus à Pomeranis direptus 109
Spitco Melstinius 343 turbat comitia 465 Visseuense castellum episcopo intercipit 461
Spitco Melstinius interfectus, & perduellionis damnatus 465
Spitconis uilla 197
Spitignei ferocitas 80
Sremum arx 199

Sroda opp. 198 incensum. 291
Stado, Pentecoste Slauis 45
Stagartha, quę & Starigrodum, proditur Cruciferis 538
Stanislaus Borgius 680
Stanislaus Charbinouius 396
Stanislaus Curozuancius 628
Stanislaus episcopus Posnaniẽsis 465
Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis 195
Stanislaus Kisca 664
Stanislaus Lanscorouius 682
Stanislaus Lascius 680
Stanislaus martyr in diuorum numerum relatus 223
Stanislaus Odrouanzus Palat. Russiæ 40
D. Stanislaus Polonis dimicantibus affuit 388
Stanislaus Zarnouecius præfectus Samagitiæ 664
Stanislai Cracouiensis episcopi pia ad regem effœminatum cohortatio 88
Stanislai episcopi cedes 90
Stanislai Vantropcæ religio. 535
Stanislao pio episcopo struuntur insidiæ 89
Starogrodum arx 564.569
stationes nimium onerosæ. 530
Stauus arx direpta ac incensa. 291
Stella historiographus 9
Stephani Bosnẽsium ducis auari interitus 560
Stephanus Despotes Rasciæ & Albanię, pulsus à Turcis. 475
stephani fratris Helię legatio ad Polonorum regem 440
stephanus Moldauiæ Palatinus iurat in uerba regis Pol. 585. 636 eiusdẽ dubia fides 547
stephani Palatini conatus 647 cum Polonis & Lituanis fœdus 653 iusiurandum 460 legatio ad regem ibid.
stephani Palatini moderatio animi 614 mors & res gestæ 663
stephani Palatini Valachiæ uictoria de Turcis 614
stephanus quartus post patrem Belam apud Vngaros regnat 241
stephanus rex Vngariæ mortuus 154
stephanus Valachus iurat in uerba regis Polon. 616 eiusdẽ crudelitas 649. 888
stephani Valachi excursiones in Transsyluaniam 587
stephani Valachi res gestæ contra Transalpinenses & Turcas 623 uictoria 581.587
stephanus Vngar. rex cum Emerico filio in diuos relatus 70
Stilico Vandalorum dux 11
stinauia arx capta 303
stipendium è Salinis numeratum insscio rege 524
de Stipendio nobilitati soluendo cautio 450
stolpensium ducis legatio 568
stopolcus, qui & Suentopelcus, fugit in Poloniam 57
stoslaus impius 49
stratagema 209. 222
stregonium duci Suidnicienfiũ donatum 262
strelce arx 240
strelinum duci Suidnicienfium donatum 262
stremech sylua 206
strempij Cracouiensis mors & testamentum 534
stroinatus Mindaci interfector trucidatus 233
strossa quid 65
struisi fratres interfecti 667
strempinij episcopi egregium facinus 516
studnicia 188
stuma arx 513. 573 regi Cazimiro dedita 510
styli cæci 32
stiria quomodo in ditione Boemorum 224
styrus fl. 438
Suarno dux Russorum 233
suates, qui & Suatrolugus, siue Suatoplugus 24
suatoboius Morauorũ rex monachus factus 41
suatoborus Pomeranorum dux 106
succãmerarij in Prussia pars senatus 584
suchodolum pagus 212
suece arx 216 capta 533 à Polonis & Gdanensibus recuperata 538 obsessa & oppugnata 276
suece deditur 277
suentopelcus à Prussis belli dux creatus 214
suentopelcus Boemus dolo interfectus 113
suentopelcus contra Cruciferos Prussienses pugnat 214 eos uincit 215 Culmensem tractum uastat. ibidem. fundit Polonos 228 in balneis Lescum occidit 104
suentopelcus Morauorum dux 105 Naclum intercipit 217
suentopelcus Pomeraniæ praefectus 160. 187. 192. 194. eius ambitio 193 deditio, & noua rebellio 123 filiorum dissidium 237. 239. mors 236
suerobouiorũ latrocinium 523
suesta Cazimiro charissimus 486
sulentia arx quando condita 237 expugnata 238
suleouiense monasterium 170
sumbergius captus 511
supplicij sumendi mos apud Lituanos 384
susurronum exitus qui 205
suidnicienses soli in fide Polonorum permansere 285
suidnicensibus bellum illatum à Boemis 305
suinca uir generosus 610
suinigrodum munitio 362
suitrigello & Liuones uicti à Polonis & Lituanis 458
suitrigello fœdus icit cum Cruciferis 438
suitrigello fusus & fugatus à rege 446 infestus Lituaniæ & Russiæ 451 ad Prussos fugit 375
suitrigello Moschis adest contra Vitoudum 375 pacem postulat 439
suitrigello principatum apud Lituanos arripuit 434.
suitrigello reuocatus è Prussia 373
suitrigello supplex, non potuit tamen cum Sigismundo reduci in gratiam 468
suitrigello transfuga 361 idem in gratiam redit. ibid.
suitrigello uexat Lituaniam 444
suitrigellonis animi imporentia 435 ferox responsum 437 fuga 439. 444 mores 434 mors 496

T

TAborítæ 415
Tamerlanes Tartarorum princeps maximus 368 eiusdem mors 363
tanais fl. 12. 17. 186
tanais quando à Tartaris habitari cœpta 187
tarnauiensis saltus 188
tarnouiæ collegiũ sacerdotum institutum 371
Tarnouij laus 683
tartari à Lituanis contra Polonos

lonos exciti 610. à Suitrigellone euocati, ipsius ditionem uastant 451
Tartari ad internecionẽ cæsi à Russis 50. comiter accepti à Lituanis 491
tartari fugiendo pugnant 209
tartari fusi & repressi 450. 638
tartari in Lituania collocati 367
tartari libidinosissimi 232
tartari Lituanici 537
tartari malitiosi etiã socijs Russis nocuere 257
tartari pacem petunt à Vitoudo 412
Tartari Russiam Podoliam & Lituauiam populati 669
Tartari Morauiam infestant 210
tartari suos principes adorant 232
tartari profligati 225. 362. 670. 619. 587
tartarorum à suo principe defectio 669. ciuile bellum 499. 657
tartarorũ excursiones 655. 666. in Podoliam 309. 463. 473. 477. 490. 498. 524. 509. 627. 697. 649. in Polon. 206. 211. 231. 247. 256. 304. 654. 660. in Russiam 304. 409. 473. 493. 499. 500. 609. 637. 654. 662. in Sendomiriam 261. in Valachiam 587. in Visnoueciam 644. in Vngariã 207. 255. in Volyniam 644
tartari quanta passim mala faciant 208. quos duces cæciderint 368. quousque prædas agendo progressi 206. uicti à Polonis 270. à Sigismundo rege diuersis prælijs 682
tartarorum immanitas & crudelitas 257. ingens præda ibi. iusiurandum 657. legatio 539. 576. 404. 585
tartarorum quidam religionẽ Christianam suscipiunt 232
tartarorum sagittariorum pernicitas & dexteritas 209
tartarorum sedes ubi 187. stratagema 209
tartaris quæ gentes uectigales 137
tartarorum Tauricanorum princeps captus cum fratribus, &c. 615
tartarorum uictoria 206. 368
tartarica gens ferox, nec satis suis principibus morigera 659
Tatrari, qui & Tartari 186
tauricani tartari uicti 657
Telephus captus 473
telonium annuũ institutum 530
templa quis primus in Polonia profanarit 301
templarij in Poloniam deducti 146. deleti 279
templum conflagratum incendio repentino 203
templum corporis Christi in suburbano Posnanensi ædificatum 371
terremotus insolens in Polonia 69. 176. 229. 475
tetingeri ferocitas 383
teuthones, qui & Germani 2
Teuthonum immanium flagitia 375. strages 295
Teuthonibus ordinis S. Mariæ uirginis, Chelmẽsis tractus datus iure hospitij 194. item pacta cum ijsdem Cõradi ducis. ibidem
Teuthonicum bellum 30
teuthonici iudicij supremi institutio 311
teuthonicorũ S. Mariæ uirginis ordo 194
Græcum quomodo Russi pronuncient 195
Thaborum opp. 462
theodoretus, qui & Fedco, dux Ostrogius 445
theodoricus Buzacius 489
theodorus dux Seuerienſis iurat in uerba Vuladislai Iagellonis 362
theodorum Russi Phedorum dicunt 195
theodosia urbs, quæ & Casa, à Turcis capta 559
Thomas episcopus Vuratislauiensis ad hostem infula uestitus egressus, iram eius fregit 253
thomas Strempinius episcopus Cracouiensis electus 514
thomæ Cantuarienſis archiepiscopi cædes 155
thraciæ uetera monumenta 480
thracum origo 2
tibiscus fluuius 75
ticocinum à Lituanis interceptũ 501
tifenius Cruciferorum magister Leopoli moritur 663
timor Dei principium sapientiæ 691
tinecense monasterium 77
tinecensis arx 217
tinnigralæ proditio 441
tirolensis comitatus 638
tizouia, quæ & Dersauia 44
topororum familia, & eius uires 330. & deinceps
Torunia urbs 196
torunia in Culmẽsi tractu 190
torunia propè prodita 515
torunia 205. 399
torunensis arx noua defensa 399
torunensis plebis motus à Gdanensibus compressus 519
torunenses & Gdanẽses ad Cruciferos defecere 397
totiuilus dux interfectus 359
Transalpina in potestatem Turcarum uenit 613
transalpini, siue Multani 315
transalpinensiũ bellum 590. defectio 613
transyluanienses multati à Mathia rege 581
trebnicia opp. 188. 225
trebouulia arx 359
tributum decretum 508. 528. 533. 665
tributum ingens corrogatum à Polon. 513
tributum iugerale 585
tributo redempta expeditio 561
S. Trinitatis ordo in Polonia à quo, quando institutus 188
triumuiri in Polonia 313
trochi, incensi 359
Tubal, qui & Iobelus 2
tucholia arx à Cruciferis obsessa 395. dedita Cruciferis 398
tuane 637
tugumirus proditor 42
Tuisco, Germanorum autor 2. 3. & inde 23
thule insula 384
tumultus in castris 442
Tumigrala proditionis damnatus 442
Tungeni episcopi conatus 609. aduersæ res in Prussia 627
turcæ à Iaize reiecti 580. item à Rhodo 634
turcæ ad Morauam fl. profligati 476 636
turcæ à Stephano fatigati
turcæ Carmaniam & Constantinopolitanum imperium subigunt 500. item Carniolam, Carinthiam & Styriam populantur 629
Turcæ Croatiã depopulati, Vngaros profligarunt 643
turcæ Danubium transmiserunt 614
turcæ Eubœam subigunt 592. & Vngariam infestant ibid. forum Iulij infestãt, & Venetorum copias profligant 623
turcæ fugati ab Huniade 491
Turcæ Græciam inuadunt 329
Turcæ oram Podoliæ uexant 619
turcę pacem postulant ab Vuladislao rege Polon. 478

Turcæ

Turcæ reiecti à Sabatiæ obsidione 642
turcæ Russiam uastantes, hyberna tempestate deleti 652
turcæ Slauoniam populantur 589
turcæ, Scythica gens 59. Transyluaniam infestant 632
turcæ uicti in Transyluania 561. iterum uicti 476. ab Vngaris 632.651
Turcarum ciuile bellũ 634. bellum cum Venetis 654
turcarum clades 560. apud Bielogradum 520. in Valachia 619
turcarum expeditio in Carinthiam 627
turcarum incrementa 59
turcarum metus post uictoriam 482
turcarum uaria huius temporis bella 634
turcis bellum communi Regũ Christianorum consilio & ope inferendum 689
in Turcas bellum comparatum 561. Crucis militia ordinata 563
turcica classis disiecta à Christianis 500
classis Turcicæ naufragium 620
turcica & Tartarica legatio ad Cazimirũ regem 625. ad Vladislaum 459
Turcicæ legationi responsum à rege Vuladislao datum 467
turcici imperij sedes Constatino polim translata 500
turonia, quæ & Tuuera 57
turscius & Gnoinius sacris initiati, necati à senatu Cracouiensi 519
turscum pagus 206
tutelæ finiendæ tempus legitimum apud Polonos 464
tyrannica uox 181
tyrannis utplurimum ad omnẽ occasionem suspicax & sollicita 204
tyrus, qui & Nester fluuius. 616
tyscionum uastatum 275

V

Vaiuoda. uide Bazaradus
Vaiuodę seu Palatini non semper duodecim 27
Valachius cliens Polon. 678
ualachi cur nõ à Sigismundo regę subacti 689
Valachi fusi fugatiq; 493. à Polonis 667
ualachi magno impetu irruũt in Polonos 649
ualachi Russiam populati 651
ualachi tributarij Turcis facti 518 item uectigales regi Poloniæ 493
ualachi unde dicti 313
ualachorum auxilia ad bellum Prussicũ regi Vladislao missa 415
ualachorum bellum 313. 492. 590. origo 313. lingua. ibidem. studia, religio 313. uectigal 459. uictoria de Prussis 419
de Valachis cõtentio inter principes 427
ualachia infestata à Turcis 519 613. 587. in fidem regis Polonorum uenit 356
ualachiæ diuisio 459. situs 635
de Valachiæ dominatu contentio 580
Valachiæ Palatini iurant in uerba regis 372. 375. 490
ualachica legatio 657
ualachici motus 490
Valcia à maioribus Polonis obsessa 533. incẽsa b. intercepta à Cruciferis 532
ualdampf quid 573
Vambreznum olim sedes episcopi Culmensis 418
Vanchocense monasterium 170
uandalus. Vandalorum origo 23
uandali Africam occupant 3
uandali & Slaui diuerso utuntur idiomate 9
uandali, qui & Vendili secundũ Procopium 7
uandali, Germani 9. in Francos Germanos irrumpunt 8
uandali non à fluuio Vãdalo dicti ibid.
uandali semper regibus parueerunt 9
uandali Spori à Græcis cognominati ibid.
uandalorum sedes eadem quæ Slauorum 7
uandalica dura nomina 9
uapenna mons 524
uapouius historicus 562
uapscum castrum 190
uascapum opp. magnis cladibus ab Amurathe affectum 475
uaradinum opp. 617
Varcislaus Cassubiorum dux. 230
uarcislaus dux Pomer. Christianus 150. 358
uarcislaus Gotardouicius proditionis damnatus cum alijs compluribus 378
uarmia uastata 626
uarmiense collegiũ iurat in uerba regis Cazimiri 508
uarmiensis ecclesiæ pacta cũ Polon. 629
Varmiensis episcopæ sedes ubi 226
de Varmiensi episcopa controuersia 579. 629
uarmiensis episcopus supplex regi 408
uarna, quæ & Dionysiopolis. 481
apud Varnam conflictus 481
uarsauiæ collegium institutum. 374
uartha arx direpta ac incensa. 291
uarthæ Comitia absente rege 421. 436
uartha fl. 25. 141. 228. 266
Vartemberga arx 566
Vbladislauiẽsis episcopus gubernator Prussiæ 520
Vdalricus Eisenhouenus, magnus Commendator Crucigerorum 564
Vecra fl. 383
uectigal iugerale 524. rastrale 332
uedrosus fl. 656
uelegradum urbs 45
uelenum oppugnatum 111
uelunense territorium 223
uelunensis terra Henrico Vuratislauiensi concessa 248
uelunenses uexati à Vuratislauiensibus 473
uelunia opp. 612
uelzani ųicus exustus 360
uenandi ius 199
Venceslaus Boëmorum rex 198. 267. 268. eiusdem arbitrium inter Polonos & Cruciferos 381
Venceslai regis auaricia 379
Venceslai in Poloniam expeditio 261. eiusdem fortuna 374. mors 225. 270. 412
Venceslaus Cæsar & rex Boëmorum 332
Venceslaus Hagecus quo tempore uixerit 21. eiusdem error. 50. 225
Venceslaus iunior, & eius expeditio in Poloniã 271. eius mors 271
Venceslaus Luscus rex Boemorum 224
S. Venceslaus 42
uenda Craci filia regno potitur. 30
uendæ etymologia ibid.
Vendæ uirilis animus & mors. 31. sepulchrum ubi 188

Venedi, seu Veneti & Vinidæ, an ijdem cum Vandalis 10
ueneti à Turcis pacem redimunt 628. cum Pisanis classes suas in Asiam mittunt 167. cum Vngaris & Græcis bellũ gerunt 154
uenetorum legatio 660. ad Ioannem Albertum regem Polonorum 643. Polonos contra Sigismundum Cæsarem creatum incitant 402
Vergilij sententia 677
Verinci Germani dignitas & magnificentia 316
Vernerus episcopus Plocensis Boleslæ fraude occisus 153
uessera, qui & Visurgis fluuius 26
uexillum regium recuperatum. 387
uictimæ humanæ 353
uictoribus cupidis nil arduum aut difficile 544
uidaua fl. 225
Vielmus dux Saxoniæ 511
uienna obsessa 623. capta 638. cũ tota Austria recuperata à Maximiliano 638
uigintiuiri delecti reipub. constituendæ causa 530
uilcomiria oppidum incensum 360
uilelmus Austriæ dux 348. 352. eiusdem aduentus Cracouiã. 352
uilia fl. 360
uilliſazum castrum 190
uilna 17. intercepta 350. itẽ recuperata. ibidem muro cincta 666
uilna oppugnata 360. 363
uilnensis arx incensa 359
uilnensis episcopa, quando & à quo condita 355
uilnensis Palatini iusiurandum 461
uincentius archiepiscopus 189
uincentius Cadlubicus 20. episcopus Cracouiensis 184. abdicauit se episcopatu religionis ergò 188
uincentius Cempius palatinus Posnanensis 339
uincentius Dembenius archiepisc. Gnesnensis 460
uincentius Granouius præfectus maioris Poloniæ 378
uincentius historicus 163. eius error 70. 34. 161
uincentius Prærebius episcopus Vuladislauiensis 661
uincentius Samotulius redit in gratiam 292. pristino honori restitutus 295
uincentius Samotulius transfuga 290. eiusdẽ cædes 295. proditio 294
uindæ, qui & Vendi 1
uindæ, siue Slaui, religionẽ Christianam susceperè 60
uindarum, seu Slauorum deditio ibid.
uindelicorum origo 3
uindica Glinianorum præfectus 473
uindicta Dei in malefactores 231
uinidę, qui & Venedi, & Veneti. 3. eorum sedes 11
uinum inter cæsorum corpora profluens 388
uirtus, & eius partes 688
uislicia capta 260. recuperata 261. 270
uisliciæ comitia 338
uisloca fl. 126
uislocus fl. 651
uismaria 35
uisnensis ora uastata 224
uiso, siue Vsio, piscis prægrandis Danubij 459
uissegradum à Cruciferis captũ 215. 288
uissegradensis præfectura 470
uisseslaus carcere liberatur. 79
uistula fl. 195. 206. 217. æstate media ualidis imbribus auctus 645. finis olim Germaniæ 9
uisum religiosæ fœminæ 574
uisurgis flu. 17
uitepscum pacatum 356. receptũ 362
uitichindus recentior scriptor 36
uitoudus à rege ad Sigismundum in Vngariam missus 380. admissus in senatum Polonicum 427. Cruciferos clade afficit 361
uitoudus è castris discedit 394. 408
uitoudus fugatus 368. Iagelloni reconciliatus 356, 361 in syluã sese abdit 379
uitoudus magnus dux Lituanorum 372
uitoudus Sbigneum donis inescare conatur, sed frustra 433
uitoudus transfuga 357. idem Lituaniã uexat. ibidem
uitoudi ambitio 431. authoritas apud Polonos 429. bellum in Pscouenses 423. callidum consilium 400. 432. excursio in Lituaniam 359. in Tartaros 367
uitoudi fuga in Masouiam, & inde in Prussiam 356
uitoudi ira, seu uidicta 390
uitoudi morbus 432. mors, & effigies 414
uitoudi perfidia 358. temeritas & importunitas 423
uitouiense monasterium 179. direptum 208
uitulus biceps natus Cazimiriæ apud Iudæos 652
uizna à Cruciferis incensa 263
Vneouensis synodus 329
ungaria uastata 167. 207. 218. 255. 400. 412. 620 80
ungariæ ducatus
ungari à religione Christiana defecere 77
ungari à Russis fusi 186. item à Stephano Valacho 614
ungari Christiani facti 48
ungari cum Venetis de Dalmatia bellum gerunt 157
ungari cur sibi Galatiæ & Ludomeriæ regnum uendicent 186
ungari è Sarmatia Asiatica uenientes, Pannoniam occupant 32
ungari equites ignominia notati 560
ungari Haliciam occupant 165. inde eijciuntur 166. inde 186.
ungari oratores ab Elizabetha regina capti 467. reuocantur è Polonia ibi.
ungari proceres defectionem à suo rege meditantur 624
ungari regis cum imperatore Constantinopolitano bellum 127
ungari Russiæ dominatu sese abdicant 168
ungari Stephanum contra Polon. regem incitant 647
ungari uicti à Turcis 491
ungari Vuladislaum regem Poloniæ ad regnum uocant 466
ungarorum animi alienati à Mathia rege 592
ungarorum cædes Cracouiæ 329
ungarorum comitia Budæ 478. dissidij in creando rege 639. diuersa studia 467
ungarorum & procerum conuentus apud Kesmarcum 421. 459
ungarorum expeditio in Poloniam 345 in Turcas 617
491 fluxa fides 470. 624.

unga-

ungarorum oratores 341 ad comitia Cracouienſium 298
ungarorum origo 2
ungarorum prælium cum Turcis 632
ungarorum procerum cum Polonis fœdus 372
ungarorum reges 269
ungarorum ſtrages 611. violentia 324. 329. uirtus 634
ungaros inter & Polonos fœdera 201
ungaricæ res 77
ungarica bella 65. 167
ungarici regni principium 50
uuoicechus, qui & Adalbertus epiſcopus, uir ſanctus 51
Voidilo ex humili fortuna euectus 349. eiuſdem exitus 350
Voieuoda Valach. 313
uoieuodæ, duces belli dicti lingua uernacula 26
uoiſalcus Stroinati interfector occiſus 234
uoislaus Pomeraniæ præfectus 266. præfectura amotus 101
uolboria arx intercepta 345
uolcum arx inſtaurata 503
uolga flu. 186
uolodimirus à Bela rege Vng. captus 165. à Cazimiro reuocatur 166. arci Halicienſi præficitur. ibid.
Volodomirus dux 49. principatum Halicienſem repetit. 166
uolodomirus ex Vngaria reuocatur 165
uolodomirus Halicienſium dominus moritur 174
uolodomiri filij 57
uolodomiri res geſtæ 49
Volodor Præmislenſium dux captus ac dimiſſus 124
uolynia arx 307. urbs 587
uolynia ſubacta 86. 316. lituanis tradita 337
uneouia arx condita 325. intercepta 334
uneouia opp. incenſum 291
uneouienſe collegium 325
uormitha opp. 567. crucigerorum clade inſigne 557
uorſola fl. 368
uotum Cazimiro relaxatum 73
uldericus Boemiæ dux Polono regi tributarius 54
ugra fl. 375
ulricus Ceruonca Cruciferos profligat. 557. honoratus à Cazimiro rege Polonorum 522
ulricus Ceruonca in carcerē cōiectus 545
ulrici Ceruoncæ opera regi & Polonis nauata 520
ulricus Plauenius commendator Gdanenſ. ad regem perfugit 406
ulricus Inningus 376
uriel Poſnanienſis epiſcopus. 628
urſa cicur Sigiſmundi Lituanorum ducis 468
uſci arx 192. eius obſidio ibid.
utilitas ex laude bonorum quanta 670
uuladica, epiſcopus apud Ruſſos 183
uuladimiria arx 307. incenſa 438. per deditionem recepta 322. Polonorum præſidijs munita. 316
uuladimirienſis ora uaſtata. 132
uuladislauia arx munita. 320. capta & incenſa 288
uuladislaus archiepiſcopus Salisburgenſis 236
uuladislaus Cazimiri filius Boemorum rex deſignatus 586. Cracouiæ cum uxore coronatur 282
uuladislaus Cracouia pulſus 259
uuladislaus Cuiauiæ dux 364. eiuſdem bellum cum Vuladislao Iagellone ibidem
uuladislai ducis Cuiauiæ acta. 326
uuladislaus dux, gubernator Poloniæ 331
uuladislai Damoborij caſtellani Nuclenſis inſignis ſæuitia 570. eiuſdem improbitas & cædes 576. & inde
uuladislaus dux latrocinium exercet 365
uuladislaus dux Oppoliēſis 318. 341
uuladislaus dux Ruſsiæ 331
uuladislai ducis Plocēſis mors, & liberi 517
uuladislai ducis Polonorum cū Chriſtina Henrici nuper filia nuptiæ 123
uuladislaus, qui & Hermānus dictus 92
uuladislaus Iagello 677. coronatur 354
uuladislaus Iagello in omni uita abſtemius 453
uuladislaus Iagello in Poloniam profectus 354. eius præclara facta ſub compendio ibidem
uuladislaus Iagello ſuperſtitiōibus defaſcinatus 453
uuladislai Iagellonis cum regina ſimultates 357. cum Vuenceslao Boemorum rege fœdus 365
uuladislai Iagellonis & Heduigis reginæ profectio in Lituaniam 355
uuladislai Iagellonis expeditio contra Vitoudum 357. in Lituaniam 359. eius liberalitas. ibidem. propagandæ religionis ſtudium 355. tranſactio cum Zemouito Maſouio 365
uuladislai Iagellonis uitia 452. mors 453. funus 454
uuladislaus Laſconogus princeps creatur 181. expellitur 198. eiuſdem modeſtia 181. 184. 198
uuladislaus Legnicienſis in carcerem coniectus à fratre 283
uuladislaus Locticus cur dictus 236. Cracouienſem oram infeſtat 263. principatum bello petit 259
uuladislaus Locticus rex deſignatus 266. eiuſdem fuga & peregrinatio 269. ignauia 267. mors 297. uirtutes ſub cōpendio ibidem
uladislaus monachus, accitur ad regnum 326
uuladislaus princeps renunciatus 259
uuladislai ſecundi Polonorum principis ambitio 135. in ſenatu oratio 136
uuladislaus principatu pulſus 142
uuladislai principis mors 104
uuladislaus Oporouius archiepiſcopus Gneſnenſ. 491
uuladislaus rex à ſenatu obiurgatus 428
uuladislaus rex alienatus à Friderico marchione 422
uuladislaus rex Boemorum factus 148. à Friderico imper. inueſtitus 622. eiuſdem pericula 634
uuladislaus rex crus fregit. 423
uuladislaus rex Dobrino potitur 285
uuladislaus rex Elizabetham Pileciam uxorem tertiam ducit 409
uuladislaus rex & Vitoudus repudiant

repudiant oblatum regnum Boemię 415
uuladislaus rex exanimatus,& ſurdaſter factus 412
uuladislaus rex ictus in oppugnatione rupis 476
uuladisl. laborat, ut filius ſuus infans rex deſignetur 423
uuladislaus rex in Lituaniã profectus 370
uuladislaus rex obiurgatus ab epiſcopis ob largitionem opum eccleſiaſticarum 441
uuladislaus rex parta de Turcis uictoria, Budam nudis pedib. ingreditur 478
uuladislaus rex Lituanos in Suitrigellonem concitat 444
uuladislaus rex non permiſſus pugnam inire 387
uuladislaus confirmat Polonis priorum regũ beneficia,& noua largitur 430
uuladislaus rex Polonos à ſe amandat, Suitrigellonem fratrem Lituanorum ducem creaturus 434
uuladislai regis effigies, mores & ſtudia 483 eiuſdem difficultates & conſultatio 285
uuladislaus rex rei diuinæ uacare ſolitus 385
uuladislaus rex Boemorum regno ſpoliatus 154 regnũ repetit 270 ſeditioſos Boemos in Cazimiriam amandat 437
uuladislaus tertius rex coronatur 456
uuladislai tertij regis expeditio in Sileſiam 462 profectio in Vngariam 468
uuladislai tertij pacta cum Vngaris 467
uuladislaus rex Toruuiam profectus 373
uuladislaus curam gerit Vngariç, Sigiſmundo abſente 408
uuladislaus rex Vuladislaum filium regem Poloniæ deſignat 442
uuladislaus Vngariæ & Boem. rex 678 apud Varnã à Turcis occiſus ibid.
uuladislai regis ad milites oratio 293 congreſſus cum Sigiſmundo 411
uuladislai regis coronatio 470
fœdus Vuladislai & Ioannis Alberti fratrum regum 643
uuladislai regis geſta 677
uuladislai regis expeditio in Marchiam Brandeburgenſem 286 in Pomeraniam 95 in Pruſsiam 289
uuladisl. regis extrema acta 459 diuerſa fortuna 472 humanitas erga captiuos 397 profuſa liberalitas 473. 391 392. interitus 481
uuladislai regis pia oratio 383 & alia ad Vngaros 469
uuladislai regis pietas & humanitas 389. 640 religio 382 ſtudium erga Sigiſmundum 372 ſtulta credulitas 411
uuladislai regis uxor Anna de Candala Vaſconum 661
uuladislaus Sputator 180 Caliſsiam intercipit 192 pellitur 198 Poloniam occupat 193 eius filij 213 præclarum facinus 193. 204
uuladislaus bonis omnib. ſpoliatus 268
uuladislaus fratrum ditiones inuadit 137 fugatur ac uincitur 141 Sileſijs bellum infert 267
uuladislai beneficentia in calamitoſos 441. clementia 373
uuladislai cum Cruciferis expoſtulatio 274
uuladislai cum Venceslao Boemorum rege congreſſus apud Vuratislauiam 374
uuladislai etymon 677. exitus 328. expeditio in exules 99. contra Turcas 480
uuladislai latrocinia 282
uuladislai modeſtia 659. noui conatus 327. nuptiæ ſecundæ 369
uuladislai pœnitentia 634. potentia, & peritia rei militaris 266. uirtus & audacia 481
ab Vuladislao rege uariæ leges conditæ 430
ab Vuladislao procerum alienatio 138
Vuladus Beſſarabiæ palatinus in clientelam regis Polonorũ uenit 366
uuladus, qui & Dracula, palatinus Tranſalpinenſis 480
Vuratislauienſis baſilica,& ritus eius 144. 320
uuladislauiẽſis epiſcopus gubernator Pruſsiæ 624
uuratislauienſium fortitudo 528
uulgi ingenium 138. 174. mobilitas 172
uuladislaus principatum apud Boemos occupat 119
uuratislauia potitur rex Boemorum 284
uuratislauię incendium 208. 302. 315
uuratislauiæ magiſtratus amotus 413
uuratislauiam non audent cum mercibus proficiſci mercatores Poloni 494
uuratislauienſis dominatus regi Polonorũ deditus, & mox ab eo redditus 284
uuratislauienſis epiſcopæ uacatio 330
uuratislauienſis Synodus 220
uuratislauienſes monaſterium S. Vincentij demoliuntur 126
uuratislauienſes ſupplices epiſcopo 302
uuratislauienſium clades apud Francheſteinum 577
uuratislauienſium contumacia coercita 267
uurociriſus pagus 197
uuroncos opp. 340
uuſchouenſe territorium uaſtatum 344
uuſcoua oppid. quod & Freiſtat 609. captum 303
uuſſeuolodus dux 86
uuzeleia familia 442
uxoriæ ſuaſiones uiolentç & efficaces 117
uxores ſeptem, Chriſtianiſmi recipiendi occaſio apud Polonos fuere 46

X

Xliterç, & gemini ſi, magna cognatio 17
xenodochium Gneſnenſe à quo & quando conditum 228
xianzum incenſum 343
xyna opp. 228

Z

Zauiſſius Niger 401
Zantir arx 216
zantira uicus 569
zantiræ prçſidium expugnatum 572
zapconis acerbitas in Boemos 448
zarembas Præmisli interfector 265
zari 637
zarnicouum in poteſtatem redactum regis Poloniæ 108
zarnouanſum 188
zarnouecia arx 302
zarnouius Boemus infamis trãs fuga 389
zartanicia arx à Cruciferis inter cepta 214
zatoria & Maſouia recuperatæ 686
zauichoſtum opp. 308. 655. incenſum 206

Zauichoſtenſe monaſteriũ quando,& à quo conditum,& direptum 231
Zauiſſa epiſcopus Cracouienſis 33.eius mors pudenda 335
Zauiſſius orator regis captus à Boemis 416
Zauiſſij nigri præfecti Scepuſienſis mors 426
Zauolgenſes Lituaniam populantur 587. à Tauricanis profligati 660.669
Zazia munitio 312
Zdislaus archiepiſcopus 162
Zebrace mons 523
Zechus & Lechus germani fratres 20
Zechi Boemi 10
Zeganenſis dux occiſus 511
Zeganenſis dux ambuſtus 609
Zelislaus ob præclara ſtratagemata donatus aurea manu 105
Zemomyslus exoſus ſuis 237
Zemomislus patrem pellit 231
Zemomysli cum Boleslao tranſactio 237
Zemomysli uirtutes 43
Zemomisli Vuratislauienſiũ ducis mors, & filij 257
Zemouitus à Pruſſis ſua recuperat 42.ad regnum aſpirat 339
Zemouitus Maſouiorũ dux 456. diris deuotus 324. munitiones quaſdam occupat 321
Zemouiti mors 42.233.333. liberi, mores.ibidem 424.540
Zemouitus captus 230.occidit uxorem 333
Zemouitus Piaſti filius patri ſucceſsit 41
Zemouitus rex denũciatus 344. Cracouia excluſus 343
Zemoti pacta cum regina Poloniæ 351
Zena opp.incenſum 291.recuperatum 346
Zenſtochouia direpta 571
Zenſtochouienſe monaſterium à Polonis & uicinis direptum 438
Zaldouia oppidum 385
Zialdouia Cruciferis dedita & recuperata 515
Ziffridi Commẽdatoris mira immanitas 277
Zindrauius Maſcouicius dux belli delectus 384
Zira curator Leſci 164
Ziſcæ cæci immanitas 437
Zithauia opp. 221
Zithomiria arx 587
Zitno opp. 365
Ziuecia,quæ & Turzagora 532
Zizimi Turcæ fuga, captiuitas, mors 634
Zlotoria arx intercepta dolo 327. dedita 378
Znena opp. 344
Zolaua inſula maior appellata. 523
Zonca Ruſſa Vuladislao Polon. regi ducta 417
Zuerinecenſe cœnobium 146
Zuina oppidum & arx Liuoniæ, à Vitoudo capta & incenſa 373
Zula fl. 58

FINIS.

SERIES CHARTARUM.

a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Omnes duerniones,præter Yy ternionem: E, F, ſingula folia: Zz quaternionem.

142114

BASILEAE, EX OFFICINA IOANNIS OPORINI, ANNO SALVTIS PER CHRISTVM partæ M. D. LV.
Mense Augusto.